THEOLOGIA UNIVERSA SPECULATIVA, DOGMATICA ET MORALIS

AUTHORE
R. P. PAULO GABRIELE ANTOINE,
SOCIETATIS JESU PRESBYTERO, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE ET EX-PROFESSORE.

CONTINENS BINOS TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.
DE BAPTISMO.
DE CONFIRMATIONE.
DE EUCHARISTIA.
DE POENITENTIA.
DE INDULGENTIIS.
DE EXTREMA-UNCTIONE.
DE ORDINE.
DE MATRIMONIO.
DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

JUXTA EDITIONEM VENETAM.

TOMUS TERTIUS.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM ET CRACOVIÆ.
Sumptibus CHRISTOPHORI BARTL, & Consortum, Bibliopol. Universitatis Cracoviensis.
M DCC LV.

INDEX.

TRACTATUS

De Sacramentis in genere.

Ex speculativa.

INDEX.

TRACTATUS
De Sacramentis in genere.

TRACTATUS
De Sacramento Baptismi.
Ex speculativa.

Art. III.

TRACTATUS
De Baptismo.

TRACTATUS
De Sacramento Confirmationis.
Ex speculativa.

TRACTATUS
De Confirmatione.

TRACTATUS
De Sacramento Eucharistiæ.
Ex speculativa.

INDEX.

TRACTATUS
De Eucharistia.

TRACTATUS
De Sacramento Pœnitentiæ.
Ex speculativa.

TRACTATUS
De Pœnitentiæ Sacramento.

Quæst. 3.

so

APPENDIX.

TRACTATUS De Indulgentiis.

Ex speculativa.

APPENDIX
De Indulgentiis.

TRACTATUS
De Sacram. Extremæ - Unctionis.
Ex speculativa.

TRACTATUS
De Extrema - Unctione.

TRACTATUS
De Sacramento Ordinis.
Ex speculativa.

Quæst. 9.

TRA-



TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE.
EX SPECULATIVA.

CAPUT I.

De Essentia, Existentia, & authore Sacramentorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Sacramentum.

NOta 1. Hæc vox *Sacramentum* dicitur à sacro, & tripliciter accipitur à sacris scriptoribus, videlicet, 1. Pro re occulta præsertim sacra nempe pro sacro secreto seu mysterio, ut, sup. c. 2. *Nescierunt sacramenta Dei.* 2. Pro signo rei sacræ occultæ. 3. Pro signo aliquo sensibili nostræ sanctificationis. Sic à Patribus accepta fuit, & in hoc sensu hìc accipitur.

Nota 2. Signum est id omne, quod cognitum deducit nos in cognitionem alterius. Duplex est: nempe naturale, quod aliquid ex natura sua significat; ut fumus, qui naturaliter indicat ignem; & arbitrarium, quod ex instituto solùm significat: sic hædera pensibilis vinum venale significat: Porro signum res non solum præsentes, sed etiam futuras & præteritas significare potest.

§. I.

DIco 1. Sacramentum genericè sumptum rectè definitur; *signum sensibile, sacrum, gratiæ sanctificantis, permanenter à Deo institutum.*

Prob. Quia hæc definitio naturam

omnis ſacramenti propriè dicti rectè explicat. Nam Sacramentum eſt 1. *ſignum*, ex inſtituto ſcilicet: nam ex Dei inſtitutione aliquid, nempe gratiam ſanctificantem ſignificat.

2. *Senſibile*, hoc eſt, aliquo ſenſu perceptibile, ut patet inductione, Deus quippe convenientiſſimè voluit, ut ſacramenta eſſent ſigna accommodata conditioni hominum, qui rebus ſenſibilibus ad rerum ſpiritualium notitiam deduci ſolent. *Si incorporeus eſſes, nudè incorporea tibi dediſſet ipſe dona: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*, ait S. Chryſoſtom. hom. 83. in Matth. Præterea cùm Sacramenta ſint vincula quædam, quibus fideles in unam Eccleſiam viſibilem colliguntur, debuerunt eſſe ſenſibilia, juxta illud S. Auguſtini, Lib. 10. contra Fauſtum c. 11. *In nullum nomen religionis ſive verum, ſive falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

3. *Signum ſacrum*; quia Sacramentum eſt res vel cæremonia ſacra non ſolùm ex parte rei ſignificatæ, quæ eſt gratia ſanctificans, ſed etiam ex parte ſua. Nam ad Dei cultum ordinata eſt, & ſubjectum formaliter conſecrat Deo, ac ſanctificat ſanctitate quadam morali: ſubjectum enim eo ipſo conſecratur Deo & ſanctificatur moraliter per ipſum Sacramentum, ſicut templa, v. gr. & vaſa conſecrantur Deo, & ſanctificantur moraliter per cæremonias ad hunc finem ab Eccleſia inſtitutas.

4. Signum *gratiæ ſanctificantis.* Nam Sacramenta inſtituta ſunt à Deo ad ſignificandam principaliter & explicitè gratiam ſanctificantem ſive futuram & per paſſionem Chriſti dandam, ſive præſentem & actu per illa ex opere operato collatam.

Sacramenta tamen (ut docet S. Thomas 3. p. quæſt. 60. a. 3.) ſignificant etiam ſed minus principaliter & implicite paſſionem Chriſti, & vitam æternam, quatenus eo ipſo quod gratiam explicitè ſignificant, implicitè ejus principium & finem ſignificant.

5. *A Deo inſtitutum.* Quia nullum ſignum ſenſibile gratiam infallibiliter ſignificare poteſt, niſi ex inſtitutione illius, qui ſolus ut cauſa principalis gratiam conferre poteſt.

6. Signum inſtitutum *permanenter*, id eſt, ſtabili ac perpetua lege. Quia (ut docet S. Auguſtinus, loco citato) Sacramenta ſunt præcipuæ cæremoniæ, quibus populus Dei in unam religionem coaleſcit, & ab aliis diſtinguitur: ac proinde tamdiu durare debent, quamdiu perſeverat forma religionis, propter quam inſtituta ſunt. Unde Sacramenta antiquæ legis non niſi cum illa ceciderunt.

Porrò Sacramentum genericè ſumptum, eſt quidem verum ſignum gratiæ; ſed præſcindit à practico vel non practico, ſicut ſubſtantia à materiali vel ſpirituali.

§. II.

DIco 2. Definitio allata Sacramenti genericè ſumpti, convenit univocè novis & antiquis Sacramentis.

Prob. 1. Quia Sacramenta vetera à Conciliis Florentino & Tridentino vocantur ſimpliciter & ſine addito Sacramenta: quod non facerent, ſi eſſent analogicè & impropriè Sacramenta. Ergo ſunt propriè Sacramenta.

2. Ex S. Auguſtino, L. 19. contra Fauſtum, c. 11. Nulla poteſt eſſe vera religio ſine Sacramentis. Ergo vera religio, qualis certè fuit in veteri teſtamento, ſine veris Sacramentis eſſe non potuit.

3. Quia definitio allata utriſque Sacramentis convenit ſecundùm eandem

planè ſignificationem. Nam re vera utraque ſunt ſigna ſacra à Deo permanenter inſtituta, & gratiam ſignificant: vetera enim, de quibus ſolùm poſſet eſſe controverſia, gratiam per paſſionem Chriſti dandam figurabant, ut docet Concilium Florentinum, in decreto de Sacramentis.

Obj. 1. Eſt de ratione Sacramenti ut ſic, ſeu in genere, ut cauſet gratiam. Ergo vetera Sacramenta non ſunt propriè Sacramenta.

Reſp. Nego anteced. Nam eſt de ratione Sacramenti genericè ſumpti ut gratiam ſignificet, & conferat ſanctitatem ſive externam, ſive moralem, ſive internam.

Inſt. S. Thomas, in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. q. 1. ait: *Sacramentum ſecundùm proprietatem vocabuli, videtur importare ſanctitatem activè, ut dicatur Sacramentum quo aliquid ſacratur, ſicut ornamentum quo aliquid ornatur.*

Reſp. Hoc intelligi debet de ſanctitate latè ſumpta, abſtrahendo à perfecta & imperfecta, ſeu externa. Sacramenta autem antiqua conferebant ſanctitatem quamdam imperfectam, legalem ſcilicet & externam. Duplex quippe diſtinguitur ſanctitas; alia perfecta & interna, conſiſtens in gratia ſanctificante; altera imperfecta & exterior, conſiſtens in externa aliqua conſecratione, & deputatione ac habilitate ad cultum Dei externum, atque aggregatione ad populum Dei.

Dici etiam poteſt S. Doctorem ſe retractaſſe in Summa, nempe 3. p. q. 60. a. 1. ubi poſtquam dixit Sacramentum poni in genere ſigni, ad primum ait: *non oportet, quod Sacramentum ſemper importet cauſalitatem.*

Obj. 2. Antiqua Sacramenta erant figuræ novorum. Ergo non erant propriè Sacramenta.

Reſp. Nego conſequent. quia erant figuræ novorum & ſimul vera Sacramenta, licet valde imperfecta comparatè ad nova. Sic populus Iſraeliticus, illius ſacrificia, & tota religio erant figuræ populi chriſtiani, illius ſacrificii, & religionis; & tamen ſimul erat verus populus Dei, ejus religio erat vera religio, ejus ſacrificia erant vera ſacrificia.

§. III.

DIco 3. Sacramenta antiqua ſic rectè definiuntur: *Signum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Deo inſtitum, & ſignificans tantum gratiam dandam per paſſionem Chriſti;* nova verò ſic: *Signum ſenſibile, ſacrum, permanenter à Chriſto inſtitutum, ad ſignificandam & efficiendam infallibiliter & ex opere operato gratiam ſanctificantem.*

Prob. Quia utraque Sacramenta ſunt vera Sacramenta; & per hoc ſolùm à ſe invicem differunt, quod antiqua gratiam ſignificarent tantùm nobis dandam: nova verò illam præſentem ſignificent, atque eandem conferant infallibiliter per ſe & ratione actionis, in qua conſiſtunt, ut conſtat ex Florent. Conc. Unde Sacramenta novæ legis ſunt ſigna practica, efficientia quod ſignificant, per modum cauſæ inſtrumentalis moralis, & in genere ſigni, cui promiſſio divina eſt immediatè alligata, & quatenus ſunt actiones Chriſti, quæ per ſe & immediatè movent Deum ad gratiam conferendam propter ejus merita.

Confirm. ex Trid. Conc. Seſſ. 13. c. 3. Sacramentum novæ legis eſt *ſymbolum rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ forma viſibilis, (id eſt ſenſibilis) ſanctificandi vim habens.*

Obſerva. Sacramenta novæ legis præter gratiam ſanctificantem, quæ eſt primarius illorum effectus, alia quædam efficiunt. Nam 1. omnia dant jus ad auxilia gratiæ actualis ad

finem suum assequendum idonea, & opportuno tempore infallibiliter conferenda, nisi ponatur obex ab eo, qui Sacramentum suscepit. Sic baptismus gratiæ auxilia ad vitam christianam agendam; confirmatio ad fidem fortiter profitendam, & contra dæmonis tentationes conservandam; Eucharistia ad conservandam & augendam charitatem; Extrema unctio ad hostes salutis in extremo vitæ articulo vincendos; Ordo ad Clerici, & Matrimonium ad conjugati officia rectè obeunda, obligationesque observandas subministrant. 1. Tria, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo spiritualem characterem animæ imprimunt. 3. Aliqua dant capacitatem, ut Baptismus, & potestatem aliquam spiritualem, ut Ordo.

ARTICULUS II.

Quot sint novæ legis Sacramenta?

N*Ota.* Ex veteribus hæreticis quidam omnia Sacramenta rejecerunt, nempe Ascodrupetæ, seu Ascodryti. Aliqui verò aliqua tantùm; nempe Manichæi & Seleuciani Baptismum; Novatiani Confirmationis & Pœnitentiæ Sacramenta; Bogomili Eucharistiam; Albigenses Extremam unctionem; Tanchelinus Ordinem; Enerabitæ seu Taciani Matrimonium repudiarunt. Recentiores autem hæretici communiter tria tantùm Sacramenta admittunt: Lutherani Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam: Calvinistæ Baptismum, Eucharistiam, & Ordinationem: Zuingliani Baptismum, Eucharistiam, & Matrimonium. Dixi, *communiter*, nam inter illos alii aliter sentiunt.

Dico. In nova lege existunt septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora: scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Est de Fide.

Prob. 1. Quia ex Scriptura tot sunt, nec plures cæremoniæ, seu signa sensibilia permanenter instituta ad gratiam significandam & efficiendam, ut probabitur, ubi de singulis agetur.

2. Ex perpetua Ecclesiæ traditione: nam assignari non potest tempus, quo hæc doctrina de septem Sacramentis post Apostolos in Ecclesia admitti cœperit. Quare pro septem Sacramentis valet illa Regula S. Augustini, l. 4. de Baptismo, c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.*

3. Ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium.* Et ex Concilio Tridentino Sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquorum horum septem non esse verè & propriè Sacramentum; Anathema sit.*

Hæc sola Concilii generalis auctoritas sufficere debet etiam ipsis hæreticis, nam semper hæc fuit apud Christianos consuetudo, ut exortas controversias definirent Episcopi, qui tunc vivebant. Et præsentis Ecclesiæ judicium ad controversias præsentes dirimendas sufficere & obligare omnes, agnoscere tandem compulsi sunt ipsi Calvinistæ, ut constat ex gestis in eorum Synodo Dordrectensi contra Arminium.

Ratio

Ratio à priori cur ſint ſeptem Sacramenta, eſt voluntas & inſtitutio Chriſti. Cujus quidem voluntatis ratio congrua hæc à S. Thoma, 3. p. q. 75. art. 1. affertur. Quia nempe per illa ſeptem Sacramenta Chriſtus tum privatæ cujusque hominis, tum publicæ totius Reipublicæ Chriſtianæ perfectioni ſpirituali ſufficientiſſimè providit. Nam homo ſpiritualiter naſcitur per Baptiſmum: ſpiritualiter roboratur per Confirmationem: ſpiritualiter nutritur, conſervatur, creſcit & augetur per Euchariſtiam: ſpiritualiter ſanatur, imò iterum ſuſcitatur per Pœnitentiam, cùm morbum, vel etiam mortem ſpiritualem per peccatum contraxit: denique in mortis articulo, in quo ſalus periclitatur, contra ſalutis hoſtes corroboratur, & contra peccatorum reliquias ac infirmitates remedium accipit per Extremam-unctionem.

Per Ordinem verò Reſpublica Chriſtiana accipit patres ſpirituales & paſtores; & per Matrimonii Sacramentum Populus Chriſtianus propagatur ac multiplicatur ſancto Matrimonii uſu. Sicque Chriſtus per quinque priora Sacramenta privatæ cujusque hominis, & per duo poſtrema communi totius Reipublicæ Chriſtianæ vitæ ſpirituali ſufficientiſſimè providit.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Scriptura nusquam dicit ſeptem eſſe Sacramenta. Ergo tot non ſunt.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. Scriptura neque duo aut tria Sacramenta expreſse numerat, & nullibi dicit eſſe quatuor Evangelia; & tamen hic numerus Sacramentorum & Evangeliorum ab adverſariis admittitur. 2. Quia præter Scripturam extat traditio, quæ æquè verbum Dei continet, ex qua conſtat ſeptem eſſe Sacramenta, non duo, aut tria tantùm. 3. Quia Scriptura implicitè ſaltem ſeptem Sacramenta tradit. Hoc ipſo, quod ſeptem ſigna ſenſibilia ſeu ritus externos tradit, quibus convenit definitio Sacramenti.

Obj. 2. Omnia noſtra Sacramenta ex latere Chriſti in cruce pendentis fluxerunt. Sed inde non fluxerunt niſi duo Sacramenta, *ex Joann. cap. 19.* ubi ex latere Chriſti fluxiſſe dicuntur ſanguis & aqua, id eſt, Baptiſmus & Euchariſtia: ut exponunt multi Patres græci. Ergo.

Reſp. Ad maj. Omnia Sacramenta ex latere Chriſti fluxerunt hoc ſenſu, quod omnia Sacramenta ſint fructus & applicatio pretii ſanguinis Chriſti in cruce effuſi; & quod hæc applicatio figurata ſit per effuſionem ſanguinis & aquæ; quatenus ſanguis Chriſti effuſus, eſt cauſa meritoria gratiæ, & aqua figura fuit gratiæ ſanctificantis per Sacramenta conferendæ.

Reſp. Ad min. 1. Secundùm multos Patres per ſanguinem & aquam Baptiſmus quidem & Euchariſtia ſignificantur non tamen excluſivè, excludendo ſcilicet alia Sacramenta; ſed hæc ſpeciatim commemorant, quia magis communia & principalia ſunt. 2. Per ſanguinem & aquam alia ab aliis Patribus intelliguntur. Nam Cyril. Hieroſ. & Hieronymus intelligunt martyrium & Baptiſmum. Ambroſius verò, Auguſtin. & Leo magnus per ſanguinem intelligunt noſtræ redemptionis pretium; & per aquam Baptiſmum.

Obj. 3. Septenarius Satramentorum numerus non reperitur in Patribus. Ergo non extat.

Reſp. Nego conſeq. Quia quamvis Patres nusquam expreſsè dicant eſſe ſeptem Sacramenta, nusquam tamen

hunc numerum negant, nec ullibi asserunt esse duo aut tria tantùm. Patres autem septenarium illum numerum expressè non tradunt, quia nullus Sacramenta numeranda suscepit; sed ad suum propositum mentionem aliquorum Sacramentorum fecerunt; & de aliis, de quibus non habebant causam necessariam loquendi, tacuerunt. Aliqui Patres duo vel tria posuerunt per modum exempli, supponendo cætera. Alii verò de duobus aut tribus tantùm Sacramentis tractarunt, quia hoc tantùm exigebat opus sibi propositum. Sic v. gr. S. Ambrosius, in libris de Sacramentis tractat tantùm tria Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, quæ eodem die Catechumenis conferebantur; quia Catechumenos docere volebat solùm ea, quæ eodem die suscipere debebant.

Obj. 4. S. Augustinus, l. 3. de doctrina christiana, c. 9. duo tantùm Sacramenta admittit, nempe Baptismum & Eucharistiam.

Resp. Nego. Nam ibi duo illa Sacramenta solùm ponit per modum exempli, nec negat alia. Sic enim ibi ait: *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus & apostolica reddit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.* Ubi vox *sicuti* clarè indicat hæc duo Sacramenta poni loco exempli, nempe magis communia & principalia. Præterea S. Doctorem præter Baptismum & Eucharistiam admisisse alia quinque Sacramenta constat; Confirmationem quidem, ex lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 104. Pœnitentiam & Extremam-unctionem, ex lib. 5. de Baptismo, cap. 20. Ordinem, ex lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 13. Matrimonii denique Sacramentum, ex lib. de bono conjugali, c. 18.

Obj. 5. Plura sunt Sacramenta quàm septem. Nam lotio pedum est Sacramentum.

Resp. Nego. Nam vera Christi Ecclesia, contra quam portæ inferi non prævalebunt, nunquam plura admisit. Lotionem autem pedum non esse Sacramentum ex eo etiam constat, quod ad Sacramentum propriè dictum requiruntur etiam juxta hæreticos, promissio gratiæ, & mandatum ritus externi: quæ duo in lotione pedum minime reperiuntur. Nam 1. promissio gratiæ facta lotioni pedum neque ex Scriptura, neque ex traditione ostendi potest. Verba enim illa Joann. c. 13. (*si non lavero te, non habebis partem mecum*) non significant promissionem gratiæ, sed duntaxat comminationem pœnæ propter inobedientiam, ut interpretantur Basilius, Chrysostomus, & alii Patres. 2. Non extat præceptum exercendi lotionem pedum materialem. Nunquam enim tale præceptum agnovit Ecclesia: nam ritus lotionis pedum nunquam usurpatus fuit ab universa Ecclesia, neque à particulari Ecclesia Romana, omnium aliarum Ecclesiarum matre & magistra, à qua institutionem Christi ab initio ignoratam aut neglectam fuisse, nemo etiam hæreticorum dixerit.

Illa quidem pedum lotio in aliquibus Ecclesiis particularibus, ut Mediolanensi post adultorum baptismum usurpata fuit, sed non ut ritus à Christo præceptus, aut Sacramentum: alioqui errassent.

Porro lotio pedum dici potest Sacramentum latè & impropriè dictum, nempe sumptum pro eo quod habet sensum mysticum, & est signum alterius rei sacræ. Nam lotio illa fuit signum charitatis & humilitatis Christi

&

& fidelium qui eum imitari debent, item puritatis qua debemus ad Eucharistiam accedere.

Inst. 1. Christus, Joann. cap. 13. lotionem pedum præcepit his verbis: *si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Resp. Nego. Nam Christus verbis illis, solùm humilitatis & charitatis erga proximum actus, non verò externam & materialem pedum lotionem præcepit, ut exponit Chrysostomus, & constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quare ibi præcipitur pedum lotio in sensu mystico & figurato, sumpta scilicet pro actu humilitatis & charitatis erga proximum.

Inst. 2. Cyprianus, serm. de ablutione pedum; Ambrosius, l. 3. de Sacramentis; & Bernardus, serm. 1. de Cœna Domini, docent pedum lotionem esse Sacramentum, & quidem propriè dictum.

Resp. Nego. Nam 1. auctor sermonis de ablutione pedum, qui non est Cyprianus, sed quidam ignotus, ut probat Bellarminus, l. de Scriptoribus Ecclesiasticis: ille (inquam) auctor & Bernardus solùm intendunt externam pedum lotionem, quæ à Christo facta est, fuisse signum spiritualis lotionis, nempe expiationis venialium culparum, quæ quotidie in nobis à Christo fieri debet per orationem, jejunium, actus humilitatis & charitatis erga proximum. Unde cùm dicunt illam pedum lotionem faciendam esse quotidie, intellige faciendam, non materialiter, sed spiritualiter ac mysticè, exercendo scilicet actus virtutum per illam significatos ad expianda peccata venialia.

2. Ambrosius, loco objecto, solùm vult lotionem pedum baptizati, quæ fiebat ab Episcopo, esse Sacramentum improprie dictum, nempe cæremoniam sacram, quæ aliquid sacrum significaret, & per quam impetrantur auxilia ad facilius resistendum diabolo. Unde juxta illum illa lotio est quoddam sacramentale seu cæremonia sacra, cujusmodi est aqua benedicta, signum crucis, &c. Nam ibidem asserit se non reprehendere Ecclesiam Romanam, in qua ejusmodi lotio non fiebat. Quod certè non dixisset, si hanc lotionem verum Sacramentum esse sensisset.

Obj. 6. Signum crucis, exorcismi, insufflationes in Baptismo fieri solitæ, vocantur ab aliquibus Patribus Sacramenta.

Resp. Ea intelligunt esse Sacramenta latè & impropriè dicta, quatenus nempe sunt signa alicujus rei sacræ. Nam ex omnium consensu Baptismus est primum omnium Sacramentorum, & cæterorum quasi janua, & sic nullum Sacramentorum proprie dictum confertur ante Baptismum.

Quæres 1. *Utrùm Sacramenta novæ legis sint æqualis inter se dignitatis?*

Resp. Nego. Est de Fide contra Lutherum. Nam Conc. Trident. Sess. 7. Can. 3. sic ait: *Si quis dixerit septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, Anathema sit.* Et verò quis non videt Eucharistiam cæteris dignitate præstare, cùm ipsummet Christum sub speciebus panis & vini contineat?

Quæres 2. *Utrùm fuerint aliqua Sacramenta in lege naturæ & Mosaica?*

Resp. 1. In lege naturæ fuerunt aliqua Sacramenta.

Prob. Nam 1. ab Adamo usque ad Abrahamum fuit aliquod Sacramentum

tum à Deo institutum pro infantibus à peccato originali liberandis, ut docet S. Augustinus, l. 5. contra Julianum, cap. 11. *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* 2. Tempore legis naturæ data est Abrahamo Circumcisio, quæ fuit Sacramentum, ut docet S. Augustinus, l. 3. contra Julianum, cap. 18. his verbis: *ad hoc responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumcisus die octavo fuisset, periisset anima ejus de populo suo. Explica, si potes tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur?* Ubi S. Doctor docet circumcisionem fuisse Sacramentum, & signum baptismatis Christi, id est, signum gratiæ per baptismum Christi conferendæ.

Resp. 2. In lege Mosaica fuerunt aliqua Sacramenta.

Prob. Nam in lege Mosaica præter Circumcisionem fuit pro masculis ante octavum diem morituris, & fæminis omnibus idem Sacramentum, quod in lege naturæ à Deo institutum fuerat ad delendum peccatum originale. Deus enim tales non reliquit absque remedio, nec providit solis masculis, qui octavo die circumcidi possent.

Præter ista duo Sacramenta fuerunt in illa lege alia plura à Deo instituta, ut esus agni Paschalis, Pontificum & Sacerdotum consecrationes, expiationes & purificationes legales, &c. Nam hæc omnia & similia erant signa sacra, à Deo permanenter instituta ad præfigurandum Sacramenta novæ legis, & gratiam per ea conferendam.

Quæres 3. *Utrùm Sacramenta fuerint homini necessaria?*

Resp. Non fuerunt absolutè necessaria ad salutem independenter à voluntate & institutione divina. Nam sine illis Deus potuit absolutè salvare homines in quovis statu. At sunt necessaria necessitate convenientiæ, & ad melius esse, quatenus sunt valde congrua & utilia homini post peccatum. Nam valde conveniebat, ut instituerentur signa sensibilia, quibus homines ad spiritualium cognitionem faciliùs adducerentur; in unam Ecclesiam adunarentur; ab infidelibus discernerentur; Deo consecrarentur, fidem eandem profiterentur, obedientiam, humilitatem & fidem exercerent, & sanctificarentur.

ARTICULUS III.

A quo instituta fuerint Sacramenta novæ legis?

DIco. Christus per se immediatè instituit omnia novæ legis Sacramenta. Hanc assertionem multi Theologi censent pertinere ad fidem, sed alii eam solùm ut veram ac certam defendunt.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi Apostoli dicuntur tantùm ministri & dispensatores mysteriorum Dei, ideóque Sacramentorum, juxta illud 1. Cor. c. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo Apostoli non fuerunt institutores, sed solùm ministri & dispensatores Sacramentorum jam à Christo institutorum.

2. Ex Patribus, ut Ambrosio, qui, lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Et Augustino, epist. 118. ubi de Christo ait: *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.*

3. Ex

3. Ex Trid. Seff. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiffe omnia à Jefu Chrifto Domino noftro inftituta . . . . Anathema fit.* Senfus autem hujus Canonis eft, omnia Sacramenta à Chrifto immediatè inftituta fuiffe. Nam 1. Conc. Trid. definit Sacramenta omnia inftituta fuiffe à Chrifto fimpliciter & fine addito. Non poffunt autem dici fimpliciter à Chrifto inftituta, nifi ea, quæ ab ipfo immediatè inftituta funt: ficut non poffunt dici fimpliciter à Chrifto præcepta, nifi ea, quæ ab ipfo immediatè præcepta funt. Sic Chriftus non dicitur inftituiffe Sacramentalia: puta; aquam luftralem, panem benedictum, quamvis ea inftituerit mediatè per Ecclefiam, quatenus nempe fuerunt inftituta per poteftatem à Chrifto Ecclefiæ traditam, per ejus infpirationem & directionem, ne erraret Ecclefia in inftituendo. Similiter nemo unquam dixit præcepta Ecclefiæ effe præcepta Chrifti, quamvis Chriftus ea tulerit mediatè per Ecclefiam, tribuendo fcilicet Ecclefiæ poteftatem ea imponendi, infpirando ut illa ferret, & adjuvando ne erraret in illis ferendis. 2. Quia alioqui hic Canon fruftra omnino editus effet: nam nemo unquam, qui Sacramenta in nova lege admitteret, negavit, imo negare potuit, ea fuiffe à Chrifto inftituta faltem mediante Ecclefia. 3. Quia fi Ecclefia quædam Sacramenta inftituiffet, poffet illa mutare quoad fubftantiam: neque enim ad mutandum aliquid major poteftas requiritur, quàm ad illud inftituendum. Falfum tamen confequens ex Trid. Conc. Seff. 21. c. 2. ubi declarat fuiffe femper in Ecclefia poteftatem varia ftatuendi & mutandi circa difpenfationem Sacramentorum, *falva* tamen *illorum fubftantia.* 4. Quia Trid. Conc. definit omnia Sacramenta fine ulla diftinctione, ideóque æqualiter inftituta fuiffe à Chrifto. Ex Scriptura autem patet, & nemo unquam negavit, aliqua à Chrifto immediatè inftituta fuiffe, ut Baptifmum, Euchariftiam, &c. ergo omnia immediatè à Chrifto inftituta fuere.

Prob. 4. Ratione, quia Chriftus per fe immediatè fundavit Ecclefiam: ergo per fe quoque immediatè inftituit Sacramenta, quæ funt fundamenta Ecclefiæ. Præterea id exigebat Sacramentorum dignitas, & major veneratio illis concilianda, nec non ftabilitas.

Porrò Chriftus Sacramenta inftituit, ut Deus & homo.

Obj. 1. Cyprianus, Serm. de ablutione pedum, ait: *ipfe fummus facerdos eft fui Sacramenti inftitutor & auctor, in cæteris homines fpiritum fanctum habuere doctorem.*

Refp. Auctor hujus fermonis, qui non eft Cyprianus, per vocem *cæteris* non intelligit alia Sacramenta, fed cæremonias, quæ in confectione & adminiftratione Euchariftiæ adhibentur: alioqui fecum ipfe pugnaret, cùm ibidem doceat baptifmum à Chrifto inftitutum fuiffe, ut fide conftat, nec negant hæretici.

Obj. 2. Sanctus Auguftinus, l. 3. de Doctrina chriftiana, cap. 9. ait. *quædam pauca* (Sacramenta) *pro multis* (Sacramentis legis Mofaicæ) *ipfe Dominus, & Apoftolica tradidit difciplina.*

Refp. Senfus eft, pauca Sacramenta in nova lege comparatè ad vetera ipfe Chriftus inftituit, & à Chrifto inftituta promulgarunt, & Ecclefiæ tradiderunt Apoftoli. Nam vox *difciplina,* non inftitutionem, fed doctrinam & explicationem fonat.

Obj. 3. Extrema unctio inftituta fuit à Jacobo Apoftolo, his verbis, c. 5. ipfius Epiftolæ: *infirmatur quis* in

in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.

Resp. Neg. Nam hæc verba hujus Sacramenti promulgationem continent tantùm, non ejus institutionem, ut definit Conc. Trident. Seff. 14. Can. 1.

CAPUT II.

De materia & forma Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta novæ legis perficiantur rebus ut materia, & verbis ut forma?

DIco. Omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma.

Prob. 1. Ex decreto Eugenii IV. edito pro Armenis in Concilio Florentino, ipso Concilio approbante, ut expresse dicitur; ibi: *hæc omnia Sacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personæ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* 2. Inductione.

Ratio à priori est institutio Christi, quæ nobis certò innotescit per traditionem. Ratio autem congruentiæ est, ut Sacramenta novæ legis essent signa magis sensibilia & clariora gratiæ, quam conferunt.

Porrò nomine *rei* intelligitur res quælibet sensibilis, distincta à verbis, sive illa sit res externa, sive actus aliquis.

Obj. 1. Sine fundamento Sacramenta dicuntur perfici rebus ut materia, & verbis ut forma.

Resp. Nego. Nam sic dicuntur propter analogiam quamdam, quam res & verba in Sacramentis habent cum materia & forma physicis. Quæ analogia in eo posita est, quod sicut in composito physico materia est pars per se indeterminata & indifferens ad quodlibet compositum, forma verò pars determinans materiam ad hoc potiùs quàm ad illud: ita in Sacramentis res secundùm se est aliquid indeterminatum in ratione signi & indifferens ad varias significationes, verba verò determinant rem ad hanc potiùs significationem quàm ad illam. Sic aqua, quæ est materia baptismi, est indifferens ad significandam ablutionem vel refrigerationem, vel aliquid aliud; & determinatur per verba (*ego te baptizo, &c.*) ad significandam ablutionem animæ à peccatis. Item sicut in physicis materia per formam perficitur, ita res in Sacramentis per verba perficiuntur in ratione signi & Sacramenti.

Obj. 2. In Sacramento Pœnitentiæ oris confessio est materia. Ergo hoc Sacramentum non perficitur rebus tanquam materia. Ergo, &c.

Resp. Nego conf. Nam confessio est quidem materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed partialis tantùm: totalis enim illius materia sunt tres actus pœnitentis, nempe cordis contritio, oris confessio, & satisfactio pro peccatis ut docet Conc. Florentinum, in decreto Eugenii. Ergo dolor de peccatis commissis, & propositum non peccandi de cætero, in quibus contritio consistit, & quæ sunt res aliquæ à verbis distinctæ, sunt etiam partialis materia & quidem essentialis pœnitentiæ. Ergo hoc Sacramentum perficitur aliquibus rebus à verbis distinctis tanquam materia partiali. Cùm autem Sacramenta dicuntur perfici rebus tanquam materia, sensus est, quod aliquid ex parte materiæ sit res aliqua à verbis distincta;

cta; sive hæc res sit tota materia, ut contingit in omnibus Sacramentis, præter Pænitentiam, sive sit tantùm partialis materia, ita ut præter eam verba aliqua sint etiam partialis materia ut contingit regulariter in Sacramento Pœnitentiæ.

Inst. Cordis contritio non est sensibilis, ergo non est materia Sacramenti, ergo verba sunt totalis illius materia essentialis.

Resp. Contritio, quamvis sit per se insensibilis, fit sensibilis per confessionem, vel alia signa externa dolorem internum significantia: quod sufficit, nam necesse non est, ut materia Sacramenti sit se tota aliquid sensibile per se, quia necesse non est, ut Sacramentum sit ex omni parte sensibile, sed sufficit quod sit sensibile simpliciter, ut autem sit sensibile simpliciter, sufficit quod sit sensibile secundùm aliquam sui partem: sic homo est simpliciter corporeus, quamvis talis sit secundùm unicam sui partem, nempe corpus.

Obj. 3. Sacramentum Matrimonii solis verbis perficitur, quando nempe per verba de præsenti contrahitur: vel solis nutibus, quando contrahitur per nutus. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam cùm hoc Sacramentum ex communi sententia consistat adæquatè in contractu matrimoniali, quem Christus ad esse Sacramenti evexit, perficitur mutuo consensu interno contrahentium tamquam materia, & verbis vel signis consensum illum mutuum exprimentibus tanquam forma. Nec obstat, quod consensus ille internus sit per se insensibilis, nam fit sensibilis per verba vel nutus, quibus exprimitur.

Inst. Matrimonium non perficitur semper verbis tanquam forma: nam interdum fit scripto vel nutibus.

Resp. Matrimonium perficitur communiter verbis proprie dictis, interdum autem scripto vel nutibus, quæ sunt verba moraliter & æquivalenter. Cùm autem Florenti. Concil. dicit omnia Sacramenta perfici verbis tanquam forma, subintelligendum est, *saltem communiter*, propter Matrimonium, quod non perficitur essentialiter verbis propriè ac strictè dictis; qùia cùm hoc Sacramentum consistat in contractu matrimoniali, quem Christus ad esse Sacramenti evexit, Christus nil exegit pro eo nisi quod ad contractum legitimum essentialiter requiritur. Unde in eodem decreto Eugenii dicitur Sacramentum Matrimonii effici mutuo contrahentium consensu, *regulariter* expresso per verba de præsenti. Nil autem simile dicit de aliis Sacramentis. Unde hæc verba decreti & nostræ assertionis, nempè quod omnia Sacramenta perficiantur verbis tanquam forma, hunc habent sensum, quod omnia verbis tanquam forma perficiantur essentialiter quidem, sex priora, communiter verò Matrimonium.

Nota. Sacramentum sicut cætera artefacta spectari potest dupliciter. 1. Per modum compositi physici, & sic spectatum constat rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. 2. Per modum compositi artificialis, & sic constat ex aggregato ex rebus & verbis tanquam materia, & significatione Sacramentali à Christo huic aggregato indivisibiliter imposita tanquam forma. Hinc res & verba se habent tantùm per modum materiæ respectu significationis Sacramentalis; non item si spectentur relatè ad se invicem, ut re ipsa spectari debent, nam sub hoc respectu vicibus funguntur materiæ & formæ: unde sic appellari debent simpliciter.

Porrò idem sub diverso respectu potest esse materia & forma. Sic lignum, quod ex materia prima & forma constat, se habet instar materiæ respectu formæ artificialis, v. g. statuæ.

Quæres 1. *Utrùm Sacramenta novæ legis intrinſecè conſtent, ſeu componantur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma?*

Nota. Perfici, & intrinſecè conſtare ſeu componi ſunt diverſa. Nam ex Conc. Florentino ſupra citato Sacramenta perficiuntur perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; & tamen non componuntur ex perſona miniſtri.

Reſp. Sacramenta omnia, quæ in actione transeunte conſiſtunt, componuntur intrinſecè rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Nam per res & verba ſimul conſtituuntur in eſſe ſigni, ideoque Sacramenti: res quippe & verba ſecundùm inſtitutionem Chriſti requiruntur ad ſignificandam gratiam. Sola igitur Euchariſtia excipitur, qui conſiſtit adæquatè in re permanente.

Porro Sacramenta dicuntur componi intrinſecè rebus tanquam materia & verbis tanquam forma. Quia res quantum ad ſignificationem ſe habent ut pars perfectibilis & determinabilis, verba verò ut pars perficiens & determinans, quia perfectiùs & clariùs ſignificant. Componuntur autem non phyſicè, ſed moraliter, nempe per unionem moralem.

Quæres 2. *Utrùm Sacramenta veteris legis perficiantur rebus & verbis tanquam materia & forma?*

Reſp. Non perficiebantur verbis tanquam forma. Nam in Scriptura, ubi traduntur ritus Sacramentorum, nulla verborum forma præſcribitur. Ratio eſt, quia Sacramenta novæ legis, utpote antiquis perfectiora, & gratiam præſentem ſignificantia atque conferentia, debent eſſe ſigna clariora gratiæ, quam antiqua quæ ſolum gratiam per nova dandam ſignificabant. Non eſſent autem clariora gratiæ ſigna, ſi antiqua Sacramenta, verbis perfecta fuiſſent: nam nova non ſunt veteribus clariora niſi ratione verborum, quæ (ut ait Sanctus Auguſtinus) obtinent in ſignificando principatum.

Nec obſtat, quod Levit. c. 4. cum ſacrificium pro peccato Principis præſcribitur, legantur hæc verba: *rogabitque pro eo ſacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Nam hæc oratio non præſcribitur, ut ea tanquam forma perficiatur Sacramentum, ſed ut ea ſacrificio abolita, peccati remiſſio faciliùs impetretur. Quare cùm ibidem ſacrificium pro peccato ſacerdotis inſtituitur, nulla præſcribitur oratio in eo adhibenda.

ARTICULUS II.

Utrùm res & verba, quibus Sacramenta perficiuntur, fuerint à Chriſto determinata?

DIco. Chriſtus res & verba, quibus tanquam materia & forma Sacramenta perficiuntur, determinavit pro omni loco & tempore.

Prob. 1. Ex perpetuo ſenſu & uſu Eccleſiæ.

2. Ex Trident. Conc. Seſſ. 21. cap. 2. ubi ait: *Præterea declarat* (Synodus) *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.* Ergo Eccleſia nil poteſt immutare circa ſubſtantiam Sacramentorum, ideoque circa materiam & formam illorum, quæ conſtituunt illorum ſubſtantiam, unde ſic argumentor. Illa fuerunt invariabiliter pro omni loco & tempore inſtituta, ac determinata à Chriſto,

circa quæ Ecclesia nil potest immutare: nam Ecclesia habet potestatem immutandi quidquid sua auctoritate instituit. Atqui Ecclesia nil potest immutare circa res & verba, quibus tanquam materia & forma perficiuntur Sacramenta, cùm in his consistat substantia Sacramentorum. Ergo res & verba, quibus perficiuntur Sacramenta, fuerunt à Christo instituta & determinata.

Ratio à priori est voluntas Christi, qui cùm potuisset Sacramenta instituere, non determinando materiam & formam, sed Ecclesiæ dando potestatem eligendi quas vellet; tamen convenientissime materiam & formam sive in genere, sive in specie ipse per se determinavit. Nam hoc facit tùm ad dignitatem Sacramentorum, & devotionem suscipientium, quod Sacramenta celebrentur in ritu ab ipso Christo instituto: tùm etiam ad unitatem Ecclesiæ, quod in omni loco & tempore adhibeantur res & verba à Christo invariabiliter determinata.

Obj. 1. Si Christus determinasset materiam & formam Sacramentorum, hæc determinatio esset æqualis in omnibus Sacramentis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Neg. sequel. maj. Quia sicut hæc determinatio, ita & ejus modus pendet à voluntate Christi. Itaque determinatio materiæ facta à Christo non est æqualis in omnibus Sacramentis. Nam in aliquibus materiam determinavit in specie etiam infima, ut aquam elementarem in Baptismo, oleum in Extrema unctione, &c. in aliquibus verò determinavit tantùm in genere, ut in matrimonio legitimum contractum determinavit tantùm in genere. Quando autem materia determinata est tantùm in genere, Ecclesia potest uti qualibet materia, quæ intra genus illud continetur.

Quod spectat ad verba, Christus ea determinavit tantùm quoad sensum. Unde quælibet verba verè & distinctè synonima ad Sacramentorum valorem sufficiunt.

Porrò cùm Christus determinationem materiæ & formæ in specie pro aliquibus Sacramentis, Ecclesiæ reliquerit, hoc ipso ipsa Ecclesiæ determinatio ex institutione Christi est his Sacramentis essentialis: ideoque alia materia aut forma est invalida.

Obj. 2. Nunc Ecclesia Græca utitur materia & forma ordinationis diversis ab iis, quas adhibet Ecclesia Latina, idque sciente & approbante summo Pontifice, totaque Ecclesia Latina, quæ Græcos suo ritu ordinatos habet pro veris Sacerdotibus. Nam Ecclesia Græca pro materia ordinationis utitur sola manuum impositione, & pro forma his verbis: *divina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia Sanctissimi Spiritus.* In Ecclesia verò Latina confertur Sacerdotium per traditionem calicis cum vino & patenæ cum hostia, per hæc verba: *accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Deinde additur manuum impositio cum hac forma: *accipe Spiritum Sanctum, &c.* circa quam duplicem materiam & formam dissentiunt Theologi, an utraque, an alterutra duntaxat sit tota essentia Sacramenti. Ergo Christus non determinavit eandem materiam & formam pro tota Ecclesia.

Resp. Nego conseq. Quia Christus pro Sacramento Ordinis non determinavit materiam & formam in specie infima, sed solùm in genere, statuendo

do ſcilicet, ut hoc Sacramentum conferetur per aliquam actionem externam ac ſenſibilem ordinantis, ſignificativam poteſtatis quæ traditur ordinato; & per aliqua verba, quæ eandem poteſtatem magis determinatè & clariùs ſignificarent. Illius autem actionis & verborum illorum in ſpecie infima determinationem reliquit Eccleſiæ ſeu Apoſtolis. Eccleſia autem Græca determinavit ſolùm manuum impoſitionem pro materia ordinis: Eccleſia verò Latina partim impoſitionem manuum, partim traditionem inſtrumentorum magis ſignificativam poteſtatis quæ traditur. Unde in utraque Eccleſia ſervatur inſtitutio Chriſti, nam in utraque Ordo confertur per actionem ſenſibilem & per verba ſufficienter ſignificantia poteſtatem Sacerdotalem.

Dices. Ergo in Eccleſia Latina ſola manuum impoſitio eſt materia neceſſaria ad ordinationem.

Reſp. Nego. Quia ſuppoſita determinatione & electione duplicis materiæ ſupra dictæ, pro Eccleſia Latina facta, traditio inſtrumentorum cum forma ei reſpondente neceſſaria eſt in Eccleſia Latina ad ſubſtantiam Sacramenti: non item in Græca, in qua ſufficit manuum impoſitio cum ſua verborum formula.

Dices. Ritus ordinationis in utraque Eccleſia ſunt diverſi ſpecie. Ergo eſt diverſitas quoad ſubſtantiam.

Reſp. Ritus utriusque Eccleſiæ differunt quidem inter ſe ſpecie phyſica; ſed ſunt idem ſpecie morali in ratione ſigni & Sacramenti. Nam ambo ſufficienter ſignificant eandem rem, nempe poteſtatem Presbyteri, & auctoritate legitima ſecundùm inſtitutionem Chriſti adhibentur. Igitur non differunt ſpecie moraliter, hoc eſt, ſecundùm æſtimationem prudentum relatè ad Chriſti inſtitutionem & illorum finem.

Obj. 3. Concilium Tridentinum mutavit ſubſtantiam Sacramenti Matrimonii. Nam ad illud olim ſufficiebat contractus clandeſtinus, & nunc non ſufficit in iis locis, ubi Concil. Trident. decretum promulgatum eſt. Ergo.

Reſp. Nego antec. Nam ſubſtantia Sacramenti Matrimonii conſiſtit ex contractu legitimo. Concil. autem Tridentin. ſuo decreto non effecit, ut contractus legitimus eſſet invalidus ad hoc Sacramentum: nunc enim ut anteà contractus legitimus ſemper & ubique ſufficit ad Sacramentum Matrimonii. Sed Concilium ſuo decreto ſolùm effecit, ut contractus clandeſtinus, qui anteà erat legitimus ſeu validus, jam talis non ſit in locis, ubi ejus decretum promulgatum eſt. Quia in illis locis propter defectum conditionis ſeu ſolemnitatis à Concilio appoſitæ, deſiit eſſe contractus legitimus ſeu factus ſicut Lex ad ejus valorem exigit.

Inſt. 1. Eccleſia ſuo decreto effecit, ut quod valebat ad Sacramentum, jam ſit invalidum ad illud: ergo mutavit ſubſtantiam Sacramenti Matrimonii.

Reſp. Eccleſia non effecit, ut contractus qui anteà valebat ad Sacramentum, jam non valeat ſine ulla mutatione ipſius contractus. Sed irritavit contractum clandeſtinum, qui anteà validus erat: & irritando effecit, ne poſſet eſſe ampliùs ſubſtantia Sacramenti Matrimonii. Unde mutavit propriè ſubſtantiam Sacramenti, quæ ſemper conſiſtit in contractu matrimoniali legitimo ſeu valido. Sic qui vinum corrumperet, corrumpendo efficeret, ne poſſet eſſe ampliùs materia Euchariſtiæ: non idcircò tamen Euchariſtiæ ſubſtantiam mutaret.

Inſt. 2. In eadem Eccleſia Latina diverſa eſt ſubſtantia Sacramenti Matrimonii. Nam in locis ubi decre-

tum

tum Conc. Tridentini promulgatum est, contractus clandestinus non valet ad Sacramentum, & tamen valet in aliis ubi non est promulgatum.

Resp. Nego. Nam in omnibus locis requiritur & sufficit ad hoc Sacramentum contractus legitimus. Christus enim ad hoc Sacramentum non hunc vel illum contractum in specie, sed in genere contractum legitimum seu validum instituit.

Porro contractus clandestinus à contractu facto coram Parocho & duobus testibus non differt specie moraliter in iis locis, in quibus Conc. Trid. decretum promulgatum non fuit. At in aliis locis, ubi promulgatum est, hi contractus specie differunt moraliter, cùm in illis unus censeatur legitimus, alter non.

Dices. Concilium non potuit efficere, ut contractus, qui anteà erat legitimus seu validus, jam talis non sit.

Resp. Nego. Nam Ecclesia sua auctoritate apponere potest conditionem seu solemnitatem aliquam, sine qua contractus matrimonii non sit legitimus, sicque non possit esse substantia Sacramenti Matrimonii, quæ in contractu legitimo consistit. Postquàm enim Christus matrimonium ad esse Sacramenti evexit, Ecclesia potestatem in Christianos Matrimonium contrahentes habet, & sic potest illos reddere inhabiles ad tali modo contrahendum.

ARTICULUS III.

Quænam mutatio materiæ vel formæ reddat Sacramentum invalidum.

DIco. Quævis mutatio substantialis seu essentialis in materia vel forma irritum facit Sacramentum. Nam tollit materiam vel formam à Christo institutam; & Sacramentum esse nequit sine materia & forma, quas Christus instituit.

Mutatio verò accidentalis non irritat Sacramentum. Quia cum hac mutatione *manet materia & forma*, quales Christus instituit.

Quædam observanda.

I. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re secundùm communem æstimationem & usum differt ab ea, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat; ita ut in ordine ad usus humanos, & prout sub tali nomine usurpatur, sit notabilis diversitas: ut si in Baptismo adhibeatur vinum loco aquæ: Materiæ mutatio est accidentalis, si materia sit eadem re & nomine cum ea quam Christus instituit, sed non adhibeatur eodem modo quo Ecclesia adhibet: ut si in Baptismo sine necessitate adhibeatur aqua non benedicta.

II. Formæ mutatio substantialis est, quando vel non adhibentur verba vocalia seu propriè dicta, ubi essentialiter requiruntur, ut reipsâ requiruntur in omnibus, excepto Matrimonio: vel si verba vocalia ita mutantur, ut non maneat sensus à Christo institutus tanquam necessarius. Quævis verò formæ mutatio, qua non tollitur sensus à Christo institutus, accidentalis est.

Quænam autem materia, vel quæ verba ad essentiam Sacramenti requirantur, certò cognoscimus ex usu & doctrina Ecclesiæ, quæ cùm sit *columna & firmamentum veritatis*, errare non potest in eis, quæ ad fidem, bonos mores, ad Sacramenta, & generalem disciplinam, ac Dei cultum pertinent.

III. Sensus verborum in æquivocatione ab intentione proferentis pendet. Hinc hæc forma (*ego te baptizo in nomine parentis, &c.*) bonum habet sensum

ſenſum, ſi proferens per tò *parentis*, patrem intelligat; malum, ſi matrem. Sed extra æquivocationem ſenſus verborum non pendet ab intentione proferentis. Hinc valebat Baptiſmus Arianorum, quamvis circa formam malè ſentirent, quia illam rectè pronuntiabant. Econtra non baptizaret validè, qui uteretur verbis, nihil, vel aliquid aliud à vero ſenſu formæ ſignificantibus, etſi per illa intenderet verum ſenſum. Quia in actione publica, qualis eſt Baptiſmus, verba ſignificant ſecundùm communem & uſitatam acceptionem.

IV. Verborum mutatio ſex modis fieri poteſt, nimirum per additionem, vel detractionem alicujus vocis, poſitionem unius vocis loco alterius, corruptionem alicujus vocis detrahendo vel mutando aliquam ſyllabam, transpoſitionem, & interruptionem, pronuntiando ſcilicet unam partem formæ, ac deinde quieſcendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid impertinens, & demum perficiendo formæ prolationem.

Quoties igitur aliquod ex modis illis ita mutantur verba, ut pereat ſenſus à Chriſto intentus, mutatur ſubſtantialiter vera forma: ſecus, ſi hic ſenſus maneat. Hinc verba corruptè pronuntiata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove ſimili vitio non tollunt ſenſum ſubſtantialem, ſi nihilominus ſic proferantur, ut, omnibus ſpectatis eundem ſenſum animis audientium ingenerent, quem rectè prolata: ſecùs, ſi non ingenerent. Sic hæc corruptio verborum ex ſola linguæ ignorantia prolatorum: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*: non deſtruit verum ſenſum. Unde Zacharias Papa, c. *retulerunt*, diſt. 4. declaravit Baptiſmum ſic collatum ſine animo errorem introducendi valuiſſe. Quisque tamen magnam diligentiam adhibere tenetur, ut formam Sacramentorum rectè, integrè & diſtinctè pronuntiet tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum ob periculum corruptionis.

V. Interruptio, verum ſenſum, ideoque ſubſtantiam formæ deſtruit, quoties tollit unitatem moralem formæ, ut ſi quis dicat, *ego te baptizo*, nec niſi recitato uno Pſalmo proſequatur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Secùs ſi non tollat. Hinc verborum interruptio, quæ tam brevis eſt, ut morali judicio verba adhuc unam orationem faciant, non adimit ſenſum formæ, ut ſi baptizans, poſtquam dixit, *ego te baptizo* tuſſiat, vel aliis dicat, *ſilete*. ac deinde addat, *in nomine Patris, &c.* qualis autem & quanta interruptio unitatem moralem orationis tollat, hoc ſecundùm judicium prudens æſtimari debet ex circumſtantiis, modo, ac duratione interruptionis. Illicita tamen eſt quævis interruptio etiam brevis ſine neceſſitate facta, cùm ſit contra uſum Eccleſiæ, & reverentiam Sacramento debitam.

ARTICULUS IV.

Utrùm verba, quibus Sacramenta perficiuntur, ſint concionalia, an conſecratoria tantùm?

Nota. Lutherani & Calviniſtæ in Baptiſmo præter verba conſecratoria neceſſariò requirunt verbum concionale, quo à Miniſtro promiſſio divina circa juſtificationem proponitur & explicatur ad fidem circa illam promiſſionem in ſuſcipientibus excitandam: qua ſola fide hominem juſtificari volunt.

Verbum autem conſecratorium eſt illud, quod habet aliquem effectum ſpiritualem ab excitatione fidei diſtinctum,

ctum, vel respectu materiæ in quam cadit, vel respectu personæ ad quam dirigitur.

Dico. Ad validam cujusvis Sacramenti confectionem verba consecratoria necessario requiruntur & sufficiunt.

Prob. 1. *Pars*, quod hæc necessariò requirantur. 1. Ex Script. Matth. cap. ult. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quæ verba continent formam à Christo præscriptam, ut Ecclesia semper intellexit. Item Luc. 22. *hoc est corpus meum .... hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* Quæ verba consecratoria Christus Eucharistiam instituens & conficiens adhibuit & simul Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus præcepit, ut eadem adhiberent, juxta illud: *hoc facite in meam commemorationem.* Ergo in Baptismo & Eucharistia necessario requiruntur verba consecratoria, ergo & in aliis Sacramentis requiruntur, cùm eadem sit ratio pro omnibus. 2. Ex Patribus apud Bellarm. pro omnibus sit S. Augustinus, tract. 80. in Joann. ubi ait: *detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ubi per *verbum* intelligit formam Baptismi. 3. Ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper in Sacramentis verba consecratoria adhibuit ut necessaria.

Prob. 2. *Pars.* Quia non requiruntur verba concionalia. Ergo sufficiunt verba consecratoria. *Prob. antec.* 1. Quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari potest necessitas verborum concionalium in Sacramentorum administratione, ut patebit objectionum solutione. Quia si in Sacramentis concionale verbum necessarium esset ad excitandam fidem in suscipientibus, Baptismus conferri non deberet infantibus: nam hæc concio iis inutilis est, qui intelligere nequeunt, suntque omnino incapaces usus rationis, ideoque actus fidei. *Consequens* repugnat fidei & traditioni, imo & praxi Adversariorum. Quod autem Lutherus finxit, parvulis dum baptizantur concedi ad tempus usum rationis, manifestum est delirium. 3. Apostolus officia baptizandi, & concionandi ut distincta exhibet, 1. Cor. c. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* 4. Ex sensu & praxi universæ Ecclesiæ, quæ nunquam in Baptismo parvulorum, & Eucharistiæ confectione concionem adhibuit, nec aliquando in Baptismo adultorum adhibet, ut necessarium ad hoc Sacramentum, sed solùm ad ædificationem populi præsentis, & adulti baptizandi. 5. Quia baptismus Catholicorum, in quo sola verba consecratoria adhibentur, validus est, & ut talis admittitur ab hæreticis, qui non rebaptizant apostatas ad ipsos confugientes, & expressè docet Calvinus, L. 4. institut. c. 15.

Obj. 1. Christus Matth. c. ult. ait: *docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ergo Christus concionem exigit in Baptismo.

Resp. Nego conseq. quia Christus ibi præcipit, ut adulti antequam baptizentur, diligenter instruantur de mysteriis fidei & præceptis servandis. At non præscribit, ut fiat concio in ipsa Baptismi collatione tanquam pars ejus constitutiva & essentialis. Imò ibi instructionem distinguit à Sacramento, tanquam aliquid ei præmittendum. Ita hunc textum exponit Sanctus Hieronymus his verbis: *jussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes: deinde fidei intingerent Sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent.*

Obj. 2. Illud Ephes. c. 5. *mundans (Ecclesia) lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Resp. Hæ voces (*in verbo vitæ*) non significant concionem, sed invocationem Sanctissimæ Trinitatis, quæ fit in baptismo per hæc verba: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut interpretantur Patres, qui litteralem hujus loci sensum exposuere. Pro omnibus sufficiat S. Chrysost. hom. 20. in c. 5. ad Ephes. ubi ait: *lavacro lavat ejus immunditiam in verbo, inquit, quonam? in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Subintelliguntur verba illa *ego te baptizo*, ut constat ex perpetua praxi Ecclesiæ; forma autem baptismi dicitur verbum vitæ, quia in ea præcipuè posita est virtus animam vivificandi & sanctificandi.

Inst. Sanctus Hieronymus, in cap. 5. ad Ephes. per verbum vitæ intelligit doctrinam seu concionem.

Resp. S. Doctor ibi hunc locum non litteraliter, sed tropologicè exponit. Nam per lavacrum non intelligit baptismum, sed purgationem quamlibet animæ, quæ etiam fieri potest suo modo per Christi doctrinam.

Obj. 3. Sanctus Augustinus, tract. 80. in Joan ait: *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?*

Resp. Per *verbum* non intelligit concionem, sed verbum consecratorium consistens in hac forma Baptismi: *ego te baptizo in nomine Patris, &c.* nam 1. intelligit verbum de quo superiùs dixit: *accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Sed verbum concionale non accedit ad aquam, dum ea corpus abluitur, sed hanc ablutionem præcedit. Ergo intelligit formam verborum, quæ in ipsa corporis ablutione proferuntur. 2. Intelligit verbum, quo dicit infantem mundari in Baptismo, quamvis nondum valentem credere. *Hoc verbum fidei*, inquit, *tantùm valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem.* Solum autem verbum consecratorium mundare potest infantem non valentem credere. Nam verbum concionale mundare non potest, nisi excitando fidem, & alios actus salutares ad justificationem disponentes.

Horum autem verborum (*non quia dicitur, sed quia creditur*) sensus hic est, nempe aquam cor abluere verbo consecratorio: non propter sonum materialem syllabarum quæ auditu corporeo percipiuntur, sed propter virtutem sub materiali sono latentem, quæ fide creditur. Quod patet ex verbis immediatè sequentibus: *nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*

Nota. Hoc Tract. 80. in Joannem, S. Augustinus ex occasione verborum istorum Christi: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis:* docet generatim omnem animæ emundationem fieri per verbum fidei sive in Sacramento, sive extra Sacramentum: in Sacramento quidem causaliter per verbum consecratorium: extra Sacramentum verò excitativè per verbum concionale, quatenus verbum fidei prædicatum audientes excitat cum auxilio gratiæ internæ ad fidem, spem, contritionem, quibus disponuntur ad gratiam sanctificantem consequendam.

CAPUT III.

De causalitate & effectu Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato.

§. I.

Nota 1. SAcramentum causare gratiam ex opere operato est illud gratiam conferre præcisè & immediatè ex vi ritus externi, in quo consistit Sacramentum, non autem ex merito conficientis vel suscipientis Sacramentum. Sive est gratiam à Deo conferri præcisè intuitu operis, in quo Sacramentum consistit, modò tamen non ponatur obex defectu dispositionis à Christo in adultis requisitæ.

Nota 2. Lutherus & Calvinus negant Sacramenta novæ legis causare immediatè gratiam justificationis; sed volunt ea solùm valere ad excitandam & alendam fidem, qua homines justificantur. Unde juxta illos Sacramenta non plus valent, quàm verbum Dei prædicatum, à quo non differunt quoad effectum, nisi quod Sacramenta per visum excitent fidem, verbum verò prædicatum per aures hanc excitet.

Dico. Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato causant. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Sacramenta causare gratiam ex opere operato est illa gratiam conferre immediatè & præcisè ratione operis in quo consistunt, cui Deus hanc virtutem tribuerit. Atqui ex Scriptura Sacramenta novæ legis sic gratiam conferunt: ergo gratiam causant ex opere operato. *Prob. min.* Nam Scriptura hanc virtutem tribuit nostris Sacramentis, & 1. quidem Baptismo, Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ:* Et ad Tit. cap. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis,* 2. Eucharistiæ, Joann. cap. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* id est, gratiam sanctificantem, quæ est principium ac semen vitæ æternæ. 3. Pœnitentiæ, Joann. cap. 20. *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 4. Ordini, 1. ad Tim. cap. 4. *noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* 5. Confirmationi, Actor. cap. 8. *tunc imponebant* (Apostoli) *manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quod de Confirmatione explicant Patres, & interpretes communiter. 6. Extremæunctioni, Jacob. 5. *orent super eum,* (infirmum) *ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum ..... & si in peccatis sit, remittentur ei.* Eadem est ratio de Matrimonio, cùm sit verum Sacramentum.

Prob. 2. Ex Traditione Patrum apud Bellarminum. Pro omnibus sint S. Gregorius Nyssen. lib. de Bapt. ubi ait; *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Et S. Augustinus, tract. 80. in Joann. *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Ergo ritus externus Baptismi remittit peccata, regenerat, cor abluit, quod non potest præstare nisi gratiam sanctificantem conferendo. Ergo eandem etiam gratiam confert ritus externus aliorum Sacramentorum, cùm sint verè ac propriè Sacramenta: nam ratio, cur Baptismus gratiam ex opere operato confert, est,

quia Sacramentum est. Et in Psal. 73. *Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserant salvatorem.*

Prob. 3. Ex Conciliis. Florentino, in decreto Eugenii ait: *hæc verò nostra* (Sacramenta) *& continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Tridentinum, Sess. 7. Can. 8. *si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, Anathema sit.*

Prob. 4. Ratione. Quia si Baptismus non confert justificationem ex vi præcisè ritus externi, sed solùm excitando fidem, frustra & inutiliter administraretur infantibus, utpote incapacibus actus fidei. Consequens repugnat fidei, & praxi Ecclesiæ, imò & ipsorum Adversariorum. Ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Marci, cap. ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, &c.*

Resp. Inde solùm sequitur fidem esse in adulto dispositionem necessariam ad gratiam justificationis in Baptismo recipiendam. Et ibi commendatur fides, quæ Baptismum præcedat, non quæ per Baptismum excitetur.

Obj. 2. Illud 1. Petri, c. 3. *vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.*

Resp. Sensus est, Baptismum justificare, non quatenus corporis sordes abluit, sed quatenus per vim à Christo acceptam emundat animam.

Obj. 3. Illud Job. cap. 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?*

Resp. Sensus est, Deum solùm esse causam physicam & principalem emundationis animæ, sed ad hanc emundationem efficiendam per gratiam habitualem utitur hominis ministerio & Sacramento tanquam causa instrumentali, ut ex aliis Scripturæ locis & Traditione constat.

Obj. 4. Tertullianus, l. de Pœnitentia, c. 6. ait de Baptismo: *lavacrum illud obsignatio est fidei . . . . . non ideo abluimur, ut delinquere desinamus; sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus.*

Resp. Baptismum appellat obsignationem seu sigillum fidei; quia qui baptizatur, per Baptismum illum publicè fidem suam profitetur, atque etiam Ecclesia illum per suos ministros baptizando. His autem verbis (*non ideo abluimur, &c.*) docet vita priùs emendata suscipiendum esse Baptismum; & per cordis lotionem, qua dicit suscipiendum esse Baptismum, intelligit contritionem, quæ tanquam dispositio requiritur ad sanctificationem per Baptismum consequendam.

Obj. 5. S. Hieronymus, in cap. 4. Isaiæ, sic ait: *ex quo discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur.*

Resp. Sensus est, quod homo ex sua naturali virtute & de suo aquam tantùm præbeat, & verba consecratoria proferat: Deus autem ut causa physica & principalis gratiam sanctificantem, qua sordes animæ abluuntur & peccata remittuntur, tribuat. Sed Deus ad illam gratiam producendam utitur ministerio hominis & Sacramento tanquam causa instrumentali morali.

Obj. 6. S. Augustinus L. 15. de Trinit. c. 26. ait: *quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.* Et Serm. 30. de verbis Domini. *Baptisma, quod semel adhibetur, per fidem mundat.*

Resp. Ad 1. Sensus est Spiritum sanctum non dari principaliter & physicè nisi à Deo, quia sic dari Spiritum sanctum est illum mitti. At nihilominus homo Spiritum sanctum dare potest instrumentaliter, nempe conferendo Sacramentum, quo Deus ut instrumento utitur ad producendam gratiam sanctificantem & alia dona Spiritus sancti in anima suscipientis Sacramentum. Nam act. c. 8. dicitur, quod *per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus.*

Resp. Ad 2. Sensus est, Baptismum mundare per fidem tanquam dispositionem necessariam in adulto ad animæ emundationem recipiendam.

Inst. S. Augustinus Lib. quæstionum super Leviticum, quæst. 84. dicit, visibilem sanctificationem ab homine per Sacramentum, invisibilem verò à Deo per Spiritum sanctum conferri. Et supponit illam visibilem sanctificationem sine invisibili sanctificatione esse posse.

Resp. Ibi S. Doctor per visibilem sanctificationem intelligit consecrationem seu specialem ad cultum divinum deputationem suscipientis Sacramentum: quæ consecratio seu deputatio fit formaliter per susceptionem Sacramenti. Et solùm intendit ad hanc consecrationem seu visibilem sanctificationem sufficere solum Sacramentum, & ministerium hominis illud conferentis: ad invisibilem verò sanctificationem, quæ in gratiæ habitualis infusione consistit, præter actionem hominis requiri operationem Dei infundentis gratiam per Spiritum sanctum. Quare cùm actio hominis, in qua consistit Sacramentum, possit esse sine operatione Dei infundentis gratiam, propter carentiam debitæ dispositionis in subjecto; & vicissim operatio Dei infundentis gratiam possit esse sine actione hominis in qua consistit Sacramentum, quia Deus extra Sacramenta infundere potest, & interdùm infundit gratiam; potest esse visibilis sanctificatio cum Sacramento sine invisibili sanctificatione, & vicissim invisibilis sanctificatio sine visibili sanctificatione & Sacramento.

Porrò liber quæstionum veteris & novi Testamenti non est S. Augustini.

Obj. 7. In omni Sacramento requiritur fides, qua credatur promissio gratiæ illi annexa. Ergo fides illa immediatè operatur justificationem.

Resp. Fides, quæ in Sacramento requiritur, in eo non requiritur nisi ut dispositio necessaria ad gratiam per Sacramentum recipiendam: non autem ut causa gratiæ, quæ in Sacramento recipitur.

Obj. 8. Si Sacramenta causant gratiam ex opere operato, inutiles sunt ad justificationem fides, spes, & contritio. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia hi actus in adultis à Christo exiguntur ut dispositiones necessariæ ad gratiam in Sacramento recipiendam: sed non idcirco sunt gratiæ Sacramentalis causæ. Sic ignis lignum per suam vim comburit, & tamen ut illud comburat, prærequiruntur ex parte ligni siccitas & approximatio.

Obj. 9. Si Sacramenta gratiam causant ex opere operato, Deus alligatus est Sacramentis. Falsum conseq. Ergo.

 Resp.

Resp. Nego sequel. maj. Imò verò Sacramenta alligata sunt Deo : nam gratiam conferre non possunt sine Deo ut causa principali, qui tamen illam sine Sacramentis cuilibet conferre potest si velit. Quod autem Deus non possit non infundere gratiam sanctificantem homini, qui cum debitis dispositionibus Sacramentum suscipit, ratio sola est, quia Deus non potest non esse verax & fidelis in promissis suis perficiendis.

Obj. 10. Non convenit, ut Deus per res sensibiles conferat gratiam. Ergo non confert.

Resp. Nego anteced. Imò valde conveniens est 1. ut homo, qui ex anima & corpore constat, per res sensibiles spiritualia doceatur & recipiat. 2. Ut Symbola sensibilia distinctiva religionis à Christo gratiæ auctore instituta, causarent gratiam sanctificantem. 3. Ut homines, qui peccant abutendo rebus sensibilibus, iisdem se secundùm ordinationem divinam subjiciendo, justificarentur.

Obj. 11. Hæ voces, *ex opere operato*, sunt novæ & barbaræ.

Resp. Sunt Luthero & Calvino longè antiquiores, cùm antè 500. annos ab Innocentio III. de mysterio Missæ usurpatæ fuerint. Sed esto, sint novæ ac minùs latinæ, sunt tamen retinendæ, quia aptæ sunt ad fidei veritatem clariùs exprimendam, & distinguendam, virtutem Sacramenti à dispositionibus suscipientis. Melius enim est, quòd nos reprehendant Grammatici quàm non intelligant populi, inquit Sanctus Augustinus, addo, aut minus intelligant.

Observa. Omnia Sacramenta novæ legis significant & conferunt gratiam quantùm est ex se, non tamen ita absolutè, quin implicitè involvant hanc conditionem, nisi suscipiens ponat obicem.

ARTICULUS II.

Expediuntur aliquæ Quæstiones circa causalitatem Sacramentorum.

QUæres 1. *Utrùm Sacramenta novæ legis gratiam causent aut producant ut causæ instrumentales tantum ?*

Resp. Affirm. Ita Catholici omnes. Et constat : 1. ex Scriptura, quia solus Deus est principalis causa gratiæ sanctificantis juxta illud Rom. c. 3. *unus est Deus, qui justificat.* 2. Ex Conc. Trident. Sess. 6. c. 7. *hujus justificationis causæ sunt ..... efficiens* (seu principalis) *misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat .... meritoria Jesus Christus .... instrumentalis Sacramentum Baptismi.* Certè si Baptismus est tantùm causa instrumentalis quatenùs est Sacramentum, est de ratione Sacramenti quòd sit causa instrumentalis tantùm ; ac proinde omnia Sacramenta sunt tantùm causæ instrumentales gratiæ. Ratio est, quia illud est causa instrumentalis, quod se habet ad modum instrumenti, & ab alio assumitur ad aliquid efficiendum. Atqui novæ legis Sacramenta se habent ad modum quorumdam instrumentorum moralium, & à Deo assumuntur ad producendam gratiam. Ergo sunt causæ instrumentales gratiæ.

Nota. Ad gratiæ collationem in Sacramentis concurrunt multa. 1. Deus ut causa efficiens physica & principalis. 2. Merita Christi ut causa meritoria, ideoque causa moralis principalis. 3. Minister per potestatem & intentionem ut causa activa instrumentalis mediata. 4. Pii actus supernaturales adulti suscipientis Sacramentum, ut dispositiones subjecti. 5. Denique ritus externus à Christo institutus, consistens in debita applicatione materiæ & formæ secundùm institutionem Christi, ut

ut causa moralis activa instrumentalis immediata. Dico, *immediata*; nam inter eam & gratiam non mediat alia causa instrumentalis, sicut ipsa inter gratiam & ministrum mediat: quare minister est tantùm causa instrumentalis mediata.

Quæres 2. *Utrum Sacramenta novæ legis semper causent gratiam, & quo instanti illam causent?*

Resp. 1. Omnia novæ legis Sacramenta gratiam conferunt semper & omnibus illa fine obice gratiæ suscipientibus. Est de fide, & expressè definitur à Conc. Trit. Sess. 7. Can. 6. *si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... Anathema sit,* Et Can. 7. *si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus; Anathema sit.*

Ratio est, quia gratiæ promissio à Christo annexa Sacramentis, universalis & infallibilis est, quantùm est ex parte Christi & Sacramentorum, modò adsint conditiones à Christo in suscipientibus requisitæ.

Porrò obex gratiæ consistit vel in carentia dispositionis necessariæ ad illam recipiendam, vel in contraria dispositione, cùm scilicet aliquis non solùm caret dispositionibus requisitis, sed etiam actu peccat mortaliter in Sacramenti receptione.

Resp. 2. Omnia novæ legis Sacramenta gratiam sanctificantem conferunt eo instanti, quo primùm essentialiter perfecta sunt & applicata. Quia omnis causa efficax necessaria (cujusmodi sunt Sacramenta omnia novæ legis) producit suum effectum, ubi primùm sufficienter applicata est, si nullum impedimentum effectui apponatur.

Nota. Omnia Sacramenta præter Eucharistiam consistunt in usu: unde eo instanti quo primùm perfecta sunt essentialiter seu quoad substantiam, sunt etiam sufficienter applicata, ideóque causant gratiam. Eucharistia verò consistit in re permanenti: unde non applicatur cùm perficitur, sed solùm cùm species consecratæ sufficienter sumptæ sunt quantùm ad comestionem & potionem, hoc est, eo instanti quo species resident in stomacho.

Quæres 3. *An & quæ Sacramenta conferant primam, vel secundam gratiam?*

Nota. Prima gratia dicitur gratia sanctificans, quæ primùm infunditur homini destituto omni gratiæ gradu, ideóque existenti in peccato mortali. Secunda gratia est augmentum gratiæ sanctificantis jam habitæ.

Resp. 1. Duo tantùm Sacramenta, nempe Baptismus & pœnitentia per se primò conferunt primam gratiam, cætera verò secundam gratiam.

Prob. Quia illa tantùm duo à Christo instituta sunt ad dandam primam gratiam, ideóque dicuntur Sacramenta mortuorum; cætera verò ad secundam conferendam, ideóque vocantur Sacramenta vivorum. Nam Christus instituit Baptismum per modum regenerationis spiritualis, & ad tollendum peccatum originale, & personale ante Baptismum commissum: Pœnitentiam verò ad remittenda peccata mortalia post Baptismum commissa, & ad recuperandam gratiam per illa amissam. At instituit confirmationem ad corroborandum hominem in fide & vita spirituali: Eucharistiam ad alendam, conservandam, & augendam charitatem: Extremam unctionem ad tollendas peccatorum reliquias, & ad confirmandum in extremo vitæ certamine: Ordinem ad dandam potestatem vali-

dè

dè exercendi Functiones sacras, & gratias ad illas dignè obeundas: Matrimonium denique ad legitimam & sanctam humani generis propagationem inter membra Ecclesiæ, & ad vitam in conjugio sanctè agendam.

Resp. 2. Baptismus & Pœnitentia per accidens conferunt sæpe secundam gratiam. Nam interdum contingit baptizandum aut pœnitentem elicere perfectam contritionem ante susceptionem Sacramenti, ideóque jam habere gratiam sanctificantem ante illius susceptionem. Item justi sæpè confitentur peccata venialia aut mortalia jam remissa. At tunc Sacramentum confert gratiam iis, qui jam aliquem ejus gradum habent. Nam fide constat Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem gratiæ: quem certè non ponunt, qui illa suscipiunt in statu gratiæ. Igitur illis omnibus Sacramenta conferunt gratiam, quæ est augmentum prioris, ideóque secunda. Sed hoc est per accidens illis Sacramentis, cùm per se non supponant primam gratiam, sed hanc primo per se conferant.

Resp. 3. Multi Doctores docent alia Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, conferre per accidens primam gratiam sanctificantem in tribus præsertim casibus, 1. Cùm quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati, accedit ad illa Sacramenta, credens bona fide se esse in statu gratiæ, & nullum habens affectum ad peccatum mortale. 2. Cùm quis conscius peccati mortalis perfectam contritionem elicere conatur quantùm fieri potest, & tamen habet tantùm imperfectam, sed deest copia Confessarii, & putat se esse perfectè contritum, & adest necessitas suscipiendi Sacramentum. 3. Quando quis peccata confessus cum imperfecta contritione, non validè absolvitur, quia Confessarius vel jurisdictione vel absolvendi intentione caret. Ratio eorum est, quia de bonitate Christi sentiendum esse videtur eum voluisse, ut Sacramenta ista per accidens prodessent ei, qui quantùm in se est, disponit se ad ea debitè suscipienda, aut bona fide credit se debitè dispositum esse.

Quòd si *objicias* statum gratiæ esse dispositionem prærequisitam ad illa Sacramenta, quia præsupponunt supernaturalem animæ vitam, quæ est gratia sanctificans, unde dicuntur Sacramenta vivorum.

Respondent ad gratiam in illis Sacramentis recipiendam prærequiri quidem statum gratiæ per se primo & ex primaria Christi institutione: unde quilibet statum illum sibi comparare tenetur priusquam hæc Sacramenta suscipiat. At per accidens & ex secundaria Christi institutione sufficere etiam statum gratiæ prudenter existimatum, aut à suscipiente priùs, quantùm in se est procuratum: in quantum Christus pro sua bonitate & misericordia noluit horum Sacramentorum fructu carere eos, qui quantùm in se est, ad illa sese debitè disponerent, aut dispositos prudenter existimarent.

Pro Eucharistia tamen specialis & gravis est difficultas. Nam instituta fuit ut spirituale alimentum animæ: alimentum autem nunquam, ne per accidens quidem, prodest mortuo. Nihilominùs S. Thomas docet Eucharistiam conferre per accidens primam gratiam. Nam, 3. p. qu. 79. art. 3. loquens de Eucharistia ait: *Hoc Sacramentum in eo, qui ipsum percipit in conscientia peccati mortalis, non operatur remissionem peccati. Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Uno modo non perceptum actu, sed voto,*

sicut

ficut cùm quis primò justificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.

Porrò prima gratia non confertur nisi per Sacramenta in re vel in voto suscepta: secunda verò, seu augmentum gratiæ sanctificantis, tùm per Sacramenta, tùm per quodlibet justi opus meritorium vitæ æternæ.

Quæres 4. *Utrùm omnia Sacramenta conferant æqualem gratiam, sive respectivè ad se invicem, sive ad quodlibet subjectum?*

Resp. 1. Sacramenta non conferunt æqualem inter se gratiam.

Prob. Quia alia aliis ut dignitate & excellentia, ita etiam efficacia præstant, ut Eucharistia, quæ omnibus nobilior est; & alia quæ ad fidem nobiliorem & excellentiorem ordinantur, ideoque nobiliora sunt. Efficacia autem illa major intelligenda est respectu gratiæ: nam Baptismus hoc speciale habet præ omnibus aliis, quod semper totam pœnam cum culpa remittat, nisi sit obex.

Resp. 2. Sacramentum quodlibet gratiam majorem confert subjecto meliùs disposito. *Ita S. Thomas, & Theologi communiter.*

Prob. 1. Ex Conc. Trident. Sess. 6. cap. 7. ubi dicit baptizatos recipere justitiam *secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Eadem autem est ratio pro cæteris omnibus Sacramentis.

2. Ratione. Quia Sacramenta secundùm institutionem Christi operantur ut causæ naturales necessariæ, quæ plus vel minùs operantur in subjecto, secundùm majorem vel minorem ejus dispositionem. Adde quod hoc maximè conveniens fuerit, ut homines magis excitarentur ad adhibendam meliorem dispositionem.

Porro excessus ille gratiæ in subjecto melius disposito non datur ob meliorem dispositionem tanquam causam; sed datur vi Sacramenti, supposita illa meliore dispositione, tanquam conditione se tenente ex parte subjecti, sine qua Sacramentum non tantam gratiam produceret ex opere operato, sed minorem; quia Sacramentum se habet instar causæ necessariæ agentis in subjectum pro modo ejus dispositionis. Quare Sacramenta cùm sint causæ necessariæ, semper quidem operantur quantùm possunt, sed respectivè ad dispositionem subjecti, non autem sine respectu ad illam.

Quæres 5. *Utrùm quodlibet Sacramentum confert etiam gratias actuales?*

Resp. Omnia novæ legis Sacramenta, præter gratiam habitualem, conferunt etiam gratias actuales; quæ intuitu Sacramenti suscepti adultis infallibiliter dantur suo tempore ad assequendum finem proprium Sacramenti, nisi se illis indignos reddant peccatis suis, vel aliter obicem ponant. *Ita Theologi cum S. Thoma, 3. p. q. 61. art. 2.*

Prob. Quia quodlibet Sacramentum novæ legis ad proprium sibi & distinctum finem supernaturalem ordinatur; ac proindè est medium à Christo institutum ad specialem illum finem consequendum. Sacramentum autem non potest esse medium à Christo datum hominibus ad consequendum finem supernaturalem sibi proprium, nisi conferat auxilia gratiæ necessaria ad finem illum

illum obtinendum: nam ad hoc non sufficit gratia habitualis, & finis supernaturalis solis naturæ viribus obtineri nequit: nullus enim actus salutaris sine gratia actuali fieri potest.

Hinc I. Gratia sacramentalis est complexum ex habituali gratia, & gratiis actualibus, sive est habitualis gratia, annexum sibi habens jus ad gratias actuales ad finem Sacramenti proprium consequendum idoneas.

II. Gratia sacramentalis habitualis differt à non sacramentali in eo quod sacramentalis annexum habeat jus ad gratias actuales ad finem sacramenti proprium obtinendum idoneas, quod jus annexum non est gratiæ non sacramentali.

III. Gratia sacramentalis est diversa in diversis Sacramentis, ratione juris ad diversas gratias actuales necessarias, ad diversos fines supernaturales assequendos. Sic Baptismus ad spiritualem regenerationem institutus, dat jus ad auxilia gratiæ necessaria ad vitam Christianam degendam: Confirmatio ad nos in fide corroborandos instituta, dat jus ad gratias actuales necessarias ad fidem Christi fortiter profitendam, etiam cum mortis & cujuslibet supplicii periculo: Eucharistia dat gratias actuales ad charitatem nutriendam, id est, conservandam & augendam: Pœnitentia ad peccata in posterum vitanda. Extrema unctio ad mortem sanctè obeundam, doloribus morbi patienter tolerandis, & tentationibus dæmonis fortiter superandis: Ordo & Matrimonium dant jus ad gratias necessarias ad utriusque status officia & obligationes piè ac sanctè exequendum.

Dixi 1. Gratias illas actuales suo tempore dari. Nam non statim à suscepto Sacramento & simul conferuntur, sed tantùm successivè & opportuno tempore, nempe prout occurrunt occasiones finem Sacramenti suscepti spectantes. Vi tamen Sacramenti suscepti, statim acquiritur jus ad illas gratias postea suo tempore accipiendas prout necesse erit ad finem proprium Sacramenti assequendum.

Dixi 2. Adultis dari. Nam quamvis parvuli statim jus ad illas gratias acquirant, non tamen illas gratias ante usum rationis accipiunt, cùm antè sint ullius actus salutaris, ad quem illæ excitant, incapaces.

Dixi 3. Gratias illas adultis conferri, nisi se illis indignos reddant, vel illis obicem ponant. Nam cùm per peccatum mortale amittatur gratia sanctificans, amittitur etiam jus ad istas gratias actuales; quia jus ad gratias actuales annexum est gratiæ sanctificanti in Sacramento acceptæ. Quod jus probabiliter recuperatur cum gratia sanctificante per Pœnitentiam recepta. Quod si adulti non peccent mortaliter, possunt tamen adhuc illis gratiis actualibus privari propter culpas veniales omninò voluntarias & frequentes, propter nimiam distractionem voluntariam, &c.

Obj. 1. Sine Sacramento dantur gratiæ actuales ad finem illius proprium, ut patet in Martyribus, qui non suscepta Confirmatione, fidem fortiter professi sunt.

Resp. Sine Sacramenti susceptione dantur quidem istæ gratiæ, sed ordinariè minùs copiosæ & minùs speciales.

Obj. 2. Jus illud quod per Sacramentum acquiri dicitur; vel est ad gratias efficaces, vel ad sufficientes tantùm. Neutrum dici potest. Ergo non datur tale jus.

Resp. Jus illud est ad gratias abundantiores & fortiores, quàm ordinariè sine Sacramento dentur, certè & infallibiliter obtinendas, nisi apponatur

natur obex, præscindendo ab efficacibus & merè sufficientibus.

Obj. 3. Multi non assequuntur finem Sacramentorum quæ suscipiunt. Ergo non dantur gratiæ sacramentales, &c.

Resp. Nego conseq. Nam culpa sua finem Sacramentorum à se susceptorum non assequuntur, quia nempe gratiis actualibus Sacramentalibus non consentiunt, nec cooperantur, vel etiam illis obicem opponunt.

ARTICULUS III.

Utrùm Sacramenta novæ legis gratiam causent physicè, an moraliter tantùm.

Nota. 1. Causa efficiens duplex est, nempe physica & moralis. Causa physica est ea, quæ producit actionem, per quam existit effectus. Moralis est ea quæ movet causam physicam ad producendam actionem, per quam existit effectus; unde moraliter tantùm, & mediante causa physica, producit effectum. Moralis autem causa movet ut existens, & quia existit, vel saltem ut prævisa existens pro aliquo tempore: in quo differt à causa finali, quæ movet, non quia est, sed ut sit. Conveniunt tamen in eo, quod utraque causam physicam movendo, per eam producat effectum. Sic homicidii à servo jussu domini perpetrati causa physica est servus, moralis dominus.

Nota 2. Utraque causa, physica & moralis est propriè causa efficiens; & utraque subdividitur in principalem & instrumentalem. Causa principalis est ea, quæ agit in virtute sibi propria: instrumentalis verò, quæ agit in virtute alterius. Porrò causa physica physicè, causa verò moralis moraliter agit.

Dico. Sacramenta novæ legis gratiam moraliter tantùm causant, nempe Deum movendo ad illam physicè producendam, quatenus sunt moraliter actiones ipsius Christi. Ita multi contra multos docentes Sacramenta producere physicè gratiam.

Prob. 1. Ex Patribus soli Deo gratiæ productionem tribuentibus ad Sacramenti existentiam & exigentiam: nam hoc ipso significant Sacramenta gratiam non producere, nisi movendo Deum ad illam producendam. Pro omnibus sint S. Hieron. in cap. 4. If. *Homo tantùm aquam tribuit: Deus autem Spiritum-sanctum;* & S. Cyprianus, lib. de Baptismo Christi: *Remissio peccatorum sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus-sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.*

Prob. 2. Quia Sacramenta novæ legis habent vim causandi moraliter gratiam, & hæc causalitas moralis sufficit. Ergo gratiam causant non physicè, sed moraliter tantùm. *Prob.* 1. *pars antecedentis.* Nam cùm Sacramenta sint morali æstimatione actiones ipsius Christi tanquam ministri principalis utpote ab eo institutæ ut ipsius nomine fiant, vim sanè habent movendi Deum ad producendam gratiam. Imò re vera causant moraliter tantùm, nec aliter causare possunt gratiam habitualem in casu reviviscentiæ Sacramenti, & omnes gratias actuales cujusque Sacramenti proprias, quæ pro exigentia occasionum conferuntur intuitu Sacramenti suscepti. Nam Sacramenta non possunt ejusmodi effectus causare physicè nempe per actionem ab ipsis egredientem, cum jam desierint esse physice, & repugnet actionem physicam egredi ab eo, quod non existit. *Prob.* 2. *pars.* Quia causalitas moralis sufficit, ut Sacra-

menta dicantur, & sint verè ac propriè causæ gratiæ, quod tantùm Scriptura & Patres de illorum efficacia docent. Nam causalitas moralis est vera ac propria causalitas, sicut causa moralis est vera & propria causa effectus: imo sæpe effectus magis tribuitur causæ morali quàm physicæ. Et verò passio Christi, à qua vim suam omnem habent Sacramenta, non producit physicè gratiam, sed moraliter tantùm, & tamen non est vera ac propria causa gratiæ.

Prob. 3. Quia videtur omnino incredibile, aut saltem valde incertum aquam & syllabas elevari posse à Deo ad physicè producendum ens spiritale, qualis est gratia sanctificans. Quare opinio causalitatis physicæ reddit nostra Sacramenta creditu longè difficiliora.

Confirm. Quia etiamsi quidlibet aliud assumi posset à Deo ad quidlibet producendum, quod probari non potest, tamen ad gratiam physicè producendam assumi non possunt Sacramenta saltem ea, quæ in actione transeunte consistunt. Quia gratiam producere non possunt, nisi eo instanti, quo non sunt ampliùs physicè; nempe instanti immediatè sequenti applicationem materiæ & prolationem ultimæ vocis formæ: nam ante hoc instans nondum est Sacramentum, quod est aliquid successivum, constans ex multis vocibus successivè prolatis & applicatio materiæ. Atqui Sacramenta non possunt absolutè gratiam physicè producere eo instanti, quo non sunt amplius physicè: quod enim non existit physicè, non potest agere physicè, nempe per actionem à se egredientem, ut per se patet. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ex Scriptura per Baptismum mundamur, & sanctificamur. Ergo Baptismus physicè producit gratiam sanctificantem.

Resp. Nego conseq. Nam Scriptura eodem modo loquitur de passione Christi, ut 1. Joann. cap. 1. *Sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et Rom. c. 5. *Nunc justificati in sanguine ipsius.... reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Et tamen passio Christi, & ejus sanguis effusus non mundat, nec sanctificat physicè, sed moraliter tantùm, quatenus Deus intuitu passionis & mortis Christi producit in nobis physicè gratiam sanctificantem: nam passio & mors Christi non existit ampliùs. Igitur sicut passio Christi nos verè & propriè emundat & sanctificat, quia est moralis causa emundationis & sanctificationis nostræ: ita Sacramenta nos verè & propriè mundant & sanctificant, quamvis sint tantùm causæ morales sanctificationis nostræ. Quare Scriptura, Patres, & Concilia, cùm de efficacia Sacramentorum loquuntur, rectè intelliguntur de causalitate morali, & quidem in sensu proprio: nam causa moralis tam est propriè & simpliciter causa, quàm causa physica.

Obj. 2. Patres tribuunt Sacramentis causalitatem physicam. Ergo causant physicè gratiam.

Resp. Nego anteced. Nam locutiones Patrum sicut scripturæ intelligi debent de causalitate morali, quæ est vera ac propria causalitas. Nec aliter explicari possunt, cùm dicunt Sacramenta quidem exteriùs adhiberi ab homine, sed à solo Deo infundi gratiam: quod profectò non dicerent, si virtutem aliquam physicam quamvis instrumentalem in Sacramentis agnoscerent.

Inst. 1. Patres Sacramentorum influxum comparant virtuti ac operationi physicæ agentium naturalium: ergo tribuunt

tribuunt Sacramentis causalitatem physicam.

Resp. Disting. anteced. Comparant quoad veritatem effectus, *conc. ant.* Nam sicut causæ naturales verè producunt suos effectus: ita Sacramenta verè producunt gratiam, quamvis eam producant ut causæ instrumentales morales tantùm. Comparant quoad modum producendi effectum, *nego anteced.* Nam alioqui Sacramenta agerent ut causæ principales, sicut causæ naturales, quæ sunt suorum effectuum causæ principales in suo ordine seu in ordine causæ secundæ, quatenus suos effectus producunt ex virtute sibi propria à Deo accepta.

Inst. 2. Si Patres non agnoscerent in Sacramentis nisi causalitatem moralem, frustra illam tantùm mirarentur. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequelam maj. Nam est valdè mirabile, quòd Deus rebus per se vilibus & infirmis uti velit ad producendam gratiam sanctificantem, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio, & ad quælibet peccata destruenda: ita ut res illæ ad hos tam mirabiles effectus concurrant ut instrumentales causæ verè ac propriè dictæ, sive physicæ, sive morales.

Obj. 3. Concil. Trident. definit Sacramenta novæ legis continere gratiam, & dignè suscipientibus eam conferre: ergo gratiam physicè causant.

Resp. Nego conseq. Quia Concil. Trid. id definiendo, Sacramentis præcisè tribuit veram ac propriam causalitatem respectu gratiæ. Causalitas autem moralis est vera ac propria causalitas, & tam vera ac propria causalitas quàm physica, sicut causa moralis est vera ac propria causa, & tam vera ac propria causa quàm causa physica.

Obj. 4. Si Sacramenta non habent nisi moralem efficaciam, sunt pura signa, vel mera conditio sine qua non. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam merum signum aut mera conditio non habet vim movendi, nec movet. At Sacramenta nostra habent vim movendi infallibiliter, & verè movent Deum ad dandam gratiam, eò quòd sint moraliter actiones Christi, à cujus proinde dignitate valorem accipiunt ad impetrandum infallibiliter id, quod Christus per ea postulat. Sacramenta autem nostra sunt moraliter actiones Christi, quatenus à Christo ut Ministro principali instituta sunt, ut ejus nomine fierent. Unde juxta institutionem Christi, homo Sacramentum conficiens, conficit ut Minister Christi & nomine Christi: ita ut actio illa externa, in qua consistit Sacramentum, sit physicè ab homine ut causa efficiente instrumentali, moraliter verò à Christo, ut causa efficiente principali; & sic secundùm æstimationem moralem magis sit actio Christi quàm hominis.

Inst. 1. Sacramenta antiqua movebant Deum ad dandam gratiam, & tamen non dicuntur causare gratiam. Ergo ut nostra verè dicantur causare gratiam, non sufficit quòd Deum moveant ad illam dandam.

Resp. Nego anteced. Nam in veteribus Sacramentis conferebatur gratia, non ex virtute Sacramentorum, sed ex virtute fidei in Christum venturum, cujus erant publica protestatio.

Inst. 2. Non est potior ratio de Sacramentis antiquis ac de nostris. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam Sacramenta vetera gratiam solùm significabant, non conferebant, quia non habebant vim movendi, nec movebant Deum ad dandam gratiam, eò quòd non essent moraliter actiones Christi,

nec ejus nomine fierent; at Sacramenta nova sunt moraliter actiones Christi, ut modò dixi.

Obj. 5. Si Sacerdos absolvens non confert gratiam nisi moraliter, quatenus nempe movet Deum ad illam, dandam, ipse non verè absolvit. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam passio & mors Christi nos moraliter tantùm emundant, & tamen verè ac simpliciter dicuntur nos mundare. Igitur Sacerdos verè absolvit ut causa instrumentalis per hæc verba, *ego te absolvo*, &c. quia per illa verè movet Deum efficaciter ad infundendam gratiam de se remissivam peccati.

Inst. Si Minister Deum movens ad justificationem, verè justificaret, qui v. g. exhibitione chirographi moveret aliquem ad sibi solvendum debitum, verè sibi solveret. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. major. Ratio disparitatis est, quòd solutio possit denominare nisi debitorem, quia connotat & supponit obligationem in solvente, & jus in eo cui solvitur aliquid. Similiter pœnitens ponens partem Sacramenti Pœnitentiæ per actus suos, non dicitur se ipsum absolvere; quia absolvere à peccatis est illa remittere per modum judicis sententiam ferentis. At denominatio justificantis potest perinde denominare eum, qui physicè justificat, & illum qui movet tantum ad justificandum, cùm uterque hujus denominationis capax sit. Præterea chirographus est tantùm conditio, sine qua non, & merum signum, non causa moralis.

Obj. 6. Si Sacramenta nostra Deum præcisè movent ad dandam gratiam, non sunt instrumenta Dei: sed tantùm hominis conficientis Sacramentum. Falsum conseq. Ergo. *Prob. sequel. major.* Instrumentum morale non est ejus qui movetur, sed qui movet. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. ad prob. Nego anteced. Nam instrumentum morale est etiam illius qui per illud movetur, quando is qui illo movetur, ipsum instituit ut eo moveretur, sicut hic contingit. Sic v. gr. si pictor alium hortetur, ut pretium sibi proponat quo moveatur ad pingendum, tunc pretium illud est instrumentum morale pictoris, & illius qui pretium offert. Igitur Sacramenta nostra sunt instrumenta tùm hominis illa conficientis ut ministri minùs principalis, tùm Christi ut ministri principalis, tùm etiam Dei ut primi eorum auctoris, qui illa per Christum instituit, ut illis ad gratiam dandam moveretur.

Inst. Sacramenta non mediarent inter Deum, & gratiæ collationem. Ergo non essent instrumenta Dei; nam instrumentum debet esse medium inter causam principalem & effectum.

Resp. Nego anteced. Itaque Sacramenta mediant inter Deum, ut illa instituentem per Christum, & gratiam productam à Deo intuitu illorum, seu Deum producentem gratiam intuitu illorum.

Porrò instrumentum morale in hoc differt ab instrumento physico, quòd hoc non moveat seu agat, nisi motum à causa principali; ita ut causalitas causæ principalis debeat esse prior causalitate instrumenti physici. At causalitas instrumenti moralis potest esse prior causalitate causæ principalis; ita ut causa principalis priùs ab instrumento morali ad producendum effectum moveatur, quàm ipsum effectum producat, modò tamen causa principalis causam instrumentalem eo fine instituerit, ut ea moveretur ad producendum effectum, sicque fuerit causa ipsius causæ instrumentalis.

Nota

Nota 1. Merita Christi sunt moralis causa gratiæ, sed principalis: Sacramenta verò sunt gratiæ causa moralis instrumentalis tantùm. 2. Causa moralis instrumentalis non est nobilior causa physica principali, à qua vim suam habet. 3. Chirographus & alia debitorum signa sunt tantùm conditiones ad solutionem, & signa quædam debitum in mentem revocantia & testantia, neque ex se vim ullam habent movendi debitorem ad solvendum: hic enim solùm movetur per suam promissionem & obligationem, vel ejus quæstor per ipsius voluntatem & pactum.

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramenta legis veteris gratiam conferrent ex opere operato?

DIco. Nullum legis antiquæ Sacramentum, ne Circumcisio quidem, causabat gratiam ex opere operato. *Ita Theologi communiter, cum S. Thoma contra S. Bonaventuram.*

Prob. 1. Ex Script. Galat. cap. 4. *Quomodo convertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis?* Ubi Circumcisio & alia veteris legis Sacramenta dicuntur infirma & egena elementa, ideóque virtute justificandi animam destituta. Et cap. 2. *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Et c. 3. *In lege nemo justificatur apud Deum.* Et Hebr. cap. 7. *Reprobatio quidam fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Ergo tota lex fuit inutilis & infirma seu impotèns ad justificandum. Ergo Sacramenta seu cæremoniæ legales: quæ erant tantùm pars illius legis non causabant gratiam justificantem.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, epist. 18. ubi ait: *Circumcisio & cætera... justificare neminem poterant.* Et in Psal. 73. *Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Ergo ex S. Doctore Sacramenta veteris Testamenti promittebant tantùm auctorem gratiæ, nec dabant justificationem: nam illa opponitur Sacramentis novæ legis, in eo quod hæc, non illa, darent salutem, conferendo justificationem.

Prob. 3. Ex Concil. Flor. in Decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Novæ legis septem sunt Sacramenta... quæ multùm à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Idem licèt minùs expresse definit Conc. Trid. Sess. 7. Can. 2. *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, Anathema sit.* Et Can. 8. definit nostra Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

Prob. 4. Ratione. Quia Sacramenta vetera non erant instituta ad dandam gratiam, sed duntaxat ad significandam illius futuram donationem, nec conveniens erat, ut lex antiqua justificaret, tùm quia lex illa erat imperfecta, tùm quia merita Christi nondum erant exhibita: unde in Sacramentis antiquis non continebantur.

Dixi, *ex opere operato.* Quia Sacramenta antiqua causabant gratiam ex opere operantis, quando scilicet à justis, ex fide, & motivo aut imperio chari-

charitatis suscipiebantur. Nam quodlibet opus bonum, cujusmodi est susceptio Sacramenti à Deo instituti, factum à justo ex fide & charitate perfecta, semper de condigno augmentum gratiæ sanctificantis meritum est, & quidem etiam in lege naturæ; ut constat ex illo Jacobi c. 2. *Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sacrificiis antiquæ legis promittebatur remissio peccatorum, ut constat ex *Levitici c. 4. 5. & 6.* Ergo conferebant gratiam justificantem.

Resp. Disting. anteced. Promittebatur remissio peccatorum quoad pœnam aliquam temporalem, & legalem immunditiam, *Conc. antec.* quoad culpam & pœnam æternam, *Nego ant.* Quia 1. illa sacrificia non omnia peccata sed aliqua tantùm expiabant; nam instituta erant pro aliquibus tantùm, ut peccatis ignorantiæ contra observantias legales, & injuriis in proximum circa res externas illatis, & perjurio ex cupiditate res alienas retinendi, non autem pro gravioribus peccatis expiandis, ut idololatria, blasphemia, adulterium, &c. Ergo per illa sacrificia non remittebantur peccata quoad culpam: alioqui omnia per illa, imò per unum remissa fuissent, cùm unum peccatum mortale sine omnibus aliis non remittatur quoad culpam. 2. Hoc constat ex Apostolo, Hebr. c. 10. ubi ait: *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti*, nempe ad justificationem & salutem: nam Deus illa ad alios fines præceperat.

Inst. Levit. c. 6. dicitur: *Dimittetur illi* (offerenti sacrificium arietis) *pro singulis quæ faciendo peccavit.*

Resp. Hoc intelligitur de singulis peccatis injustitiæ contra proximum, non autem omnibus peccatis simpliciter, ut patet ex contextu; & alioqui in superioribus capitibus frustra præscriberentur varia sacrificia pro variis peccatis, si unum pro omnibus peccatis sufficeret.

Obj. 2. Saltem Circumcisio justificabat ex opere operato.

Resp. Nego. Nam nullum Sacramentum veteris legis hanc vim habebat, ut constat ex probationibus allatis, & ex Patribus, ut in Justino Mart. in dialogo cum Tryphone; *Abraham cùm circumcisionem accepit in signum non ad justitiam.* Irenæo L. 4. c. 3. *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus.* Tertulliano adversus Judæos, cap. 3. *Prævidens Deus quod hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus, &c.* Idem docent Epiphanius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, &c.

Inst. 1. Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale: Ergo justificabat ex opere operato.

Resp. Nego ant. Sed instituta fuit ad consignandum populum à Deo peculiariter electum, eumque à cæteris populis discernendum, ut constat ex his verbis *Geneseos, c. 17.* quibus Circumcisionis institutio continetur: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Deus igitur Circumcisionem instituit, ut esset signum fœderis, quod cum Abrahamo & ejus posteris sanciebat. Hoc autem pactum & fœdus in eo consistebat,

quod

quod Deus specialem curam haberet populi circumcisi, & vicissim à populo circumciso ipse specialiter coleretur.

Præterea Israelitæ per quadraginta annos in deserto circumcisi non fuerunt. Tandiu autem omissa non fuisset Circumcisio, si ad delendum peccatum originale instituta fuisset, cum homines ea indiguissent, sed cùm ad discernendum populum Israeliticum à cæteris populis instituta fuisset à Deo, toto illo tempore non erat necessaria, quia in solitudine sufficienter ab aliis populis segregatus erat. Denique hoc docent Patres, *Justinus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*, & *alii apud Bellarminum*.

Inst. 2. Deus parvulis incircumcisis minabatur pœnam damnationis æternæ propter peccatum originale, juxta hæc verba Genes. c. 17. ut in græco leguntur: *Et incircumcisus masculus, cujus non circumcidetur caro præputii in die octavo, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecerunt.* Ergo Circumcisio instituta fuit ad delendum originale peccatum.

Resp. Nego anteced. Ad textum Scripturæ dico lectionem græcam mendosam esse, & in ea falsò additas fuisse has voces, *in die octavo*, quæ neque in Hebræo textu, neque in Vulgata nostra leguntur. Sic autem habet Vulgata nostra: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ubi agitur de pacto Circumcisionis, de quo superius eodem capite Scriptura loquitur, & de masculo adulto qui circumcidi noluerit, & sic Circumcisionis pactum violaverit. Hæc autem verba (*peribit anima illa de populo*) significant tantum legalem excommunicationem, seu segregationem à populo, vel ad summum mortem temporalem, non verò æternam. Quare textus illius sensus est: Quicumque masculus adultus ex posteris Abrahæ circumcisus non fuerit, non censebitur de populo Dei electo, sed ab eo separabitur, vel etiam punietur morte temporali, quia non servat pactum quod feci cum Abrahamo & ejus posteris, ut omnes circumcidantur.

Porro S. August. græca lectione mendosa deceptus, per tò *masculus* parvulum, per tò *peribit* comminationem pœnæ æternæ; & per tò *pactum*, illud pactum, quod cum Adamo factum est de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, intellexit.

Inst. 3. Gratiæ promissio annexa fuit Circumcisioni: nam Deus dixit Abrahamo, *Statuam pactum meum inter me & te, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.*

Resp. Nego. Nam hæc verba indicant tantum temporalem benedictionem, singularem scilicet Dei providentiam, bonorum temporalium copiam, prolis multiplicationem, Chananæorum regionis possessionem. Equidem spirituales quoque promissiones factæ sunt Abrahæ, sed eæ non fuerunt annexæ pacto Circumcisionis.

Inst. 4. S. August. Gregorius Magnus, S. Bernardus, & Innocentius III. cap. *Majores* de Baptismo, docent remissum fuisse peccatum originale per Circumcisionem. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Remissum fuisse per Circumcisionem tanquam meram conditionem, sine qua non, & ut erat externa protestatio fidei parentum in Christum venturum, *conc. ant.* ex opere operato: *nego ant.* Illi Patres solùm intendunt peccatum originale remissum fuisse per circumcisionem ut externam & publicam professionem fidei in Christum venturum,

& quidem tanquam meram conditionem, ſine qua non, non autem ex opere operato & propter aliquam virtutem in illa contentam, neque ex ſpeciali Dei inſtitutione. Quod ut meliùs intelligatur.

Obſerva. Ante Baptiſmi inſtitutionem infantes omnes juſtificati fuerunt per fidem parentum exteriùs manifeſtatam cæremonia aliqua religioſa, cujus electionem & determinationem Deus reliquerat hominibus. Poſteri Abrahami pro cæremonia illa religioſa fidei ſuæ in Chriſtum venturum proteſtativa ad infantium poſt diem octavum morientium juſtificationem determinarunt Circumſionem, ad quam ex Dei præcepto aliunde obligabantur. Et ſic maſculi Iſraelitarum, qui poſt octavum diem moriebantur, à peccato originali liberati fuerunt per Circumciſionem ut conditionem ſine qua non, & quatenus præcisè erat externa proteſtatio fidei in Chriſtum venturum illis applicata. Unde ad eorum juſtificationem inſtituta non fuit à Deo, ſed determinata & electa ab hominibus tanquam externa profeſſio fidei parentum in Chriſtum venturum, qua ut conditione ſine qua non delebatur peccatum originale. Fœmellæ verò & maſculi ante diem octavum morientes juſtificabantur per aliam externam proteſtationem fidei parentum in Chriſtem venturum, illis parvulis applicatam.

Inſt. 5. Iidem Patres comparant Circumciſionem cum Baptiſmo. Ergo illa juſtificabat ex opere operato ſicut Baptiſmus.

Reſp. Diſting. anteced. Comparant ad veritatem effectus, *conc. ant.* nam peccatum originale verè remittebatur parvulis per Circumciſionem, ſicut nunc verè remittitur per Baptiſmum. Comparant quoad modum producendi effectum, *nego ant.* Illi Patres ſolùm volunt per Circumciſionem remiſſum fuiſſe peccatum originale, quod nunc remittitur per Baptiſmum, quamvis non eodem modo per illam remitteretur: nam nunc per Baptiſmum remittitur ex opere operato, vi ſcilicet actionis externæ Baptiſmi moventis Deum efficaciter & infallibiliter ad infundendam gratiam ſanctificantem remiſſivam peccati originalis; per Circumciſionem verò non remittebatur ex opere operato, & quatenus erat talis ritus externus, ſed quatenus illa erat externa & publica profeſſio fidei parentum in Chriſtum venturum, non qua Deus moveretur ad condonandum peccatum ſed ſine qua non condonaret. Profeſſio enim externa fidei parentum in Chriſtum venturum erat tantùm conditio à Deo requiſita, ut propter Chriſti venturi merita gratiam ſanctificantem infunderet, & peccatum originale remitteret.

Inſt. 6. Circumciſio remittebat peccatum originale, etiamſi facta fuiſſet à Miniſtro infideli.

Reſp. Nego. Nam ad juſtificationem requirebatur fides in circumcidente, vel ſaltem in parentibus Circumciſionem procurantibus: quæ parentum vel Miniſtri fides applicaretur parvulis per Circumciſionem, ut illius proteſtationem externam. Quare aliqui Patres dicunt gentes aliquas impias & infideles Circumciſionem uſurpaſſe ſine conſecutione gratiæ.

Inſt. 7. S. Auguſtinus Circumciſionem cum Baptiſmo comparat in eo quod Circumciſio facta à Miniſtro infideli non eſſet iteranda, ſicut nec Baptiſmus ab Hæretico collatus.

Reſp. Solùm intendit Circumciſionem abſque Miniſtri fide factam validum fuiſſe in ordine ad obſervandum præceptum Circumciſionis, non autem in ordine ad remiſſionem peccati ori-

originalis. Enim verò S. Doctor necessitatem fidei internæ ad justificationem parvulorum satis clarè indicat Lib. 2. de Nuptiis & Concub. cap. 11. his verbis: *Eadem fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis.*

Inst. Non datur medium inter conferre gratiam ex opere operantis, & illam conferre ex opere operato. Atqui Circumcisio non conferebat parvulis gratiam ex opere operantis, nempe Ministri: nam nullus homo purus mereri potest alteri primam gratiam. Ergo Circumcisio gratiam conferebat ex opere operato.

Resp. Nego major. Nam datur conferre gratiam per modum *meræ conditionis* ex mera Dei benignitate, & misericordi providentia propter necessitatem hominum.

Porrò conditio non est causa neque principalis, neque instrumentalis; quia causa influit in effectum vel physicè vel moraliter per virtutem aliquam physicam vel moralem. Conditio autem non influit per ullam virtutem, cùm nullam habeat; sed est solùm aliquid prærequisitum, ut causa per virtutem suam agat. Sic approximatio ligni ad ignem non influit in ignem, nec in combustionem.

Nota. Israëlitis adultis non remittebatur peccatum originale sine aliqua suæ in Christum venturum fidei professione externa & publica, quæ poterat esse Circumcisio: nam externa talis fidei protestatio absolutè à Deo ad hunc effectum requirebatur.

Ex dictis collige. Circumcisionem à Deo institutam tantùm fuisse, tum ad consignandum peculiarem Dei populum, & ad eum specialiter consecrandum exteriùs Deo, sicque ad conferendam consecrationem, seu sanctitatem quamdam legalem & externam, consistentem in jure participandi omnibus cæremoniis, aliisque privilegiis peculiaribus populi Dei: ex quo Christus, secundùm carnem oriundus erat: tum etiam ad significandam gratiam per Baptismum nostrum dandam. Ab Israëlitis verò electam & determinatam fuisse, ut esset publica & religiosa professio externa fidei in Christum venturum: qua fide per Circumcisionem, manifestata ut conditione sine qua non, remittebatur peccatum originale, supposita lege & promissione Dei etiam in lege naturæ facta de remittendo peccato originali parvulis per quodlibet signum externum protestativum fidei in Christum venturum illis à parentibus applicatum.

ARTICULUS V.

De Charactere Sacramentali.

Nota 1. CHaracter generatim sumptus, est signum aliquod, quo res aliqua notatur, vel ut distinguatur ab alia, sic oves notantur charactere domini sui: vel ut alteri rei configuretur, sic S. Franciscus sacris Christi stigmatibus insignitus est: vel ut certum habeat valorem, sic metallum notatur sigillo Principis: vel ut deputetur ad certum statum aut officium, sic olim milites signo aliquo militari notabantur.

Nota 2. Characterem sacramentalem, quem nempe Sacramentum imprimit animæ illud suscipientis, negant Lutherani & Calvinistæ post Wicleffum.

Dico. 1. Baptismus, Confirmatio & Ordo imprimunt characterem. Est de fide.

Prob. 1. Ex traditione Patrum apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sint S. Cyrillus Jerosolym. in Præfatione in Catecheses, ubi Baptismum

vocat ſignaculum ſanctum & indelebile. Et S. Aug. Tract. 5. in Epiſt. Joann. ubi ait: *Accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus . . . videat, ſi habet charitatem . . . . ſi autem non habet, characterem quidem impoſitum habet, ſed deſertor vagatur.* Idem alibi pluries docet. Huic Traditioni ſcriptæ adde Traditionem moralem: nam hæc doctrina ſemper in Eccleſia tradita eſt: nec oſtendi poteſt tempus quo cœpit, aut auctor à quo cœpit tradi.

Ex decreto Eugenii, in Concilio Florentino, ubi approbante Concilio dicitur: *Inter hæc Sacramenta* (novæ legis) *tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.*

3. Ex Concil. Trid. Seſſ. 7. Can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.*

Ratio à priori eſt Chriſti voluntas & inſtitutio: cujus conveniens ratio hæc à S. Thoma affertur, quia nempe conveniens fuit, ut Sacramenta illa, per quæ homo conſtituitur in certo aliquo ſtatu de ſe conſtanti & perpetuo, imprimant characterem, quo homo conſignetur & deputetur ad illum ſtatum. Per illa autem ſola tria Sacramenta homo conſtituitur in aliquo novo ſtatu de ſe perpetuo, & ad illum deputatur. Nam homo per Baptiſmum conſtituitur in ſtatu Chriſtiani, & adſcribitur in familiam Chriſti, ſit membrum Eccleſiæ, & capax aliorum Sacramentorum atque aliorum Eccleſiæ bonorum: per Confirmationem conſtituitur in ſtatu militum Chriſti ad pugnandum ex officio contra hoſtes fidei: per Ordinem conſtituitur in ſtatu Miniſtrorum Chriſti, & poteſtatem accipit applicandi ejus merita. Cætera verò Sacramenta hominem non conſtituunt in novo ſtatu de ſe perpetuo. Nam Euchariſtia ſolùm nutrit ſpiritualiter: Pœnitentia ſolùm ſanat, & ad vitam ſpiritualem revocat: Extrema unctio ſolùm tollit peccatorum reliquias, & corroborat in extremo certamine; Matrimonium denique auxilia tribuit ad Matrimonii onera patienter ferenda, & ejus obligationes obſervandas, nec conſtituit in ſtatu de ſe perpetuo, nam mortuo uno conjuge, manet alter ad alium ſtatum liber.

Obj. 1. Character ſacramentalis nullibi in Scriptura reperitur. Ergo non datur.

Reſp. 1. *Nego conſeq.* Quia præter Scripturam extat Traditio æqualis cum Scriptura auctoritatis, cùm æquè ſit Dei verbum.

Reſp. 2. Character ille continetur vel ſaltem inſinuatur his Apoſtoli verbis, 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus ſancti in cordibus noſtris.* Ubi verbum *ſignavit* characterem ſacramentalem ſignificat, nam aliis vocibus jam ſignificatur gratia ſanctificans.

Obj. 2. Patres per characterem intelligunt, vel exterius Sacramentum, vel gratiam.

Reſp. Neg. Nam Patres characterem diſtinguunt tùm ab ipſo ritu Sacramenti, nam docent eum remanere poſt ſuſceptum Sacramentum; & eum annu-

annumerant inter effectus Sacramenti: tùm à gratia, nam asserunt eum manere in peccatore ac desertore, & imponi in statu peccati.

Dico 2. Sola illa tria Sacramenta characterem imprimunt.

Fide constat, & *prob.* 1. ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ solorum illorum trium Sacramentorum iterationem semper prohibuit.

2. Ex Conc. Florentino, in Decreto Eugenii citato, ubi id expresè traditur. Ex Conc. Trident. modò citato, idem quamvis non tam expresè, tamen sufficienter definiente, dum exponens Sacramenta quæ characterem imprimunt, sola illa tria recenset, addens idcirco ea iterari non posse. Ergo cùm alia quatuor iterari possint, ut fide constat, non imprimunt characterem. Ratio est, quia hæc sola tria Sacramenta hominem constituunt in statu de se perpetuo. Præterea alia causa, cur hæc sola tria iterari non possint, assignari nequit, nisi quia propter gratiam sanctificantem conferunt, characterem indelebilem, & sic semel accepta semper manent in aliquo suo effectu, unde frustra iterarentur. Alia verò iterari possunt, quia causant tantùm gratiam, quæ amitti potest, & sæpè amittitur; unde sæpe contingit, ut illa Sacramenta neque in se, neque in effectu maneant: quare Christus convenientissimè voluit, ut iterari possent.

Dico 3. Character sacramentalis est signum quoddam spirituale & indelebile, impressum animæ. Est de fide, nam expresè traditur à Conc. Trident. suprà citato.

Hoc autem signum non est purum signum, nam est aptitudo ad aliquid spirituale. Sic character Baptismi est aptitudo ad suscipienda omnia alia Sacramenta. Character Confirmationis est aptitudo ad fidem propugnandam: Character Ordinis est aptitudo ad obeunda sacra ministeria. Quare character sacramentalis est quædam configuratio seu similitudo cum Christo: nam aptitudo illa spiritualis est participatio quædam excellentiæ Christi ut Summi Sacerdotis, vel ducis supremi militiæ christianæ. Cum autem homo per characterem sacramentalem speciali quodam modo configuretur & assimiletur Christo, etiam per hunc characterem distinguitur ab omni alio, qui charactere sacramentali caret.

Tres sunt igitur effectus formales characteris sacramentalis, nimirùm facere aptum, configurare Christo, & distinguere. Effectus autem formalis est id, quod res aliqua præstat per meram sui communicationem subjecto, non per ullam actionem productivam à se manantem.

Cæterum character sacramentalis spectat ad prædicamentum qualitatis, ut docent communiter Theologi cum S. Thoma.

Dico 4. Character sacramentalis est indelebilis pro tota hac vita. Est de fide. Nam hoc ad minimum definit Concil. Tridentin. & ante illud docuit Florentinum. Et utraque Synodus ex characteris indelebilitate infert Sacramenta illum imprimentia iterari non posse: quòd certè male inferretur, si character deleri posset in hac vita.

Imò probabilius est characterem esse etiam indelebilem respectu alterius vitæ & in perpetuum; tum quia eadem Concilia simpliciter asserunt eum esse indelebilem: tùm quia ipse & anima, quæ est ejus subjectum, sunt ex natura sua incorruptibilia: neque enim character contrarium habet, per quod destruatur aut exigat destrui. Igitur character post mortem manet, in beatis quidem ad gloriam, in reprobis verò ad ignominiam. Ita docet S. Thomas,

mas, 3. p. q. 63. a. 5. ad. 3. his verbis: *post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam: & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui sunt victi ad pœnam.*

ARTICULUS VI.

De reviviscentia Sacramentorum.

An & quæ Sacramenta cum obice gratiæ suscepta, obice illo postea remoto, reviviscant?

Nota 1. Fictio & obex hic sonant idem, & opponuntur dispositioni. Fictio autem seu obex impedire potest vel valorem Sacramenti, si nempe suscipiatur sine dispositione ad ejus valorem requisita, vel solùm effectum gratiæ. Agitur hìc solùm de obice gratiam Sacramenti, non ipsius valorem impediente: Nam certum est sublato obice impediente valorem Sacramenti, non reviviscere Sacramentum; quia Sacramentum nullum fuit: quod autem non fuit non potest reviviscere. Sic v. gr. Baptismus collatus adulto carenti voluntate illum suscipiendi nullus est, & semper manet nullus, etiamsi intentio, quæ defuit, postea ponatur. Nam quantumcumque postea habeatur, fieri non potest, ut Baptismus fuerit validè susceptus, ideóque ut revera fuerit.

Nota. 2. Obex solam gratiæ collationem impediens triplex est, nempe negativus, privativus, & contrarius. Obex negativus est inculpabilis carentia dispositionis necessariæ ad gratiam recipiendam. Privativus est culpabilis carentia hujusmodi dispositionis. Contrarius seu positivus est quodlibet aliud peccatum mortale commissum eo instanti, quo suscipitur Sacramentum.

Dico 1. Baptismus validè susceptus, sed cum obice gratiæ sanctificantis, eo sublato reviviscit, quoad hunc effectum, id est, producit gratiam sanctificantem, quam in actuali sui susceptione produxisset, in suscipiente, si tunc benè dispositus fuisset. *Ita Theologi communius cum S. Thoma.*

Prob. 1. Ex S. Augustino, qui docet Baptismum cum fictione seu obice schismatis vel hæresis susceptum reviviscere, & redeunti ad unitatem Ecclesiæ valere ad remissionem peccatorum, ideoque ad infusionem gratiæ sanctificantis, sine qua peccata non remittuntur, & operari salutem. Nam lib. 3. de Baptismo, cap. 13. sic ait: *quamvis apud hæreticos vel schismaticos idem sit Baptismus Christi,* (qui apud Catholicos) *non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eamdem discordiæ fœditatem & dissensionis iniquitatem: tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam dimissa non retineantur: neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur: sed ut idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operetur salutem.* Idem docet lib. 1. c. 12.

Prob. 2. Ratione. Prima justificatio seu regeneratio spiritualis fieri non potest sine Baptismo in re vel in voto, ut docet Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. & constat ex illo Joann. c. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* At in casu Baptismi validè sed cum obice gratiæ suscepti, regeneratio fieri non potest per novum Baptismum, cùm Baptismus validè collatus reiterari nequeat: neque

etiam

etiam per ejus votum, nam desiderari non potest novus Baptismus, utpote prohibitus. Ergo superest ut remoto obice, regeneratio fiat per Baptismi antea validè suscepti reviviscentiam.

Altera ratio. Quia (ut docet S. Thomas) character Sacramentalis exigit connaturaliter gratiam sanctificantem: nam hæc est necessaria ad dignè & meritorie obeunda munera & officia status, ad quem character deputat.

Hinc remoto obice conferuntur etiam gratiæ actuales sacramentales, cùm jus ad illas expeditum ex Dei ordinatione infallibiliter annexum sit gratiæ habituali per Sacramentum collatæ.

Obj. 1. S. August. loco supra citato, dicit in casu Baptismi cum obice Schismatis vel hæresis suscepti, postea per charitatem remitti peccata revertenti ad Ecclesiam.

Resp. Hoc dicit, non ex propria sententia, sed solùm ex falsa hypothesi Donatistis permissa, non concessa, nempe quod Baptismus cum obice susceptus, statim remittit peccata; sic tamen ut dimissa redeant statim ratione pravæ dispositionis. In qua hypothesi peccata primùm dimissa & statim reversa, remoto obice non remittuntur per Baptismum. Quod autem S. Doctor senserit Baptismum sublato obice operari per se & immediatè gratiam sanctificantem, patet ex ejus verbis supra laudatis: *tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata . . . sed ut idem ipse . . . . intus operetur salutem.*

Obj. 2. Baptismus fictè susceptus, est opus mortuum. Ergo reviviscere non potest.

Resp. Nego anteced. Nam Baptismus ille est moraliter actio Christi ut principalis ministri. At nullum opus Christi est opus mortuum. Equidem suscipiens, scienter Baptismum cum obice peccavit mortaliter: sed hoc peccatum est quid distinctum à Baptismo suscepto.

Obj. 3. Baptismus non est ampliùs physicè, cùm tollitur obex. Ergo non potest causare gratiam.

Resp. Disting. conseq. Non potest causare gratiam physicè, *conc. conseq.* moraliter, *nego conseq.* Baptismus validè susceptus cum obice gratiæ, ita physicè præteriit, ut maneat moraliter & æquivalenter in ordine ad producendam gratiam, sublato obice, quatenus tam valet ad movendum Deum ad infundendam gratiam, quando tolletur obex, quàm si actu & physicè existeret. Et re ipsa Deus remoto obice infundit gratiam sanctificantem & remittit peccata propter Baptismum validè susceptum, licèt physicè præteritum, perinde ac si adhuc physicè existeret: atque ita Baptismus physicè præteritus causat gratiam moraliter, movendo scilicet Deum ad dandam gratiam, qua remittuntur peccata.

Obj. 4. Dici non potest, quomodo peccata Baptismum cum obice gratiæ susceptum consequentia remittantur cum aliis præcedentibus. Ergo Baptismus ille nulla remittit sublato obice.

Resp. 1. *Nego conseq.* Quia multa vera sunt, quæ tamen clarè explicari non possunt.

Resp. 2. *Nego anteced.* Nam quando per Sacramentum Pœnitentiæ tollitur obex gratiæ, tunc Baptismus reviviscens, & Sacramentum Pœnitentiæ simul & tempore & natura producunt gratiam & remissionem peccatorum. Nam tunc Baptismus & Sacramentum Pœnitentiæ sunt duæ causæ partiales, à se invicem in operando dependentes, simul constituentes unam causam totalem, productivam gratiæ & remissionis peccatorum: ita tamen ut una

unam,

unam, & altera alteram tantùm partem gratiæ totalis producat. Baptiſmus enim producit ſolam partem gratiæ, cui reſpondet remiſſio peccati originalis, & perſonalium ante Baptiſmum commiſſorum, Pœnitenriæ verò Sacramentum ſolam partem gratiæ, cui reſpondet remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum. Hæ autem duæ partiales cauſæ unam totalem cauſam conflant : nam cùm unum mortale ſine aliis omnibus non remittatur, Baptiſmus non remitteret originale & alia perſonalia peccata poſt ipſum commiſſa, niſi Sacramentum Pœnitentiæ remitteret alia poſt Baptiſmum commiſſa; & viciſſim Sacramentum Pœnitentiæ non remitteret mortalia poſt Baptiſmum commiſſa niſi Baptiſmus remitteret originale & alia perſonalia ante ipſum commiſſa.

At quando extra Sacramentum Pœnitentiæ tollitur obex per contritionem perfectam, tunc per gratiam Baptiſmo reſpondentem remittuntur peccata omnia ante illum commiſſa, per gratiam verò contritioni ut includenti votum Sacramenti pœnitentiæ reſpondentem remittuntur alia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa.

Inſt. Peccatum fictionis ligat virtutem Baptiſmi. Ergo priùs tolli debet, quàm poſſit operari Baptiſmus.

Reſp. Peccatum fictionis cùm per Pœnitentiam retractatur, jam non ligat virtutem Baptiſmi. Nam tunc adeſt diſpoſitio, quæ ſi in ſuſceptione Baptiſmi adfuiſſet, Baptiſmus gratiam produxiſſet, & quacum proinde jam illam producere poteſt, & producit non quidem ſolus, ſed ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ eam partem gratiæ quam ipſe producere non poteſt, producente.

Dico 2. Confirmatio & Ordo reviviſcunt, ſeu gratiam ſuam producunt, ſublato obice. Ita communiter.

Prob. Quia hæc duo Sacramenta ſicut Baptiſmus imprimunt characterem, qui connaturaliter exigit gratiam ſanctificantem, & conſtituunt hominem in ſtatu de ſe perpetuo, cui multæ obligationes annexæ ſunt. Ac proinde finis & inſtitutio illorum poſtulat, ut conferant gratiam ad illorum ſtatus munera ſanctè & dignè obeunda, quando jam non eſt impedimentum huic gratiæ. Præterea cùm iterari non poſſint, eſt par ratio de iis ac de Baptiſmo, ne videlicet qui Sacramenta illa cum obice recipiunt, eorum fructu in perpetuum & irreparabiliter priventur, etiam ſi poſtea obicem removeant.

Dico 3. Probabile eſt etiam Extremam-unctionem & Matrimonium reviviſcere. Quia veriſimile eſt Chriſtum noluiſſe conjuges toto conjugii tempore, quo indigent multis gratiæ auxiliis tum ad hujus ſtatus munia chriſtianè obeunda, tum ad onera patienter ferenda; item noluiſſe infirmos durante eodem morbo ſeu periculo mortis in quo iterari non poteſt Extrema-unctio, & tamen indigent multis gratiis in hoc extremo vitæ certamine, ubi periclitatur ſalus, privari effectu Sacramenti cum obice ſuſcepti, ſed voluiſſe ut effectum illum, quo maximè indigent, recipiant ſublato obice.

Dico 4. Pœnitentia & Euchariſtia non reviviſcunt, etiam ſublato obice. Nam 1. reſpectu Pœnitentiæ obex gratiæ eſt etiam obex Sacramenti : carentia enim diſpoſitionis requiſitæ ad gratiam recipiendam impedit ejus valorem: ac proinde ipſum Sacramentum nullum eſt. Quod autem nullum fuit, poſtea reviviſcere & operari non poteſt. 2. Cùm Euchariſtia ſæpiſſimè ſumi poſſit, minimè neceſſe fuit Chriſtum voluiſſe, ut reviviſceret. Imò nec id conveniens fuit: nam alioqui homo ſceleſtiſſimus, qui

qui sæpe Eucharistiam sacrilegè suscepisset, posset unico instanti maximam gratiam sanctificantem, elicita contritione perfecta, acquirere, quod multis esset sacrilegiorum occasio.

Quæres, *quid requiratur ad obicem removendum, ut Sacramentum reviviscat.*

Resp. 1. Si obex fuerit solùm inculpabilis omissio dispositionis requisitæ ad gratiam, tollitur ponendo dispositionem illam, & sic Sacramentum revivìscit; modo tamen novus obex non additus sit, mortaliter peccando post susceptum Sacramentum. Nam cùm illo casu nihil obsit efficaciæ Sacramenti, præter carentiam dispositionis, sublata hac carentia Sacramentum operabitur sicut ab initio egisset, si non fuisset hæc carentia.

Dixi, *modò &c.* Nam si novus obex per peccatum mortale additus est, hic removeri debet per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam ejus votum includentem.

Resp. 2. Si obex fuerit culpabilis, omissio dispositionis requisitæ, vel quodlibet aliud peccatum mortale in ipsa Sacramenti susceptione admissum, tollitur obex ponendo dispositionem illam omissam, & illud mortale cum aliis postea commissis tollendo per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam ejus votum includentem.

Porrò peccatum mortale impediens effectum Baptismi, censetur committi à baptizato; quia non impeditur effectus Baptismi nisi jam existentis; Baptismus enim operari non potest nisi jam existens, ideóque jam receptus. Quare hoc peccatum remitti debet per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto susceptum.

CAPUT IV.

De Ministro Sacramentorum.

ARTICULUS I.

Quinam sint Ministri Sacramentorum.

Nota 1. Duplex est Sacramentorum Minister, nempe primarius & secundarius. Minister primarius & principalis est ille, qui Sacramenta instituit ut ejus nomine fierent, & per cujus solius merita operantur: talis est solus Christus, ut homo. Minister secundarius, de quo solo hic agitur, est ille, qui sub Christo & ejus nomine potest validè conficere Sacramentum: sive est idoneus effector Sacramenti.

Nota 2. Lutherus, in libro de Missa privata, docet etiam Angelos tùm bonos tùm malos habere potestatem conficiendi Sacramenta. Calvinus verò contendit solos Christianos ad ministerium legitimè vocatos, hanc potestatem habere, ita ut ne in necessitate quidem fœminæ baptizare possint.

Dico 1. Soli homines viatores ratione utentes possunt esse Ministri Sacramentorum secundùm legem Dei ordinariam & sine dispensatione Dei.

Prob. Illi soli possunt esse Ministri Sacramentorum, secundùm legem Dei ordinariam, quos Christus ad hoc munus designavit: nam nemo ex propria sua auctoritate potest validè agere nomine Christi, & fieri ejus instrumentum. At Christus ad hoc munus designavit solos homines viatores ratione utentes: nam illis solis dixit, Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Luc. cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Joann. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*

tuntur eis. Jacob. cap. 5. *inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, &c.*

Ratio congruentiæ est. quia ipse primarius Sacramentorum Minister homo erat; & illi, quibus administranda sunt, homines sunt.

Hinc 1. Angelus bonus nullum potest efficere Sacramentum nisi de lege extraordinaria, sive ex speciali deputatione & dispensatione Dei. Idem dic de anima separata, non tamen de anima redeunte ad corpus mortale & ad statum viatoris.

2. A fortiori malus Angelus hac potestate caret, cui etiam certum est eam nunquam à Deo concessum iri ex speciali dispensatione. Unde si Diabolus baptizaret, nullus esset Baptismus. Secus, si bonus Angelus baptizaret. Nam id faceret ex dispensatione & extraordinaria deputatione Dei, & sic valeret Baptismus. Hoc docet S. Thomas, 3. p. q. 64. art. 7. his verbis: *sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem attribuere ministrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuncii veritatis, si aliquod Sacramentale ministerium à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare hoc fieri voluntate divina.*

3. Infantes & perpetuò amentes non possunt validè conficere ullum Sacramentum, cùm careant usu rationis, & insuper habere non possint debitam intentionem.

Obj. 1. Membra Diaboli, nempe peccatores, possunt validè conficere Sacramenta: Ergo & Diabolus ipse.

Resp. Disting. anteced. Possunt conficere Sacramenta, quatenus sunt Ministri Christi, *conc. ant.* quatenus sunt membra Diaboli, *nego ant. & conseq.* Mali autem homines sunt Ministri Christi, quatenus sunt homines viatores, qui à Christo acceperunt potestatem conficiendi & administrandi Sacramenta.

Obj. 2. Nicephorus, Lib. 11. hist. c. 22. scribit S. Amphilochium fuisse ab Angelis ordinatum Episcopum, hancque ordinationem ratam à cæteris Episcopis habitam fuisse. Ergo boni Angeli possunt esse Ministri Sacramentorum.

Resp. Possunt esse, sed ex dispensatione & extraordinaria deputatione Dei, non verò secundùm ordinariam Dei legem.

Dico 2. Non omnes & singuli homines viatores & ratione utentes, sunt Ministri omnium Sacramentorum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Concil. Trid. Sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, Anathema sit.*

2. Quia re vera Laici non possunt esse Ministri quinque Sacramentorum, scilicet Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ unctionis, & Ordinis, ut suis locis probabitur.

Obj. 1. Quilibet homo etiam Laicus potest administrare Baptismum, ergo & cætera Sacramenta.

Resp. Nego conseq. Quia Christus unum non aliud voluit, eò quòd Baptismus sit Sacramentum omnibus & magis necessarium quàm cætera. Unde illius Ministrum limitare noluit.

Inst. Matrimonium non est magis necessarium quàm cætera Sacramenta, & tamen quilibet homo baptizatus potest illud administrare, nisi aliunde impediatur.

Resp.

Resp. Specialis eſt ratio de Matrimonio, quia nempe Chriſtus Matrimonii contractum ad Sacramentum evexit: qui contractus cùm à quolibet baptizato fieri poſſit, niſi aliunde impediatur, ideo hoc Sacramentum à quolibet baptizato ad generandum habili & ab omnibus impedimentis libero, adminiſtrari poteſt.

Obj. 2. Omnes homines baptizati, ſunt Sacerdotes, juxta illud 1. Petri c. 2. *vos genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, &c.* Ergo omnes ſunt Miniſtri omnium Sacramentorum.

Resp. Diſting. anteced. Omnes ſunt Sacerdotes impropriè dicti, *conc. ant.* propriè ac ſtrictè dicti, *nego ant. & conſeq.* Ibi Scriptura per regale Sacerdotium intelligit ſacerdotium ſpirituale & metaphoricum, conſiſtens in poteſtate offerendi Deo ſacrificia ſpiritualia, nempe bona opera, laudes, & preces. At præter hoc Sacerdotium, eſt aliud propriè dictum, dans poteſtatem offerendi ſacrificium propriè dictum, & miniſtrandi populis Sacramenta, quod quidem ſacerdotium non omnibus Chriſtianis convenit.

ARTICULUS II.

Utrùm ad valorem Sacramenti requiritur in Miniſtro intentio faciendi quod facit Eccleſia?

§. I.

Prænotanda.

I. INtentio hic eſt voluntas deliberata faciendi aliquid, puta Sacramentum. Triplex autem poteſt eſſe in Sacramentis conficiendis Miniſtri intentio ex parte objecti ſui. Prima eſt intentio præcisè ponendi ritum externum Sacramenti ſive adhibendi materiam & formam quas adhibet Eccleſia. Secunda eſt intentio faciendi Sacramentum. Tertia eſt intentio conferendi effectum Sacramenti. Circa quod triplex eſt ſententia.

Prima eſt Lutheri & Calvini, qui docuerunt ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem ponendi ipſum ritum ſeu ipſam actionem externam Sacramenti, etiamſi jocosè & irriſoriè etiam exteriùs ponatur; eò quòd velint Sacramenta inſtituta eſſe duntaxat ad excitandam fidem in ſuſcipientibus, quem effectum habere poſſunt, quacunque intentione ponatur à Miniſtro ritus externus.

Secunda eſt plurium Catholicorum, qui volunt ſufficere intentionem ponendi ſeriò ritum externum, prout ponitur exteriùs in Eccleſia, nec requiri voluntatem faciendi Sacramentum: ita ut conficiatur Sacramentum, etiamſi Miniſter interiùs nolit facere Sacramentum, modò non ſignificet exteriùs ſe nolle facere Sacramentum, & jocosè vel repræſentativè agere. Hinc ad valorem Sacramenti exigunt verum externum Eccleſiæ ritum ſeriò exteriùs poni: in quo differunt à Luthero & Calvino, quibus conſentiunt in eo quod putent jocum internum non officere valori Sacramenti. Hæc opinio tribuitur Ambroſio, Catharino & Salmeroni. Sed alii contendunt eos ſolùm negare neceſſariam eſſe intentionem ponendi ritum externum ſub conceptu explicito Sacramenti, ſeu intentionem explicitam faciendi Sacramentum: non verò negare neceſſitatem intentionis faciendi ritum externum; qualis re ipſa ab Eccleſia ponitur: quem ritum Miniſter vult ſeriò etiam interiùs celebrare, ſive neceſſitatem intentionis faciendi quod facit Eccleſia, non tamen ſub conceptu Sacramenti.

Tertia ſententia, quæ eſt communis inter Catholicos docet ad valorem Sacramenti requiri intentionem ſaltem generalem & confuſam conficiendi Sacramentum, ſeu intentionem faciendi id quod Chriſtus inſtituit, vel facit Eccleſia immediatè per ritum illum externum, vel quod intendunt Chriſtiani.

II. Certum eſt ad valorem Sacramenti non requiri intentionem conferendi effectum Sacramenti. Nam valet Baptiſmus collatus ab Ethnico ejus effectum ignorante, vel etiam ab Hæretico negante gratiam per illum conferri.

III. Eſt de fide requiri veram intentionem ponendi ſeriò & non jocosè ſaltem exteriùs ritum externum, prout ponitur in Eccleſia. Nam 1. Leo X. hunc Lutheri articulum duodecimum inter multos damnavit: *Si ſacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret: ſi tamen credat pœnitens ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* Per jocum autem intelligitur intentio ſolum repræſentandi myſterium, non autem faciendi. 2. Ex Concil. Trident. quod ſeſſ. 14. cap. 6. declarat pœnitentem non eſſe verè & coram Deo abſolutum, *ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſolvendi deſit.* Item ſeſſ. 7. can. 11. hoc ad minimum definit.

Ratio à priori eſt inſtitutio Chriſti, qui voluit, ut Sacramenta conficerentur ab hominibus ut Miniſtris ejus. Nullus autem agit ut Miniſter alterius, niſi ſaltem velit ſeriò facere, quod alter voluit fieri nomine ſuo.

§. II.

Dico. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio verè faciendi Sacramentum, ſaltem implicita & generalis, qua miniſter intendat facere id quod Chriſtus inſtituit, vel id quod Eccleſia moraliter facit per ritum externum; nec ſufficit intentio ponendi exteriùs duntaxat ritum externum.

Prob. 1. Ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii ubi dicitur: *Hæc omnia Sacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Ergo ex hoc Conc. ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia, materiam ſcilicet & formam adhibendo per ſuos Miniſtros. Sed id, quod immediatè Eccleſia facit, materiam & formam adhibendo per ſuos Miniſtros, eſt Sacramentum. Ergo ex Conc. ad efficiendum Sacramentum, requiritur intentio illud faciendi, quod etiam patet ex paragrapho ſequenti, ubi dicit, quemlibet etiam Paganum & Hæreticum validè baptizare, *dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.* Quibus verbis præter voluntatem ponendi ritum externum, exigit etiam intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, & hæc duo inter ſe diſtinguit. Ergo intendere facere quod facit Eccleſia, non eſt præcisè velle ponere ritum externum, ſed eſt velle illum ponere ut religioſum & ſacramentalem, ſeu ut ſignum inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* At Eccleſia per ſuos Miniſtros facit Sacramentum, & non ſolùm ponit ritum externum. Ergo requi-

requiritur intentio faciendi Sacramentum. Item Concilium per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligit quod facit Eccleſia immediatè nomine & auctoritate Chriſti, ideoque intelligit quod facit Eccleſia per poteſtatem miniſterialem acceptam à Chriſto. Atqui Eccleſia per poteſtatem miniſterialem acceptam à Chriſto facit ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, ſicut per potentiam naturalem facit ritum externum. Ergo cùm concil. Trident definit requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligit requiri intentionem faciendi ſignificationem & efficaciam ſacramentalem, ſeu ritum externum, ut Sacramentum, intentionem, inquam, ſaltem implicitam & confuſam.

Præterea Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. declarat pœnitentem non eſſe verè & coram Deo abſolutum, *ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſolvendi deſit.* Ergo ad validam abſolutionem præter intentionem ponendi ſeriò ritum externum ſeu proferendi verba abſolutionis, requirit intentionem verè abſolvendi, nam hæc duo manifeſtè diſtinguit & exigit. Intentio autem verè abſolvendi eſt intentio verè conferendi Sacramentum pœnitentiæ: nam verè abſolvere & conferre Sacramentum Pœnitentiæ ſunt unum & idem. At eadem eſt ratio de omnibus aliis Sacramentis. Ergo in omnibus Sacramentis requiritur intentio faciendi Sacramentum.

Quare Suarez, tom. 3, in 3. p. S. Thomæ, q. 64. diſp. 13. ſect. 2. ſic ait: *Exiſtimo contrariam ſententiam non poſſè jam* (poſt definitionem Concilii Trident.) *tutò defendi, nec ſine errore.*

Dices. Conc. Trident. hoc loco agit joco externo & manifeſto.

Reſp. Loquitur generatim de omni joco cadente in ſubſtantiam Sacramenti, ſive interno, ſive externo, quia uterque debitam intentionem excludit: ac proinde utrique opponit tò *ſeriò.*

Prob. 3. Ex decreto Summi Pontificis Alexandri VIII. quo damnatur hæc propoſitio: *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit. non intendo facere quod facit Eccleſia.* Ergo ſine nullitate Sacramenti non poteſt excludi intentio interna faciendi quod facit Eccleſia, quamvis ponatur omnis ritus externus. At ſi ad valorem Sacramenti præter poſitionem omnis ritus externi non requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia, hæc intentio poteſt poſitivè excludi ſine nullitate Sacramenti: nam excluſio ejus quod non requiritur ad valorem Sacramenti, non poteſt illud irritare, cùm valeat Sacramentum ſine poſitione & cum excluſione eorum quæ ad ejus valorem non requiruntur. Ergo ad valorem Sacramenti Baptiſmi, ideoque aliorum omnium, præter poſitionem omnis ritus externi requiritur intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Atqui per intentionem illam faciendi, quod facit Eccleſia, intelligitur intentio verè faciendi Sacramentum: nam non intelligitur intentio ponendi ritum externum, cùm in propoſitione damnata jam ſupponatur hæc intentio, ſi quidem agitur de Miniſtro, *qui omnem ritum externum, formamque Baptiſmi obſervat,* proindeque voluntatem habet obſervandi omnem ritum externum, alioqui eum non obſervaret.

Prob. 4. Ratione. Quia Chriſtus Sacramentorum Miniſtros inſtituit, non ut meros nuncios deferentes voluntatem domini, ſed ut veros Miniſtros, diſpenſatores & œconomos, qui liberè utantur poteſtate miniſteriali ſibi data: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei,* ait Apoſtolus, 1. Cor. c. 4.

Atqui Minister non utitur liberè potestate ministeriali, nisi velit ea uti; & non vult ea uti, nisi cùm vult per eam producere effectum sibi proprium, nempe Sacramentum, quod est effectus proprius potestatis ministerialis circa Sacramenta: sicut nemo vult uti potestate naturali, nisi cùm vult per illam producere effectum sibi proprium. Ergo, &c.

Præterea confessio Sacramenti est actio moralis sacramentalis. Nam Christus sic instituit Sacramenta, ut procedant ex potestate data Ministris tanquam actiones eorum morales, ita ut dicantur verè remittere peccata, abluere, consecrare, ordinare, &c, ut Joann. c. 10. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem, & c.* Actio autem moralis sacramentalis debet esse intenta ut talis.

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ ab auctoritate.

Obj. 1. ANtiqui Patres non judicarunt ad valorem Baptismi requiri intentionem illam quam requirimus: nam ratum habuerant Baptismum ab Atheis & Ethnicis collatum; nec inquisierunt, num Minister intentionem veram habuisset. Ergo non requiritur talis intentio.

Resp. Nego anteced. Ad probationem dico, Patres judicasse Baptismum ab Atheis & Ethnicis, materiam ac formam debitam servantibus, collatum valere, quia putarunt illos habuisse intentionem saltem confusam & generalem faciendi, quod facit Ecclesia, volendo facere, quod faciunt Christiani; quam intentionem, non obstante infidelitate, facilè habere poterant. Patres autem non inquisierunt, an Minister veram intentionem habuisset, quia Ecclesia non judicat de internis, & nisi contrarium evidenter appareat, præsumi semper debet intentio debita in Ministro, qui nullum joci vel irrisionis signum præbet, cùm facillimè hæc intentio haberi possit, & sine ulla utilitate omitteretur.

Obj. 2. Ex S. Chrysostomo, hom. 85. in Joann. Sacerdos in Sacramentorum administratione non præbet nisi manum & linguam.

Resp. Ubi sic loquitur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos linguam & manus præbet.* Præbet autem utrumque humano modo, & ut Minister Christi utens potestate ministeriali, ideóque cum intentione faciendi Sacramentum, seu id quod Christus instituit.

Porrò ibi Sanctus Doctor solùm significare vult totum effectum Baptimi, nempe gratiam & characterem à solo Deo physicè produci: hominem verò nihil operari physicè, nisi Sacramentum, proindeque modò illud faciat, non posse sua malitia impedire ejus effectum.

Inst. Sanctus Chrysostomus ibidem dicit justum non esse propter alterius malitiam, ad salutem nostram accedentes offendi.

Resp. Per malitiam intelligit meram improbitatem, quæ in multis reperitur, & cujus carentia, si ad valorem Sacramentorum requireretur, ea sæpe irrita forent cum multorum damno. At non loquitur de malitia, qua præcisè excluderetur intentio faciendi Sacramentum, quæ est diabolica & nullius utilitatis, ideóque aut nunquam aut fere nunquam reperitur.

Obj. 3. Alexander Alexandriæ Patriarcha ratum habuit Baptismum ab Athanasio puero jocosè aliis pueris colla-

collatum. Ergo à fortiori valet Baptiſmus ſeriò exteriùs collatus ſine intentione, &c.

Reſp. Si vera eſt hæc hiſtoria, ideò ratus habitus fuit Baptiſmus ab Athanaſio aliis pueris in ludo collatus, quia ipſe exiſtimabatur in ludo verè & ſeriò intendere baptizare, & Sacramentum conferre: ita ut jocus non eſſet motivum intrinſecum, ſed duntaxat impulſivum peragendi cæremoniam externam, & ſolùm vera collatio Baptiſmi ordinaretur ad aliquam animi oblectationem. Quam quidem intentionem ſuam Athanaſius oſtenderat in eo, quod ſolos Catechumenos, exploratis priùs per varias interrogationes eorum diſpoſitionibus, baptizaret cum omnibus cæremoniis in Baptiſmo adhiberi ſolitis, ut teſtatur Sozomenus, L. 2. c. 17. & verò pueri etiam in ludis ſuis interdùm ſeriò faciunt, quæ à majoribus fieri vident.

Inſt. Athanaſius oblectationem animi ſibi in Baptiſmo conferendo pro fine proponebat.

Reſp. Hoc non officit intentioni debitæ. Nam quis ſeriò & verè poteſt velle Sacramentum conficere, ut animum recreet. Sacramentum autem ſeriò & cum intentione collatum valet, quamvis propter ludum & recreationem fiat: quemadmodum valet Sacramentum ſeriò & cum intentione illud faciendi collatum, licèt fiat propter pecuniæ lucrum. Porro Athanaſius ritum externum Baptiſmi non repræſentativè nec jocosè, ſed verè ac ſeriò celebravit, ita ut jocus ſeu potiùs recreatio fuerit ſolùm finis extrinſecus ſeu motivum impulſivum Sacramenti ſeriò collati.

Obj. 4. Baptiſmus mimicè collatus valet, ut patet in Geneſio Martyre, qui cum in Theatro coram Diocletiano mimum ageret, per Baptiſmum mimicè collatum ſanctificatus eſt.

Reſp. 1. Si re vera mimicè baptizatus fuit, non valuit Baptiſmus ſic collatus, ſed Geneſius poſtea ſanctificatus fuit per Baptiſmum ſanguinis ſeu martyrium, vel etiam per Baptiſmum flaminis, ſeu per contritionem perfectam cum voto Baptiſmi aquæ.

Reſp. 2. Geneſius non mimicè & jlocaliter ſed ſeriò baptizatus fuit, non à mimo, ſed à Sacerdote, cum vera intentione faciendi Sacramentum, ut patet ex ejus martyrii actis apud Ruinardum, ubi dicitur: *Quadam die, cùm vellet* (Geneſius) *Diocletiano Imperatori ludum exhibere de myſteriis chriſtianæ obſervantiæ .... & in medio theatri quaſi ægrotus decumbens, ſe poſceret baptizari, mimum in hæc verba propoſuit: Eia noſtri, gravem me ſentio.... Evocato autem Presbytero & Exorciſta repentè, Deo inſpirante, credidit. Nam illi juxta lectum ipſius cùm reſediſſent, dicunt ei: Quid ad nos miſiſti, filiole? Geneſius jam non ſimulatè ac fictè ſed ex puro corde reſpondit: Quia accipere cupio gratiam Chriſti ... cumque Sacramentorum myſteria compleſſent, & indutus albis veſtibus eſſet, &c.*

Obj. 5. Sanctus Auguſt. L. 7. de Baptiſmo, c. 53. non audet affirmare invalidum eſſe Baptiſmum mimicè & jocalariter collatum.

Reſp. Ideò de hoc dubitavit, quia in nullo Concilio id definitum fuerat, ut ibidem expreſſè teſtatur. Nunc autem res in Concilio generali Trident. definita eſt. Unde Sanctus Doctor nunc de hac re non dubitaret, cùm habeamus oraculum quod expectabat, nempe definitionem Concilii generalis. *Sed nobis tutum eſt* (inquit ibidem) *in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regio-*

gionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ mentis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & Salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

Inst. Sanctus Augustinus ibidem asserit Baptismum fallaciter seu animo simulandi datum valere.

Resp. Sic hoc asserit, ut definitionem Concilii, quam nunc habemus expectaret, eique jam tùm se submitteret. Ideoque censeri debet nobis consentire.

Obj. 6. Nicolaus Papa I. ad consulta Bulgarorum, an baptizati à Judæo essent rebaptizandi respondet non esse rebaptizandos, si in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati essent, nulla facta mentione intentionis.

Resp. Non fecit mentionem intentionis, quia eam supponit, & ordinariè adest.

Obj. 7. Innocent. IV. in Lib. 3. Decret. c. 2. dicit Baptismum esse ratum, *licet Minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia.*

Resp. Per hæc verba (*quod facit Ecclesia*) intelligit, non ipsum Sacramentum, sed effectum Sacramenti, ut patet ex his verbis quæ subjicit: *dummodò intendat baptizare.* Igitur solùm vult validum esse baptismum, etiamsi Minister nolit effectum Sacramenti conferre, & sufficere quòd Sacramentum facere intendat.

Obj. 8. S. Thomas, 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. improbat opinionem, quæ requirit intentionem mentalem, & addit: *In verbis quæ profert* (Minister) *exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.*

Resp. Doctor solùm vult ad perfectionem Sacramenti non requiri in Ministro explicitam & directam intentionem faciendi Sacramentum, sed sufficere implicitam & indirectam, qualem supponit esse in Ministro de quo agitur. Nam agitur de Ministro, qui ritum externum ponit in persona Ecclesiæ, ideóque de Ministro qui ritum externum Sacramenti ponit ut Minister seu ut instrumentum Ecclesiæ. At in doctrina S. Thomæ non potest Minister agere, ut instrumentum Ecclesiæ, nisi habeat intentionem saltem implicitam & indirectam faciendi Sacramentum, ut patet ex resp. ad 1. ejusdem art. ubi ait: *Sed instrumentum animatum, sicut est Minister, non solùm movetur, sed etiam quodam modo movet seipsum.... & ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia.* Quare prima opinio, quam S. Thomas rejicit, ab eo intelligitur de intentione mentali explicita & directa, & eam rejiciendo ut necessariam, requirit tantùm aliam implicitam & indirectam. Et verò alioqui sanctus Doctor secum ipse manifestè pugnaret, cùm sententiam nostram apertè docet, loco citato, & art. 10. ubi ait: *Intentio Ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius Sacramenti, putà cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat.* Idem docet, art. 9.

Nota. Veteres Patres nihil expressè scripserunt de necessitate intentionis, de qua agitur, quia nulla fuit tunc temporis ea de re controversia, & eam semper adesse supponebant, cùm facillimum sit eam habere, & sine ulla utilitate omitteretur.

§. IV.

§. IV.

Solvuntur Objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Episcopi antequam Ordines conferant, declarant se nolle ordinare excommunicatos, aut carentes vero titulo, vel facultate suorum Superiorum; & tamen si qui sint occultè tales, ordinantur validè. Ergo ad valorem Sacramenti non requiritur intentio illud faciendi.

Resp. Nego antec. Nam Episcopus hoc non declarat, sed sub excommunicationis pœna præcipit & mandat, ne quis hujusmodi ad suscipiendos Ordines accedere audeat, ut patet ex Pontificali Romano. Præterea nemo hujusmodi ordinaretur validè, si Episcopus singulos ordinans haberet voluntatem illam generalem tales non ordinandi. At si habuisset, non perseverat in illa; sed relicta illa generali voluntate, aliam in singulorum ordinatione assumit, qua singulos intendit absolutè ordinare, & re ipsa ordinat absolutè. Unde omnes validè ordinantur, quamvis qui sic sunt impediti, ipso jure ab Ordinis suscepti exercitio suspensi sunt.

Obj. 2. Baptismus Lutheranorum est validus, & tamen Lutherani carent intentione à nobis requisita, cùm illam ut inutilem rejiciant. Ergo non requiritur, &c.

Resp. Nego 2. *p. anteced.* Nam Lutherani cùm baptizant, habent saltem implicitam & confusam intentionem faciendi Sacramentum. Volunt enim Baptismum conferre eo modo quo conferri debet ex Christi institutione: imò expressè intendunt facere simpliciter quod Christus instituit, & facit vera Ecclesia Christi, quam putant esse Lutheranam, & sic habent confusam & generalem intentionem faciendi verum Sacramentum, quamvis errent circa naturam & efficaciam Sacramentorum. Et verò Lutherani docent etiam Baptismum mimicè collatum valere; num idcirco mimicè baptizant.

Obj. 3. Sacerdos hostiam consecratam distribuens, confert Sacramentum, etiamsi nolit positivè conferre. Ergo idem est de consecrante.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia Sacerdos in distributione Eucharistiæ non conficit Sacramentum, nec quidquam de novo producit, sed præcisè distribuit id, quod jam factum est. Unde in tali actione se habet instar famuli, qui donum aliquod domini sui alteri deferret. At Sacerdos in Eucharistiæ confectione aliquid de novo producit, & facit Sacramentum nomine Christi: ad quod requiritur intentio faciendi, quod Christus ut causa principalis instituit.

Obj. 4. Si intentio faciendi Sacramentum esset necessaria ad ejus valorem, intentio Ministri se ipsam haberet pro objecto. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Disting. sequel. maj. Se ipsam haberet pro objecto confusè *conc. sequel. maj.* distinctè, *nego sequel. maj.* Intentio faciendi Sacramentum habet pro objecto distinctè ipsum Sacramentum, confusè verò ea quæ requiruntur ad valorem Sacramenti, inter quæ reperitur intentio faciendi Sacramentum. Sed in hoc nihil est absurdi, & idem in multis aliis accidit. Sic intentio faciendi contractum validum habet se ipsam pro objecto confusè.

Obj. 5. Si valor Sacramenti pendet ab intentione Ministri, nemo poterit esse certus de ejus valore.

Resp. Certitudo moralis sufficiens ad pacandum animum, adest hoc ipso, quòd omnia exteriùs debitè facta sunt. Nam tunc non est causa suspicandi defuisse

fuisse debitam intentionem, cùm hæc possit facillimè haberi, & ejus carentia non possit prodesse Ministro: vix enim contingere potest, & certè rarissimè contingit, ut eò malitiæ deveniat Minister, ut velit alterum perire ob defectum sibi nullatenus utilem. Quod autem nunquam aut ferè nunquam accidit moralem certitudinem impedire non potest.

Obj. 6. Atheus non potest habere intentionem gerendi se tanquam Ministrum Ecclesiæ: nam judicat Ecclesiam Christi esse cœtum chimericum & impossibilem. Ergo non posset validè baptizare, si requiritur intentio, &c.

Resp. Nego anteced. & ejus probationem. Nam Atheus non potest judicare Ecclesiam esse cœtum chimericum, cùm eam suis conspiciat oculis. Judicat quidem illam Ecclesiam, quam videt, & quæ se à Christo homine-Deo institutam esse dicit, non habere Christum Deum authorem. Sed ut ille Atheus intentionem requisitam ad valorem Sacramenti habeat, sufficit quòd ritum externum Sacramenti celebrando intendat saltem implicitè facere, quod per ritum illum facit societas, quæ christiana dicitur, *licet æstimet id nihil esse*, ut loquitur sanctus Thomas.

Inst. 1. Atheus ignorat quid sit Sacramentum. Ergo non potest habere intentionem illud faciendi.

Resp. Potest eam habere implicitè & confusè, volendo facere quod facit cœtus christianorum. Cùm autem Atheus aut Hæreticus materiam & formam debitas observat, nulla est justa ratio dubitandi de debita intentione, cùm eam facilè habere possit.

Inst. 2. Atheus non potest velle agere nomine Dei, quem negat. Ergo non potest habere intentionem, &c.

Resp. Quamvis Atheus non possit velle explicitè & directè agere nomine Dei: cùm judicet nullum esse Deum, tamen potest hoc velle implicitè & indirectè. Nam hoc ipso quod quis se gerit tanquam Ministrum Ecclesiæ, agit nomine & auctoritate Ecclesiæ; & hoc ipso quod agit nomine & auctoritate Dei, agit nomine & auctoritate Dei. Atqui potest Atheus velle sincerè gerere se tanquam Ministrum Ecclesiæ seu societatis quæ se Christianam dicit: ergo potest implicitè velle agere nomine & auctoritate Dei.

Obj. 7. Si ad valorem Sacramentorum requiritur intentio mentalis, posset fieri, ut pauci, imò nulli essent Sacerdotes & Episcopi, ideoque ut pereat Ecclesia, quæ ex Clero & populo essentialiter constat. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam Christus secundùm promissiones suas, semper ita Ecclesiæ suæ provisurus est, ut semper Episcopi & Sacerdotes, qui in ea tales existimabuntur, sint saltem maxima ex parte veri Episcopi & Sacerdotes. Quare repugnat quælibet suppositio in contrarium, cùm repugnet promissionibus Christi, & ejus providentiæ erga suam Ecclesiam. Hoc autem verum est non solùm pro universali Ecclesia, sed etiam pro notabili parte universalis Ecclesiæ, imò & pro particulari Ecclesia, Ecclesiæ Romanæ perfectè unita & subjecta, saltem ad diuturnum tempus.

Obj. 8. Perpetuæ Ecclesiæ visibilitas non potest à nobis sufficienter demonstrari, cùm in nostra sententia nil certi de Ministrorum consecratione haberi possit.

Resp. Nego. Nam legitima Ministrorum consecratio saltem maxima ex parte omnino certa est, utpote nixa promissionibus Christi Ecclesiæ factis.

Obj. 9. Ministri Sacramentorum se habent sicut Reipublicæ Legati in negotiis, quæ ejus nomine gerunt. At

acta à Reipublicæ Ministris valent, quamvis careant intentione mentali agendi illius nomine. Ergo etiam Sacramenta valent, quamvis fiant sine intentione mentali.

Resp. Ecclesiæ Ministri in Sacramentorum confectione se habent, ut Reipublicæ Legati & Ministri, non qui ut meri nuntii deferunt tantùm ejus mandata, sed qui habent veram potestatem ejus nomine, suo tamen judicio & arbitrio negotium tractandi & perficiendi, & in quibus requiritur vera intentio rem transigendi.

Obj. 10. Ad valorem Sacramenti nulla requiritur intentio. Ergo multò minùs requiritur intentio faciendi Sacramentum.

Resp. Nego anteced. Nam 1. Christus Ministros Sacramentorum instituit homines ratione utentes, ut nempe humano modo agerent, id est, ex intentione & electione, non casu. Igitur Christus voluit, ut actio per quam Sacramentum conficitur, esset actio humana, moralis, ac libera, ideóque fieret ex intentione. 2. Alioqui ebrius, vel amens, aut dormiens Sacramentum conficere posset: quod nemo sanæ mentis dixerit. Hinc S. Cornelius Papa declaravit irritam esse ordinationem Novatiani hæretici, eo quod ordinatus fuisset ab Episcopis ebriis, qui manuum impositione Episcopatum ei conferre tentaverant, ut constat ex Eusebio, L. 5. hist. c. 43. qui Cornelii Epistolam refert.

Inst. 1. Sacramenta sunt signa gratiæ. At signa gratiæ significant independenter ab intentione ejus, à quo applicantur, ut patet in vocibus. Ergo.

Resp. Sacramenta sunt gratiæ signa practica, non speculativa signa, speculativa sunt ea, quæ præcisè aliquid significant, non efficiunt. Practica sunt ea, quæ efficiunt id, quod significant. Hæc autem signa non habent vim significandi & efficiendi, nisi dependenter ab intentione ejus, qui illis utitur, & habet potestatem efficiendi quod per ea significatur. Sic si dicerem tibi sine intentione donandi, sed ore tenus, ostendendo meum librum: *hic liber est tuus*: liber non fieret tuus ob carentiam intentionis transferendi illius dominium.

Inst. 2. Medicamenta operantur independenter ab intentione ea applicantis.

Resp. Hoc verum est de medicamentis physicis, quia vim habent ex natura sua. At falsum est de medicamentis moralibus, quæ consistunt in actione humana, qualia sunt Sacramenta; quia non existunt, nec vim habent nisi dependenter à voluntate instituentis. Christus autem Sacramentorum Institutor noluit, ut ea essent & operarentur nisi dependenter ab intentione Ministri.

Inst. 3. Minister Sacramentorum est Minister Christi. At non requiritur intentio instrumenti, sufficit enim intentio causæ principalis. Ergo non requiritur intentio Ministri, &c.

Resp. Presbyter Sacramentorum est instrumentum Christi, non physicum & inanime, sed morale, ac liberum, quod seipsum movere debêt ut agat: *Et ideo* (inquit S. Thomas) *requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere quod facit Christus & Ecclesia.*

Inst. 4. Verba Sacramentorum ex Christi institutione habent vim operandi gratiam. Ergo modò proferantur, quamvis sine intentione, gratiam causant.

Resp. Verba Sacramentorum non habent vim conferendi gratiam nisi dependenter ab intentione Ministri.

Inst. 5. Materia & forma sunt partes essentiales Sacramenti, & modo inter se uniantur, faciunt Sacramentum.

Resp. Materia & forma non sunt partes essentiales Sarramenti, nisi cùm ex debita intentione adhibentur & inter se uniuntur, quia alioqui non ponuntur secundùm institutionem Christi.

Observa. Ad valorem Sacramenti non requiritur expressa & distincta intentio faciendi Sacramentum sub proprio conceptu Sacramenti, sed sufficit implicita & confusa, qua quis intendat facere quod facit Ecclesia Christiana, aut quod Christiani faciunt, aut quod vidit Parochum facere. Nam valet Baptismus à rudibus & infidelibus rationem & efficaciam Sacramenti Baptismi ignorantibus collatus, modò intendant facere, quod faciunt Christiani, cùm ritum externum Baptismi celebrant.

ARTICULUS III.

Utrùm ad valorem Sacramenti requiratur intentio actualis?

Nota. Intentio seu volitio faciendi Sacramentum quadruplex distinguitur, nimirum actualis, virtualis, habitualis, & interpretativa.

Intentio actualis est ea, qua quis dum conficit Sacramentum, actu cogitat de Sacramento, & simul vult illud conficere.

Intentio virtualis est volitio faciendi Sacramentum præterita, vi cujus fit Sacramentum mediante una vel multiplici actione ad illud ordinata, & manante ab illa volitione. Dicitur virtualis, quia ex virtute illius licèt præteritæ fit Sacramentum, seu habet virtutem intentionis actualis quoad confectionem Sacramenti: talis est intentio in Sacerdote, qui ex voluntate actuali consecrandi induit se vestibus sacris, Missam inchoat, sed paulò post distrahitur, prosequitur tamen Missam, & consecrat cum distractione.

Intentio habitualis est intentio merè præterita, non retractata, quæ jam neque in se, neque in sua virtute vel aliquo effectu à se relicto existit. Vel est habitus ex pluribus confectionibus Sacramentorum acquisitus, tribuens voluntati facilitatem & propensionem ad similes actus in posterum exercendos: sive est inclinatio & facilitas nata ex tali habitu.

Intentio interpretativa est ea, qua quis aliquid vult tantùm in causa: sic qui inebriat se, prævidens, aut prævidere debens se obscæna verba in ebrietate prolaturum, vult interpretativè illorum prolationem. Vel est ea, quæ nec est, nec fuit, sed esset si ejus objectum proponeretur voluntati: unde est solùm dispositio voluntatis ad intentionem eliciendam, si hæc ei proponeretur. Et sic explicata non differt ab intentione præsumpta, quæ non est intentio, sed solùm intentionis præsumptio: sive non est intentio, quæ existat, sed quæ existeret, si res proponeretur.

Dico. 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit intentio habitualis. *Ita communiter.*

Prob. Quia 1. habitualis intentio non influit ad actionem sacramentalem, nec hæc vi illius ponitur: ac proinde talis intentio se habet ad effectionem Sacramenti perinde ac si non esset. Ad valorem autem Sacramenti requiritur intentio libera, quæ sit principium confectionis Sacramenti, & qua potestas ministerialis ad usum applicatur. Nam secundùm institutionem Christi ad effectionem Sacramenti necesse est, ut actio sacramentalis sit actio humana, & humano modo exerceatur potestas ministerialis.

2. Alio-

2. Alioqui Sacramentum confici poſſet ab amente, ebrio, vel dormiente, cùm intentio habitualis poſſit in illis eſſe.

Obj. 1. S. Thomas 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. docet intentionem habitualem ſufficere.

Reſp. Nomine intentionis habitualis intelligit id, quod nunc per intentionem virtualem intelligunt Theologi, ut patet ex his ejus verbis: *Licèt ille* (de quo fit objectio) *quia aliud cogitat, non habeat actualem intentionem; habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti: putà cùm Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Eccleſia, unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis ſtudiosè curare debeat Sacramenti Miniſter, ut & etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non eſt realiter poſitum in hominis poteſtate: quia præter intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare.*

Obj. 2. Intentio habitualis ſufficit ad Sacramentum validè recipiendum, ut patet in ebrio, & amente, qui validè baptizatur, ſi antea habuit intentionem recipiendi baptiſmum, nec eam revocavit. Ergo eadem ſufficit ad illud conficiendum.

Reſp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia ad valorem Sacramenti plus requiritur ex parte Miniſtri quàm ex parte ſuſcipientis. Nam Miniſter eſt cauſa efficiens inſtrumentalis Sacramenti; ſuſcipiens verò eſt illius ſubjectum. Plus autem requiritur ad agendum & producendum, quàm ad patiendum ſeu recipiendum.

Obj. 3. Matrimonium per procuratores contractum valet, etiamſi, dum contrahitur, conjuges dormiant. Sed tunc conjuges non habent niſi intentionem habitualem. Ergo cum hac intentione valet Sacramentum.

Reſp. Conjuges, qui per procuratores matrimonium contrahunt, non ſunt cauſa proxima & immediata Sacramenti ſicut nec contractus: unde in illis ſufficit intentio habitualis. At præter habitualem conjugum intentionem, in procuratoribus, qui eorum nomine contrahunt, requiritur intentio ſaltem virtualis contrahendi, quia ſunt proxima & immediata cauſa contractus, proindeque Sacramenti. Igitur Matrimonium contrahitur per virtualem intentionem procuratoris, qui contrahentis vices gerit, & cum eo unam moraliter quoad hoc perſonam conſtituit.

Obj. 4. Intentio habitualis ſufficit ad applicandum alicui Sacrificium Miſſæ. Ergo ſufficit etiam ad Sacrificium & Sacramentum efficiendum.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia intentio applicandi Sacrificium eſt collatio fructus Sacrificii, ſeu juris ad fructum illum percipiendum; & poſſum hodie donare, quod cras erit in mea poteſtate. Donatio autem rei habendæ valet, quamdiu non retractatur: nam tamdiu perſeverat moraliter, unde ſuo tempore habebit effectum. At intentio faciendi Sacrificium eſt cauſa efficiens Sacrificii & Sacramenti: cauſa autem ut producat effectum, debet exiſtere ſaltem virtualiter.

Dico 2. Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio interpretativa.

Prob. Quia intentio interpretativa non eſt propriè intentio, ſed duntaxat intentionis præſumptio: ſive non eſt intentio quæ exiſtat aut extiterit, ſed quæ eſſet ſi res proponeretur. At intentio, quæ non eſt actu nec virtualiter, nihil efficit, nec agentem appli-

 cat

cat ad actionem. Quare non potest esse principium actionis moralis & humanæ, quæ tum fiat, quale est Sacramentum. Præterea nullus effectus potest esse nisi à causa, quæ existat saltem virtualiter.

Dico 3. Quamvis Minister teneatur diligenter curare, ut habeat intentionem actualem, ob reverentiam Sacramenti quæ illam exigit, hæc tamen ad valorem Sacramenti non est necessaria; sed sufficit intentio virtualis. *Ita communiter Theologi, cum S. Thoma loco citato.*

Prob. 1. Ex sensu & praxi Ecclesiæ, quæ Sacramenta ex intentione virtuali collata approbat.

2. Si intentio actualis necessaria esset ad valorem Sacramenti, Sacramenta sæpissimè forent irrita propter instabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, & quidem plerumque naturaliter inevitabiles. Non est autem credibile, Christum sic instituisse Sacramenta, ut sæpissimè essent irrita defectu intentionis, quæ sæpissimè non est in potestate hominis.

3. Quia intentio virtualis sufficit ad ponendum validè actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliisque similibus.

Obj. Si Sacerdos inchoato sacro ex intentione actuali, incidit in amentiam; & postea virtute ejusdem intentionis proferat verba consecrationis, non conficit Sacramentum & tamen hæc intentio erit virtualis, nam perseverabit virtualiter. Ergo non sufficit &c.

Resp. Hæc intentio in hoc casu non est virtualis, nec perseverabit virtualiter moraliter, sed solùm physicè. Nam talis Sacerdos non solùm non est tunc liber, sed etiam incapax libertatis & actus moralis, qualis est actio Sacramentalis: unde non potest agere humano modo, nec actum humanum ac moralem exercere.

ARTICULUS IV.

Utrùm ad valorem Sacramenti requirantur in Ministro fides & sanctitas?

Nota. INitio sæculi tertii Agrippinus Cartaginensis Episcopus docuit Baptismum ab hæreticis & schismaticis collatum, nullum esse, ideoque rebaptizandos esse, qui ab illis baptizati fuissent. Hunc errorem secuti sunt S. Cyprianus Agrippini successor, Firmilianus Cæsariensis Episcopus, & multi alii Orientales & Africani Episcopi. Eundem errorem pertinaciter propugnarunt Donatistæ, etiam post definitionem Concilii Nicæni primi. Et aliqui ex illis hoc extenderunt ad quoslibet peccatores manifestos quamvis fideles. Imò aliqui alii Donatistæ docuerunt nulla esse Sacramenta à quovis peccatore etiam occulto collata, cui errori adhæsere Waldenses, Albigenses, Wicleffus, Hussitæ, & Anabaptistæ. Præterito sæculo Joannes Du Verger Abbas San-Cyranus hanc hæresim renovavit, Epist. 93. his verbis: *Les mauvais Pretres ne sont plus Pretres.* Ita habet prima editio, & textus qualis ab auctore prodiit.

§. I.

DIco. 1. Ad valorem Sacramenti non requiritur fides in Ministro: Est de fide.

Prob. 1. Ex traditione & consuetudine perpetua Ecclesiæ non rebaptizandi eos, qui ab hæreticis baptizati fuissent. Quam quidem praxim ab Apostolis profectam esse constat, cùm neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii

cilii canone instituta aliquando fuerit; sed ab initio viguerit usque ad hæc tempora in Ecclesia particulari Romana & in aliis Ecclesiis particularibus numero pluribus, in omnibus verò omnino Ecclesiis particularibus viguerit duobus prioribus sæculis usque ad Agrippinum. Hanc consuetudinem S. Stephanus Papa postea martyr, Cypriano & ejus Synodo solam opposuit, & de eadem sic loquitur S. Augustinus, lib. 2. de Baptismo, cap. 7. *Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est: sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Et cap. 9. *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.*

Prob. 2. Ex Conciliis generalibus. Conc. Nicænum I. can. 8. sic ait: *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis placuit sancto Concilio, ut ordinentur, & sic maneant in Clero.* Ubi Novatianos hæreticos ad fidem conversos admittit ad ordines sine rebaptizatione, sicque eorum Baptismum ratum habet, quia nempe ritè baptizabant Novatiani. Paulianistas verò ad fidem conversos rebaptizari jubet, Can. 19. *Quia Paulianistæ in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti minimè baptizabant*, inquit Innocentius I. in sua ad Episcopos Macedoniæ Epistola. Concilium autem Nicænum Novatianos ad fidem conversos sine iteratione Baptismi recipiendo, & solos Paulianistas statuendo rebaptizandos esse, hoc ipso ut ratum approbat Baptismum à quocumque etiam hæretico in debita forma collatum. Quare S. Augustinus, in libris de Baptismo contra Donatistas, rectè asserit consuetudinem Ecclesiæ non rebaptizandi Baptizatos in forma Ecclesiæ ab hæreticis, plenarii Concilii auctoritate, proindeque totius Ecclesiæ consensione firmatam esse.

Conc. Later. IV. c. 1. ait: *Sacramentum verò Baptismi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filii & Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum, proficit ad salutem.*

Conc. Trid. Sess. 7. de Baptismo, Can. 4. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, Anathema sit.* His adde Concil. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur paganus & hæreticus validè baptizare; *dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Prob. 3. Ratione. Quia propter hæresim non amittitur potestas ministerialis, quippe quæ sit gratia gratis data, nec in Ministri sed in aliorum utilitatem concessa. Et sicut semen non minùs fructificat, sive à malo sive à bono spargatur: ita Sacramentum æqualiter valet, sive ab infideli & peccatore; sive à justo conficiatur.

Dico 2. Ad valorem Sacramenti non requiritur in Ministro sanctitas seu status gratiæ. Est de fide.

Prob.

Prob. 1. Quia est de fide ad valorem Sacramenti non requiri in Ministro fidem. Ergo nec requiritur status gratiæ, qui sine fide esse non potest, quique abest in omni Ministro hæretico & schismatico.

2. Ex Conc. Constantiensi, Sess. 8. ubi damnatur hæc Wicleffi propositio numero quarta: *Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.* Et ex Concil. Trid. Sess. 7. Can. 12. *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut non conferre Sacramentum, Anathema sit.*

3. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam Sacramenta à peccatoribus collata iteravit.

4. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, L. 2. contra Epistolam Parmeniani, c. 10. ubi ait; *Omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Ratio est, quia potestas conficiendi Sacramenta est gratia gratis data, quæ compossibilis est cum peccato. Alioqui Christus parum Ecclesiæ suæ & animarum saluti providisset: nam cùm status gratiæ sæpe in multis desit, sæpissime Sacramenta forent irrita cum ingenti animarum damno.

Ex dictis sequitur, ad effectum Sacramenti non requiri in Ministro fidem, nec statum gratiæ; quod est etiam de fide: nam ex Conc. Trid. Sess. 7. Can. 6. & 7. Sacramenta validè collata conferunt gratiam non ponentibus obicem. Et verò virtus Sacramenti est & operatur ex solis Christi meritis, qui per Ministrum tanquam instrumentum illud conficit. Quare à Patribus & Doctoribus rectè comparantur Sacramenta solis radiis, qui transeundo per loca cœnosa non inquinantur: mali verò Ministri manibus, quæ sive sordidæ sive mundæ sint, possunt perinde bonum semen seminare; sigillis, quæ sive aurea sive ferrea sint, perinde possunt Principis imaginem imprimere, faci, quæ consumitur dum aliis prælucet.

§. II.

Solvuntur Objectiones petitæ ab auctoritate.

Obj. 1. Illud Eccli. c. 34. v. 4. *Ab immundo quis mundabitur?* Et v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?*

Resp. Ad 1. Sensus est non posse aliquem mundari ab immundo ut immundo, & virtute propria mundante. At Minister immundus conferendo Sacramentum, non mundat virtute propria, sed virtute Christi ut Ministri principalis, qui potest mundare per homines immundos sicut per quædam instrumenta.

Resp. Ad 2. Ibi non agitur de Baptismo Christi, sed de purificatione ab immunditia legali, quæ ex cadaveris contactu contrahebatur. Et sensus est: qui post contactum cadaveris purificatur, si iterum tangit illud, nil prodest ipsi sua purificatio, quia iterum immunditiam legalem contrahit.

Obj. 2. Illud Christi, Matth. c. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, atque arbor mala bonos fructus facere.*

Resp. Arbor mala agens ex propria virtute non potest bonos fructus facere. At Minister improbus conficiens Sacramentum, non agit ex propria virtute, sed nomine & virtute

tute Christi: unde non agit ut arbor mala. Nam arbor mala est homo malus de suo agens, non verò ex virtute Christi. *Ita S. August. L. 2. contra Litteras Petiliani.*

Obj. 3. Illud Ephes. c. 4. *Unus dominus, una fides, unum Baptisma.* At si valet Baptismus ab hæretico collatus, non unum, sed duplex erit Baptisma. Ergo.

Resp. Nego min. Nam Baptismus ab hæretico ritè collatus, solo numero non specie differt à Baptismo, qui in Ecclesia Catholica confertur: nam utriusque est eadem materia, eadem forma, idem finis & effectus, idem Institutor ac principalis Minister, nempe Christus, & ad eandem Ecclesiam nempe Christi uterque pertinet.

Obj. 4. S. Cyprianus cum octoginta circiter Episcopis Africanis, & Firmilianus cum quinquaginta Episcopis Orientalibus, in multis Synodis declararunt nullum esse hæreticorum Baptismum, ideoque rebaptizandos cùm ad fidem convertuntur.

Resp. Illi omnes graviter errarunt, & illis oppono summum Pontificem Stephanum & cum eo multa Episcoporum millia, qui Traditionem Apostolicam tuebantur, ut testatur S. Augustinus, Lib. 3. contra Cresconium, c. 3. his verbis: *Si omninò jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potiùs etiam, &c.*

Obj. 5. Dionysium Alexandrinum.

Resp. Equidem S. Hieronymus ei hunc errorem attribuit, sed dissentit S. Basilius, qui Dionysii Epistolas legere & doctrinam meliùs perspectam habere potuit. Et re vera ipse Dionysius, in tertia ad Philemonem Epistola, cujus Fragmentum refert Eusebius, L. 8. c. 7. asserit se à prædecessore suo accepisse *eos, qui ab hæreticis veniebant ... post multas preces purgatos, ad communionem admittendos, nequaquam existimans iterato Baptismo eis opus esse.* Nec ipse rebaptizantium patrocinium suscepit apud Xistum successorem Stephani, nisi quia putabat rem Ecclesiæ periculosam esse, si duriùs cum rebaptizantibus ageretur.

Obj. 6. S. Athanasius, Serm. 3. contra Arianos ait: *Quæso igitur, an non planè vanum ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis* (Arianis) *datur; cùm id non nisi species sit, & inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidæ opis offerant ad pietatem?* Et hanc rationem subjicit, quia dicendo in nomine Patris & Filii, per Patrem intelligunt Creatorem & Factorem, per Filium verò creaturam & facturam; nam sic prosequitur: *Non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore & creatura, in Factore & factura*, scilicet secundùm sensum quem nominibus *Patris & Filii* tribuunt. *Sicuti igitur creatura diversum quiddam est à Filio: ita diversum quiddam à vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent sese nominare.*

Resp. S. Doctor secundùm multos solùm vult Arianorum Baptisma non conferre gratiam sanctificantem illud recipientibus, utpote iis in hæresi consentientibus, vel cum eis in sacris communicantibus. Unde sensus est, Arianorum Baptisma esse vanum & inutile, esse inane simulacrum quo-

ad effectum primarium, nempe gratiam.

Aliqui tamen censent S. Athanasium invalidum existimasse Baptismum hæreticorum, non quidem omnium indiscriminatim, sed duntaxat eorum, qui non rectè sentiebant de Trinitate, & de divinitate Filii. Quod putant sufficienter probari ex verbis S. Athanasii verba objecta sequentibus: *Non enim qui simpliciter ait, Domine, is est qui donat legitimum Baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet, ideoque Salvator non quovis modo baptizandum præcipit: sed primùm dixit: docete, ac deinde: baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide Baptismatis integra initiatio perficeretur. Certè aliæ etiam hæreses, eæque numero non exiguæ, nomine tenùs ritum illum pronunciant,* (dicendo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.) *Sed non rectè sentientes* (de tribus personis) *ut dictum est, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum numine & religione destitutam; adeò ut qui ab illis aspergantur, sordescant potiùs prava religione, quàm redimantur.* Verùm ista omnia in bono sensu explicari possunt, nempe de Baptismo licito & conferente gratiam: ita ut sensus sit, Baptismum sine necessitate ab hæreticis susceptum, esse illicitum, & inutilem recipienti, ideóque hoc Baptismo non sanctificari, sed magis contaminari baptizatum, ob sacrilegium quod committit, Baptismum ab hæreticis & in hæresi recipiendo.

Obj. 7. S. Basilius, Epist. 1. & 2. Canonica ad Amphilochium, Baptismum ab hæreticis in debita forma collatum ut nullum rejicit, vultque ab hæreticis baptizatos rebaptizari.

Resp. In hunc errorem inductus fuit auctoritate & praxi Firmiliani, qui fuerat ejusdem Ecclesiæ Episcopus; & quia malè intelligebat canonem 8. Conc. Nicæni, & prohibitionem rebaptizationis olim à Stephano factam, existimando rebaptizationem illam prohibitam tantùm fuisse alicujus œconomiæ gratia, ideóque solùm ad tempus. Sed nullorum Patrum sententia prævalere potest Traditioni Apostolicæ, & consuetudini particularis Ecclesiæ Romanæ & majoris numeri aliarum Ecclesiarum.

Obj. 8. S. Cyrillum Jeros. Præfatione in Catecheses.

Resp. Loquitur de hæreticis, qui veram Baptismi formam non servabant.

Obj. 9. S. Ambrosius, L. de iis qui mysteriis initiantur, c. 4. ait: *Nunc omnes sanantur* (per Baptismum,) *aut certè unus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.*

Resp. Solùm vult, adultos Baptismo, quem ab hæreticis suscipiunt, non mundari, sed inquinari, quia hæreticis illis in hæresi consentientes, vel cum eis in sacris communicantes, Baptismum sacrilegè suscipiunt.

Obj. 10. S. Optatus Milevitanus, Lib. 1. contra Parmenianum, ubi nullum rejicit Hæreticorum Baptismum.

Resp. Non omnium Hæreticorum, sed eorum duntaxat, qui veri Baptismi ritum non servabant, Baptismum repudiat ut irritum, quod patet ex his verbis quæ ibidem subjicit: *Vides ergo Hæreticos à domo veritatis extorres, solos habere varia & falsa*

falsa Baptismata. Deinde ibi admittit ut validum Donatistarum Baptismum, *quia nobiscum vera & communia Sacramenta traxistis*, inquit illos alloquens.

Obj. 11. Concil. Nicæn. can. 19. ait: *Si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis & Cataphrygis, statutum est rebaptizari eos omnino debere.* At Cataphryges seu Montanistæ baptizabant in debita forma. Ergo.

Resp. Hæc Isidori Mercatoris lectio mendosa est, & hæc vox *Cataphrygis* malè inserta est canoni. Nam nec in Græco canone, nec in versione Dionysii exigui invenitur; & Innocentius I. in sua ad Episcopos Macedoniæ Epistola, loquens de Hæreticis, quos rebaptizari statuit Conc. Nicæn. solos Paulianistas commemorat.

Præterea certum est Montanistas eandem formam in Baptismo adhibuisse quàm Novatianos, cùm eandem Trinitatis fidem tenerent. Ergo cùm Conc. Nicæn. Novatianorum Baptismum ut validum approbaverit, non potuit Montanistarum Baptisma ut irritum repudiare.

Obj. 12. Canonem Apostolicum 46. qui sic habet: *Episcopum & Presbyterum, Hæreticorum suscipientem Baptisma damnari præcipimus.*

Resp. Intelligitur hic Baptisma non in forma Ecclesiæ collatum. Porro Canones qui dicuntur Apostolorum, quia sic eos appellare placuit collectori Græco, non fuerunt ab Apostolis conditi, sed à variis Synodis particularibus, vel etiam à privatis hominibus. Quorum quidem canonum aliqui doctrinam & disciplinam ab Apostolis acceptam continent, aliqui verò ab Hæreticis fabricati sunt. Sed ab Ecclesia Romana non sunt recepti.

Obj. 13. Conc. Laodicenum, can. 8. sic statuit: *De his qui convertuntur ab hæresi, quæ dicitur Cataphrygarum ..... hos sub omni diligentia ab Episcopis Ecclesiæ vel Presbyteris instrui & baptizari conveniet.* Eadem rebaptizatio Montanistarum seu Cataphrygum statuitur can. 7. Concil. Constantinopolitani.

Resp. Ideò Montanistæ seu Cataphryges à Conc. Laodiceno rebaptizari jubentur, quia tempore hujus Synodi anno 360. celebratæ, in Sabellii hæresim prolapsi, non jam cum expressa trium personarum invocatione baptizabant. Ideóque irritus erat Baptismus ab iis collatus. Eadem est responsio ad canonem septimum Conc. Constantinopolitani, si tamen non sit illi suppositus: nam extat solùm in editione Theodori Balsamonis, & in Lib. Synod. constitutionum.

Obj. 14. Stephanus Papa simoniacè ordinatos à Formoso prædecessore suo, jussit denuò ordinari.

Resp. Hoc faciendo peccavit, non tamen definiit id esse faciendum.

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. HÆretici & peccatores non habent Spiritum sanctum. Sed qui non habet Spiritum sanctum non potest remittere peccata, juxta illud Christi, Joann. cap. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo Hæretici & peccatores non possunt remittere peccata, ergo nec obsolvere, &c.

Resp. Hæretici & peccatores non habent quidem Spiritum sanctum quantùm ad gratiam sanctificantem, sed illum habent quantùm ad characte-

rem & potestatem ministerialem absolvendi, si nempe fuerint ordinati. Ibi autem per Spiritum sanctum intelliguntur dona Spiritus sancti, quæ in ordinatione conferuntur, videlicet gratia sanctificans, character, & potestas ministerialis absolvendi subditos. Sed gratia sanctificans potest amitti, remanentibus aliis donis gratis datis, & hæc in ordinatione confertur, non ut valide, sed ut licitè ac sanctè Sacramentum administretur.

Obj. 2. Hæretici & peccatores non habent gratiam sanctificantem. Ergo non possunt eam dare, nec proinde Sacramenta illius productiva.

Resp. 1. Illi non habent quidem gratiam formaliter & in se, sed habent ministerialiter, seu in potestate ministeriali conferendi Sacramenta gratiæ collativa.

Resp. 2. *Disting. conf.* Non possunt dare gratiam ex virtute propria, *conc. conseq.* ex virtute & potestate Christi, cujus sunt Ministri & instrumenta moralia. *Nego conseq.* Hæretici & peccatores hoc ipso, quod possunt esse Ministri Christi & exercere potestatem ministerialem à Christo acceptam, possunt instrumentaliter conferre gratiam sanctificantem conferendo Sacramenta illius productiva.

Obj. 3. Olim Hæretici cùm ad Ecclesiam redibant, denuo confirmabantur & ordinabantur. Ergo.

Resp. *Nego anteced.* Illis equidem imponebantur manus. At hæc manuum impositio non fuit repetitio Confirmationis vel Ordinationis: sed vel Sacramentum Confirmationis quod nondum susceperant, vel cæremonia, qua Ecclesiæ reconciliabantur, & ab excommunicatione absolvebantur.

Obj. 4. Actio sacramentalis Hæretici & peccatoris est peccaminosa. Ergo non potest movere Deum ad dandam gratiam. Ergo, &c.

Resp. *Dist. 1. conf.* Deum ad dandam gratiam movere non potest, ut est actio talis hominis, *conc. conseq.* Ut est actio Christi tanquam Ministri principalis, *nego conseq.*

Obj. 5. Sacramenta pertinent ad solam Ecclesiam Catholicam: nam ei soli data sunt à Christo. Ergo non possunt esse extra Ecclesiam.

Resp. *Nego conseq.* Quia possunt ab Hæreticis illicitè & injustè usurpari sicut Evangelia, & alia bona. Ubicumque autem reperiantur, semper pertinent ad Ecclesiam. Unde cùm baptizati ab Hæreticis ad Ecclesiam veniunt, Ecclesia quod suum est agnoscit & retinet: quod verò suum non est nempe errorem, repudiat & emendat.

Obj. 6. Non decet Deum uti impio & infideli Ministro ad gratiam conferendam.

Resp. *Nego.* Nam 1. Deus non utitur Ministro impio, ut impio & infideli: sed præcisè ut homine habente potestatem ministerialem ad aliorum utilitatem, non ad suam. 2. Deus sic agendo, clarè ostendit Sacramentorum efficaciam à solis Christi meritis moraliter, & à se solo physicè procedere. 3. Deus malo instrumento optimum effectum producens, sapientiam ac bonitatem suam commendat.

Obj. 7. Minister Sacramentorum est Minister Christi & Ecclesiæ: nam non agit suo, sed solùm Christi & Ecclesiæ nomine. Atqui Hæreticus non est Ecclesiæ & Christi Minister. Ergo nec Sacramentorum. *Nego min. probatur.* Ille solus est Minister Christi & Ecclesiæ, qui est Christi & Ecclesiæ membrum: nam Christus & Ecclesia non utuntur nisi suis membris.

bris. At Hæreticus non est membrum Christi & Ecclesiæ. Ergo nec est minister utriusque.

Resp. Nego maj. & ejus probationem. Nam non est necesse, ut Sacramenti Minister sit membrum principalis agentis, cùm possit esse membrum separatum, ut patet in procuratore. Christus enim suis inimicis ad Ecclesiæ utilitatem uti potest.

Inst. Minister Sacramenti operatur ut membrum Ecclesiæ.

Resp. Re vera operatur ut membrum Ecclesiæ, quando est de Ecclesia: nam Ecclesia per fideles ut membra sua confert Sacramenta. At ut quis possit esse Minister Sacramenti, necesse non est, ut sit membrum Ecclesiæ: sed sufficit quod possit esse instrumentum Christi ut causæ principalis Sacramenti: ad quod non requiritur, ut sit membrum Ecclesiæ.

CAPUT V.

De subjecto Sacramentorum.

SUbjectum Sacramenti est ille, qui recipit Sacramentum, cujus est capax.

ARTICULUS I.

Quinam sint capaces recipiendi Sacramenti?

DIco 1. Soli homines viatores sunt capaces recipiendi Sacramenta.

Prob. Quia Sacramenta pro solis hominibus viatoribus instituta sunt. Nam cùm Sacramenta instituta sint ad dandam vel augendam gratiam, non sunt instituta nisi pro iis, qui sunt in eo statu, in quo gratiam & ejus augmentum recipere possunt. Sed soli homines viatores sunt in hoc statu. Ergo pro iis solis instituta sunt Sacramenta.

Dico 2. Omnis homo viator est capax trium Sacramentorum, nempe Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ, positis ponendis. At non omnis est capax omnium Sacramentorum: nam v. g. homo sanus non est capax Extremæ unctionis; nec Religiosus Matrimonii, nec mulier Ordinis.

Obj. Infans in utero matris est viator, & tamen in eo statu non est capax Sacramenti.

Resp. Talis infans est solùm viator coram Deo. At assertio nostra intelligi debet de viatoribus non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus, proindeque de hominibus natis. Nam antequam homo in lucem prodeat, non est hominibus sensibilis, quod per Ministros Ecclesiæ visibilis modo sensibili, & subjecto sensibili immediatè applicari debet.

ARTICULUS II.

Quænam dispositio requiratur & sufficiat in subjecto ad valorem Sacramenti?

DIco 1. In infantibus & perpetuo amentibus nil requiritur ad valorem & effectum Sacramenti.

1. Constat ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, secundùm quam baptizantur infantes nullius dispositionis capaces.

2. Quia Deus vult illos salvari: ac proinde præparavit illis medium salutis, & remedium peccati originalis, quod possit illis applicari sine ulla sui dispositione, cùm non sint capaces ullius dispositionis & actus propriæ voluntatis.

Dico 2. In adulto requiritur ad valorem Sacramenti aliqua voluntas positiva recipiendi Sacramentum. *Ita communiter Doctores.*

Prob. 1. Ex Conc. Carthaginensi III. Can. 34. & Arausicano I. Can. 12. quæ, ut Baptismus adultis ægrotis voluntatem recipiendi Baptismum significare non valentibus conferatur, exigunt testimonium aliorum, quo constet eos priùs baptizari voluisse.

2. Ex cap. *majores* de Baptismo.

3. Ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, & toti Ecclesiæ proposito ut continente ritus & praxim universæ Ecclesiæ, ubi dicitur: *Si quis adultus sit baptizandus, debet .... ejus voluntas & propositum sæpiùs explorari, & non nisi sciens & volens, probéque instructus baptizari: at verò si quis dum instruitur, in mortis periculum incidat baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis, baptizetur.* Et de amentibus ac furiosis dicitur inferiùs: *Si dilucida habeant intervalla, dùm mentis compotes sunt, baptizentur, si velint.* In mortis verò periculo jubet eos, etiamsi mentis compotes non sint baptizari, *modo antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint.* Ex quibus patet ad valorem Baptismi requiri in adulto volitionem positivam saltem habitualem illum recipiendi. Si autem hæc voluntas in Baptismo requiritur, à fortiori requiritur in aliis Sacramentis, quæ non sunt tam necessaria.

4. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quæ ex Rituali Romano nobis sufficienter constat.

5. Ex S. Thoma, 3. p. qu. 68. art. 7. ubi ait: *Ex parte baptizati requiritur voluntas sive intentio suscipiendi Sacramentum.* Et ad 2. *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramenti, esset rebaptizandus. Si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego te baptizo.*

Ratio à priori est institutio Christi, qui convenienter voluit, ut nullus adultus, qui rationis usum habuit, sanctitatem vel ejus augmentum acciperet, nisi ipse consentiret in suam sanctificationem, ac proinde ut Sacramenta ad nostram sanctificationem instituta, non valerent in adulto sine suo consensu.

Obj. 1. Can. *de Judæis*, dist. 45. Judæi, qui coacti fuerant ad Baptismum suscipiendum, dicuntur Baptismi gratiam suscepisse.

Resp. Hoc intelligi debet de solis Judæis, qui metu coacti verè consenserant in Baptismum.

Obj. Innocentius III. c. *majores* de Baptismo, ait: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.*

Resp. Per voluntatem contrariam hìc intelligit non solùm positivum dissensum, sed etiam negationem consensus, & quidem rectè: nam qui consentire potest & non consentit; moraliter & in æstimatione prudenti dissentit. Quod etiam patet ex his verbis objecta præcedentibus: *Dormientes autem & amentes, si priusquam in amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in iis intelligitur contractionis propositum perdurare: & si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti. Secus autem si priùs Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem, &c.* Nam si per contrariam voluntatem non intelligeret negationem consensus, ex eo quod in casu necessitatis Catechumenos in amentiam lapsos, qui Baptismi suscipiendi propositum habue-

habuerunt, Ecclesia baptizare consuevit, ineptè inferret Baptismum valere quoties in suscipiente non invenit obicem voluntatis contrariæ.

Dices. Glossa in hoc cap. *majores,* docet validum esse Baptismum illius, qui corde dissentit, modò dicat ore se consentire.

Resp. Hæc glossa jussu Gregorii XIII. fuit expuncta, ideóque nullius est auctoritatis.

Obj. 3. Conc. Florent. ad valorem Sacramenti tria tantùm requirit, videlicet materiam, formam, & intentionem Ministri.

Resp. Conc. ibi ea tantùm exponit quæ ad valorem Sacramenti ex parte Ministri requiruntur. Unde dicit Sacramenta his tribus perfici. Perficere autem Sacramentum solius est Ministri.

Obj. 4. S. Augustinus, Lib. 7. de Baptismo, cap. 53. asserit Baptismum validè suscipi ab eo, qui illum recepit cum ficta tantùm intentione. Et Tract. 26. in Joann. docet validè suscipi à nolente, nam ibi sic ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens.*

Resp. Si revera ita sensit, in hoc lapsus est, ut constat ex auctoritate Conciliorum, & præsertim Ritualis Romani, in quo universalis Ecclesiæ doctrinam & praxim tradi, testatur Paulus V. in ejus Præfatione.

Obj. 5. S. Thomas, 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. ait: *In verbis autem quæ profert* (Minister) *exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum.*

Resp. Solùm vult explicitam & distinctam intentionem Sacramenti neque in Ministro, neque in recipiente ad ejus valorem requiri; sed in utroque intentionem implicitam & generalem sufficere cum explicita intentione Ecclesiæ, quæ verbis formæ exprimitur. Et verò S. Doctor, 3. p. qu. 68. art. 7. ad 2. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.*

Inst. S. Thomas, in 4. dist. 61. qu. 1. art. 2. q. 3 dicit adultos usu rationis destitutos validè baptizari, si eis non insit habitu contraria voluntas.

Resp. Ibi subintelligit, & supponit, modò priùs habuerint voluntatem aliquam positivam Baptismi: ita ut solùm velit non requiri voluntatem actualem vel virtualem: sed sufficere habitualem; nam loco objecto sic ait: *Et ideo in adultis & in habentibus usum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, sive devotio ad percipiendam rem Sacramenti,* (id est, gratiam) *& intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum.*

Præterea. S. Doctor per contrariam voluntatem habitualem, intelligit ibi negationem consensus præteriti non revocati. Nam juxta illum, qui potest velle recipere Sacramentum, & non habet positivam volitionem recipiendi, censetur nolle illud recipere. Quare juxta S. Thomam inest contraria voluntas, quando non fuit volitio recipiendi Sacramentum. Denique etiamsi loco objecto sententiam contrariam docuisset, hanc retractasset

set in Summa, ubi clarè nostram sententiam tradit, 3. p. qu. 68. art. 7.

Obj. 6. Ad valorem Extremæ unctionis non requiritur voluntas etiam habitualis eam recipiendi, ut patet ex praxi Ecclesiæ, secundùm quam confertur moribundis sensu destitutis, etiamsi illam non petierint.

Resp. Non requiritur quidem voluntas habitualis distincta & explicita: at requiritur voluntas habitualis confusa, implicita & generalis, quæ est voluntas, *qua unusquisque fidelis pœnitens ac bene dispositus vult frui omnibus Sacramentis & remediis à Christo ad suam salutem institutis, & ea cupit sibi applicari, si eis indiguerit*, ut explicat Suarez. Quam quidem voluntatem habere omnes Christiani præsumuntur: Ecclesia autem prudenti hujus voluntatis præsumptione contenta est ad Extremam unctionem conferendam moribundis sensu destitutis. Aliis verò rationis & sensuum usu præditis non administrat, quin priùs ab illis quæsierit, num hoc Sacramentum suscipere velint.

Obj. 7. Confectio Sacramenti unicè pendet à Ministro. Ergo ad ejus valorem non requiritur actus suscipientis.

Resp. Confectio Sacramenti unicè pendet à Ministro, ut causa efficiente ministeriali. At pendet etiam à consensu Sacramentum recipientis, non ut à causa efficiente, sed ut conditione necessaria, sine qua non fieret Sacramentum.

Dices. Qui recipit Sacramentum, se habet ut patiens. Ergo ad illud non requiritur ejus actus.

Resp. Qui recipit Sacramentum, se habet ut patiens voluntarium, in quo requiritur voluntas recipiendi.

Obj. 8. Multi inviti ordinati sunt, quorum tamen ordinatio rata habita est, ut narrant S. Epiphanius de fratre S. Hieronymi, & Theodoretus de Macedonio.

Resp. Illi ordinati sunt inviti secundùm quid, hoc est, cum aliqua repugnantia, nec ex proprio motu voluntatis, sed solùm ad obsequendum voluntati aliorum adducti: non tamen inviti simpliciter & sine ullo consensu: alioqui non fuisset valida illorum Ordinatio.

Dico 3. Ad valorem Sacramenti in adulto recipiente non requiritur intentio actualis aut virtualis, sed sufficit habitualis, id est, sufficit voluntas illud recipiendi præterita, non retractata. Exceptis Matrimonio, & Pœnitentia propter specialem rationem. *Ita communiter.*

Prob. 1. Ex Concil. Carthaginensi III. & Arausicano I. & Rituali Romano præcipientibus, ut baptizetur moribundus sensibus & ratione destitutus, modò constet de præterita ejus voluntate.

2. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quæ semper hoc præstitit.

Dixi, *exceptis &c.* Quia cùm actus pœnitentis & contrahentis sint materia horum Sacramentorum, non sufficit voluntas ea recipiendi præterita, nec revocata; sed necesse est, ut pœnitentes doleant, & peccata confiteantur eo modo quo possunt; & ut contrahentes consensum suum verbis aliisve signis externis exprimant.

Dico 4. Ad valorem Sacramenti in adulto illud recipiente, sufficit inten-

tentio modò dicta: nec requiritur fides aut sanctitas, aut actus cujusvis virtutis, excepto Pœnitentiæ Sacramento ad cujus valorem requiritur supernaturalis dolor cum spe veniæ, proindeque fides.

Prob. Ex Traditione & praxi Ecclesiæ, quæ Hæreticos ab Hæreticis baptizatos vel ordinatos rebaptizari vel reordinari vetat, cùm ad fidem catholicam convertuntur, si hæc Sacramenta in materia & forma legitima susceperint.

ARTICULUS III.

Quænam dispositio requiratur ad effectum Sacramenti recipiendum?

Nota. Effectus Sacramenti in Baptismo, Confirmatione & Ordine duplex est: nimirùm primarius, qui est gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales ad finem Sacramenti consequendum idoneas: & secundarius, qui est character.

Dico 1. Ad Characterem recipiendum sufficit voluntas habitualis recipiendi Sacramentum: nam hæc sufficit ad valorem Sacramenti. Dispositio autem quæ sufficit ad valorem Sacramenti sufficit quoque ad impressionem characteris.

Dico 2. Ad gratiam Sacramenti recipiendam in Sacramentis vivorum requiritur status gratiæ: in aliis verò, nempe Baptismo & Pœnitentia non requiritur.

Ratio est, quia priora instituta sunt ad conferendam secundam gratiam, id est, augmentum gratiæ: alia verò ad dandam primam gratiam, ac proinde ex sua institutione & ex suo fine priora statum gratiæ exigunt ad suum effectum primarium producendum: alia non exigunt, quæ tamen alias dispositiones suo loco recensendas requirunt.

Hinc qui sibi conscius est peccati mortalis, graviter tenetur sibi statum gratiæ procurare, antequam recipiat Sacramentum vivorum, alioqui lethale sacrilegium admittit.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

De natura Sacramentorum novæ Legis.

Quæst. I. Q*Uid & quotuplex est Sacramentum?*

Resp. Sacramentum genericè sumptum, est signum sensibile gratiæ sanctificantis, permanenter à Deo institutum. Sacramentum verò novæ Legis est signum sensibile, permanenter à Christo institutum, ad significandam & producendam gratiam sanctificantem ex opere operato. Unde in eo maximè differt à Sacramentis antiquæ Legis, quòd hæc non causarent gratiam ex opere operato, sed tantùm illam significarent nobis dandam per Passionem Christi, ut docet Concilium Florentinum.

Sacramenta novæ Legis sunt septem, non plura nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. Sess. 7. Can. 1.*

Quæst. II. *Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?*

Resp. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Conc. Florentin. in decreto de Sacramentis: & constat etiam ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ.

Porrò materia Sacramenti dicitur id, quod in Sacramento minùs perfectè significat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfectè significandum. Duplex est materia, nempe remota, & proxima. Materia remota est res, quæ adhibetur, ut Aqua in Baptismo. Proxima est usus seu applicatio talis rei, ut Ablutio. Forma verò est aliquid sensibile, quod clariùs effectum Sacramenti indicat & determinat, ac perficit significationem materiæ obscuram, nec satis determinatam. Verba autem strictè sumpta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem præter Matrimonium, quod juxta communem sententiam potest perfici sine benedictione Sacerdotis, sed sola scriptura, vel

vel nutu exprimente mutuum consensum, quæ sunt verba virtualia, in quantum sunt expressiva consensus, & sufficiunt in contractibus: quia, cùm hoc Sacramentum consistat adæquatè in contractu matrimoniali, quem Christus evexit ad esse Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu *regulariter* per verba de præsenti expresso. Aliud est de sex aliis, ut constat ex Traditione, & praxi Ecclesiæ.

Quæst. III. *Qualis unio inter materiam, & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

Resp. Requiritur utriusque coexistentia, seu simultas moralis, quæ secundùm significationem verborum formæ, & qualitatem actionis, per quam Sacramentum fit, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba censeantur cadere super talem materiam, & cum illa unum totale signum constituere. Sic in Baptismo requiritur talis conjunctio, ut dum minister verba profert, censeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis sufficit, quia Sacramentum est compositum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideóque more humano; & major non est sæpe possibilis moraliter: unde si exigeretur, Sacramenta sæpe irrita forent.

Porrò hæc unio diversa est pro diversitate Sacramentorum: nam requiritur major in Baptismo, ob formam exprimentem ablutionem actualem, & major in confectione Eucharistiæ, cùm forma sit demonstrativa corporis Christi sub accidentibus panis & vini, quorum substantiam destruit.

Sacramentum verò Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum judicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen. In Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter perseverare censetur, sicut in aliis contractibus; quia fundatur in natura contractus. Tamen quoad praxim materia & forma, quantum fieri potest, simul sunt conjungendæ.

Quæst. IV. *Quænam mutatio materiæ, vel formæ irritat Sacramentum?*

Resp. Quævis mutatio substantialis in materia vel forma invalidat Sacramentum; quia tollit materiam, vel formam, quam Christus instituit. Accidentalis verò non irritat, quia cum tali mutatione manent materia & forma, quales Christus instituit. Sed circa hoc observanda sunt sequentia.

1. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re, secundùm communem æstimationem, & usum differt ab ea, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat; ita ut in ordine ad usus humanos, & prout sub tali nomine usurpatur, sit notabilis varietas: ut si in Baptismo adhibeatur vinum loco aquæ. Mutatio est accidentalis, quando materia est eadem re, & nomine cum ea quam Christus instituit: sed non adhibetur eodem modo quo Ecclesia adhibet, ut si in Baptismo adhibeatur sine necessitate aqua cœnosa, vel non benedicta.

2. Mutatio formæ est substantialis, quando vel non adhibentur verba vocalia, ubi essentialiter requiruntur, ut reipsa requiruntur in omnibus, excepto matrimonio; vel si verba vocalia sic mutentur, ut non maneat sensus à Christo institutus, ac determinatus tanquam necessarius. Quævis verò formæ mutatio, qua non destruitur sensus à Christo institutus, est accidentalis.

Quænam autem materia, vel quæ verba requirantur ad essentiam Sacramenti, cognoscimus ex usu & doctrina Ecclesiæ, quæ cùm sit *columna ac firmamentum veritatis*, non potest errare in iis, quæ ad fidem, bonos mores, ad Sacramenta, & generalem disciplinam ac Dei cultum pertinent.

3. Sensus verborum in æquivocatione ab intentione proferentis pendet. Hinc hæc forma: *ego te baptizo in nomine parentis, &c.* habet bonum sensum, si proferens per tò *parentis*, patrem intelligat, malum si matrem. Sed extra æquivocationem sensus verborum non pendet ab intentione proferentis. Hinc valebat Baptismus Arianorum quamvis circa formam malè sentirent, quia illam rectè pronuntiabant. Econtra ille non baptizaret validè, qui uteretur verbis nihil significantibus, vel aliquid aliud, etsi per illa intenderet verum sensum; quia in actione publica, qualis est Baptismus, verba significant secundùm communem & usitatam acceptionem.

4. Mutatio verborum sex modis fieri potest, nimirum per additionem, vel detractionem alicujus vocis; positionem unius vocis loco alterius; corruptionem alicujus vocis, detrahendo, vel mutando, aliquam syllabam; transpositionem, & interruptionem, pronuntiando scilicet unam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid aliud, & demùm perficiendo formæ prolationem. Quoties igitur aliquo ex modis illis ita mutantur verba, ut pereat sensus à Christo intentus, mutatur substantialiter vera forma: secùs, si hic sensus maneat. Hinc verba corruptè pronunciata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove simili vitio, non tollunt sensum substantialem, si adhuc sic proferantur, ut omnibus spectatis eundem sensum animis audientium ingenerent, quem rectè prolata: secùs, si fiat contrarium. Sic hæc corruptio verborum ex sola ignorantia linguæ prolatorum, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, non destruit verum sensum: unde Zacharias Papa, cap. 86. de consec. dist. 4. declaravit Baptismum sic collatum sine animo introducendi errorem, valuisse, alioqui enim censeretur non intendisse facere id, quod facit vera Ecclesia. Quisque tamen tenetur diligentiam magnam adhibere, ut formam Sacramentorum rectè, integrè, & distinctè pronunciet, tum etiam ob periculum corruptionis.

5. Interruptio destruit verum sensum, ideóque substantiam formæ, quoties tollit unitatem moralem formæ, ut si quis dicat: *Ego te baptizo*, nec nisi recitato uno Psalmo prosequatur, *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Secùs, si non tollat. Hinc verborum interruptio, quæ tam brevis est, ut morali judicio verba adhuc faciant unam orationem, non adimit sensum formæ, ut si baptizans, postquam dixit: *Ego te baptizo*, tussiat, vel aliis dicat, *silete*, ac deinde addat, *In nomine Patris, &c.* Qualis autem & quanta interruptio tollat unitatem moralem orationis, hoc debet æstimari secundùm judicium prudens, ex circumstantiis, modo, ac duratione interruptionis: nam res moralis, qualis est ista, ex prudenti æstimatione pendet. Illicita tamen est quævis interruptio facta sine necessitate, cùm sit contra usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramento debitam.

Quæst. V. *Quale est peccatum mutare materiam vel formam?*

Resp. 1. Mutare alterutram substantialiter est peccatum mortale. 1. Contra religionem: nam est gravis irreverentia in Christum authorem Sacramen-

mentorum, agendo contra ejus institutionem in re gravi, eamque pervertendo, nec ponendo omnia quæ voluit poni ad gratiam efficiendam; estque ipso facto irrisio quædam rei maximè sacræ. 2. Contra charitatem, voluntariè privando proximum gravi bono spirituali. 3. Contra justitiam: nam hoc ipso quòd quis ministrare vult, tacitè promittit & se obligat ad ministrandum sicuti res exigit, & in utilitatem suscipientis.

Resp. 2. Est etiam mortale alterutram mutare accidentaliter, si mutatio sit notabilis & absque necessitate, ex *Conc. Trid. Sess.* 7. *can.* 13. Quia fieret contra præceptum Ecclesiæ, & usum ejus vim legis habentem, in re gravi ad religionem pertinente. Unde Missale Romanum, *de defect.* ait eum gravissimè peccaturum, qui aliquid formæ Eucharistiæ adderet, quod tamen significationem non mutaret. Imò quamvis mutatio sit in se levis, si fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi usum contrarium ritui Ecclesiæ, aut ex simili intentione schismatica; nam tunc contemnitur Ecclesia, & Spiritus sanctus quo regitur, & cujus instinctu res illas instituit. Item si fiat cum scandalo, aut periculo errandi circa substantialia. Ita passim Doctores, qui addunt mutationem accidentalem, his seclusis, posse esse venialem ob levitatem materiæ.

Quæst. VI. *An licet aliquando uti materia aut forma dubia, vel probabili tantùm in Sacramentis?*

Resp. 1. Extra necessitatem proximi tenemur semper sub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, vel valorem Sacramenti sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita etiam probabiliore. *Ita Suarez, & alii.* Quia alioquin exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis: nam valor & efficacia Sacramenti pendet à sola institutione Christi, & nullatenus ab opinione hominum quantumvis probabili, quæ immutare & supplere non potest id, quod Christus voluit esse necessarium ad valorem & effectum Sacramenti. Nec ignorantia invincibilis, licèt excuset à culpa, potest defectum rei ad valorem actus requisitæ supplere. Ergo si opinio etsi probabilior, falsa sit, ut potest esse, & ni reipsa ponantur & adsint omnia quæ Christus instituit ac exigit, Sacramentum erit invalidum & sine effectu.

Quare qui utitur materia, vel forma non certa, quando potest certam adhibere, peccat mortaliter. 1. Contra religionem, sine necessitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ: quod gravis est irreverentia in Christum ejus authorem, ejus nomine exercendo actionem eo modo, quo probabile est non posse habere effectum, nec rationem sacramentalem, ideóque esse inanem. Estque per se quidam contemptus, seu irrisio rerum divinarum. 2. Contra charitatem: nam sine justa causa exponit proximum jacturæ maximi boni, quod percipitur ex Sacramento valido, cùm possit illi talem fructum certò conferre. 3. Contra justitiam, præsertim si sit Pastor: nam proximus habet jus, ut Sacramentum sibi modo, quantùm fieri potest, certo & infallibili administretur, eo ipso quòd se ad illud suscipiendum submittit; & Sacerdos hoc ipso, quòd ministrare vult, se obligat tacitè ad dandum quod petitur, Sacramentum scilicet certò validum, alioquin alius quæreretur.

Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex,* con-

conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut Episcopalis.

Resp. 2. Tenetur sub mortali suscipiens sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita, etsi verè probabili, in iis quæ ex parte ipsius requiruntur ad valorem, vel effectum Sacramenti. Quia aliàs exponeret Sacramentum periculo nullitatis vel inefficaciæ, ob rationem allatam, quod est grave sacrilegium; nam sicut reddere Sacramentum nullum, aut illud effectu suo privare est gravis irreverentia in Christum: cùm Sacramentum sit moraliter actio Christi; ita & se exponere periculo id faciendi, & utrumque eodem præcepto religionis prohibetur.

Resp. 3. Tenemur in necessitate extrema proximi, illi administrare Sacramentum cum materia, vel dispositione probabili tantùm, vel etiam dubia: dum certa haberi non potest. Nam lex charitatis præcipit, ut in extrema necessitate proximi illi opitulemur meliori modo, quo possumus: sed medium probabile, vel dubium melius est nullo. Nec tunc fit irreverentia Christo, vel sacramento; quia cùm Christus illud instituerit pro hominum salute, vult ut magìs provideamus securitati salutis proximi, quàm sacramenti, dum utriusque periculum vitari nequit. Quare in tali necessitate vult, ut succurramus proximo, etiam cum periculo nullitatis sacramenti, adhibendo tamen probabiliorem tutioremque materiam, quæ adhiberi potest. Et verò lex charitatis prævalet religioni.

Porrò hoc locum habet duntaxat in Sacramentis, quæ sunt de necessitate medii, nempe Baptismo & Pœnitentia. Quia non licet Sacramentum ullum exponere periculo nullitatis, nisi cùm alioqui homo exponeretur damnationis æternæ periculo. Hinc nunquam licet adhibere materiam dubiam in Eucharistia, Ordine, &c.

Quæst. VII. *An licet supra eandem materiam repetere formam?*

Resp. Non licet; nisi sit dubium rationabile de validitate formæ jam prolatæ, vel de ejus prolatione. Quia tunc frustra adhiberetur altera formæ prolatio cum irreverentia sacramenti. Quòd si tale dubium adsit, debet forma iterari sub conditione, ne sacramentum maneat irritum, cum illius irreverentia ac damno proximi. Dubium autem imprudens, quale solet esse in scrupulosis, non sufficit, sed contemnendum est. Mortale quippe est ex se formam sacramenti sine necessitate super eadem materia repetere; quia hæc secunda forma est inutilis, nec sine virtuali & interpretativa irrisione sic frustra proferri potest.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

HOc nomine intelligitur idoneus effector sacramenti. Constat solos homines ratione utentes esse ministros sacramentorum ordinarios: nam eos solos Christus ad hoc munus designavit. Non omnes tamen homines possunt esse omnium ministri; nam laici non possunt validè efficere nisi Baptismum & Matrimonium, ut constat ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ.

Quæst. I. *An requiritur intentio faciendi Sacramentum?*

Nota. Consentiunt omnes Catholici, 1. Non requiri intentionem explicitam conferendi gratiam: quia sacramentum agit ut causa necessaria, quæ indiget sola applicatione, non autem ut applicans cogitet de effectu. Et alio-

alioqui nullus esset Baptismus collatus ab hæretico negante gratiam per illum conferri.

2. Non sufficere intentionem ponendi ritum externum Sacramenti quomodocumque, etiam jocosè & irrisoriè: nam hic error Lutheri à Leone X. & à Concil. Trid. damnatus est.

3. Certum esse teneri ministrum sub mortali habere internam volitionem verè faciendi Sacramentum, seu id quod facit Ecclesia, vel id quod instituit Christus, saltem confusam & implicitam: quia illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore. Sed sententia asserens talem intentionem requiri ad valorem, est tutior, imò sola tuta, & saltem probabilior, aut tam probabilis quàm negans, quæ non est tuta: nam cùm possit esse falsa, eam sequens committit se periculo faciendi Sacramentum nullum.

4. Ad valorem Sacramenti non requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quamvis sola sit vera Ecclesia Christi, sed sufficere intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, imò faciendi quod facit Ecclesia aliqua particularis, v. g. Lutherana, modò putetur vera, quamvis reipsa sit falsa. Quia tunc est intentio implicita ac virtualis faciendi, quod facit vera Ecclesia; neque error speculativus circa veram Ecclesiam, ut nec circa efficaciam & effectum aut institutionem Sacramenti, impedit hujus valorem ex parte ministri: nam hæreticus verè baptizat, & tamen non credit Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam.

Resp. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio verè & seriò faciendi Sacramentum, saltem implicita & generalis, qua minister intendat facere id, quod Ecclesia moraliter facit per ritum externum, vel quod Christus instituit; nec sufficit intentio ponendi exteriùs duntaxat ritum externum, ut aliqui dicunt.

Prob. 1. Ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Hæc omnia Sacramenta* (novæ legis) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Ergo ex Conc. ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia; materiam scilicet & formam adhibendo per suos ministros. Sed id quod Ecclesia facit, materiam & formam adhibendo per suos ministros, est Sacramentum. Ergo ex Concilio ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio illius faciendi. Quod etiam patet ex §. sequenti, ubi dicit, quemlibet etiam paganum & hæreticum validè baptizare, *dummodò formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia,* immediatè scilicet. Quibus verbis præter voluntatem ponendi ritum externum requirit etiam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & hæc duo inter se distinguit. Ergo intendere facere quod facit Ecclesia, non est præcisè velle ponere ritum externum; sed est velle illum ponere ut religiosum & Sacramentalem; seu ut signum institutum ad significandam & efficiendam gratiam.

Prob. 2. Ex Conc. Trident. Sess. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.*

Sed Ecclesia per suos ministros facit Sacramentum, & non tantùm ponit ritum externum. Ergo requiritur

intentio

intentio faciendi Sacramentum, seu actionem Sacramentalem.

Item Concil. Trident. per intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, intelligit, quod facit Ecclesia immediatè nomine & authoritate Christi: ideóque intelligit, quod facit Ecclesia per postetatem ministerialem acceptam à Christo. Sed Ecclesia per potestatem ministerialem acceptam à Christo facit significationem & efficaciam Sacramentalem, sicut per potentiam naturalem facit ritum externum. Ergo cùm Trident. Conc. definit requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligit requiri intentionem faciendi significationem & efficaciam Sacramentalem, seu ritum externum ut Sacramentum, intentionem, inquam, saltem generalem & confusam.

Præterea Concil. Trident. Sess. 14. cap. 6. declarat pœnitentem non esse verè & coram Deo absolutum, *si sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.* Ergo ad validam absolutionem, præter intentionem seriò ponendi ritum externum, seu proferendi verba absolutionis, requirit intentionem verè absolvendi; nam hæc duo manifestè distinguit. Intentio autem verè absolvendi est intentio verè conferendi Sacramentum Pœnitentiæ. At eadem est ratio de omnibus aliis Sacramentis. Ergo in omnibus Sacramentis requiritur intentio faciendi Sacramentum. Quare Suarez Tom. 3. in 3. p. S. Thomæ quæst. 64. disp. 13. Sect. 2. sic ait: *Existimo contrariam sententiam non posse jam* (post definitionem Trident. Concil.) *tutò defendi, nec sine errore.*

Prob. 3. Authoritate Summi Pontificis Alexandri VII. qui damnavit hanc propositionem: *Valet Baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Ergo sine nullitate Sacramenti non potest excludi intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia, quamvis ponatur omnis ritus externus. At si ad valorem Sacramenti, præter positionem omnis ritus externi, non requiritur intentio interna faciendi, quod facit Ecclesia, hæc intentio potest positivè excludi sine nullitate Sacramenti; nam exclusio ejus quod non requiritur ad valorem Sacramenti, non potest illud irritare: cùm valeat Sacramentum sine positione & cum exclusione eorum, quæ ad ejus valorem non requiruntur. Ergo ad valorem Sacramenti Baptismi, ideóque aliorum omnium, præter positionem omnis ritus externi, requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Atqui per intentionem faciendi quod facit Ecclesia, intelligitur intentio interna faciendi Sacramentum: nam non intelligitur intentio ponendi ritum externum, cùm in propositione damnata jam supponatur hæc intentio; siquidem agitur de ministro, *qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat*, liberè scilicet & voluntariè, proindeque habet voluntatem observandi omnem ritum externum.

Prob. 4. Ratione. Quia Christus Sacramentorum ministros instituit, non ut meros nuncios deferentes voluntatem Domini, sed ut veros ministros, qui liberè utantur potestate ministeriali sibi data. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ait Paulus, 1. Cor. 4. Atqui minister non utitur liberè potestate ministeriali, nisi velit ea uti; & non vult ea uti, nisi cum vult per illam producere effectum sibi proprium, nempe Sacramentum, quod est sanè effectus proprius potestatis ministerialis circa Sacramenta; sicut nemo

nemo vult uti potestate naturali, nisi cùm vult per illam producere effectum ipsi proprium. Ergo.

Præterea confectio Sacramenti est actio moralis Sacramentalis: nam Christus sic instituit Sacramenta, ut procedant ex potestate data ministris tanquam actiones eorum morales, ita ut dicantur verè remittere peccata, absolvere, consecrare, &c. ut Joann. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et, Luc. cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, &c.* At Actio moralis Sacramentalis debet esse intenta ut talis. Ergo. *(a)*

Quæst. II. *Qualis debet esse intentio Ministri?*

Nota. Intentio est actus voluntatis deliberatus, quo quis aliquid intendit seu vult assequi. Sive est volitio alicujus finis. Hic per intentionem intelligitur volitio faciendi Sacramentum, ex quocumque motivo procedat. Dividitur. 1. In explicitam, seu expressam, qua aliquid in se distinctè cognitum volumus; & in implicitam, seu confusam, qua aliquid solùm confusè cognitum volumus, volendo scilicet aliquid, sub quo, vel in quo continetur. 2. In actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam.

Intentio actualis est, qua quis dum conficit Sacramentum, actu cogitat de Sacramento faciendo, & simul vult illud conficere.

Intentio virtualis est voluntas formalis faciendi Sacramentum præterita, vi cujus fit Sacramentum mediante una, vel multiplici actione ad illud ordinata, manante à tali intentione, licèt tunc mens de Sacramento non cogitet. Dicitur *virtualis,* quia ex virtute illius licèt præteritæ fit Sacramentum. Talis est intentio in sacerdote, qui ex voluntate actuali consecrandi induit se vestibus sacris, Missam inchoat, sed paulò post distrahitur: prosequitur tamen Missam, & consecrat cum distractione.

Inten-

(a) Vide cit. opus de Synodo Diœcesana Lib. VII. cap. 4. in quo perspicue exponitur discrimen, quod versatur inter Novatorum hæresim, ac orthodoxas opiniones, atque concluditur, probatum ab Auth. nostro opinionem probabiliorem esse illam, quam cum Catherino plures Theologi tuentur, sequentibus verbis. „Verum, utut „hæc res coram Deo se habeat, nulla us„que adhuc de ea emanavit expressa Apo„stolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur „communior sit sententia exigens in Mini„stro intentionem, vel actualem, vel vir„tualem faciendi, non solùm ritum exter„num, sed id, quod Christus instituit, seu „quod facit Ecclesia, & hæc, veluti tu„tior, sit omnino servanda in praxi; non „est tamen Episcopi, priorem opinionem „reprobare, atque ad hanc posteriorem, „etiam theorice tuendam, suos Diœcesa„nos adigere: causas quippe majores, dif„ficilioresque quæstiones, Fidem, aut di„sciplinam spectantes, ad Apostolicam Se„dem deferendas, statuit perpetua Ecclesiæ „consuetudo, ab Innocentio III. in cap. Ma„jores de Baptismo confirmata. Quare, „si constet, quempiam, aut Baptismum con„tulisse, aut aliud Sacramentum, ex iis, „quæ iterari nequeunt, administrasse, om„ni adhibito externo ritu, sed intentione „retenta, aut cum deliberata voluntate non „faciendi, quod facit Ecclesia, urgente „quidem necessitate, erit Sacramentum ite„rum sub conditione perficiendum; si au„tem res moram patiatur, Sedis Apostoli„cæ oraculum erit exquirendum, quemad„modum ad Severum Scholasticum Con„stantinopolitanum faciendum scripsit Fer„randus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, „in difficili quæstione, qua tunc Ecclesia „fatigabatur, doctis, indoctisque in va„rias partes scissis, inquiens: *Interroga, vir* „*prudentissime, si quid veritatis cupis audire* „*principaliter, Apostolicæ Sedis Antistitem,* „*cujus sana doctrina constat judicio veri*„*tatis, & fulcitur munimine auctoritatis* „(tom. 9. Biblioth. PP. pag. 509.) quod „semel monitum volumus, ut regula sit „etiam pro aliis controversiis, quas mox „commemorabimus.

Intentio merè habitualis eſt intentio merè præterita, non retractata, quæ jam neque in ſe, neque in ſua virtute, vel aliquo effectu à ſe relicto exiſtit. Vel juxta aliquos eſt habitus ex pluribus confectionibus Sacramentorum acquiſitus, tribuens voluntati facilitatem & propenſionem ad ſimiles actus in poſterum exercendos: ſive eſt inclinatio ac facilitas orta ex tali habitu.

Interpretativa eſt illa, quæ nec eſt, nec fuit, ſed eſſet, ſi ejus objectum proponeretur voluntati: unde eſt tantùm diſpoſitio voluntatis ad intentionem eliciendam, ſi ei proponeretur.

Reſp. 1. Ad valorem Sacramenti non requiritur expreſſa & diſtincta intentio faciendi Sacramentum, ſed ſufficit confuſa & implicita, qua quis intendat facere id, quod facit Eccleſia Chriſti, aut quod Chriſtus inſtituit, aut quod vidit per parochum fieri, aut quod Chriſtiani faciunt. Conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ non rebaptizat eos, qui baptizati fuere ab imperitis & rudibus, aut paganis cum debita materiâ ac forma, licèt illi non noverint diſtinctè, quid ſit Baptiſmus, aut Sacramentum. Præterea tunc eſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia, quam ſolam requirunt *Conc. Florent. & Trident.*

Reſp. 2. Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio merè habitualis. Quia 1. Talis intentio non influit in actionem ſacramentalem, nec hæc vi illius ponitur: ac proinde talis intentio ſe habet ad effectionem Sacramenti perinde ac ſi non eſſet. At requiritur intentio libera in ſe, quæ ſit principium actionis ſacramentalis, & qua poteſtas miniſterialis ad uſum applicetur: nam ſecundùm inſtitutionem Chriſti ad Sacramenti effectionem requiritur, ut actio ſacramentalis ſit actio humana, & humano modo exerceatur poteſtas miniſterialis. Et verò alioqui Sacramentum confici poſſet ab amente, dormiente vel ebrio.

Reſp. 3. Neque etiam ſufficit interpretativa. Quia hæc non eſt propriè intentio, ſed ſolùm intentionis præſumptio, ſive non eſt intentio quæ ſit, ſed quæ eſſet, ſi res proponeretur. At intentio, quæ non eſt, nihil efficit, nec poteſt eſſe principium actionis moralis ac humanæ, quale eſt Sacramentum.

Reſp. 4. Quamvis miniſter curare debeat, ut ſemper habeat intentionem actualem, ob reverentiam debitam Sacramento; tamen illa non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſed ad eum ſufficit intentio virtualis.

Prob. 1. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ ut vera approbat Sacramenta ſic collata. 2. Si intentio actualis requireretur, Sacramenta ſæpiſſimè forent irrita propter inſtabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, & quidem plerumque naturaliter inevitabiles. At non eſt credibile Chriſtum ſic inſtituiſſe Sacramenta, ut ſæpiſſimè exponeretur nullitati, & ad illa exegiſſe id, quod ſæpe non eſt in poteſtate hominis. 3. Intentio virtualis ſufficit ad faciendum validè actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliiſque ſimilibus.

Quæſt. III. *An ad valorem Sacramenti requiritur intentio directa, abſoluta & determinata?*

Nota. Intentio directa eſt ea, qua aliquid immediatè & ſecundùm ſe volumus. Talis eſt intentio illius, qui vult præciſè baptizare. Indirecta eſt, qua volumus aliquid non in ſe, & ſecundùm ſe immediatè, ſed in ejus cauſa, vel in alio cum eo connexo, vel ex quo ſequi prævidetur. Talis eſt intentio illius qui prævidens ſe in ebrietate baptizaturum, vult ſe inebriare.

Abſo-

Absoluta est ea, qua aliquid absolutè & independenter ab ulla conditione volumus. Conditionata est, qua aliquid volumus tantùm sub aliqua conditione, & dependenter ab illa.

Resp. 1. Requiritur intentio directa. Quia actio Sacramentalis debet esse actio moralis ac libera in se, & debet humano modo poni: non ponitur autem humano modo, nisi ponatur vi intentionis liberæ & directè. Hinc non valet Baptismus collatus ab ebrio, vel dormiente, quamvis antea prævideris conferendum in tali statu.

Resp. 2. Intentio faciendi Sacramentum sub conditione non sufficit, nisi conditio posita sit, priusquam forma applicetur materiæ, ita ut jam transierit in absolutam, vel illi æquivaleat. Quia sola intentio absoluta est efficax pro præsenti; voluntas enim conditionata, quamdiu talis est, suspensa manet, & nihil efficit. Unde si dum materiæ forma applicatur, intentio ministri non sit absoluta, aut æquivaleat absolutæ, posita jam conditione, non efficit Sacramentum. Neque etiam postea efficiet; quia postea non erit ampliùs forma Sacramenti, neque materia: non potest autem fieri Sacramentum, nisi utraque adsit.

Hinc conditio de præsenti, vel præterito apposita intentioni, irritat Sacramentum, si non sit impleta, quia destruit intentionem: nam voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est, cùm non sit nisi dependenter ab illa. Non irritat si conditio jam sit posita: nam tunc voluntas sit absoluta, sive æquivalet absolutæ, cùm verè extet, nec suspensa maneat. Conditio verò de futuro, semper irritat Sacramentum; quia suspendit præsentem intentionem, facitque, ut minister non habeat absolutè hic & nunc voluntatem faciendi Sacramentum: unde hìc & nunc non facit. Sed nec postea faciet, cùm implebitur conditio; quia tunc deerunt materia & forma. Neque enim minister potest usque ad futurum eventum suspendere significationem materiæ & formæ, nec proinde efficaciam Sacramenti; cùm utraque à sola Christi institutione pendeat. Excipe Matrimonium, quod valet sub conditione de futuro, cùm ipsa ponetur, sicut alii contractus; quia est verus contractus ad naturam Sacramenti à Christo evectus.

Nota. Non licet, nisi in necessitate, conferre Sacramentum sub quavis conditione etiam de præsenti & præterito etsi posita: quia hoc est contra usum Ecclesiæ, & contra reverentiam Sacramento debitam, nam est quædam nugatio. At licet in dubio prudenti de valore Baptismi, ex cap. 2. *de Bapt.*

Resp. 3. Intentio ministri debet esse determinata ad certam materiam & personam: nam ejus intentio debet esse efficax & effectrix Sacramenti. At operationes sunt circa singularia, quæ sunt determinata.

Valet tamen Sacramentum, excepto Matrimonio, si error sit solùm speculativus circa personam, verbi gratia, si absolvas Petrum putans esse Paulum; quia ordinariè est & semper esse debet intentio conferendi Sacramentum personæ præsenti: quam proinde intentionem servare quisque censetur, nisi eam expressè excludat. Et sic tunc practicè minister intentionem applicat determinatè ei qui præsens adest. Si verò intendas præcisè absolvere Paulum excludendo alias personas, absolutio non valet, quia circa aliam personam non exercetur potestas ministerialis: cùm ejus exercitium pendeat ab intentione ministri, qui illam non exercet, nisi circa personam circa quam vult illam exercere.

Excipe Matrimonium, quia ejus valori obstat error circa personam, eò

quòd obstet valori contractus, in quo Sacramentum fundatur.

Quæst. IV. *An valet Sacramentum, quando minister habet duas intentiones contrarias, quarum una repugnat ejus valori?*

Resp. Validum est, si debita intentio prævaleat intentioni, quæ repugnat valori Sacramenti: quia tunc sola intentio prævalens est efficax, & altera est inefficax ac mera displicentia. Secùs, si intentio contraria prævaleat, ob eandem rationem. Quòd si utraque sit æqualis, minister nihil efficit: quia æqualiter vult facere & non facere Sacramentum, ideóque non vult efficaciter illud facere. Porro illa intentio prævalet alteri, quæ est magis absoluta, & aliam expelleret, si rem intentam impediret.

Quæst. V. *An ad valorem Sacramenti requiritur fides & sanctitas in ministro?*

Resp. Neg. Fide constat, 1. Ex Traditione, & consuetudine perpetua Ecclesiæ, præsertim Romanæ à tempore Apostolorum, quæ neminem unquam ritè ab hæretico, adeóque fictè & sanctitate destituto baptizatum rebaptizavit. Hancque praxim ab Apostolis manasse constat: cùm neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii canone instituta aliquando fuerit, sed ab initio viguerit in tota Ecclesia. 2. Ex Concil. Tridentin. Sess. 7. can. 4. de Baptismo. 3. Quia virtus Sacramenti est & agit ex meritis solius Christi, qui per ministrum tanquam instrumentum, illud conficit; & potestas conficiendi Sacramenta est gratia gratis data, quæ compossibilis est cum peccato. 4. Alioqui cùm fides, vel probitas sæpe in multis desit, sæpe Sacramenta exponerentur nullitati cum ingenti animarum damno: & sic Christus parum Ecclesiæ suæ providisset.

Hinc error ministri circa sensum formæ non expressus in forma, verbi gratia, quòd filius non sit æqualis Patri, non impedit valorem Baptismi ab Ariano collati. Quia non mutatur formæ significatio, quæ non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu in Ecclesia recepta petitur. Præterea ex Concil. Florent. tria solùm requiruntur ad valorem Sacramenti ex parte ministri, nimirum ut adhibeat materiam & formam debitas, & habeat intentionem faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia facit.

Quæst. VI. *An minister tenetur esse in statu gratiæ, dum Sacramentum conficit vel ministrat?*

Nota. Aliud est conficere, aliud administrare Eucharistiam. Sed in aliis Sacramentis ipsa confectio est simul ministratio.

Resp. 1. Qui Sacramentum in peccato mortali conficit, vel ministrat tanquam minister ad id consecratus, vel specialiter ab Ecclesia deputatus, per se loquendo peccat mortaliter. *Ita omnes.* Quia 1. Ex Tit. 1. dispensator Dei debet esse sine crimine. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiat S. Augustinus, lib. 2. contra Parmen. c. 10. *Omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* 3. Ex cap. ult. 15. qu. 8. ubi Nicolaus I. ait: *Mali bona administrando, se tantummodò lædunt.* Et ex cap. ult. de cohab. cleric. ubi Gregorius IX. declarat, *constare quemlibet pro morali peccato quoad seipsum esse suspensum.* 4. Ex Rituali Romano *impurè & indignè Sacramenta ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde pœniteat.*

Sed

Sed si habeat copiam confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri. 5. Quia talis gravem irreverentiam irrogat Christo, cujus ut ministri principalis personam gerit; & sancta indignè tractat in re gravi: Ergo grave sacrilegium admittit. Item per se gravissima est indecentia ac irreverentia actionem sanctissimam, quæ est moraliter actio Christi, & collativa gratiæ sanctificantis, qua homo consors naturæ divinæ & filius Dei adoptivus efficitur, exercere in immunditia peccati & inimicitia Dei. Adde, quòd sacerdos sit publicus Ecclesiæ minister à Christo institutus, & gratia ordinationis donatus, ut Sacramenta fidelibus dignè ministret: Ergo ratione status & ordinis sui, ideóque ex proprio officio tenetur dignè ministrare.

Idem dicunt Vasquez, Delugo, & alii contra multos de Ministro non consecrato, v. gr. laico baptizante in necessitate. Tum quia textus allati, & Patres generatim omnes ministrantes comprehendunt, nec distinguunt inter ordinatum, & non ordinatum, solemniter & non solemniter ministrantem: tum quia est gravis irreverentia in Christum, quòd hostis ejus & mancipium diaboli agat in nomine & persona Christi, ejusque merita applicet: tum quia jure naturali & divino sancta sanctè à quolibet tractanda sunt, & quidem sub gravi in re gravi. Sacramentum autem, quod laicus in necessitate ministrat, est res eximiè sancta & speciali modo consecrata, & ad gratiam sanctificantem efficiendam instituta, estque moraliter actio Christi ut ministri principalis. Ergo tractari debet specialiter sanctè. At non tractat sanctè, sed indignè ac irreverenter, qui illud ministrat in peccato mortali.

Hinc confessor, quamvis confessiones continenter audiat, tot peccata mortalia admittit, quot homines absolvit; nam tot Sacramenta numero distincta ministrat, & absolutio singulorum est actio externa per se sufficienter consummata. Multi tamen censent talem tunc unicum mortale admittere, sed eò graviùs, quo plures absolvit.

Dixi, *per se loquendo.* Quia minister per accidens excusari potest à mortali, ob repentinam & inopinatam necessitatem ita urgentem, ut non relinquat spatium eliciendæ contritionis, ut si sit periculum, ne quis moriatur sine baptismo, vel sine absolutione, dum sacerdos occuparetur in eliciendo actu contritionis.

Resp. 2. Sacerdos vel Diaconus distribuens Corpus Christi in peccato mortali, peccat mortaliter. *Ita communiter. Prob.* 1. Ex textibus supra citatis. 2. Hæc dispensatio est sacrum & gravissimum ministerium, ad quod sanctè administrandum minister est specialiter consecratus, & specialem gratiam accipit. 3. Talis gravem irreverentiam admittit in Christum, sanctissimum ejus corpus dispensando, & merita communicando in statu, in quo scit se esse Christi hostem & diaboli mancipium. Igitur *mundamini qui fertis vasa Domini*, Isa. 52. Imò ipsum Dominum.

Hinc talis tot mortalia committit, quot hominibus etiam continuatè Eucharistiam distribuit; quia tot sunt objecta totalia, & tot sunt indignæ distributiones completæ & numero distinctæ. Multi tamen docent hunc unius mortalis peccati reum esse, sed eò gravioris, quò pluribus Eucharistiam distribuit. Item triplicis malitiæ mortalis in confessione aperiendæ reus est sacerdos, qui in mortali celebrat, & seipsum communicat: scilicet indignæ confessionis, malæ ministrationis, & indignæ susceptionis, non minùs quàm si alteri indignè ministraret

ret, & ab altero indignè susciperet, ut notat Suarez.

Quæst. VII. *An Diaconus & Subdiaconus peccant mortaliter, dum in peccato mortali propria ordinis ministeria obeunt, verbi gratia, canendo solemniter Evangelium, vel Epistolam.*

Resp. Affirmant Sylvester, Cajetanus, Toletus, & alii. *Prob.* 1. Ex cap. ult. *de temp. ordin.* ubi Gregorius IX. ait, sacerdotes & alios clericos criminosos occultos, *si non pœnituerint, monendos esse, & sub interminatione divini judicii obtestandos, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* 2. Ex S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. qu. 5. ibi: *Lex* (naturalis) *præcipit, ut homo justè ea quæ sunt justa exequatur: & ideo quicumque homo quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, contra præceptum legis* (naturalis) *facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicunque autem in peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin illud indignè faciat. Unde patet, quod mortaliter peccat.* 3. Quia eorum ministerium proximè accedit ad SS. Eucharistiam conficiendam, & ad illud specialiter deputati ac consecrati sunt. Alii tamen plures docent esse duntaxat veniale, quia censent materiam non esse adeò gravem, ut sit grave sacrilegium; cùm illa ministeria nec sanctitatem ex opere operato conferant, nec sint moraliter actiones Christi, nec ejus nomine fiant. Irreverentia autem est major vel minor pro majore, vel minore sanctitate actionis sacræ, quæ exercetur in peccato. Ad cap. cit. respondent Gregorium nihil in specie determinasse, quàm grave peccatum sit singulos ordines exercere in mortali; ideóque ex materia subjecta æstimandum id esse, & velle solùm quòd sit peccatum grave ex genere suo, vel loqui non de singulis functionibus, sed de exercitio suorùm ordinum toto & integro, quod totum sine mortali esse non poterat, quia juxta antiquos canones, qui nunc etiam aliquando observantur, ministri altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis.

Suarez verò docet, quòd si quis haberet animum hos ordines sæpè exercendi in malo statu, aut hanc haberet consuetudinem, non esset excusandus à mortali. Quia illud propositum, vel consuetudo videretur oriri ex quodam contemptu formali vel virtuali, & quia illud objectum ita sumptum videtur satis grave.

Sed quid de exercente in malo statu functiones minorum ordinum, Acolythi, Lectoris, Ostiarii, &c.

Resp. Ex communi sententia, non peccat mortaliter. Quia illæ functiones sunt remotæ à proprio actu sacrificandi, & censentur officia imperfecta respectu sacri ministerii, & nunc sæpissimè à laicis exercentur. Peccat tamen venialiter, dum in solemni ac publico ritu eas exercet: quia propriè est actus ordinis, ad quem est consecratus.

Quæst. VIII. *An peccat mortaliter minister conficiendo in peccato mortali Sacramentalia?*

Resp. Episcopus peccat mortaliter conficiendo in tali statu chrisma & oleum infirmorum. Quia istæ consecrationes, seu benedictiones fiunt à ministro ad id consecrato, & sunt gravis momenti: nam per illas fit materia Confirmationis & Extremæ unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materiæ sic consecratæ, cum chrisma

chrisma & oleum non sint materia Sacramenti, nisi ut benedicta seu consecrata. Item in illis actionibus se Christi ministrum exhibet, ejusque personam immediatè sustinet: ideóque gravem injuriam infert Christo, illas actiones exercendo in statu peccati: nam ejus dignitatem ac sanctitatem graviter lædit. Conficiendo verò in mortali reliqua Sacramentalia, qualia sunt consecratio templi, benedictio Abbatis, vestium sacerdotalium, aquæ lustralis, cinerum, &c. peccat saltem venialiter, quia est aliqua indecentia ac irreverentia, si absque sanctitate obeat illa munia, quæ ordinem sacrum specialiter requirunt. Non est tamen juxta multos mortale, quia hæ actiones non conferunt immediatè & ex opere operato sanctitatem animæ, nec sunt moraliter actiones Christi, sicut Sacramenta.

Quæst. IX. *An tenetur minister ritus accidentales in Ecclesia usitatos in Sacramentis diligenter servare?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex Concil. Trident. Seff. 7. Canon. 13. *Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, Anathema sit.* 2. Ob Ecclesiæ præceptum, & consuetudinem vim legis habentem: nam Ecclesia præscribens modum administrandi Sacramenta, illum servari jubet: aliàs nihil esset firmum & stabile in cultu divino. Et hæc obligatio ex genere suo gravis est, utpote de re ad virtutem religionis pertinente: nam illi ritus sunt actiones religiosæ ad decentem Sacramentorum administrationem, ac devotionem excitandam, ad sacram significationem ab Ecclesia institutæ. Unde si sine necessitate urgente aliquid omittitur, est mortale in re gravi, & veniale in levi. Est tamen semper mortale vel minimam cæremoniam omittere ex contemptu, judicando illam esse vel inanem, vel ineptam, aut aliquid simile, quia gravis fit injuria Ecclesiæ, & Spiritui sancto, à quo regitur.

Quæst. X. *An grave sacrilegium committit, qui tentat conficere Sacramentum, cujus conficiendi potestate caret?*

Resp. Affirm. Quia 1. gravem irreverentiam Christo infert, volendo gerere ejus personam, & ejus nomine aliquid valdè sacrum agere, cùm non sit ab eo deputatus. 2. Facto suo falsam doctrinam profitetur. 3. Proximum in re gravi decipit.

Quæst. XI. *An licet aliquando simulare Sacramentum?*

Resp. 1. Nunquam licet sub mortali simulare administrationem Sacramenti. *Prob.* 1. Ex cap. 7. *de celebrat. Miss.* ubi dicitur graviùs peccare, qui simulat celebrationem Missæ, quàm si in statu peccati celebraret, quamvis peccaret. 2. Quia Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.* 3. Gravis est irreverentia in Christum, ita abuti verbis ac rebus sacris ab eo institutis ad verum Sacramentum, & reipsa est illudere Christo, cujus personam simulator se agere exteriùs fingit. 4. Est reale mendacium in re gravissima; exercitè enim & suo facto talis dicit se nomine & persona Christi, verbi gratia, absolvere, baptizare, cùm sciat hoc non fieri.

Resp. 2. Item semper est mortale simulare susceptionem Sacramenti. Quia defectus intentionis veræ illud suscipiendi impedit effectum cujusvis Sacramenti,

menti, etiam Euchariſtiæ, imò valorem ſex aliorum, quæ conſiſtunt in actione tranſeunte: nam ad horum valorem & Euchariſtiæ effectum requiritur in adulto ſuſcipiente vera intentio ſaltem habitualis ſuſcipiendi. At eſt grave ſacrilegium reddere irritum, vel inutile Sacramentum; eſt enim gravis irreverentia in Chriſtum ejus authorem.

Hinc ad vitandum quodvis malum non licet ſub mortali ſcienter miniſtrare etiam conſentienti, vel recipere hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. Quia per ſe malum eſt ſcienter proponere alteri puram creaturam adorandam cultu divino, & ponere per ſe cauſam idololatriæ etiam materialis. Tunc autem hoſtia non conſecrata exponetur adorationi tum adſtantium, qui committent idololatriam materialem: tum illius qui cum externa reverentia illam hoſtiam ſuſcipiet, ſicque ſcienter admittet idololatriam externam: quod eſt intrinſecè malum, ſicuti eſt adolere thus coram idolo, quamvis interiùs tantùm intendas te paſcere ejus odore: quia nempe tunc exhibetur illi cultus externus.

Quæſt. XII. *An licet conferre Sacramentum indigno, ſeu non ritè diſpoſito ad ejus effectum?*

Reſp. Qui tali ſcienter, vel imprudenter confert, per ſe loquendo peccat mortaliter. Quia 1. quilibet diſpenſator tenetur fideliter & prudenter diſpenſare juxta voluntatem domini ſui, ex 1. Cor. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ergo peccat graviter, qui in re gravi diſpenſat infideliter & contra voluntatem domini ſui: at miniſtrans Sacramentum indigno, aliquid graviſſimum diſpenſat infideliter & contra voluntatem Chriſti id vetantis, Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.* 2. Sacramentum indignè, irreverenter & contra ejus exigentiam tractat, qui ſcienter illud miniſtrat indigno, niſi in caſu ſpeciali infrà excipiendo, in quo Chriſtus voluit dari. Sacramenta enim exigunt non defraudari ſuo effectu, ideóque non ſuſcipi ab iis, qui non poſſunt conſequi gratiam. 3. Talis miniſter cooperatur receptioni ſacrilegæ ſuſcipientis: nam nulla poteſt eſſe major cooperatio ad recipiendum, quàm ipſa datio voluntaria & ſine obligatione facta. Unde & agit contra obligationem proprii officii in re gravi, & juvat alium ad peccandum. Quod etiam verum eſt de miniſtro non conſecrato, ut laico baptizante, quamvis miniſter conſecratus majorem obligationem habeat. Nam qui diſpenſat, eo ipſo tenetur fideliter ac prudenter diſpenſare, & aliàs cooperatur peccato alterius.

Hinc 1. tenetur miniſter providere, ut ſuſcipiens habeat diſpoſitiones ad Sacramentum licitè & utiliter ſuſcipiendum. Neque ſufficit, quòd non ſcias eſſe indignum; ſed debes poſſe prudenter ſaltem præſumere, quòd ſit dignus: alioqui non es prudens & fidelis diſpenſator, & committeres te periculo miniſtrandi indigno, & privandi Sacramentum ejus effectu ſaltem primario, nempe gratia ſanctificante. In illa autem diligentia & cautione adhibenda attendi debet natura cujusque Sacramenti, praxis Eccleſiæ, commune judicium proborum ac prudentum. Sic in Sacramento Pœnitentiæ requiritur accuratior notitia diſpoſitionis; quia confeſſor eſt judex in cauſa Dei, qui debet examinare conſcientiam pœnitentis, & ejus dignitatem, vel indignitatem, ut poſſit debitè ferre ſententiam; & quia diſpoſitio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Item Sacramenta, quæ ſtatum conſtituunt

plu-

pluribus obligationibus obnoxium, ut Baptismus, Ordo, Matrimonium, exigunt majorem probationem dispositionis.

Hinc 2. non licet dare Eucharistiam neque peccatori publico sive occultè, sive publicè petenti, nisi sufficientia dederit veræ conversionis signa, & scandalum publicum sustulerit: nam sine nova ejus infamia potest consuli reverentiæ Sacramenti. Neque peccatori occulto, sed petenti occultè, vel solùm coram iis, qui ejus indignitatem norunt, cùm possit sine scandalo & ejus infamia denegari, ex Rituali Rom. idque juxta varios, etiamsi ejus indignitas ex sola confessione nota sit, modò nullus alius adsit, quia tunc nulla fit revelatio confessionis, nec ullum ei infertur gravamen, sicut si denegares ensem ei, à quo scis ex confessione esse te perimendum. Sed multi id negant, quia tunc esset quædam virtualis exprobratio & commemoratio peccati: quod jure divino graviter est illicitum.

Dixi, *per se loquendo.* Nam peccatori occulto publicè petenti Eucharistia dari debet, ex praxi Ecclesiæ, & Christi, qui Judæ eam dedit. Nam Christus vult ut in tali casu detur, ne infametur proximus; & quia alioqui sequerentur gravia scandala, & incommoda ac perturbationes. Unde tunc minister non cooperatur moraliter peccato alterius, quia dispensat ex obligatione, nec exterior receptio Sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, est per se mala, sed solùm habet adjunctam malitiam per accidens, ex prava dispositione suscipientis, & posset esse bona, si recipiens vellet.

Porrò crimen censetur publicum, quando quis de eo juridicè convictus est; vel cùm admissum est in loco publico, ita ut nulla tergiversatione celari possit, vel cùm ejus fama ex sufficientibus indiciis orta jam pervenit ad multos, brevi ad alios perventura.

Quæst. XIII. *An licet petere, vel recipere Sacramentum ab indigno ministro?*

Nota. Minister indignus alius est toleratus, qui licèt peccator sit, tamen neque nominatim per sententiam declaratus est excommunicatus, vel suspensus, neque est notorius clerici percussor. Alius non toleratus, qui scilicet nominatim denuntiatus est excommunicatus, aut suspensus, vel est notorius clerici percussor.

Resp. 1. Non licet petere, aut accipere Sacramentum à ministro non tolerato, præter Baptismum, & juxta multos, Pœnitentiam in articulo mortis. Quia 1. Ecclesia prohibet communicationem cum non tolerato, præsertim in sacris. 2. Non licet petere ab alio id quod ipse sine peccato præstare nequit; nam hoc esset eum inducere ad peccatum. At minister non toleratus, non potest sine peccato Sacramenta ministrare, saltem extra necessitatem proximi, cùm id ei graviter Ecclesia vetet. Neque etiam licet ab alio accipere id quod non potest sine peccato dare: nam aliàs cooperareris ejus peccato; quænam enim major potest esse cooperatio dationi illicitæ, quàm acceptio, sine qua datio executione caret.

Excipe Baptismum in articulo mortis, quia minister non toleratus potest tunc illum licitè ministrare in defectum aliorum, si nempe conteratur & faciat, quod in se est, ut à censuris absolvatur: & sic tunc potest ab eo licitè per se accipi, ut docet *S. Augustin. Lib. 6. de Bapt. cap. 5.*

Resp. 2. Jure divino naturali non licet petere, nec accipere Sacramentum à ministro malo tolerato, quem moraliter constat peccaturum ministrando, si adsit alius probus. Quia 1. ex lege chari-

charitatis in Deum & proximum, quisque tenetur impedire peccatum proximi, quantum poteſt, ſaltem ſine gravi ſuo incommodo ſeu damno. Ergo niſi adſit aliqua neceſſitas, tenetur non recipere Sacramentum ab eo, qui peccaturus eſt conferendo. 2. Petens, vel accipiens Sacramentum à malo miniſtro in tali caſu, dat ei ſine juſta cauſa occaſionem peccandi, & mortaliter cooperatur ejus peccato, cùm hoc facilè impedire poſſet. Et quamvis ille paratus eſſet miniſtrare, tamen hìc & nunc non peccaret, ſeu hanc malam voluntatem non exequeretur, nec hoc numero ſacrilegium admitteret, te non petente, vel non accipiente.

Reſp. 3. Per ſe loquendo licet petere & accipere Sacramentum à miniſtro tolerato, ſi alius probus deſit, & adſit juſta & gravis cauſa, ſeu aliqua neceſſitas, ut ſi inſtet præceptum confitendi, aut ſumendi Euchariſtiam quindeno Paſchali; ſi quis ſit in ſtatu peccati mortalis; nec poſſit ſaltem ſine gravi incommodo adiri alius miniſter. *Prob.* 1. Ex can. ult. 15. q. 8. & cap. *Veſtram*, de cohab. cler.. 2. Ex conſtit. Martini V. *Ad evitandum*, in Concilio Conſtantienſi edita: ibi: *Indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra, prætextu cujuscumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare.* 3. Quia res honeſta licitè peti & accipi poteſt ab eo qui poteſt hic & nunc eam dignè præſtare, licèt prævideatur peccaturus, modò adſit juſta cauſa non impediendi ejus peccatum, ut patet in petente mutuum ab uſurario ob neceſſitatem. Miniſter autem toleratus requiſitus poteſt conteri, & obtinere abſolutionem à cenſura. Qui ſi faciat quod in ſe eſt ut eam obtineat, nec eam obtinere poſſit; tunc juxta multos non peccabit, ſi requiſitus & contritus miniſtret Sacramentum habenti jus illud petendi, quia tunc tenetur illud adminiſtrare, vel ex juſtitia, ſi ſit paſtor, vel ex charitate, ſi petens ſit in neceſſitate ſaltem gravi. Si verò malè miniſtret, id ejus malitiæ, non petitioni imputandum eſt, nec charitas obligat ad impediendum cum gravi ſuo damno peccatum proximi, quod ipſemet poteſt facilè vitare.

Dixi, *per ſe loquendo.* Nam extra caſum extremæ, aut ſaltem graviſſimæ neceſſitatis non licet petere nec accipere Sacramentum à miniſtro tolerato, apertè errorem aliquem ab Eccleſia damnatum profitente, vel judicio Eccleſiæ in materia fidei renitente. Nam alioqui crearetur ſcandalum ac periculum perverſionis fidelium, & conciliaretur authoritas errori.

CAPUT III.

De diſpoſitione neceſſaria in recipiente Sacramentum?

Quæſt. I. QUænam *diſpoſitio requiritur in ſubjecto ad valorem Sacramenti?*

Nota 1. Subjectum Sacramenti eſt is, qui illud recipit, & eſt capax ejus effectus recipiendi. Agitur hìc de ſolis adultis; nam in infantibus & perpetuò amentibus nihil requiritur, ut patet ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ, ſecundùm quam baptizantur infantes. Et verò ſi neceſſarius eſſet aliquis actus propriæ voluntatis, non poſſent ſalvari.

Nota 2. Certum eſt, Baptiſmum ſuſceptum requiri ad valorem aliorum Sacramentorum: tum quia eſt *fundamentum & janua reliquorum* cap. 2. *de cognat. ſpirit. in 6.* & ex Concil. Florentino: *Vitæ ſpiritualis janua eſt,*

est, per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Tum quia Concilium Nicænum I. cap. 19. statuit ut clerici invalidè baptizati rebaptizentur, & iterum ordinentur. Idem habetur, cap. 1. *de Presbyt. non bapt.*

Resp. 1. In adulto recipiente Sacramentum ad ejus valorem necesse est, ut non habeat voluntatem contrariam ejus receptioni, excepta Eucharistia, quæ consistit in re permanente, & subsistit extra usum. Constat tum ex sensu & praxi Ecclesiæ, tum ex cap. *Majores*, de Bapt. ubi Innocentius III. ait: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Imò requiritur positiva aliqua voluntas recipienti Sacramentum. *Ita communiter. Prob.* 1. Ex cap. 77. *de consecr.* dist. 4. Et ex Conc. Carthag. IV. c. 76. & Arausf. 1. cap. 12. quæ ad Baptismum conferendum ægrotis voluntatem suam significare non valentibus, exigunt testimonium aliorum, quo constet eos priùs voluisse baptizari. 2. Ex praxi Ecclesiæ. 3. Ex Rituali Rom. exigente ad Baptismum adulti desiderium Baptismi. Quod etiam à fortiori requiritur in aliis Sacramentis, quæ non sunt tam necessaria quàm Baptismus. Ratio est institutio Christi, qui convenienter voluit, ut nullus adultus qui rationis usum habuit, sanctitatem, vel ejus augmentum acciperet, nisi ipse consentiat in suam sanctificationem; ac proinde noluit ut Sacramenta, quæ ad sanctitatem dandam, vel augendam instituit, adulto sine suo consensu valerent. Nam ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. Justificatio est *sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Hinc S. Thom. 3. p. q. 68. art. 7. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, non esset baptizandus.*

Resp. 2. In recipiente Sacramentum ad ejus valorem sufficit intentio habitualis, seu voluntas illud recipiendi præterita, non retractata, exceptis duobus. *Prob.* 1. Ex Conciliis & Rituali supradictis; præcipientibus ut baptizetur moribundus sensibus & ratione destitutus, modò constet de præterita ejus voluntate. 2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ non reiterat Baptismum & Ordines in iis, qui illa susceperunt in mortali & in hæresi, sed cum sola voluntate recipiendi, etsi præterita.

Excipe Pœnitentiam, quia actus pœnitentis sunt ejus materia; & Matrimonium, quia ad valorem contractus requiritur consensus saltem virtualis.

Quæst. II. *Quænam dispositio requiritur ad effectum Sacramenti?*

Nota. Effectus communis omnibus Sacramentis duplex est. Primus est gratia sanctificans, seu habitualis, major, vel minor pro dispositione subjecti; & confertur eo instanti, quo Sacramentum sumitur. Secundus sunt gratiæ actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti opportuno tempore conferuntur ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti; nisi suscipiens illis se postea indignum reddat peccatis suis, vel obicem ponat: unde vocantur Gratiæ Sacramentales. Præter hos effectus, tria, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, ideóque iterari nequeunt.

Resp. 1. Ad characterem recipiendum sufficit voluntas habitualis recipiendi Sacramentum. Nam hæc sufficit ad valorem Sacramenti respectu recipientis; & dispositio quæ sufficit ad valorem Sacramenti, sufficit quoque ad impressionem characteris.

Resp. 2. Ad gratiam sanctificantem recipiendam in quinque Sacramentis

vivorum, præter intentionem habitualem requiritur ſtatus gratiæ : non autem in aliis duobus, quæ mortuorum dicuntur, nempe Baptiſmo & Pœnitentia, in quibus aliæ diſpoſitiones requiruntur. Quia priora inſtituta ſunt ad conferendum augmentum gratiæ ſanctificantis, alia verò ad eam dandam : ac proinde priora per ſe & ex inſtitutione ſua, ſaltem primaria, ſupponunt & exigunt gratiam jam acceptam ut illam augeant, nam augetur id quod jam adeſt ; alia verò non.

Hinc qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, graviter tenetur ſibi gratiæ ſtatum comparare antequam recipiat Sacramentum vivorum. Nam eſt grave ſacrilegium ponere obicem gratiæ : cùm enim Chriſtus inſtituerit Sacramenta ut eſſent efficacia gratiæ ſigna, qui illa recipit ponendo obicem gratiæ, quantùm in ſe eſt, inanem & falſam reddit eorum ſignificationem, & abutitur inſtitutione Chriſti, cui facto ſuo illudit.

Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis ſibi perfectè contritus videatur?

Reſp. Id certum eſt de Euchariſtia : de aliis aliqui etiam affirmant, ſed longè plures de jure communi negant. Quia 1. Conc. Trid. Seſſ. 13. cap. 7. docet ſolùm ob Euchariſtiæ perceptionem præcipi confeſſionem, nulla facta mentione aliorum. Et Seſſ. 24. cap. 1. ſolùm hortatur ſponſos, ut ante matrimonium confiteantur. 2. Ex Pontificali Romano : *Adulti deberent priùs peccata confiteri, & poſteà confirmari ; vel ſaltem peccata quæ admiſerunt, doleant.* Non eſt autem major obligatio in aliis. 3. Rituale Romanum dicit ſolùm de Sacerdote mortalis culpæ ſibi conſcio : *Ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pœniteat : ſed ſi habeat copiam confeſſarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* 4. Quia non reperitur tale præceptum divinum, vel humanum ſaltem commune, in ordine ad alia Sacramenta ſuſcipienda. Tamen confeſſio videtur ex inſtitutione Chriſti præponi debere Extremæ unctioni, cùm hæc ſit Pœnitentiæ complementum.

Cæterùm cùm Sacramentum Pœnitentiæ majorem certitudinem gratiæ, & meliorem diſpoſitionem conferat, ſufficiens eſt cauſa ſemper confeſſionis præmittendæ ; hæcque eſt communis fidelium praxis : *Cùm Sacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt,* ait Catech. Rom. part. 2. cap. 5. num. 59.

Reſp. 3. Ad gratias actuales Sacramentales, quas nempe Deus ſingulis Sacramentis ad finem cujusque proprium aſſequendum innexuit, recipiendas, duo requiruntur. 1. Ut eo tempore, quo homo ea auxilia recepturus eſt, ſit in ſtatu gratiæ : nam hic effectus non datur, niſi ut conjunctus gratiæ ſanctificanti ; & qui eſt in peccato redditur indignus ſupernaturalibus donis : unde in illo ſtatu nullum habet jus ad talia auxilia. 2. Ut iis non ponatur obex per diſpoſitionem actualem ipſis repugnantem.

Reſp. 4. Præter voluntatem recipiendi Sacramentum, & ſtatum gratiæ, reverentia Sacramento debita exigit devotionem actualem : quæ quantò major erit, tantò uberior fructus percipietur ; nam Sacramenta gratiam conferunt ſecundùm propriam cujusque diſpoſitionem, ex Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 7.

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTO BAPTISMI. EX SPECULATIVA.

NEmo dubitat, quin Baptiſmus ſit Sacramentum. Nam in Scriptura traduntur illius ritus externus, inſtitutio ac mandatum, & gratiæ promiſſio annexa.

1. Quidem ritus externus, Epheſ. cap. 5. *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

2. Inſtitutio & mandatum, Joann. c. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

3. Promiſſio gratiæ ipſi annexæ, Marc. c. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

Videtur autem Chriſtus Baptiſmum ſuum ante mortem ſuam inſtituiſſe.

CAPUT I.

De Eſſentia Baptiſmi.

ARTICULUS I.

Quid ſit Baptiſmus.

DIco. Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Ita Catechiſmus Romanus.

Prob. Quia hæc definitio rectè explicat naturam Baptiſmi, ut ſola expoſitione patebit. Nam 1. *Sacramentum* eſt genus, per hoc enim convenit cum aliis Sacramentis. 2. Nomen *regenerationis* ſupple ſpiritualis continet differentiam: nam per hoc differt Baptiſmus à cæteris Sacramentis, quòd hominem ſpiritualiter regeneret. 3. Cæteræ voces explicant, per quid fiat iſta generatio, & per illas ſignificantur materia & forma Baptiſmi. Per verbum *vitæ* intelligitur certa verborum formula à Chriſto præſcripta, vim habens animam vivificandi.

Baptiſmus autem dicitur regenerare, quia dat primam vitam ſpiritualem ac ſupernaturalem iis, qui naturalem acceperunt. Nam regenerare eſt quaſi ſecundò generare, vitæ naturali ſpiritualem ſeu ſupernaturalem ſuperaddendo. Quare ſolus Baptiſmus regenerat, non aliud Sacramentum, ne Pœnitentia quidem. Nam hæc non dat primam vitam ſpiritualem, ſed eam poſt Baptiſmum per peccatum mortale amiſſam reſtituit: unde eſt Sacramentum ad ſuſcitationem ſpiritualem, non verò ad regenerationem inſtitutum.

ARTICULUS II.

Quænam sit materia Baptismi.

Nota. DUplex est materia Baptismi, nempe remota, quæ est elementum, & proxima quæ est remota applicatio. Circa materiam remotam plures extitere errores. 1. Seleuciani propter hæc verba Matthæi, cap. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*, malè intellecta, adhibebant Baptismum in igne, non in aqua. 2. Jacobitæ ob eadem verba malè intellecta, loco aquæ, crucem parvulorum frontibus ferro candenti imprimebant. 3. Paulitiani, loco aquæ, adhibebant hæc verba: *Ego sum aqua viva.* 4. Demum Lutherus docuit materiam validam Baptismi esse id omne, quod balneo inservire potest, ideóque valere Baptismum in vino & lacte.

Dico 1. Materia remota Baptismi est aqua vera naturalis seu elementaris. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Act. cap. 10. *Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.*

2. Ex Traditione Patrum & perpetua Ecclesiæ praxi.

3. Ex Conc. Lateran. IV. c. 1. Florent. in Decreto pro Armenis, & ex Trident. Sess. 7. can. 2. de Baptismo: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi; atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. *ad metaphoram aliquam detorserit, Anathema sit.*

Ratio à priori est voluntas Christi. Ratio convenientiæ est, quia aqua vera & naturalis est aptissima tùm ad effectus Baptismi repræsentandos, tùm ad Sacramentum omnibus necessarium conficiendum, cùm sit communissima, illiusque usus facillimus.

Obj. 1. Joannes Baptista, Matth. cap. 3. de Christo ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Ergo ignis est materia Baptismi Christi.

Resp. Nego conseq. Nam per *ignem* ibi intelligitur charitas ardens, quæ diffunditur in cordibus per Spiritum sanctum. Ibi autem Baptismus Joannis Baptismo Christi opponitur, non quòd Baptismus Christi non fiat ex aqua, sed quia fit ex aqua fœcundata per virtutem Spiritus sancti, & mundante animam, cùm Baptismus Joannis fieret ex aqua sterili, nullam vim spiritualem habente, & cujus applicatio nihil efficeret ex opere operato.

Obj. 2. Illud 1. Joann. c. 5. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.*

Resp. Ibi agitur, non de Baptismo Christi, sed de ipso Christo cruci affixo, & salutem nostram consummante, è cujus latere fluxit aqua & sanguis.

Obj. 3. Stephanus Papa II. vel (ut alii volunt) Siricius docuit in necessitate valere Baptismum in vino, nam in suis responsis ad Monachos Monasterii Britannici sic ait: *Si vino quis propterea quod aquam non inveniebat omninò periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. (Infantes sic permaneant in ipso Baptismo.) Nam si præsens affuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.*

Resp. Hoc responsum totum suppositítium est. Nam non extat apud Scriptores

ptores contemporaneos, nec in collectionibus Canonum Ecclesiæ Romanæ & Gallicanæ. Tres verò codices, qui illud referunt, alii illud tribuunt Siricio, alii Stephano II. vel III. alii Stephano Tornacensi: vel certè adulteratum est responsum illud: nam Pontifex solùm respondit Presbyteri actionem, de qua solùm interrogatus fuerat, excusari à culpa & pœna propter bonam ejus fidem: hæc verò verba contenta parenthesi (*infantes sic permaneant in ipso Baptismo*) fuerunt ab imperitis intrusa, vel saltem culpa Librariorum mendum irrepsit.

Obj. 4. Marco Aurelio Imperante, Judæus quidam, cùm de vita periclitaretur, fuit arena in eum conjecta baptizatus in defectum aquæ, & per miraculum repentè convaluit. Ergo in necessitate potest adhiberi quidlibet aliud quàm aqua.

Resp. Nego conseq. Quia miraculum illud (si verum est) à Deo patratum est in Judæo illo propter ejus fidem & conversionem, non verò ad probandam hujus Baptismi validitatem. Et verò, teste Nicephoro hanc historiam referente, cùm res ad Dionysium Alexandrinum delata esset, ipse de ea consuluit Ecclesiam suam, *cui visum est aqua insuper* (Judæum) *ad eum modum initiatum, juxta Ecclesiæ Traditionem abluendum esse.*

Dico 2. Materia proxima Baptismi est exterior corporis ablutio, seu applicatio aquæ successiva & immediata ad corpus baptizandi. *Ita omnes.*

Prob. 1. Ex Scriptura. Matth. cap. ult. *baptizantes eos*, quibus verbis materia proxima significatur. Baptizare autem est abluere. Et ad Ephes. c. 5. *mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* In quæ verba sic habet S. Augustinus, Tract. 15. in Joann. *Quid est Baptismus? Lavacrum aquæ in verbo.*

2. Ex verbis formæ (*ego te baptizo*) quæ ablutionem significant.

3. Ex sensu & praxi Ecclesiæ, quæ Baptismum semper contulit per ablutionem.

Hæc autem ablutio dicit contactum immediatum & successivum aquæ per ministrum Baptismi applicatæ ad corpus, quæ successio oriatur ex motu locali aquæ supra corpus, vel corporis supra aquam.

Hinc valet Baptismus, sive fiat per immersionem in aquam, sive per aspersionem seu effusionem aquæ: nam tunc fit vera ablutio.

ARTICULUS III.

Quænam sit forma Baptismi.

§. I.

DIco 1. Forma Baptismi apud Latinos hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Patet ex Sacramentario S. Gregorii, ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & ex Rituali Romano. Hanc autem formam sufficere constat tùm ex his Christi verbis: *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* tùm ex Traditione & perpetua praxi Ecclesiæ, tùm ex Concil. Tridentin. Sess. 7. can. 3. de Baptismo: *Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; Anathema sit.*

Baptismi verò forma apud Græcos hæc: *Baptizatur servus Dei N. seu serva Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ita Arcudius, qui L. 1. de Concord. cap. 8. hanc esse Græcorum formam ex Euchologio multisque testimoniis ostendit contra Latinos, falsò putantes Græcos dicere, *baptizetur servus &c.*

Igitur

Igitur Græcorum forma eadem est quoad sensum, quæ apud Latinos. Quare Concil. Florent. declarat per formam Græcorum verum perfici Baptisma.

Nota. In Latinorum forma quatuor exprimuntur: 1. Actualis ablutio. 2. Persona Ministri, sive illa ablutio ut procedens à Ministro. 3. Persona baptizandi. 4. Distincta Personarum Trinitatis in una essentia invocatio. Quæritur utrùm ista omnia sint essentialia formæ.

§. II.

Dico 2. Ad valorem Baptismi exprimi debent actio baptizantis seu ablutio, & persona baptizandi; ita ut hæ voces (*baptizo te*) aut aliæ æquivalentes, sint de essentia formæ Baptismi.

Prob. 1. Ex his Christi verbis, Matth. c. ult. *Baptizantes eos*, juncta interpretatione Ecclesiæ.

2. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quæ patet in Ritualibus antiquissimis.

3. Ex Alexandro III. cap. 1. *Si quis* de Baptismo, ubi ait: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen; & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus.*

4. Ex Concil. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exteriùs Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Actus autem, qui per Ministrum exercetur, exprimitur per hæc verba (*baptizo te*) vel alia his æquivalentia.

5. Ex Alexandro VIII. qui hanc propositionem damnavit: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, &c. prætermissis illis, ego te baptizo.*

6. Ex S. Thoma 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 2. ubi ait: *Si non exprimatur actus Baptismi vel per modum nostrum, vel modum Græcorum, non perficitur Sacramentum.*

Obj. 1. Cùm Christus. Matth. c. ult. ait: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Non præcepit Apostolis ut dicerent, ego te doceo, cùm docerent. Ergo nec iis præcepit, ut dicerent, *ego te baptizo*, cùm baptizarent. Ergo hæc verba non sunt de essentia Baptismi.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia ad docendum necesse non est, ut docens dicat: *Ego te doceo.* At ut fiat Baptismi Sacramentum, quod est signum sensibile ablutionis animæ, actus externus Baptismi ad hanc ablutionem animæ significandam determinari debet à Ministro per hæc verba, *ego te baptizo*, aut æquivalentia. Unde Christus præcepit Apostolis, ut hæc posteriora, non priora verba proferrent. *Ita S. Thomas, loco cit.* Præterea hoc nobis ex Traditione & praxi Ecclesiæ innotescit.

Obj. 2. Stephanus Papa, in suis responsis approbat Baptismum collatum sine expressione personæ baptizandæ.

Resp. Hæc responsa sunt supposititia, ut supra dictum est. Præterea si essent illius, respondisset ut Doctor privatus, non ut Pastor universalis toti Ecclesiæ aliquid credendum proponens.

Obj. 3. Aliquos Doctores Catholicos sæculi duodecimi.

Resp. Hi errarunt, & eorum opinio damnata est ab Alexandro III. c. *Si quis puerum*, suprà cit.

§. III.

§. III.

Dico 3. Ad valorem Baptismi requiritur expressa & distincta invocatio trium personarum SS. Trinitatis in una essentia: ita ut hæ voces (*in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*) aut saltem aliæ, (si quæ sint) his omninò æquivalentes, sint essentiales formæ Baptismi. Est communis & certa sententia contra Magistrum Sententiarum, Adrianum, & Cajetanum, in cujus posterioribus editionibus contraria assertio jussu S. Pii V. expuncta est.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Quibus verbis juxta Ecclesiæ interpretationem & communem Patrum consensum tradita est à Christo forma Baptismi.

2. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, in qua Baptismus nunquam collatus est sine prolatione harum vocum.

3. Ex Patribus apud Bellarminum, & alios. Pro omnibus sit S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo, cap. 15. ubi ait: *Deus adest verbis Evangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest.* Per verba autem Evangelica intelligit ista, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, ut patet ex L. 3. de Baptismo, c. 15. ubi ait: *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

4. Ex Can. *in Synodo*, dist. 4. de Consecrat. ubi Zacharias Papa sic ait: *In Synodo Anglorum decretum, & judicium firmissimè præceptum, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, Sacramentum regenerationis non haberet. Quod omninò verum est: quia si lotus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti fuerit baptizatus.*

5. Ex Conc. Nicæno I. Can. 19. jubente Paulianistas rebaptizari, quia scilicet non baptizabantur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut docet Innocentius I. Epist. 22. & ex Conc. Lateranensi IV. c. 1. ubi Sacramentum Baptismi sic explicat, nempe *quoad Dei invocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filii & Spiritus sancti consecratur in aqua.*

Ratio est institutio Christi, qui hoc convenienter voluit, eò quòd Baptismus sit *fidei Sacramentum*, cap. 4. de Baptismo, ideoque decuit confici sub distincta expressione personarum SS. Trinitatis, quæ est primarium objectum fidei & fundamentum salutis.

Obj. 1. Apostoli baptizabant in solo Christi nomine, juxta illud, Act. c. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Et illud cap. 19. *Baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Quare S. Thomas 3. p. q. 66. a. 6. ad 1. docet revera Apostolos sic baptizasse ex speciali dispensatione, *ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in Baptismo.* Ergo expressio trium personarum non est essentialis formæ Baptismi.

Resp. Nego anteced. Quia 1. Christus præceperat Apostolis, ut baptizarent cum expressa invocatione Trinitatis, juxta illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Matth. c. ult. Apostoli autem omnia Christi præcepta observarunt.

2. Quia, Act. cap. 10. Paulus qui Ephesiis dicentibus se nequidem audivisse

visse an Spiritus sanctus esset, respondit: *in quo ergo baptizati estis?* Quæ verba innuunt eos non posse vero Christi Baptismo baptizari, non audito nec expresso in ejus forma nomine Spiritus sancti, proindeque aliarum personarum. Deinde dicuntur Ephesii illi baptizati fuisse *in nomine Domini Jesu*, id est, Baptismo à Christo instituto, qui ibi opponitur Baptismo Joannis, quem susceperant.

3. Quia baptizari in nomine Jesu Christi nihil aliud est, quàm baptizari vel per invocationem ac appellationem Jesu Christi Filii Dei, sine exclusione, sed cum adjunctione aliarum personarum divinarum, vel auctoritate Christi & Baptismo instituto à Christo, non Baptismo Joannis; qui primis Ecclesiæ annis usurpabatur. Vel primi Christiani dicuntur baptizati in nomine Jesu Christi, quia hoc nomen in forma Baptismi exprimebatur conjunctum cum Patre & Spiritu Sancto, in hunc modum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus sancti.*

4. Quia ratio reddendi nomen Jesu Christi honorabile non probat talem dispensationem; nam nomen Jesu conjunctum in forma cum Patre & Spiritu sancto honorabilius & amabilius redditur, quàm si solum nomen Jesu Christi expressum fuisset.

5. Quia hæc dispensatio non habet fundamentum: neque in Scriptura quæ sine illa dispensatione recta explicatur: neque in Patribus, qui docent Baptismum in nomine trium Personarum semper collatum fuisse. Pro omnibus sit S. Cyprianus Epist. ad Jubajanum, ubi ait: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizari Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt.... in nomine Jesu Christi.... Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Adde S. Augustinum, qui L. 2. seu 3. contra Maximinum, cap. 17. tanquam certum supponit eos, qui in Scriptura dicuntur baptizati fuisse in nomine Jesu Christi, fuisse tamen baptizatos cum expressa & distincta invocatione Patris & Filii & Spiritus sancti.

Inst. Act. c. 8. dicitur: *Baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.*

Resp. Vox *tantùm* ibi non excludit nomen aliarum personarum, sed solùm receptionem Spiritus sancti per manuum impositionem, id est, Confirmationem susceperant. Quod patet ex contextu, ibi enim sic legitur: *Miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Obj. 2. Ambrosius, lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. docet sufficere expressionem unius tantùm personæ Trinitatis modò baptizans rectè sentiat de Trinitate. *Nunc*, inquit, *consideremus, utrùm quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum, ita enim sancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit.*

Resp. 1. Si ita sensit, ei oppono alios Patres & Concilium Nicænum.

Reſp. S. Doctor ibi non loquitur de forma Baptiſmi, nec de iis, quæ ad ejus valorem pertinent, ſed ſolùm intendit oſtendere quod Scriptura, quando memorat aliquam perſonam divinam, eique tribuit operationem aliquam aut poteſtatem, non propterea negat alias perſonas divinas de quibus tacet, neque eas ab hac operatione aut poteſtate excludat, ſed in una perſona, alias inſinuet, quia exprimendo unam perſonam intelliguntur aliæ, cùm una non poſſit eſſe ſine aliis, & omnes eandem naturam habeant. Alioqui ſecum ipſe pugnaret; nam lib. de initiandis, cap. 4. ſic ait: *Credit Catechumenus . . . . ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum.*

Obj. 3. Nicolaus I. Can. *à quodam Judæo.* Diſt. 4. de conſecr. ait: *A quodam Judæo, neſcitis utrùm Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis agendum, conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantùm in Chriſti nomine, ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt; unum quippe idemque eſt, ut ſanctus exponit Ambroſius; conſtat eos non eſſe denuo rebaptizandos.*

Reſp. Nicolaus reſpondit ad id, de quo fuerat à Bulgaris conſultus, nempe non eſſe rebaptizandos eos, qui in forma legitima baptizati erant à Judæo dubiæ fidei. Sed erravit, ut Doctor privatus in eo, quod inſuper addidit, nempe Baptiſmum valere etiamſi detur ſolùm in nomine Chriſti. Hoc autem addidit ex privata ſua opinione, non non ut definiens, non enim de hoc conſultus fuerat, nec ullam habebat cauſam definiendi.

Obj. 4. S. Bernardus, Epiſt. 340. dicit ſe putare Baptiſmum valere à Laico rudi collatum in hac forma, *Baptizo te in nomine Dei & Sanctæ & veræ crucis.*

Reſp. Sic putando erravit, ut conſtat ex dictis, ſed hoc non putavit ut certum, ut patet ex his verbis, *Vobis de propoſita quæſtione reſpondemus, ſine præjudicio tamen ſapientiùs Sapientis.*

§. IV.

Dico 4. Ad valorem Baptiſmi ſatis eſt, ut tria prædicta exprimantur, ſcilicet actus baptizantis ſeu ablutio actualis, perſona baptizandi, & diſtincta invocatio perſonarum Trinitatis in una eſſentia.

Prob. Nam neceſſaria non eſt explicita & diſtincta expreſſio perſonæ baptizantis, ſed ſufficit, ſi in actu exercito & indirectè exprimatur, ita ut ex modo, quo verba formæ pronuntiantur, & ex circumſtantia intelligatur ablutio hæc procedere à perſona baptizante, ut conſtat ex forma Græcorum, in qua non exprimitur disertè perſona Miniſtri, & tamen eorum Baptiſmus habetur validus in Eccleſia Latina, quæ Græcos ſic baptizatos non rebaptizat. Imò Conc. Florentin. in decreto pro Armenis expreſsè approbat formam illam Græcorum.

CAPUT II.

De propietatibus Baptiſmi.

DUÆ ſunt Baptiſmi proprietates, nempe unitas, & neceſſitas.

ARTICULUS I.

Utrùm Baptiſmus iterari poſſit?

Nota. Ex dictis patet Baptiſmum eſſe ſpecie unicum, cùm una eademque ſit in omni Baptiſmo materia, forma, & ſignificatio. Quæritur

tur utrùm sit etiam numero unicus in eadem scilicet persona, hoc est, utrùm iterari possit in eadem persona jam validè baptizata.

Dico. Baptismus iterari non potest. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ephes. c. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Unum autem tùm specie, tùm etiam numero respectu ejusdem subjecti, ut exponunt Patres.

2. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, & praxi, atque consensu Patrum.

3. Ex Symbolo Constantinopolitano: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

4. Ex Conc. Vien. cap. 1. & Trid. Sess. 7. Can. 9. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima . . . unde ea iterari non possunt, Anathema sit* Idem docet Conc. Florent. in decreto de Sacramentis.

Ratio est institutio Christi, qui regenerationem spiritualem unicam esse voluit, sicut unica est generatio carnalis.

ARTICULUS II.

Utrùm Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?

Nota 1. Duplex est necessitas, nempe præcepti & medii. Illud est necessarium necessitate præcepti ad salutem, quod graviter præceptum est, & quo proinde culpabiliter omisso salus obtineri nequit, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur, sed ejus omissio inculpabilis salutem non impedit. Illud est necessarium necessitate medii, quod est medium ad salutem consequendam necessarium. Aliquid autem potest esse necessarium necessitate medii vel in re, vel saltem in voto. Illud est necessarium in re necessitate medii, quod secundùm se necessariò adhiberi debet ad salutem consequendam, ita ut nihil sit, quod ejus vicem suppleat, talis est gratia sanctificans respectu omnium. Illud est necessarium necessitate medii saltem in voto, quod necessariò debet adhiberi vel secundùm se, vel in ejus defectum secundùm aliquid ejus desiderium continens, & ejus vicem teners. propter suam quamdam eminentiam, quod tamen salutem non confert nisi intuitu illius cujus vicem tenet, & cujus votum seu desiderium vel explicitum vel saltem implicitum continet.

Nota 2. Baptismus in voto est desiderium illius saltem implicitum vel virtuale, contentum actu contritionis perfectæ, vel in actu amoris Dei super omnia propter se, & uterque dicitur Baptismus flaminis. Martyrium verò vocatur Baptismus sanguinis, & Baptismi fluminis seu aquæ vicem supplet in ordine ad remissionem peccatorum etiam quoad reatum omnem pœnæ.

Nota 3. Multi circa necessitatem Baptismi parvulorum errarunt. Nam 1. Pelagiani peccatum originale negantes, consequenter asseruere Baptismum non esse necessarium infantibus ad alicujus peccati remissionem, nec ad vitam æternam consequendam, sed solùm ad assecutionem Regni Cœlorum, quod contra Scripturam distinguebant à vita æterna. 2. Wicleffus, Zuinglius, Bucerus negarunt Baptismum esse necessarium ad remissionem peccati originalis & ad assecutionem Regni Cœlorum, imò inutilem esse infantibus. 3. Calvinus docuit Baptismum minimè necessarium esse fidelium infantibus eo quod ab utero materno in Filios Dei adoptentur, & non imputetur illis peccatum originale. 4. Cajetanus sensit parvulos adhuc in materno utero inclusos posse in necessitate justificari & salvari per Baptismum in voto parentum præsertim signo aliquo exterius mani-

manifeſtato. Quam opinionem S. Pius V. ut intolerandam expungi juſſit in nova editione Romana.

Dico 1. Extra caſum martyrii Baptiſmus eſt omnibus ad ſalutem neceſſarius in re vel in voto. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann, c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba generalia ſunt, & neminem excipiunt, atque neceſſitatem medii clarè exprimunt.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, Lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 18. ubi ait: *Quis Chriſtianorum ferat, cùm dicitur ad æternam ſalutem poſſe quemquam pervenire, ſi non renaſcatur in Chriſto, quod per Baptiſmum fieri voluit.*

3. Ex Concil. Florentin. in decreto pro Armenis: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt. Per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua & Spiritu renaſcimur, non poſſumus*, ut inquit Veritas, *in regnum cælorum introire.*

4. Ex Conc. Trid. Seſſ. 7. Can. 5. *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; Anathema ſit.* Et Seſſ. 6. c. 4. declarat primam juſtificationem, poſt Evangelium promulgatum, *ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poſſe, ſicut ſcriptum eſt:* niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Ratio eſt, quia cùm omnes in peccato originali naſcantur, nemo ſalutem conſequi poteſt ſine medio, quo ab eo liberetur & juſtificetur. Medium autem illud eſt Baptiſmus, ut conſtat ex ejus notione.

Hinc Baptiſmus eſt etiam omnibus adultis neceſſarius neceſſitate præcepti. Nam quilibet adultus Baptiſmum ſuſcipere tenetur tùm ex præcepto charitatis, quo quisque tenetur adhibere omnia media ad ſalutem neceſſaria: tùm ex præcepto divino poſitivo, quo quilibet homo tenetur Eccleſiam ingredi per Baptiſmum, qui eſt ejus janua, & fidem ſuam profiteri.

Dico 2. Extra martyrium Baptiſmus in re parvulis neceſſarius eſt ad ſalutem neceſſitate medii.

Prob. 1. Quia extra martyrium Baptiſmus eſt omnibus ſine exceptione & diſtinctione ad ſalutem neceſſarius in re vel in voto, ut fide conſtat ex 1. aſſertione. Ergo eſt neceſſarius in re infantibus, quippe qui capaces non ſunt Baptiſmi in voto, nempe actus charitatis perfectæ.

2. Ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ.

3. Ex conſenſu PP. Pro omnibus ſit S. Aug. Ep. 28. ad Hier. ubi ait: *Quisquis dixerit, quòd in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt; hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cùm baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur; aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe.* Et L. 3. de anima & ejus origine, c. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.*

4. Ex Conciliis, ſcilicet Carthaginenſi II. & Milevitano II. contra Pelagianos, in Epiſtola Synodica ad Innocent.

nocent. I. sed præsertim ex Trid. Sess. 5. Can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam ..... Anathema sit.*

Ratio est, quia parvuli omnes etiam fidelium inquinati sunt peccato originali, à quo liberari non possunt, nec proinde justificari & salvari nisi per applicationem redemptionis Christi: quæ redemptio non potest infantibus applicari nisi per Baptismum extra casum martyrii.

Obj. 1. Hæc verba Christi, Joann. c. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* non spectant parvulos, nec sonant necessitatem medii. Ergo nec ista (*nisi quis renatus fuerit, &c.*) Hanc necessitatem non exprimunt.

Resp. Nego conseq. 1. Quia Ecclesia & Traditio, per quam certò innotescit verus Scripturæ sensus priora verba de necessitate præcepti tantùm, posteriora verò de necessitate medii semper intellexit & exposuit. 2. Quia verba Scripturæ pro materia subjecta explicari debent. Posterior autem textus agit de renascentia spirituali, quæ spectat omnes, qui nascuntur peccatores, ideoque etiam infantes, & quæ est absolutè necessaria ad salutem consequendam, & ad quam conferendam solus Baptismus institutus est. Prior verò textus agit de nutritione spirituali seu augmento & conservatione vitæ spiritualis jam per Baptismum acceptæ, quæ quidem per varia media haberi absolutè potest: ideóque Eucharistia non potest esse medium absolutè necessarium ad salutem, & consequenter non potest esse necessaria nisi necessitate præcepti, cujus incapaces sunt infantes.

Obj. 2. Illud Genes. c. 17. *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te .... ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.*

Resp. Verba hæc literaliter sumpta continent tantùm promissionem specialis protectionis ac gubernationis, & bonorum temporalium: & sic ad solos Judæos spectant. Mysticè verò sumpta continent promissionem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, sed per media à Deo instituta, ideóque per Baptismum Christi nobis conferendæ.

Obj. 3. Illud 1. Cor. c. 7. *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.*

Resp. Apostolus hic per sanctos intelligit legitimos, & immunes ab omni infamia civili: unde loquitur de sanctitate impropriè dicta & civili. Nam probare vult Matrimonium fidelis cum infideli ante fidem contractum, esse legitimum, ex eo quòd liberi in tali matrimonio nati sint sancti, id est, legitimi & immunes ab omni infamia civili. Per immundos verò intelliguntur illegitimi & infames.

Obj. 4. S. Augustinus docet infantem credere per alienum opus, sicut peccavit per alienum opus.

Resp. Solùm vult infantem justificari per Sacramentum fidei seu Baptismum sibi fide aliena applicatum.

Obj. 5. Ergo innumeri infantes sine sua culpa peribunt.

Resp. Nego. Nam quamvis infantes illi sine sua culpa personali Baptismo priventur, non tamen pereunt sine sua culpa, cùm sint peccato originali inquinati, quod est uniuscujusque moraliter proprium.

Præ-

Præterea Deus ex sua misericordia media sufficientia eorum parentibus vel aliis suppeditaverat ex intentione, ut parvulis illis Baptismum procurarent. Non tenetur autem defectum causarum secundarum impedire, & novum ordinem rerum instituere, ut Baptismus re ipsa illis conferatur.

ARTICULUS III.

Utrùm Baptismus Adultorum suppleri possit per actum charitatis vel contritionis perfectæ?

DIco. Adulti sine Baptismo in re justificari & salvari possunt per Baptismum in voto, seu per actum charitatis vel contritionis perfectæ, quando Baptismum suscipere non possunt. Ideóque quoad justificationem Baptismum suppleri potest per actum charitatis vel contritionis perfectæ.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ passim remissionem peccatorum, justificationem, & amicitiam divinam promittit contritioni perfectæ & actui charitatis. Ut Ezech. cap. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . , vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Prov. c. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joann. c. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

2. Ex Patribus. Pro omnibus sint, S. Ambrosius, in oratione de obitu Valentiniani Junioris: *Quem eram regeneraturus amisi; sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.* Et S. Augustinus, l. 4. de Baptismo, c. 24. *Sicut ergo in Abraham præcessit fidei justitia, & accessit circumcisio signaculum justitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.*

3. Ex Concil. Trident. Sess. 6. c. 4. ubi de prima justificatione sic ait: *Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Ergo homo justificari potest per Baptismum in voto, hoc est secundùm sensum Ecclesiæ, per actum charitatis vel contritionis perfectæ. Et Sess. 14. c. 4. dicit contritionem charitate perfectam peccatorem Deo reconciliare, priusquàm Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Eadem est autem ratio de Baptismo.

4. Ex communi sensu Ecclesiæ, & ex c. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, ubi Innocentius III. Presbyterum non baptizatum asserit ob vitam Christianam salutem consecutum esse.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Christi, Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Resp. Hoc intelligitur de Baptismo in re vel in voto, ut exponit Concil. Tridentinum.

Obj. 2. Act. c. 22. Ananias Paulo jam perfectè contrito dixit: *Baptizare, & ablue peccata tua.*

Resp. Hoc dixit, vel quia nesciebat Paulum anteà elicuisse perfectam contritionem: vel quia Paulus non fuit justificatus nisi sub obligatione directa & speciali Baptismi posteà suscipiendi, ratione cujus obligationis ejus peccata adhuc eum gravabant: vel loquitur Ananias de ablutione totali, sive de ablutione quoad omnem tum culpæ tum etiam pœnæ reatum.

Obj. 3. S. Ambrosius, L. die iis qui initiantur, c. 2. ait: *Credit etiam Catechu-*

techumenus in crucem Domini Jesu quia & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ munus haurire.

Resp. Solùm intendit ad justificationem non sufficere fidem, sed insuper requiri actualem Baptismi cum debitis dispositionibus susceptionem, quando hic potest suscipi, & præceptum urget.

Obj. 4. Multos textus S. Augustini.

1. Tract. 13. in Joann. ait: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.*

Resp. Loquitur de Catechumeno dedignante Baptismum, tanquam sibi non necessarium, eò quòd propter aliqua bona opera meliorem se putet multis aliis baptizatis; ideóque de Catechumeno carente actu contritionis perfectæ & charitatis. Quod patet ex contextu; nam S. Doctor ibi sic ait: *Baptizatus est Dominus..... ne quis arrogans quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari Baptismo Domini. Quantumcunque enim Catechumenus* (Baptismum contemnens) *proficiat* (in aliqua virtute) *adhuc sarcinam iniquitatis portat, &c.* Quare sic distinguendum: Quantumcunque Catechumenus proficiat in virtute morali, *conc.* in charitate, *neg.*

2. L. de anima & ejus origine, cap. 9. ait: *Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Resp. Hic loquitur de parvulis. Præterea hoc est etiam verum de adultis, qui justificari non possunt, nec proinde membra Christi fieri nisi Baptismate Christi in re vel in voto suscepto.

3. L. 1. de Symbolo ad Catechum. cap. ult. dicit: *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis.... quando? quando baptizantur... Catechumeni quandiu sunt, super illos sunt peccata eorum.*

Resp. S. Doctor ibi loquitur de remissione peccatorum, prout ordinariè fit in Catechumenis, qui ordinariè non habent actum charitatis perfectæ, sed solùm amorem Dei inchoatum, qui quidem ad justificationem non sufficit, nisi cum ipso Sacramento Baptismi.

4. L. 2. De peccatorum meritis & remissione, c. 26. ait: *Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem.*

Resp. Ibi loquitur non de sanctificatione proprè dicta & interna, quæ fit per gratiæ habitualis infusionem, sed de sanctificatione impropriè sumpta, quæ fit per signum crucis, per orationem & manus impositionem supra Catechumenum, ut patet ex contextu.

5. L. 4. de Baptismo, cap. 21. ait: *Sicut bono Catechumeno Baptismi deest ad capessendum regnum cœlorum, sic malo baptizato vera conversio.*

Resp. Solùm vult Catechumenum quantumvis justificatum non consecuturum vitam æternam nisi Baptismum susceperit, cùm suscipere potest: quia nempe ad vitam æternam obtinendam requiritur perseverantia in statu gratiæ, ideóque constans usque ad mortem observatio præceptorum, inter quæ requiritur præceptum suscipiendi Baptismi.

Obj. 5. Siricius Papa, Epist. 1. valdè commendat necessitatem Baptismi in adultis.

Resp. Rectè commendat, quia cùm contritio perfecta sit valdè ardua, ideóque rara, sæpè fit, ut Catechumeni

ca-

careant charitate perfectâ, & ſolùm imperfectam dilectionem habeant, quæ ſola ſine Baptiſmo in re non ſufficit ad juſtificationem.

Obj. 6. Gennadius, Lib. de eccleſiaſticis dogmatibus, cujus ipſe, non S. Auguſtinus eſt auctor, cap. 75. ait: *Nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota Baptiſmi Sacramenta complentur.*

Reſp. Ipſi oppono auctoritatem Scripturæ, Conc. Trident. & SS. Ambroſii & Auguſtini, niſi fortè ſolùm loquatur de rebus prout per ſe & regulariter fiunt. Per ſe autem & regulariter ſeu ordinariè loquendo, nullus Catechumenus extra caſum martyrii conſequitur vitam æternam, quia extra hunc caſum per ſe & ordinariè loquendo, quiſque adultus habet facultatem Baptiſmi ſuſcipiendi.

Obſerva. Baptiſmus non ſuppletur quoad juſtificationem per actum charitatis vel contritionis perfectæ, niſi ut continentem votum ſeu deſiderium ſaltem implicitum Baptiſmi: ita ut prima juſtificatio conferatur intuitu charitatis ſeu contritionis perfectæ ſimul & deſiderii Baptiſmi, atque ſub onere ſuſcipiendi Baptiſmi ſuo tempore ſine mora vituperabili.

ARTICULUS IV.

Utrùm martyrium ſuppleat in neceſſitate Baptiſmum aquæ?

Nota. 1. TRiplex à Theologis cum ſancto Thoma diſtinguitur Baptiſmus, nimirùm Baptiſmus fluminis, qui ſolus eſt Sacramentum, & intelligitur nomine Baptiſmi ſimpliciter; Baptiſmus ſanguinis, qui eſt martyrium: & Baptiſmus flaminis ſeu deſiderii, qui eſt actus continens deſiderium ſaltem implicitum Baptiſmi, & ſufficiens ad juſtificationem ex opere operantis, qualis eſt ſolus actus charitatis vel contritionis perfectæ, qui dicitur etiam Baptiſmus in voto.

Nota 2. Martyrium vi vocis ſignificat teſtimonium. Ex uſu Eccleſiæ eſt teſtimonium fidei divinæ vel in ſe, vel in actu alicujus virtutis firmatum. Ad martyrium in omnibus tùm adultis tùm parvulis duo requiruntur, nempe mors ſeu tormentum ex ſe mortis illativum, & cauſa motiva ſeu motivum mortis, nempe odium fidei, religionis, aut virtutis alicujus chriſtianæ.

Hinc qui peſtiferis ex charitate intervenientes, mortem contrahunt, non ſunt Martyres propriè loquendo, quia non ſubeunt mortem ob fidei vel alicujus alterius virtutis defenſionem. Sunt tamen ferè æquales aut ſuppares Martyribus, quatenùs mortem ſubeunt propter charitatis exercitium. Quare Martyrologium Romanum 28. Februarii faciens mentionem de quibuſdam in peſtiferorum obſequio extinctis ait: *Quos velut Martyres religioſa fides venerari conſuevit.*

Nota 3. Martyrium in adulto ſumitur dupliciter. 1. Pro morte ipſa ob Chriſti fidem vel chriſtianam virtutem tolerata. 2. Pro interna acceptatione, quæ eſt formaliter actus fortitudinis, & à qua mors habet ut ſit voluntaria, & quæ proinde ad martyrium adulti requiritur.

Dico 1. Adultorum martyrium ſupplet defectum Baptiſmi, quoad conſecutionem gratiæ ſanctificantis & gloriæ. Eſt omninò certum.

Prob. 1. Ex Scriptura. Matth. cap. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et inferius: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Quibus verbis juxta interpretationem Patrum omnium, & ſenſum

ſum omnium fidelium vita æterna promittitur Chriſtum confitenti, & pro illo vitam profundenti.

2. Ex conſenſu Patrum. Hic ſufficiat S. Auguſtinus, Lib. 13. de civitate Dei c. 7. ubi ait: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi ablueruntur ſacro fonte Baptiſmatis.* Peccata autem mortalia non dimittuntur niſi per gratiam ſanctificantem, quæ ſimul eſt ſemen & menſura gloriæ cœleſtis.

Dico 2. Adultorum martyrium ſupplet defectum Baptiſmi etiam quoad remiſſionem omnis pœnæ peccatis debita, ita ut Martyres continuò poſt mortem beatitudine æterna perfruantur. Omninò conſtat.

Prob. 1. Ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ, quæ nunquam oravit pro Martyribus, ſed potiùs illos orat.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, ſerm. 17. de verbis Apoſtoli, ubi ait: *Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quòd fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum usque ad ſanguinem.*

3. Ex cap. *Cùm Martha* de celebratione Miſſarum, ubi Innocentius III. ait: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Dico 3. Martyrium ſupplet in infantibus defectum Baptiſmi quoad juſtificationem. *Ita Theologi cum S. Th. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1.* & ita conſtat, ut graves Theologi oppoſitum cenſeant temerarium, aut etiam erroneum.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. cap. 10. ubi Chriſtus generaliter dicit: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Quod Patres etiam intelligunt de infantibus, qui occiduntur in odium fidei chriſtianæ: enim verò ii verè perdunt animam ſeu vitam ſuam propter Chriſtum.

2. Ex Patribus, qui longa ſerie videri poſſunt apud Auctores. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus L. 3. de Symbolo, cap. 4. ubi loquens de parvulis ab Herode occiſis, ait: *Præſtitit eis Chriſtus, ut pro Chriſto morerentur: præſtitit, ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur; nati ſunt ad mortem, ſed continuò eos mors reddidit vitæ.*

3. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ ſemper ſenſit infantes juſtificari, & eximiè ſanctificari per mortem iis illatam in odium Chriſti, & infantes Chriſti cauſa ab Herode occiſos ſemper coluit ut Martyres & eximiè Sanctos.

4. Quia infantes ſunt capaces martyrii, ut conſtat ex Patribus & ſenſu Eccleſiæ: enim verò occidi poſſunt Chriſti cauſa & in odium fidei. Martyrium autem habet vim juſtificandi juxta illud Chriſti, Matth. cap. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Et quidem eximiam ſanctitatem confert, ut conſtat ex Patribus & praxi Eccleſiæ, quæ ſanctos Innocentes ut Martyres & eximiè Sanctos colit, eo quòd fidem non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſint.

Obj. 1. Illud Joann. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Reſp. Hoc intelligi debet cum exceptione martyrii; ut conſtat ex Traditione, & ex his aliis Chriſti verbis, Matth. c. 10. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Quam quidem exceptionem tradit S. Auguſtinus, L. 13. de Civit. c. 7. & L. de anima & ejus origine, cap. 12. ideoque cùm de neceſſitate Baptiſmi loquitur,

quitur; cum hac eadem exceptione intelligi debet.

Obj. 2. Conc. Trident. Seſſ. 6. c. 4. docet neminem poſt promulgatum Evangelium juſtificari ſine Baptiſmo in re vel in voto.

Reſp. Hoc dicit cum tacita exceptione martyrii, quam continet Scriptura: nam loquitur de juſtificatione, quæ fit mediis à Chriſto inſtitutis ac præſcriptis, & ſine quibus juſtificatio ordinariè obtineri nequit.

Obj. 3. Exemplum Innocentum, quos Eccleſia colit, nil probat. Ergo malè in probationem allatum eſt.

Reſp. Nego anteced. Nam Eccleſia illos non coleret, niſi propter mortem Chriſti cauſa obitam, eximiam ſanctitatem conſecuti fuiſſent: *Tanta quippe eſt precum Eccleſiæ auctoritas,* inquit S. Proſper, *ut legem credendi ſtatuat lex ſupplicandi.*

Dices. Infantes omnes ab Herode occiſi, per Circumciſionem juſtificati ſunt. Ergo eorum exemplum nil probat.

Reſp. Nego anteced. Nam maximus fuit infantium ab Herode occiſorum numerus; ipſe enim *mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra*, Matth. cap. 2. Sed inter eos multi nondum octavum diem attigerant, nec proindè circumciſi erant, & tamen Eccleſia omnes indiſcriminatim colit ut Martyres. Præterea Eccleſia non colit Innocentes titulo ſanctitatis per Circumciſionem acceptæ: nam eos colit ut eximiè & ſingulariter Sanctos; ac proinde eos colit titulo ſanctitatis eximiæ & ſingularis, qualis non erat ſanctitas per Circumciſionem accepta, ſed per mortem Chriſti cauſa obitam.

Dices. Saltem Innocentes hanc eximiam ſanctitatem accepere ex ſingulari privilegio, quod ad alios extendi non debet.

Reſp. Nego. Tùm quia hoc ſingulare privilegium nullum habet fundamentum in Scriptura & Traditione: tum quia Patres eorum eximiam ſanctitatem ſolùm donant morti pro Chriſto obitam.

Obj. 4. Si vera eſt noſtra aſſertio, infantes in utero materno occiſi in odium fidei juſtificabuntur. Falſum conſeq. Ergo. *neg min. probatur.* Illi infantes non poſſunt juſtificari per Baptiſmum. Ergo nec per martyrium.

Reſp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia infans in utero materno exiſtens occidi poteſt in odium Chriſti, perindè ac ſi natus eſſet, ideóque martyrium ſubire, & per illud juſtificari. At non poteſt in hoc ſtatu aqua ablui, nec proinde per baptiſmum juſtificari.

Obj. 5. Martyrium eſt actus fortitudinis, qui rationis uſum exigit. Ergo infantes ſunt incapaces martyrii, nec proinde poſſunt per illud juſtificari. Ergo, &c.

Reſp. Martyrium ſumptum pro interna acceptatione mortis eſt actus fortitudinis: at non eſt, ſi ſumatur pro morte propter Chriſtum obita, cujus capaces ſunt infantes, & cui annexa eſt juſtificatio ſine ulla acceptatione & diſpoſitione reſpectu infantium, utpote illius incapacium.

Equidem ad martyrium adulti requiritur in eo voluntaria mortis acceptatio, ſicut ad valorem Baptiſmi voluntas illum ſuſcipiendi. At in infante nihil ex ejus parte ad utrumque requiritur, quia nullus actus propriæ voluntatis capax eſt.

Porro dixi: Baptiſmum in adultis & infantibus ſuppleri per martyrium quoad gratiam ſanctificantem & remiſſionem peccatorum. Nam non poteſt per illud ſuppleri quoad alios effectus, videlicet quoad impreſſionem characteris, capacitatem proximam ſuſci-

piendi alia Sacramenta, jus participandi bona Eccleſiæ, & incorporationem cum Eccleſia, & ſubjectionem poteſtati ac jurisdictioni Eccleſiæ. Neque martyrium liberat ab obligatione ſuſcipiendi Baptiſmi; ita ut ſi Martyr ad vitam revocaretur, baptizari deberet.

ARTICULUS V.

Quænam diſpoſitiones ad valorem martyrii & ejus effectum in adulto requirantur?

DIco 1. Ad martyrium adulti requiritur acceptatio mortis ob fidei aut alterius virtutis chriſtianæ defenſionem ſeu exercitium illatæ. Tum quia adultus non poteſt gratiam ſanctificantem ejusve augmentum recipere ſine libero aliquo ejus conſenſu, ut patet in Sacramentis neceſſariò requirentibus conſenſum ſuſcipientis. Tum quia martyrium in adulto eſt actus fortitudinis, qui debet eſſe voluntarius.

Sed circa hoc tria obſervanda ſunt. 1. Mors acceptari debet ex motivo honeſto ſupernaturali, cùm martyrium ſit actus voluntatis. Unde ſi quis mortem in odium fidei illatam ſuſtineret ex vanæ gloriæ motivo, non eſſet Martyr. Nam nemo poteſt per voluntatem malam aut etiam indifferentem cenſeri velle reddere teſtimonium Chriſto.

2. Ad martyrium ſufficit voluntas habitualis, qua mors acceptata fuit, nec requiritur acceptatio actualis vel virtualis. Quia mors non debet eſſe Martyri voluntaria per modum effectus à ſe ponendi, ſed ſolum per modum objecti voliti.

3. Acceptatio mortis excludere debet voluntatem ſe defendendi. Tùm quia alioqui Martyr non perfectè conformaretur Chriſto, qui inſtar agni coram tondente ſe obmutuit. Tùm quia milites, qui ex intentione religionem defendendi pugnantes occiduntur, licèt in hoc multùm mereri poſſint, tamen non ſunt propriè Martyres, ut patet ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ tales nunquam habuit ut Martyres. Imò Phocæ Imperatori aliisque tale martyrii genus inducere volentibus, ſemper reſtitit, ut teſtatur Baronius, in notis ad Martyrolog.

Dico 2. Per ſe loquendo in adulto juſto ſufficit ad martyrium acceptatio mortis ex motivo aliquo honeſto ſupernaturali, præſuppoſito actu charitatis præterito, quo velit potiùs mori quàm Chriſtum negare. Nam is habet omnia requiſita ad martyrium, nec ponit obicem ejus effectui.

Dixi, per ſe loquendo. Quia inſtans martyrium non liberat ab obligationibus in articulo mortis omnibus, etiam juſtis communibus: quales ſunt obligationes ſuſcipiendi Baptiſmi, ſi nondum ſuſceptus eſt, confitendi peccata mortalia per contritionem perfectam remiſſa, ſed nondum confeſſa, eliciendi actus fidei, ſpei & charitatis, qui præcipiuntur omnibus in articulo mortis, &c. Nam hæ & aliæ ejusmodi obligationes implendæ ſunt, non per modum diſpoſitionis prærequiſitæ ad valorem martyrii, ſed per modum obſervationis præceptorum, quæ tunc urgent. Quare ſi hæ obligationes voluntariè omitterentur, grave admitteretur peccatum, & ſic impediretur effectus martyrii.

Dico 3. Ad valorem & effectum martyrii in adulto peccatore, præter acceptationem mortis ex aliquo motivo honeſto & ſupernaturali, requiritur pœnitentia ſeu contritio ſaltem imperfecta. Nam Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. generatim docet Pœnitentiam univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore fuiſſe neceſ-

necessariam ad justificationem etiam per Baptismum obtinendam, quod probat ex illo Christi, Luc. cap. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

De hactenus dictis consentiunt Theologi. Sed controversia est inter illos, utrùm per martyrium Baptismus adultorum supplere possit, peccatorumque remissio & justificatio obtineri, secluso actu charitatis perfectæ, quo acceptetur mors in odium fidei illata.

Non pauci negant cum S. Thoma, qui in Summa mutavit sententiam contrariam, quam in l. 4. sent. edocuerat; num. 3. part. q. 66. art. 12. dicit virtutem Spiritus sancti operari in Baptismo sanguinis potissimùm per dilectionis fervorem. Et ad 2. sic ait: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, & non è converso.* Et 2. 2. qu. 124. art. 2. ad 2. ait: *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas sicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem sicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est, quòd martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis. Inde etiam est, quòd utramque virtutem manifestat. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus.*

Ratio illorum est, quia martyrium adulti est mors pro Christo tolerata & acceptata. At mors pro Christo tolerata & acceptata, est mors liberè tolerata ex amore amicitiæ erga Christum. Nam mori liberè pro aliquo in sensu proprio, est mori ex amore amicitiæ erga illum, juxta illud Christi, Joann. c. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quæ verba significant animam suam ponere pro amicis, esse illam ponere ex amore erga illos. Ergo.

Nihilominus, inquiunt, martyrium rectè dicitur supplere Baptismum quoad præcipuos effectus: quia martyrium peccata omnia tum quoad culpam, tum etiam quoad omnem pœnam remittit sicut Baptismus, licèt id non præstet nisi dependenter ab actu charitatis quo acceptetur. Et quamvis solus charitatis actus justificet, per modum scilicet dispositionis proximæ, tamen justificatio Martyris adulti tribui potest simpliciter martyrio, tùm quia actus charitatis facit moraliter unum totalem actum cum morte acceptata & tolerata, qui totalis actus dicitur martyrium: tùm quia gratia annexa morti illatæ pro Christo, est longè major, quàm ea quæ datur propter actum charitatis, & utraque simul ac indivisibiliter datur per modum unius eximiæ sanctitatis habitualis, per quam Martyr justificatur & constituitur, eximiè sanctus. Denominatio autem tribuitur notiori parti. Item martyrio, ex privilegio à Christo ei concesso, annexa est longè altior & excellentior gratiæ sanctificantis proindeque gloriæ gradus, quàm Baptismo.

CAPUT III.
De Ministro & Subjecto Baptismi.

ARTICULUS I.
Quinam possint validè baptizare?

Dico. Quilibet homo, ratione utens, potest validè baptizare.

Prob. 1. Ex Conc. Later. IV. c. 1. definiente. *Sacramentum Baptismi in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum, proficere ad salutem.*

2. Ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis, ibi: *In causa autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaco-*

Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Si autem in caſu neceſſitatis quilibet etiam paganus, baptizare poteſt: poteſt quoque validè extra hunc caſum: nam Sacramentorum eſſentia & valor invariabilis eſt. Præterea, ſi in neceſſitatis caſu quilibet poteſt validè baptizare, manifeſtè ſequitur ad validè baptizandum non requiri ordinationem vel jurisdictionem, vel ſpecialem deputationem aut commiſſionem, vel fidem ac ſanctitatem. Si autem hæc omnia non requiruntur in Miniſtro ad valorem Baptiſmi, certè quilibet homo validè in quovis caſu baptizate poteſt, modò debitam materiam & formam Baptiſmi cum debita intentione adhibeat.

3. Ex Can. *Romanus* de conſecrat. diſt. 4. ubi dicitur: *Spiritum Dei ſubminiſtrare gratias Baptiſmi, licèt paganus ſit; qui baptizat.* Et cap. *à quodam Judæo*, ibid.

4. Ex praxi Eccleſiæ.

Ratio eſt voluntas Chriſti, qui cùm omnium ſalutem velit, voluit ut medium ad eam omnibus neceſſarium ab omnibus conferri poſſit, ne quis eo privetur.

Obj. 1. Can. *Si quis per ignorantiam*, q. 1. in quo dicitur iterum baptizandos eſſe, qui fuerunt baptizati à non baptizato.

Reſp. Cum Gloſſa, hunc Canonem duas partes habere: in prima, quæ interrogativè ſumenda eſt, quæritur an ſint rebaptizandi, qui fuerunt baptizati à non baptizato. In ſecunda autem, quæ incipit, *ſed Romanus Pontifex*, continetur reſponſio, nempe valere Baptiſmum etiam à pagano collatum.

Obj. 2. Can. 52. de conſecrat. diſt. 4. in quo Gregorius II. ſic ait: *Quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.*

Reſp. Cum S. Thoma & Gloſſa, ibi agi de paganis, qui non baptizabant in legitima forma, nempe cum expreſſa invocatione perſonarum SS. Trinitatis. Unde Pontifex jubet ab illis baptizatos baptizari in nomine perſonarum Trinitatis.

Obj. 3. Conc. Eliberitanum, Can. 37. ſic ait: *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum.*

Reſp. Hoc exigit non ad validam præciſè, ſed ad validam ſimul & licitam Baptiſmi adminiſtrationem, in caſu quo poſſit eligi dignior Miniſter.

Obj. 4. Sanctus Baſilius, Epiſt. 1. ad Amphilochium docet non valere Baptiſmum à laico collatum; nam ſic ait: *Qui autem abrupti ſunt* (per hæreſim ab unitate Eccleſiæ) *laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habent poteſtatem . . . quare eos, qui ab ipſis baptizati erant, tanquam à laicis baptizatos juſſerunt* (Cyprianus & Firmilianus) *ad Eccleſiam venientes, vero Eccleſiæ Baptiſmo expurgari.*

Reſp. Re vera in hoc utroque errore verſatus fuit cum Cypriano & Firmiliano, nempe non valere Baptiſmum ab hæreticis & à laicis collatum, ſed iis oppono Traditionem Apoſtolicam ſemper in Eccleſia particulari Romana, quæ cæterarum omnium Eccleſiarum mater & magiſtra eſt, ſervatam, & alios Patres, ut S. Auguſtinum, lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 13. S. Hieronymum, dialogo adversùs Luciferianos, &c.

Obj. 5. S. Auguſtinus, lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 3. ait: *Et hæc quidem alià quæſtio eſt, utrùm & ab iis qui nunquam fuerunt Chriſtiani,*

stiani, possit Baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.

Resp. S. Doctor, si nunc viveret, jam de hoc non dubitaret, cùm habeamus auctoritatem Concilii generalis, nempe Lateranens. IV. quod cap. 1. generaliter docet Baptismum à quocumque ritè collatum, proficere ad salutem, ideoque valere. Item habemus auctoritatem Concilii Florentini in decreto Eugenii ab Ecclesia recepto. Imò S. Augustinus ipse suum dubium postea deposuit, ut patet ex l. 7. de Baptismo, c. 53. ubi ait: *Si eo modo affectus essem, quo eram, cùm ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque & à quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione & cum aliqua fide suscepissent.*

Obj. 6. Soli Apostoli & eorum successores Episcopi habent potestatem baptizandi, juxta illud Matth. c. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Resp. Christus his verbis ordinarium docendi & baptizandi munus confert Apostolis & eorum successoribus Episcopis, ita ut nemo licitè possit baptizare nisi cum subordinatione & dependentia ab illis. Non tamen ad solos Apostolos eorumque successores potestatem baptizandi restringit, ut constat ex Traditione.

ARTICULUS II.

Quinam possint licitè baptizare?

DICO. 1. In casu necessitatis quilibet etiam laicus, sive vir, sive mulier, potest licite baptizare in defectum dignioris, modo sit in statu gratiæ.

Prob. Quia quilibet lege charitatis tenetur suppeditare proximo medium salutis necessarium, nisi alius dignior adsit, qui possit & velit illud subministrare. Quod addo, quia reverentia Sacramento debita exigit, ut digniores præferantur: nisi tamen minùs dignus sit peritior digniore.

Dico 2. Extra casum necessitatis non licet cuilibet baptizare. *Ita omnes.*

Prob. Quia solus Sacerdos sive sit Episcopus, sive Presbyter, est ordinarius Baptismi Minister, & quidem Presbyter cum subordinatione & dependentia ab Episcopo. Constat ex Conc. Florent. in Decreto Eugenii, ibi: *Minister* (ordinarius) *hujus Sacramenti* (Baptismi) *est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Et ex Can. *Diaconus*, dist. 93. ubi Gelasius Papa de Diaconis dicit: *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant.* Unde S. Isidorus, c. *constat*, de consecrat distinct. 4. dicit: *constat baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum.*

Igitur Diaconus est tantùm extraordinarius Minister Baptismi: & verba ordinationis Diaconi solùm significant eum ex legitima causa assumi posse ab Episcopo ad baptizandum etiam solemniter. Nam cùm Diaconus per ordinationem suam non accipiat potestatem in verum Christi corpus, illud scilicet conficiendo sub speciebus panis & vini per consecrationem, non fit idoneus per ordinationem suam ad hoc, ut ei committatur potestas ordinaria in corpus Christi mysticum, ideoque ut ei committatur potestas ordinaria ministrandi aliquod Sacramentum. Tamen in hoc differt Diaconus ab aliis Clericis inferioribus, quod extra casum necessitatis ob aliquam causam gravem possit ex Episcopi commissione habere licentiam extraordinariam baptizandi, quam habere non possunt alii Clerici inferiores; ac proinde nunquam possunt habere licentiam baptizandi solemniter ut Diaconi. Nam Patres & Canones solis Diaconis licentiam extraordinariam baptizandi extra casum

casum necessitatis ob aliquam gravem causam ex commissione habere posse docent.

Imò solus Sacerdos proprius, seu Episcopus, vel Parochus, aut alius ex alterutrius commissione extra necessitatem licitè baptizare potest. Quia hoc munus pertinet ad Pastorem: nam potestas & jus admittendi ad Ecclesiam pertinent ad pastorem, qui præest illi Ecclesiæ particulari, cui baptizatus aggregatur. Homo autem per baptismum recipitur in Ecclesiam, & fit ejus membrum. Hoc munus baptizandi primariò competit Episcopis, utpote Ecclesiæ Principibus, secundariò autem Presbyteris adjutoribus Episcoporum, ut docent Patres. Unde Presbyteri non habent potestatem baptizandi, nisi ut exercendam cum dependentia ab Episcopo.

ARTICULUS III.

Utrùm infantes baptizari possint?

Nota. ANabaptistæ docent Baptismum conferri non posse nisi adultis. Imò multi inter illos contenderunt adultos non esse baptizandos, nisi anno trigesimo, qua ætate Christus baptizatus est. Hanc hæresim secuti sunt Sociniani, & ante hos omnes sæculo scilicet duodecimo docuerat Henricus quidam, negans licere infantes baptizare.

Dico. Infantes baptizari possunt validè & licitè. Est de fide.

Prob. Ex Traditione Patrum. Pro omnibus sint sanctus Irenæus, lib. 2. cap. 39. *Omnes venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum infantes & parvulos, &c.* S. Hieronymus, lib. 3. contra Pelag. *Si unum & in parvulis & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos . . . . Credatis.* S. Augustinus, l. 4. de Baptismo c. 23. *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem . . . tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.*

2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper parvulos baptizavit. Quam consuetudinem ex Traditione Apostolica ortam esse docet S. Augustinus, lib. 10. de Genesi ad litteram, c. 23. ubi ait: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

3. Ex Conciliis Carthagin. scilicet sub S. Cypriano, Milevitano II. Viennensi generali; Clement. unica, de Summa Trinit. ubi de Baptismo dicitur: *Credimus esse tàm adultis quàm parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.* Et Trident. Sess. 5. Can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . Anathema sit.* Et Sess. 7. Can. 13. *Si quis dixerit parvulos, eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, Anathema sit.*

Ratio est, quia infantes salvari possunt, etiamsi moriantur ante usum rationis, ut fide constat. Ergo etiam ante usum rationis justificari possunt: nemo enim salvatur, nisi decedat in statu justitiæ. Atqui extra casum martyrii justificari non possunt ante usum rationis, nisi per Baptismum. Ergo etiam ante usum rationis justificari possunt per Baptismum: ac proinde ante

ante usum rationis capaces sunt Baptismi.

Obj. 1. Nemo baptizari potest, nisi priùs instruatur & credat, juxta illud, Matth. c. ultim. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Marc. c. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Sed infantes non sunt capaces instructionis & fidei. Ergo nec Baptismi.

Resp. Neg. maj. Nam in primo textu Christus jubet solùm instructionem præmitti Baptismo adultorum; ita tamen ut baptizari possint ii, qui non sunt capaces instructionis, ut constat ex Traditione, quæ verum sensum Scripturæ continet. In secundo autem textu exprimitur tantùm necessitas credendi in adultis ad recipiendam gratiam sanctificantem in Baptismo.

Obj. 2. Non extat in Scriptura præceptum de parvulorum Baptismo. Ergo illi non debent baptizari.

Resp. 1. *Nego conseq.* Nam non omnia à Deo revelata continentur in Scriptura; sed præter Scripturam habemus Traditionem divinam, quæ tam est verbum Dei, quàm Scriptura. Hæc autem Traditio docet baptizandos esse parvulos.

Resp. 2. Præceptum illud rectè colligitur ex textu Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* cujus universalitas parvulos etiam comprehendit.

Obj. 3. Tertullianus, lib. de Baptismo, cap. 18. censet expectandum esse usum rationis ad Baptismum suscipiendum.

Resp. Non ideo negat validum esse Baptismum parvulorum, cùm doceat eos in necessitate baptizandos esse. Sed solùm putat extra necessitatis casum magis expedire dilationem Baptismi usque ad adultam ætatem: in quo erravit, ut patet ex universa Ecclesiæ praxi, quæ semper infantes recens natos baptizari diligentissimè curavit, propter mortis periculum, quod in parvulis semper est timendum, ut observat S. Thomas, & ostendit experientia.

Obj. 4. S. Gregorius Nazianz. orat. in sanctum Baptisma censet expectandum esse saltem triennium ætatis, ut parvuli aliquo modo respondere possint.

Resp. Ei anteponi debet auctoritas aliorum Patrum, & praxis Ecclesiæ. Ipse verò Gregorius nihilominus sensit validum esse Baptismum parvulorum recèns natorum, eosque baptizandos esse, cùm imminet mortis periculum; nam loco citato sic ait: *Quid autem de iis dices, qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt; An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus si quod periculum urgeat: præstat enim sine sanctitatis sensu sanctificari, quàm citra Baptismum, atque initiationem vitæ discedere.*

Obj. 5. Christus anno ætatis trigesimo baptizatus est. Ergo suscipi non debet Baptismus ante adultam ætatem.

Resp. Neg. conseq. Quia Baptismus, quem Christus suscepit, fuit actus humilitatis ac pietatis, non remedium peccati, à quo erat immunis. At Baptismus, quem Christus instituit, est peccati remedium, cujus capaces sunt infantes, & quod non potest citiùs recipi.

CAPUT IV.

De effectibus Baptismi, & dispositionibus ad illos requisitis.

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus Baptismi?

Dico. Multi & præstantissimi sunt effectus Baptismi. Nam,

I. Remittit peccatum originale, & omnia peccata personalia tùm quoad cul-

culpam, tùm quoa d pœnam omnem etiam temporalem. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ephes. c. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

Prob. 2. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres apud Bellarminum & alios.

Prob. 3. Ex Conc. Florent. in decreto Eugenii, ibi: *Hujus Sacramenti* (Baptismi) *effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt.*

Prob. 4. Ex Conc. Trident. Sess. 5. Can. 5. ubi ait: *Nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui . . . . innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.*

II. Baptismus confert gratiam habitualem, virtutes infusas, & alia dona supernaturalia, quibus homo sanctificatur & interiùs renovatur. Nam Baptismus institutus est ad conferendam primam justificationem, quæ hæc omnia complectitur. Præterea ex Concil. Trident. Sess. 7. Can. 6. Sacramenta gratiam non ponentibus obicem conferunt.

III. Dat jus quoddam ad gratias actuales ad finem sibi proprium assequendum, nempe ad sanctè & Christianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, ejus hæredes, & cohæredes Christi. Patet ex dictis de Sacramentis in genere.

IV. Imprimit characterem indelebilem, unde repeti non potest in eadem persona, ut ibidem probatum est.

V. Efficit membrum Ecclesiæ, ejusque potestate subjicit. Nam *per Baptisma de corpore efficimur Ecclesiæ*, inquit Concil. Florentinum.

VI. Tribuit capacitatem suscipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia. Nam ex cap. 2. de Cognat. spirit. Baptismus est *Sacramentorum fundamentum & janua reliquorum.* Unde Conc. Nicæn. I. Can. 19. statuit, ut Clerici invalidè baptizati rebaptizentur, & iterum ordinentur.

ARTICULUS II.

Quænam dispositiones in Adultis requirantur ad effectus Baptismi percipiendos?

DIco 1. Ad obtinendum characterem sufficit voluntas recipiendi Baptismum, ex cap. *majores* de Baptismo. Quia hæc sufficit ad valorem Baptismi; & Baptismus validus semper confert characterem, cùm nunquam repeti possit. Eadem voluntas sufficiat etiam ad consequendam capacitatem suscipiendi alia Sacramenta, & subjectionem potestati Ecclesiæ: nam hi effectus semper annexi sunt characteri baptismali.

Dico 2. Ut Adultus jam justificatus per contritionem perfectam vel actum charitatis perfectæ, recipiat in Baptismo augmentum gratiæ & jus ad gratias actuales sacramentales, requiritur voluntas suscipiendi Baptismum ex motivo aliquo supernaturali: nam ad hæc recipienda requiritur consensus illis proportionatus. Sed hæc voluntas sufficit: nam non est ratio plus exigen-

exigendi; cùm jam in hoc homine præcesserint actus fidei, spei, charitatis perfectæ, & pœnitentiæ de peccatis personalibus, & propositum servandi omnia præcepta &c.

Dico 3. Ut Adultus habens solum originale peccatum (si quis sit) consequatur justificationem seu gratiam sanctificantem & remissionem peccati originalis, non requiritur pœnitentia: nam hæc solùm potest esse de peccatis actualibus voluntate physicè propria commissis; sed ex Conc. Trid. Sess. 6. c. 6. requiruntur hi actus; 1. Fides, qua explicitè credat existentiam unius Dei remuneratoris, mysteria Trinitatis & Incarnationis; & generatim vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt; atque illud inprimis: à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Nam fides explicita horum omnium necessaria est necessitate medii ad salutem. 2. Spes justificationis & vitæ æternæ consequendæ, juxta illud Marc. cap. 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et Rom. 8. *Spe enim salvi facti sumus.* 3. Dilectio, qua Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant. Nam nemo sine aliquo Dei amore est sufficienter comparatus ad divinam amicitiam. 4. Propositum efficax servandi omnia præcepta, & christianè vivendi. Nam sine illo non potest sincerè consentire in amicitiam divinam, cùm observatio omnium præceptorum necessaria sit ad Dei amicitiam conservandam, & suum erga Deum amorem significandum, juxta illud, Joann. c. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate .... qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* 5. Voluntas suscipiendi Baptismi. Nam sine hac voluntate invalidus est Baptismus in Adulto, ut ex dictis constat.

Dico 4. Ut Adultus habens præter peccatum originale alia personalia mortalia, justificationem consequatur in Baptismo, præter actus fidei, spei, dilectionis memoratos cum proposito servandi præcepta & voluntate recipiendi Baptismi requiritur pœnitent. seu dolor de peccatis. Constat ex Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et ex Concil. Tridentin. Sess. 6. cap. 6. *Ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.*

Hæc autem pœnitentia debet esse supernaturalis, absoluta, universalis, efficax, incompossibilis cum ullo affectu ad mortale peccatum, & appretiativè summa. Non tamen requiritur perfecta contritio; nam cùm Baptismus institutus sit ad remittendum peccatum originale, & alia peccata personalia ante ipsum commissa, non prærequirit dispositionem, quæ hunc effectum producat: alioqui semper supponeret & exigeret effectum, ad quem producendum ordinatur ex institutione sua; quod est absurdum.

TRACTATUS
DE
BAPTISMO.

Baptiſmus eſt Sacramentum ad ſpiritualem regenerationem à Chriſto inſtitutum, conſiſtens in ablutione per aquam naturalem, & prolatione horum verborum, aut æquivalentium: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Quæſt. I. *Quænam eſt materia Baptiſmi?*

Reſp. 1. Materia remota eſt aqua vera naturalis, ſeu elementaris. Fide conſtat. 1. Ex Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* 2. Ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ. 3. Ex Conc. Later. Florent. & Trident. Seſſ. 7. can. 2.

Sed obſerva. 1. Sufficit aqua elementaris propriè dicta, quamvis rebus aliis ſit tantulùm permixta, modò uſum communem & æſtimationem aquæ retineat. Hinc valet Baptiſmus in aqua fontana, pluviali, marina, ſive frigida, ſive calida, quamvis ſit turbida, lutulenta: ſulphurata, ferruginea, modò non ſit corrupta. Item in aqua reſoluta ex nive, grandine, aut glacie, vel ex panno madido, aut luto expreſſa: quia hæc ſunt aqua naturalis. Imò juxta S. Thom. in lixivio. At non valet in vino lymphato, ſaliva, ſputo, lacrymis, ſudore, aliove ſimili humore: in cervìſia, ptiſana, juſculo, in liquore ex vitibus defluente, aut ex herbis floribusve expreſſo, vel in aqua roſeacea, ex *S. Thoma 3. part. quæſt. 66. art. 4. ad 5.* Nam iſta non ſunt aqua propriè dicta & elementaris. Neque valet in glacie, nive, pruina, & ſimilibus nondum reſolutis: nam in hoc ſtatu non ſunt aqua naturalis & uſualis, quæ ſcilicet etiamnum retineat aquæ uſum, & poſſit proximè abluere corpus: alioqui non verificaretur forma: *Ego te baptizo*, hoc eſt, abluo. Idem dic de aqua, cujus tanta ſit permixtio, ut potiùs cenſeatur corpus mixtum, quàm aqua.

2. In articulo mortis, quando haberi non poteſt materia certa, debet adhiberi qualiscumque dubia, ſub hac conditione, *Si hæc materia ſit ſufficiens*, & ad hoc ſufficit etiam tenuis probabilitas; quia in neceſſitate ſubveniendum eſt ſaluti proximi omni modo meliori quo poteſt. Hinc in extrema neceſſitate, juxta multos, baptizare teneris in aqua ex ſale reſoluto, in cervìſia admodum tenui, &c. ita tamen ut ſi ſic baptizatus ſupervixerit, rebaptizari debeat ſub hac conditione, *Si non es baptizatus.*

3. Extra neceſſitatem non licet ſub mortali baptizare niſi in aqua benedicta, quæ in fonte baptiſmali ſervatur, propter

propter præceptum, & uſum Eccleſiæ, & reverentiam Sacramento debitam.

Reſp. 2. Materia proxima eſt ablutio, ſeu applicatio aquæ immediatè & ſucceſſivè ad corpus baptizandi. Conſtat 1. ex Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* 2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, & verbis formæ.

Nota. Ablutio non idem eſt, ac expurgatio, ſeu emundatio; nam hæc eſt effectus ablutionis, & poteſt eſſe ſine illa.

Quæſt. II. *Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptiſmi?*

Reſp. 1. Sufficit quælibet ablutio, ſive fiat per infuſionem, ſive per aſperſionem, ſive per immerſionem: nam quælibet eſt vera ablutio. In praxi tamen ſervari debet modus in unaquaque Eccleſia uſitatus.

Reſp. 2. Neceſſe eſt illam corporis partem ablui, & tantam aquæ quantitatem adhiberi, ut ideo corpus dicatur propriè & ſimpliciter ablutum. Ad quod ſufficit ut caput ſit ablutum, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ Latinæ; quia caput eſt præcipua corporis pars, & ſenſuum ſedes, in qua proinde manifeſtatur principium vitæ animalis.

An etiam ſufficiat ablutio alterius partis notabilis, ut brachii, pectoris, &c. controvertitur; & licèt communiùs affirment, tamen hoc non eſt certum. Quare graviter peccaret, qui extra caſum neceſſitatis, non ablueret caput; nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Hinc Rituale Romanum præſcribit, ut ſi infans in neceſſitate baptizetur in alio membro, poſtea rebaptizetur ſub conditione, *Si non es baptizatus.* Multò minùs certum eſt ſufficere quantulamcunque partem corporis ablui, quod tamen non pauci tenent: unde extra neceſſitatem hoc non licet, & baptiſmus ſic in neceſſitate collatus iterari debet ſub conditione. (*a*)

Reſp. 3. Neceſſe eſt ut aqua immediatè tangat corpus baptizandi; quia

(*a*) In Lib. VII. de Synodo Diœceſana cap. 5. quæſtionem hanc fuſim pertractat SS. D. N. BENED. XIV. ubi ſtatuit primò. „Certum eſſe Infantem in matris utero ita „latitantem, ut nulla ejus pars aqua perfun„di queat, baptizari non poſſe, nec ei „quidquam prodeſſe, quod nonnulli Hære„tici olim ſunt arbitrati, ſi ejus loco, ma„tris corpus abluatur, quemadmodum *lib.* „6. contra Julianum *cap.* 24. diſertè tradit „Auguſtinus.

Secundò controverſiam expendit, „an, „reſerato materni uteri oſtio, quod puer„perii initio contingit, validè baptizetur „infans, cujus corpuſculum, etſi nulla ſua parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, „ſaltem per ſiphunculum tingi poſſit“ atque explicatis variis hac de re opinionibus; indicatisque præcipuis, quibus obnixæ ſunt, argumentis concludit. „Ultimum hujus con„troverſiæ judicium, à Sede Apoſtolica eſſe „proferendum, ac tutius eſſe, ut Epiſco„pus illud expectet, nec quidquam interim „ſuis conſtitutionibus inſerat, quo implexæ „iſtius quæſtionis deciſionem ſibi arrogaſſe „videatur. Ad Parochos verò pertinere ob„ſtetrices inſtruere, ut cùm caſus evenerit, „in quo Infantem, nulla adhuc ſui parte e„ditum, mox deceſſurum prudenter time„ant, illum baptizent, ſub conditione, ſub „qua pariter erit iterum baptizandus, ſi pe„riculum evadat, & foras prodeat.

Tertiò. De Infante agit, qui aliquam ſui partem ex utero emiſit, ac ſtatuit, eſſe baptizandum, nec iterandum deinde baptiſmum ſi caput emerſerit; ad alias partes quod attinet, ita habet. „Cum itaque „hæc controverſia hactenus indeciſa rema„neat, uti ſcitè animadvertit Cardinalis de „Rhoan in ſuo Rituali Argentinenſi *ad tit.* „*de Bapt.* §. 5. inquiens: *Utrum ratus ſit* „*Baptiſmus, non in capite, ſed in aliqua* „*alia corporis parte, collatus, multi non* „*immerito dubitant*, idcirco cavere debet „Epiſcopus, ne in ſua Synodo aliquid, quo„ad eam, decernat, ſed id ſolum curabit, „ut Parochi, cæterique, quorum intereſt, „illud exacte exequantur, quod in Roma„no Rituali præſcribitur, ſicuti optimè anim„advertit citatus Gibertus *in conſultat. Ca„nonic. de Sacramento Baptiſmi, conſult* 22. „ubi Synodus affert, Rituali Romano con„formes, ejusque veſtigiis inhærentes.

ad veram ablutionem requiritur contactus physicus, & immediata aquæ applicatio ad id, quod abluitur. Hinc non sufficit aquam applicari panniculis, nec utero materno, in quo adhuc detinetur infans, nec secundinæ, quæ est pellicula, qua subinde involuti nascuntur infantes: nam non est pars corporis, sed ejus involucrum. Imò juxta multos nullus est Baptismus, si soli capilli abluantur; quia non sunt strictè pars corporis, & illorum ablutio non videtur sufficere, ut propter eam dici possit corpus ablutum. Igitur in praxi sub gravi curandum est, ut aqua ad cutem perveniat, & ea aquæ copia adhibenda, ut qui baptizatur, meritò & secundùm communem hominum æstimationem censeatur ablutus.

Item ad veram ablutionem requiritur, ut partes aquæ applicentur motu successivo partibus corporis: nam aqua contenta in vase, quamvis illud tangat, non dicitur illud abluere.

Porrò *si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur.* Rituale Romanum.

Quæst. III. *An ad valorem Baptismi requiritur trina infusio vel immersio?*

Resp. Unica sufficit. Constat 1. Ex cap. *De trina*, de consecr. dist. 4. Et ex praxi Ecclesiæ: quæ sæpe unicam adhibuit. 2. Quia unica sufficit ad veram ablutionem. Cæterum in praxi minister tenetur servare suæ Ecclesiæ consuetudinem, & curare, ut singulæ ablutiones singularum SS. Trinitatis personarum invocationi respondeant, ut Ritualia præscribunt; item ne forma totaliter perficiatur, antequam perfecta sit ablutio totalis, ne scilicet aliqua pars illius ablutionis reddatur inutilis.

Quæst. IV. *An dum Baptismus fit per immersionem, requiritur emersio ad ejus valorem?*

Resp. Non pauci affirmant: sed plures alii negant. Quia ad veram ablutionem requiritur solùm immediata & successiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali, vel aquæ supra corpus, ut fit in effusione & aspersione; vel corporis supra aquam, ut fit in immersione; sive postea fiat emersio, sive non. Hinc inferunt validum esse Baptismum infantis; quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum baptizandi, & simul submergendi; modò formam debitam proferat antequam infans aquis suffocetur: quia tunc adsunt materia, forma, & intentio requisita ad valorem Baptismi.

Porrò certum est non licere infantem sic projicere, etiamsi aliter baptizari nequeat, & timeatur statim moriturus; quia hoc esset directè occidere innocentem: nam hæc immersio per se ac directè est occisiva infantis: ad ablutionem autem per accidens ex sola intentione mergentis dirigitur.

Nota. Idem qui profert formam, debet abluere: alioqui forma esset falsa, ideóque Baptismus nullus.

Quæst. V. *Quænam est forma Baptismi?*

Resp. 1. Hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita Concil. Florent. & Rituale Romanum addens, hæc verba uno & eodem tempore quo fit ablutio, esse pronuntianda.

Resp. 2. Ad valorem Baptismi exprimi debent ablutio actualis, seu ablutio ut actu exercita, & persona baptizandi: ita ut hæ voces *Baptizo te*, vel æquivalentes, sint de essentia formæ. Constat 1. Ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi: *Baptizantes eos.* 2. Ex cap. 1. *de Baptismo*, ubi Alexander

xander III. ait: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Et non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen, non est puer baptizatus.* 3. Ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. prætermissis illis, Ego te baptizo.*

Resp. 3. Necessariæ quoque sunt hæ voces, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Constat 1. Ex Matth. c. ultim. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quæ verba ex sensu Ecclesiæ continent formam Baptismi. 2. Ex Patribus apud Bell. & alios. 3. Ex c. *Si revera,* de consecr. dist. 4. Ubi Pelagius Papa jubet hæreticos solummodò in nomine Christi baptizatos, iterum baptizari in nomine Trinitatis. Et cap. *In Synodo,* ead. ubi Zacharias Papa asserit eum, qui sine invocatione Trinitatis baptizatus est, Sacramentum regenerationis non habere. Per Trinitatem intelliguntur tres personæ distinctè invocatæ, secundùm usum Ecclesiæ & præceptum Christi, ut etiam ibidem explicatur. 4. Ex Concil. Nicæno I. can. 19. jubente Paulianistas rebaptizari, quia scilicet non baptizabantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut docet Innocentius I. Epist. 22. & ex Concil. Lateran. IV. cap. 2. ubi Sacramentum Baptismi sic explicat, nempe, *quod ad Dei invocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua.* Item ex Concil. Florent. 5. Quia cùm Baptismus sit *fidei Sacramentum,* cap. 4. *de Bapt.* debet in eo conferendo fieri expressa mentio Trinitatis, quæ est primarium objectum fidei & fundamentum salutis. Hinc non valet Baptismus. 1. Si dicatur: *In nomine Trinitatis, In nomine Dei unius & trini,* vel, *In nomine trium personarum Trinitatis.* Quia requiritur distincta expressio singularum personarum, & quidem secundùm eas rationes, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur, nempe secundùm proprietates personales, seu relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ. 2. Si dicatur *In nominibus,* quia non exprimitur essentiæ unitas, cujus expressio est essentialis formæ, ut semper intellexit Ecclesia. Et verò tam necessaria est ad salutem professio unitatis Dei, quàm Trinitatis personarum; quæ necessariò exprimenda sunt.

Dubiæ autem sunt hæ formæ, *In virtute,* vel *authoritate,* vel *sub invocatione Patris, &c.* Item *In nomine Patris, In nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti;* & *In nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque.* Imò S. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 7. docet in aliis nominibus quàm Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non perfici Sacramentum.

Resp. 4. Non est de essentia formæ, ut exprimatur minister saltem expressè. Nam Concil. Flor. approbat hanc Græcorum formam. *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris, &c.* vel, *baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, &c.*

Quæst. VI. *An Baptismus iterari potest?*

Resp. 1. Est de fide Baptismum validè susceptum nunquam posse iterari. 1. Ex Eph. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* 2. Ex Traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Ex Symbolo, *Confiteor unum Baptisma.* 4. Ex Concil. Florent. & ex Concil Trident. Sess. 7. Can. 11. Unde Baptismi iteratio

tio eſt grave ſacrilegium, tam ex parte dantis, quàm recipientis ſcienter, *ex cap. 108. 118. de conſecr. diſt. 4.* Quia fit contra inſtitutionem Chriſti, applicando Sacramentum ſubjecto incapaci; & per hoc ſignificatur Chriſtum eſſe denuò morti ac ſepulturæ obnoxium, *ex Hebr. 6.* cùm per Baptiſmum commoriamur & conſepeliamur Chriſto. *Rom. 6.*

Reſp. 2. Iterari debet Baptiſmus ſub conditione, dum poſt diligentem inquiſitionem dubitatur, an Baptiſmus ſit datus. Conſtat ex S. Leone, in c. 112. & 113. de conſecr. diſt. 4. & aliis canonibus, & ex cap. 2. *de Bapt.* ubi Alexander III. ait: *De quibus dubium eſt an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo: Sed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo, &c.* idque ſive dubium ſit poſitivum, quia ſcilicet ſunt rationes in utramque partem probabiles: ſive ſit negativum, quia ſcilicet nulla ſunt indicia ad judicandum hominem eſſe baptizatum, cap. *Parvulos*, de conſecr. diſt. 4. Ratio eſt, quia aliàs homo probabili periculo damnationis exponeretur ob carentiam Baptiſmi; & aliunde talis neceſſitas impedit omnem irreverentiam in Sacramentum, quod propter ſalutem hominum inſtitutum eſt.

Idem dic, ſi ſit probabile dubium, an Baptiſmus datus ſit cum ſufficienti materia, vel forma, vel intentione. Nam tunc æquè periclitatur ſalus hominis; & canones qui expreſsè loquuntur de dubio facti, intelligendi etiam ſunt de dubio juris, quod eſt hic æquivalenter dubium facti: qui enim dubitat, an Baptiſmus ſit datus cum legitima materia, vel forma, vel intentione, æquivalenter dubitat, an ſit verè datus. Unde S. Gregorius Lib. 12. epiſt. 31. ait: *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur ritè peractum.*

Hinc ſi rebaptizandi ſunt infantes expoſiti, ſi non habeant ſchedulam, aut aliam notam collati Baptiſmi teſtem. Imò juxta multos, & varia Concilia, & Rituale Tullenſe, etiamſi habeant, ſi re diligenter inveſtigata, nihil certi aliunde reperiatur. Quia illa ſchedula, aliave nota ab ignoto, ideóque incertæ fidei authore appoſita non ſufficit ad certitudinem moralem, quam tamen requirunt canones ad non rebaptizandum. Hinc. Concil. Carthag. V. cap. *Placuit.* diſt. 4. de conſecr. ait: *Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, absque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos.* Et verò charitas obligat ad ſuppeditandum proximo medium ſalutis neceſſarium, niſi conſtet jam adhibitum fuiſſe; alioqui ejus ſalus æterna morali periculo committeretur.

Dixi, *ſub conditione*, ut vitetur periculum irreverentiæ, & reiterationis Baptiſmi verè ſuſcepti. (*a*)

Quæſt. VII. *An & quomodo Baptiſmus eſt neceſſarius?*

Reſp.

(*a*) De forma Baptiſmatis, alteriusve Sacramenti Characterem imprimentis, ex profeſſo agitur in laudato Opere de Synodo lib. 7. cap. 6. ubi cum plura ſcitu digna, & quæ in vulgaribus Theologis plerumque deſiderantur, explicata ſint, omnia excerpſimus, ac Authoris quæſtioni addidimus. Hanc formulam, *inquit.* „A Scholaſticis „eſſe adinventam, & in Eccleſiam invectam, „plerique viri eruditi exiſtimarunt; ſed eos „toto cœlo aberraſſe, ait Martene *de anti-* „*quis Eccleſ. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 1. art.* „16. *num.* 10. Siquidem longe ante Scho- „laſticos, S. Bonifacius Archiepiſcopus Mo- „guntinus, in ſuis ſtatutis, circa ann. 745. „conditis, & *tom.* 9. Spicilegii, à Luca Da- „cherio

Resp. 1. Baptismus in re, vel in voto necessarius est omnibus necessitate medii ad salutem, ex Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ex Traditione, ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 4. & Sess. 7. Can. 5. Infantibus verò extra martyrium necessarius est in re, cùm sint incapaces voti, seu desiderii Baptismi in actu charitatis perfectæ contenti.

Porrò

„cherio editis, *cap.* 28. hæc habet. *Si de* „*aliquibus dubium sit, utrum sint baptizati,* „*absque ullo scrupulo baptizentur; his tamen* „*verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed si* „*nondum es baptizatus, Ego te baptizo*; „Idemque, ac totidem fere verbis statutum „legimus *Capitular. lib.* 6. *cap.* 184. apud „Baluzium *tom.* 1. *pag.* 954. è quibus idem „decretum excerpsit, ac suæ canonum col- „lectioni, *sub tit.* 11. *c.* 17. inseruit Isaac „Episcopus Lingonensis, apud Harduinum „*collect. concil. tom.* 5. *col.* 447. Licet por- „rò, ante sæculum VIII. prædictæ condi- „tionatæ formulæ expressam mentionem „in Conciliis, & Patribus non inveniamus, „quemadmodum, præter laudatum Marte- „ne, observarunt Juenin. *de Sacram. dissert.* 1. „*quæst.* 3. *cap.* 5. *art.* 1. & Tournely *præ-* „*lect. tom.* 6. *de Sacram. in genere quæst.* 1. „*art.* 6. *edit. Venet. pag.* 38. & 39. non „rectè tamen inde intulit Natalis Alexander „*hist. Eccles. sæc.* IV. *cap.* 4. *art.* 12. illam „non fuisse in usu; quin immo ex antiqua, „& constanti Ecclesiæ praxi oppositum col- „ligi putamus, quod hac ratiocinatione „ostendimus. Perpetuum Catholicæ Fidei „dogma fuit, unicum esse Baptisma, juxta „illud Apostoli *ad Ephes.* 4. *Unus Dominus,* „*una Fides, unum Baptisma*, quod propte- „rea semel ritè collatum, sine gravi pia- „culo, iterari posse, semper Ecclesia ne- „gavit, uti constat *ex can.* 47. *Apostolor.* „juxta versionem Dionysii, & *can.* 3. Con- „cilii Valentini anni 374. & *can.* 38. Con- „cilii Carthaginiensis III. anni 397. quibus „in locis temere rebaptizantes gravibus sub- „duntur pœnis, & Ecclesiastica communio- „ne privantur. At eadem Ecclesia, quæ ita „docuit, eos nihilominus, de quibus dubi- „tabatur, an essent in Christo regenerati, „incunctanter baptizandos, præcepit, quod „innumeris testimoniis comprobatur: sæcu- „lo III. disputatum fuit de Baptismo Cli- „nicorum, num scilicet validum esset Bap- „tisma, per aspersionem datum ægrotis, „in lecto decumbentibus? consulitur Cy- „prianus: Respondet Sanctus Doctor *epist.* „76. *ad Magnum*, validum quidem sibi il- „lud videri; iis autem, qui dubitabant aucto- „rem se esse, ut illud iterum conferrent: „*Si aliquis existimat* (ait Cyprianus) *eos* „*nihil consequutos, eo quod aqua salutari* „*tantum perfusi sunt, sed inanes, & va-* „*cui sunt, non decipiantur, ut, si incom-* „*modum languoris evaserint, & convaluerint,* „*baptizentur.* Sæculo V. à Legatis Mauro- „rum interrogantur Patres Concilii Cartha- „giniensis VI. anni 401. quid agendum fo- „ret de pueris, quos an baptizati essent, „nemo certo sciret: ad quod responderunt „Patres *can.* 6. (*collect. Hard. tom.* 1. *col.* „987.) *Placuit de infantibus, quoties non in-* „*veniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos* „*esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt* „*idonei de traditis sibi Sacramentis responde-* „*re, absque ullo scrupulo, eos esse baptizan-* „*dos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramen-* „*torum purgatione privari*; eundemque ca- „nonem renovarunt Synodus Africana anni „401. & alia Synodus Carthaginiensis sub „Bonifacio Episcopo anno 525. Idem ad „Rusticum Narbonensem, atque iterum ad „Neonam Episcopum Ravennatem rescripsit „Leo Magnus; ad hæc autem præcedenti- „um Conciliorum, & Patrum decreta allu- „sit Gregorius II. cum de eadem re inter- „rogatus à Bonifacio Episcopo, *epist.* 2. *num.* „9. (*tom.* 3. *collect. Hard. col.* 1859.) respon- „dit: *De parvulis, qui à parentibus subtra-* „*cti sunt, & an baptizati, an non, ignorant,* „*quia interrogasti: hos ut baptizare debeas,* „*secundùm Patrum traditionem, si non fue-* „*rit, qui testificetur, ratio exposcit.* Jam ve- „ro cum ex his, aliisque similibus testimo- „niis à laudato Martene prolatis, luculen- „ter pateat, antiquum, atque ipsi Ecclesiæ „coævum usum fuisse eos baptizare, de qui- „bus dubitabatur, num, per regenerationis „lavacrum ab originali culpa essent expiati, „ne dicamus, Ecclesiam in eundem incidis- „se Rebaptizantium errorem, quem toties „detestata erat, & damnaverat, necesse est „existimare, non aliter in ea dubietate Ba- „ptismum conferri voluisse, quam sub ta- „cita, & mente concepta conditione: *Si* „*nondum es legitimè baptizatus.* Hæc autem „conditio, quæ prius mente tantum conci- „piebatur, cæpit Sæculo VIII. in ipsa Bap- „tismi forma exprimi, & pronuntiari; quam „quidem disciplinam multis jam in locis,

„rece-

Porrò illud est necessarium in re, quod secundùm se necessariò & absolutè adhiberi debet, ita ut nihil sit, quod ejus vicem suppleat. Illud est necessarium saltem in voto, quod necessariò debet adhiberi vel secundùm se, vel in ejus defectum, secundùm aliquid ejus vicem tenens propter suam eminentiam, & ejus votum vel explicitum, vel implicitum continens.

Resp.

„receptam, Alexander III. Sæculo XII. non „solum approbavit, sed ubique servandum „edixit *in cap.* 2. *de Baptismo*, inquiens: „*De quibus dubium est, an baptizati fuerint*, „*baptizantur, his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c*, eamdem „sanctionem confirmavit Joannes XXII. a„pud Odoricum Rainaldum *ad ann.* 1333. „*num.* 42.

„Non ideo tamen, quod per præfatam „conditionem, periculum evitetur rebapti„zandi, qui jam semel fuerit legitime ba„ptizatus, est illa passim, & temere adhi„benda, sed tunc solum ea uti licebit, cum „prudens & probabilis subest dubitatio, an „quis fuerit baptizatus, nec diligenti præ„missa indagatione, potuit rei veritas inno„tescere, quemadmodum scite perpendit „Sotus *in* 4. *distinct.* 3. *quæst. unic. art.* 9. „§. *Circa hanc solutionem*, ubi à sacrilegio „non excusat: neque ab irregularitate ab„solvit Sacerdotem sub conditione rebapti„zantem, quem scit, domi baptizatum, & „nihil est, quod collatum ei Baptisma ra„tionabiliter suspectum reddat. Quare mi„nime sectanda sunt exempla, quæ con„gesserunt Gobat *tom.* 1. *tractat.* 2. *sect.* 3. „& Marin. *Theolog. tom.* 3. *tractat.* 19. *di„sput.* 1. *sect.* 8. *num.* 140. ubi plures sub „conditione baptizatos narrant, qui, ob „merum scrupulum, non tam dubitabant, „quam imprudenter suspicabantur, se non esse „ritè baptizatos, quam quidem conditio„natam Sacramenti iterationem, ob con„sequutos, seu potius apprehensos effectus „quietis conscientiarum, iidem Auctores „videntur approbare; sed potius aures præ„bendæ sunt Estio *in* 4. *dist.* 4. §. 15. hæc ad „rem adnotanti: *Sciendum est non quam„cumque levem in contrarium suspicionem*, „*vel scrupulum debere sufficere ad hoc, ut* „*sub conditione quis hoc pacto baptizetur*, „*sed requiri dubitationem probabilem. Ea* „*autem probabilis dubitatio est, quæ facta* „*etiam diligenti indagine, discuti non potest*, „*ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat*: „Immo verius obtemperandum est Cate„chismo Romano, *part.* 2. *de Sacram. Ba„ptism. num.* 57. ubi de forma conditiona„ta ait: *Ea Baptismi forma ex Alexandri* „*Papæ auctoritate in illis tantum permitti„tur, de quibus, re diligenter discussa, du„bium relinquatur, an Baptismum suscepe„rint, aliter vero numquam fas est, etiam* „*cum adjunctione, Baptismum alicui iterum* „*administrare.*

„3. Quæ hucusque diximus, copiosius „adhuc, & clarius à Nobis exposita, plu„ribusque Sacræ Congregationis Concilii „responsis confirmata fuere *in nostra No„tific.* 84. ubi non solum ex ejusdem Sa„cræ Congregationis sententia ostendimus, „non esse Baptismum, ne sub conditione „quidem, iterandum, cum nulla occurrit „prudens ratio dubitandi de prioris Bap„tismi validitate, sed etiam ab irregulari„tate iterantibus Baptisma inflicta ab Ale„xandro III. *in cap Ex litterarum, de A„postatis, & iterantibus Baptisma*, non eximi „probavimus, qui, ob solum apprehensum „prioris Baptismi vitium, nullaque præmis„sa veritatis indagatione, illud denuo sub „conditione conferunt, quibus certo sciunt „jam semel antea fuisse collatum. Etenim „quamquam plures Doctores istiusmodi, „sub conditione rebaptizantes à gravi cul„pa, atque ab irregularitate absolvunt, eo „quod, per adjectam conditionem, satis „consultum existiment reverentiæ debitæ „Sacramento, ad quod conficiendum, non „aliter fertur intentio Ministri, nisi si rite „confectum non fuerit aliud, antea admi„nistratum; hæc tamen sententia rejicitur „à Catechismo Romano *cit. loc.* ubi re„probantur asserentes, *nullum scelus admit„ti, si quemvis sine delectu, cum adjunctione* „*illa* (videlicet conditionis) *baptizent*; ei„demque opinioni refragatur auctoritas „S. Caroli, in cujus instructionibus inter „Acta Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 497. hæc „de forma conditionata habentur: *Qua* „*forma utitur cum infans, aliusve, qui Ba„ptismo offertur, re diligenter perquisita, du„bium relinquitur, aut certe non apparet*, „*eum baptizatum esse, ut de expositis inven„tisque parvulis dubitari, atque ignorari* „*sæpe numero solet. Quod si, re accurate*

„*inve-*

Reſp. Adulti ſufficienter inſtructi tenentur jure divino ſuſcipere Baptiſmum, ſtatim atque moraliter poſſunt cum debitis diſpoſitionibus; ita ut non diu differant. Tum quia quisque tenetur ex charitate adhibere media ad ſalutem neceſſaria; tum quia quisque tenetur ex præcepto Chriſti ingredi Eccleſiam per Baptiſmum, qui eſt ejus janua, & fidem ſuam profiteri. Quæ præ-

„*inveſtigata*, *exploratum habuerit*, *illum*, „*forma ſervata*, *baptizatum eſſe*, *caveat o-* „*mnino*, *ne hanc ſub conditione baptizandi* „*formam adhibeat*, *cum ſacrilegium commit-* „*tat*, *ſi contrafecerit*, & *illud impedimentum* „*contrahat*, *quod ſacri Canones Irregulari-* „*tatem vocant*.

„4. In alia itidem noſtra *Notifi.* 8. hanc „eamdem materiam tractantes diximus, cum „Cardinali Albitio *de inconſtantia in Fide* „*cap.* 23. *à num.* 14. *usque ad* 16. impro„bandas eſſe Synodos, in quibus genera„tim, atque indiſtinctè, iterum ſub con„ditione, in Eccleſia baptizari jubentur, „quicumque privatim fuere ab obſtetrici„bus domi baptizati. De hiſce Synodis, „Ritualibus idem decernentibus, agit Holz„mann *in ſua Theologia morali tom.* 2. *tract.* 2. „*cap.* 2. *art.* 2. qui licet eorumdem Aucto„res, hoc nomine excuſat, quod ſcilicet „dubium illis viſum fuerit Baptiſma ab ob„ſtetrice collatum, fatetur nihilominus, „minus caute, ac nimium indefinite eos „loquutos, cum debuerint potius rerum „circumſtantias diſtinguere, easque deter„minare, quæ incertam reddunt validitatem „collati baptiſmi, quem propterea tunc „oporteat ſub conditione iterari. Enim„vero ſi obſtetrices de Sacramenti materia, „forma, & neceſſaria in Miniſtro intentio„ne, ſint legitime edoctæ, ſicuti Nos *in* „*cit. Notific.* 8. eas, per Parachos ſolerter „edoceri juſſimus, priusquam ad obſtetri„cum officium exercendum admittantur, eæ„que in ſpeciali eventu, quo Baptiſma pe„riclitanti infanti privatim contulerint, ab „eodem Parocho interrogatæ, omnia rite „à ſe adhibita, teſtentur, quæ ad Sacra„mentum valide conficiendum, requirun„tur, nulla ſane ſubeſt probabilis ratio, cur „Baptiſmus debeat, aut licite poſſit, ſub „conditione repeti. Scimus utique in aliis „Synodis relatis à Giberto, *cit. tom.* 2. *con-* „*ſult. Canonicar. conſult.* 16. cautum repe„riri, ne plena fides habeatur ſolius obſte„tricis teſtimonio, niſi comprobetur aſſer„tione aliorum, qui Baptiſmo præſentes „fuerint; Verum, quanquam, ex plurium „atteſtatione, major profecto hauriatur rei „geſtæ certitudo, attamen ſacri Canones „ſufficienter probatam habent collationem „Baptiſmatis, per unicum teſtem, præci„puè ſi is teſtificetur de facto proprio, hoc „eſt ſi affirmet illud fuiſſe à ſe legitime „adminiſtratum, nec quidquam in contra„rium occurrat, quo illius teſtimonio fidem „detrahat, uti diſerte decernitur *in canon.* „110. & 112. *de conſecrat. diſt.* 4. & 6. *Nu-* „*per de teſtibus*, ubi interpretes omnes.

„5. Aliud eſt, cum collati Baptiſmi te„ſtimonium præbetur à perſona incerta: „Etenim, cum juxta reſcriptum Imperato„ris Hadriani ad Junium Ruſinum Procon„ſulem Macedoniæ, relatum à Calliſtrato „in l. *Teſtium* 3. *ff. de Teſtibus non Teſtimo-* „*niis ſit credendum*, non debemus rem adeo „gravem committere fidei perſonæ ignotæ, „cujus qualitates, uti Calliſtratus *in cit. leg.* „faciendum monet, explorare non poſſu„mus. Quare ſacra Congregatio Concilii „interrogata, an iterum baptizandi eſſent „infantes, vulgo *expoſiti*, ad hoſpitale S. „Spiritus in Saxia de Urbe, delati, etiam „ſi habeant collo appenſam ſchedulam, at„teſtantem, eos fuiſſe Baptiſmate ablutos, „die 15. Januarii 1724. reſpondit, eſſe de„nuo baptizandos, ſub conditione, niſi „certa habeatur notitia perſonæ, à quo „ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubi„tatum deſumatur indicium Baptiſmatis, rite eidem collati, quod Nos *in cit. noſtra* „*Notific.* 8. animadvertimus, & videre eſt „*in Theſaur. Reſolut. tom.* 2. *pag.* 412. & „*tom.* 3. *pag.* 2.

„6. In eadem ſententia fuerant Patres „Concilii Provincialis Toloſani, habiti à „Cardinali Franciſco de Jojoſa anno 1590. „in cujus *part.* 2. *cap.* 2. decernitur: *Cum* „*projectis*, *expoſitisque puerulis*, *licet affixa* „*reperiatur ſchedula*, *quæ eos baptizatos eſ-* „*ſe teſtetur*, *in id tamen*, *an vere factum* „*ſit*, *Parochi diligenter inquirent*: *ſi certi* „*nihil compererint in ſcripto chartulæ no-* „*mine*, *eos ſub conditione baptizabant* (*tom.* „10. *collect. Hard. col.* 1798.) Cumque „minorem fidem collati Baptiſmatis, quam „ſchedula incerti Auctoris faciant alia ſigna „expoſito infanti appoſita, puta ſal, ideo re-

præcepta per ſe obligant ad non diu differendam eorum obſervationem.

Reſp. 3. Parentes tenentur gnaviter Baptiſmum liberis ſuis procurare brevi poſt eorum nativitatem tempore: ita ut mortaliter peccent ſi diutiùs id differant. Quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ baptizandi parvulos brevi poſt eorum nativitatem tempore habet vim legis graviter obligantis ob materiæ

„rectiſſime à Richardo Poor, Epiſcopo Sa-„rum, cautum legitur: *Si vero pueros cum „ſale, vel ſine ſale expoſitos contingat in-„veniri baptizentur*, ſub conditione tamen, „ut ſtatim ibidem explicatur, *tom.* 2. *Con-„cil. Britan. Henric. Spelman. pag.* 143.

„7. Itaque ſi Epiſcopus in ſua Synodo „loqui velit de Sacramentorum forma con-„ditionata, quod profectò nedum utile, ſed „quandoque etiam neceſſarium reputamus, „omnia præ oculis habeat, quæ hactenus „enarravimus, atque ad eorum normam „congruam formet inſtructionem, ad quam „Parochi, in illa adhibenda, ſe debeant „conformare. Quod ſi diœceſi præſit, in „qua ſæpe contingat, baptizatos ab Hære-„ticis, ejurata hæreſi, qua erant imbuti, in „Catholicæ Eccleſiæ gremium ſeſe recipere; „& dubitetur, uti alicubi dubitatum ſci-„mus, an ii iterum ſint, ſub conditione, „baptizandi, antequam, in re admodum „ſane gravi & ardua, quidquam decernat, „diligenter inveſtiget, oportet, num in il-„la Hæreticorum ſecta, de qua agitur, ali-„quid innovatum fuerit, circa Baptiſmi ma-„teriam, & formam à Chriſto Domino in-„ſtitutas; Si enim utramque ab ejusdem „ſectæ Pſeudo Miniſtris rite adhiberi de-„prehenderit, non poteſt permittere, ut „Baptiſmus ullo pacto iteretur, quin veniat „in ſuſpicionem erroris Baptizantium, à S. „Stephano I. atque uti affirmat Auguſtinus „(*lib.* 2. *cap.* 8. *de Baptiſmo contra Dona-„tiſtas*) à *Concilio plenario* proſcripti, ſive „ejusmodi Concilium fuerit Arelatenſe I. „ſive magnum Nicænum, de quo litigant „Eruditi; ſi autem certo compererit, aut „baptizandi corpus ab illis non perfundi „aqua naturali, aut formam pronunciari, „ſine expreſſa invocatione Sanctiſſimæ Tri-„nitatis, ſive alia ratione, ab illa diverſam, „quam Chriſtus inſtituit, Baptiſmum abſo-„lute renovari jubeat: Ob non adhibitam „quippe legitimam formam, *can.* 7. Con-„cilii Laodiceni (*tom.* 1. *collat. Hard. col.* „781.) rebaptizandos decrevit Hæreticos „Montaniſtas, & Gregorius Magnus *lib.* 11. „*indict.* 4. *epiſt.* 67. (*tom.* 2. *oper. col.* 1167.) „ſcribens ad Epiſcopos Hiberos, univerſim „ſtatuit: *Hi vero Hæretici, qui in Tri-„nitatis nomine minime baptizantur . . . „cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, bap-„tizentur, quia Baptiſmus non fuit, quod „in errore poſiti in Sanctæ Trinitatis nomi-„ne minime ſuſceperunt.* Hæc ſapienter re-„ſpexit Cardinalis de Rhoan in ſuo Ritua-„li Argentinenſi ad *tit. de Baptiſmo*, cum „ait: *Baptizati ab iis Hæreticis, qui re-„ctam baptizandi formam non retinent, de-„nuo abſolute baptizari debent;* Quod ſi „denique diligenti præmiſſa perquiſitione, „rei veritatem certo aſſequi nequiverit, & „dubia ſibi atque incerta remaneat validi-„tas Baptiſmatis, ab Hæretico Miniſtro ſu-„ſcepti, illud utique erit ſub conditione re-„petendum, quod *in cit. noſtra Notific.* 84. „declaratum diximus à Sacra Congregatio-„ne Concilii, quæ interrogata, *An, & in „quibus caſibus baptizati ab Hæreticis de-„beant ſub conditione rebaptizari, ſi ad fi-„dem Catholicam convertantur.* Die 27. „Martii 1683. reſpondit non eſſe rebapti-„zandos, *niſi adſit dubium probabile inva-„liditatis Baptiſmi.*

„8. Rationabiliter porro Patribus Con-„cilii Provincialis Mechlinienſis anni 1607. „incertum ſaltem, & dubium viſum eſt Ba-„ptiſma collatum ab Hæreticis Hollandiæ, „finitimarumque regionum, apud quos mos „invaluerat, ut uno aquam fundente, al-„ter Sacramenti formam pronuntiaret, ac „propterea juſte illud iterandum decrevere, „*tit.* 3. *cap.* 6. *Et quia frequens experientia „docet, modernos Hæreticos ſæpe contra re-„ceptam Eccleſiæ conſuetudinem, & anti-„quiſſimam traditionem baptizare, uno aquam „fundente, alio formam ipſam pronuncian-„te: ab Hæreticis (qui non ſunt ad bapti-„zandum admittendi, ubi aliquis Catholicus „præſto eſt) baptizati ſimiliter ſub conditio-„ne baptizentur* (*collect. Hard. tom.* 10. „*col.* 1943.) cujus quidem Concilii ſanctio-„nem tuto ſectari poſſunt, & debent alia-„rum Eccleſiarum Præſules, à quibus ſint „Eccleſiæ reconciliandi Hæretici, iis in lo-„cis baptizati, ubi eundem erroneum bap-„tiſmi ritum plerumque adhiberi non ex „incerto rumore, ſed ex fide dignis teſti-„moniis

riæ gravitatem. Et ex decretis particularium Ecclesiarum, ad id tenentur intra triduum, vel quatriduum, prout ab Ecclesia propria præscribitur. Et verò in teneris infantibus semper est aliquod subitæ mortis periculum.

Quæst. VIII. *Quinam est Minister idoneus Baptismi?*

Resp. 1. Quilibet homo viator ratione utens potest in quovis casu validè baptizare. Constat ex Concil gener. Later. IV. cap. *Firmiter*, definiente. *Baptismum tam parvulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum proficere ad salutem.* Et ex Traditione & praxi Ecclesiæ, nunquam rebaptizantis à quovis ritè baptizatum. Nemo tamen potest seipsum baptizare, cap. 4. *de Bapt.* Nam requiritur distinctio inter generantem & genitum spiritualiter; & Christus ministrum & subjectum Baptismi apertè distinguit his verbis, Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Resp. 2. Solus Sacerdos sive sit Episcopus; sive Presbyter, est ordinarius Baptismi minister: Diaconus verò tantùm extraordinarius. *Prob.* ex Concil. Flor. in Decreto de Sacram, ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.*

Quare extra necessitatem sub mortali baptizare non licet, nisi soli Sacerdoti; & quidem juxta omnes, pastori, vel ejus delegato; quia potestas & jus admittendi ad Ecclesiam pertinent ad pastorem, qui præest illi Ecclesiæ

„moniis acceperint, atque ideo merito suspicentur, eodem modo fuisse etiam illos „baptizatos, qui in Catholicorum numerum petunt aggregari, quod eam ob causam, cum Hæreticis Angliæ faciendum, „docuere Sylvius *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 9. „Cardinalis de Lugo *in respons. moral. lib.* „1. *dub.* 2. *num.* 3. Gobat. *tract.* 2. *num.* „392. Laurentius Neessen *tract.* 2 *de Baptismo dub.* 5. Ludovicus Michon. *in casibus de Sacram. cas.* 8. & Lacroix *lib.* 6. „*part.* 1. *num.* 322.

„9. Caveat tamen Episcopus, ne incertam & dubiam pronuntiet Baptismi validitatem, hoc tantum nomine, quod hæreticus Minister, à quo fuit collatus, cum „non credat, per regenerationis lavacrum, „deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non „habuerit intentionem illud conficiendi, „prout à Christo Domino est institutum; „Siquidem cum in Galliis disputatum olim „fuerit, an, ob prædictam rationem, rebaptizandi essent baptizati à Calvinistis, „S. Pius V. ad quem controversia delata „est, minime rebaptizandos definivit, Sacramenti enim validitati non officit privatus Ministri error, cui prævalet generalis „ejusdem Ministri intentio, faciendi, quod „Christus instituit, seu quod fit in vera „Christi Ecclesia, quemadmodum testantur Acta Concilii Ebroicensis anni 1576. „ubi hæc ad rem adnotantur: *Ante decisionem Apostolicæ Sedis Romanæ, licuit fortasse cuique in suo sensu abundare. Verum quoniam post habitam de hac difficultate disputationem, felic. record. Pius V. „definivit, verum esse Baptisma, quo utentur Calvinistæ, adhibentes formam & „materiam à Christo institutam, cum intentione generali faciendi, quod Christus „instituit, licet errarent in particulari interpretatione, & singulari intentione, ut „alii fere omnes Hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel „circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis, non iterum „tingendos sub conditione &c. Hinc interdicimus omnibus Curatis, & Presbyteris, „sub pœna suspensionis ipso facto à Divinis, „ne allatos ad se pueros, jam baptizatos à „Calvinistis, audeant iterum tingere sub illa conditione.* Alia similia Synodorum statuta legi possunt apud Grancolas *in antiquo Sacramentario Ecclesiæ part.* 2. *pag.* 153. „*& seqq.*

clesiæ particulari, cui baptizatus aggregatur. Homo autem per Baptismum recipitur in Ecclesiam, & fit ejus membrum. At mortale est jus alienum propria authoritate usurpare in re gravi, præsertim contra debitam gubernationem, ordinem, & usum Ecclesiæ.

Resp. 3. In casu necessitatis quilibet tenetur baptizare: nam quisque tenetur lege charitatis subvenire proximo necessitatem patienti, nisi alius adsit, qui possit & velit subvenire. Tunc tamen si plures adsint, præferri debet Diacono Sacerdos, ille Subdiacono, hic inferioribus clericis, clericus laico, vir fœminæ, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato: nam reverentia Sacramento debita exigit, ut digniores præferantur, per se loquendo. Quare mortale est, si sine causa justa non præferatur Sacerdos non Sacerdoti, fidelis non baptizato, non excommunicatus excommunicato, Diaconus non Diacono: nam tunc fit gravis irreverentia in Sacramentum. Inversio autem ordinis quoad alios, juxta multos est solùm venialis; quia irreverentia non censetur gravis.

Dixi, *per se loquendo:* quia per accidens potest hic ordo inverti: nam ex Rituali Romano mulier præferri debet viro, vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum, vel ratione honestatis ac pudoris, ut si infans ob periculum vitæ imminens sit baptizandus, antequam totaliter ex utero prodierit. *Quapropter curare debet parochus ut fideles præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant & servent,* ait Rituale Rom. & hæ ad id graviter tenentur ex charitate & officio, ideóque ex justitia propter pericula sæpè contingentia in partu. Porrò pater & mater prohibentur propriam prolem baptizare, nisi in articulo mortis, & deficiente alio.

Nota. Mortale est extra necessitatem baptizare sine solemnitate & extra Ecclesiam, præter filium regis aut principis. *Clement. de bapt.* Quia Ecclesia ob honorem Sacramenti, solemnitates graviter præcipit.

Quæst. IX. *An unus minister potest simul plures baptizare?*

Resp. In casu urgentis necessitatis potest, nam hoc non repugnat institutioni Christi, neque per hoc mutatur substantialiter forma Ecclesiæ, dicendo scilicet: *Ego vos baptizo, &c.* quia plurale non est nisi singulare geminatum.

Quæst. X. *An idem potest à pluribus baptizari?*

Resp. Neg. Nam hoc est contra usum Ecclesiæ, imò & contra institutionem Christi, qui sicut unus est, ita voluit unum esse in unoquoque baptizando ministrum. Unde non valeret baptismus, si plures dicerent: *Nos te baptizamus in nomine Patris,, &c.* Ita S. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 6.

Quæst. XI. *Quid dicendum de Patrinis?*

Resp. 1. Ex perpetua Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, & manante ex Apostolica Traditione, debet sub mortali adhiberi in Baptismo solemni susceptor, seu patrinus, vel susceptrix, seu matrina. Unus autem tantùm sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una adhibeantur, ex *Decreto Concil. Tridentin. Sess. 24. cap. 2.*

Resp. 2. Patrini officium est, 1. Offerre baptizandum baptizanti. 2. Respondere pro baptizando, si is per se nequeat. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Levare de fonte. 5. Eum suscipere de manu baptizantis. 6. Tenetur sub mortali tum ob solemnem suam sponsionem in suscipiendo hoc officio, tum ex præcepto Ecclesiæ curare,

rare, ut baptizatus in rebus fidei, & doctrina Christiana rectè erudiatur, & christianè vivat, si alii id non præstent, ex cap. *Vos ante*, de consecr. dist. 4. Ex variis Conciliis, & Catechismo & Rituali Romano. Et ab hac cura paterna, quam debet illius gerere, dicitur patrinus, quia censetur quasi spiritualis pater suscepti. Et ideo inducta est cognatio spiritualis. Hinc S. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 8. ait: *Unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum est autem, quòd ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret; sicut eo tempore & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos: satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo quòd à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen ex quocunque modo sentirent contrarium, tenerentur secundùm modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere?*

Resp. 3. Ab officio patrini excluduntur carentes rationis usu, non baptizati, hæretici, publicè criminosi aut infames, vel excommunicati, & ignorantes fidei rudimenta. Quia hi non sunt idonei ad curam gerendam baptizati circa fidem ac mores. Item Monachi & Abbates, cap. 103. *de consecrat.* dist. 4. & generatim religiosi omnes, & sanctimoniales, ex Rituali Romano.

Graviter etiam prohibentur parentes propriam prolem suscipere, nisi in necessitate, *c.* 1. *&* 4. *caus.* 30. *qu.* 1. Nam alius debet esse pater carnalis, alius spiritualis. Et quia baptizans contrahit spiritualem cognationem cum parentibus baptizati, quæ usum matrimonii impediret. Quæ tamen non contrahitur, si id fiat in casu necessitatis.

Quæst. XII. *An potest baptizari infans nondum natus, vel monstrum?*

Resp. 1. Infans in utero materno ita conclusus, ut aqua immediatè perfundi nequeat, non est capax Baptismi, quia non potest verè ablui. Nec sufficit, si corpus matris abluatur; quia infans est persona distincta à matre, ac proinde ea abluta non potest censeri verè ablutus. Quòd si per fistulam, aut alio artificio possit aqua ad illum pertingere, juxta varios validè baptizari potest, quia talis infans est homo viator, cui debitè applicari potest materia & forma; tamen Rituale Rom. dicit generatim: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Resp. 2. Si infans nondum perfectè natus caput emiserit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit rebaptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* Ita Rituale Romanum.

Resp. 3. Si monstrum habeat plura capita, & plura pectora, tunc totidem sunt animæ, & homines distincti: unde singuli seorsum sunt baptizandi. Si non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet benè distincta, tunc debet primùm unus absolutè baptizari, & posteà alter sub hac conditione. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo, &c.* Si verò dubium sit an homo sit, an brutum, baptizetur sub conditione: *Si tu es homo, Ego te, &c.* Monstrum autem, quod humanam speciem nullatenus præsefert, non debet baptizari. Rituale Romanum.

Quæst.

Quæst. XIII. *An infidelium filii baptizari possunt, invitis parentibus?*

Resp. 1. Validè baptizari posse constat, cùm independenter à consensu parentum adesse possint omnia ad valorem baptismi requisita, nimirum materia, forma, & debita intentio ministri. Non enim scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, ait S. Aug. epist. 23.

Resp. 2. Filii hæreticorum & apostatarum possunt licitè baptizari invitis parentibus. Quia parentes per Baptismum fiunt Ecclesiæ subditi, ideoque cogi possunt ad servandas ejus leges, inter quas est lex deferendi in Ecclesiam liberos baptizandos. Ergo iis possunt subtrahi, ut baptizentur, & rebus fidei, cùm adoleverint, instruantur. Non essent tamen subtrahendi, si ideò religio periclitaretur, dum parentes subjecti sunt principibus infidelibus; nam debet permitti minus malum, ut vitetur majus.

Resp. 3. Infantes mancipiorum possunt & debent ipsis invitis baptizari, si eorum domini christiani sint. Quia tales infantes sunt illorum, sicut ipsi parentes: unde domini habent jus illos subtrahendi parentibus, & de iis tanquam de suis pro arbitrio disponendi; ac proinde possunt curare eos baptizari, & in fide erudiri ac educari, atque ad id saltem ex charitate tenentur.

Resp. 4. Extra certum mortis periculum non licet baptizare infantes infidelium invitis parentibus, qui principibus infidelibus subjecti sunt. Quia vel infans subtrahetur parentibus, & tunc fieret illis injuria, cùm parentes habeant jus naturale retinendi apud se, & educandi liberos nondum rationis compotes, nec propriam voluntatem habentes. Vel illis relinquetur, & tunc Baptismus manifesto periculo prophanationis, & baptizatus periculo apostasiæ exponetur; cùm constat eum in infidelitate educandum.

Si tamen vel sola mater esset christiana, infans invito patre infideli subjecto Principi christiano licitè baptizaretur, ex *Concil. Tolet. IV. cap. 63.* Nam ipsa habet jus instituendæ prolis; & præferenda est voluntas justa injustæ in favorem prolis.

Idem quod supra dicunt Theologi cum S. Thoma contra Scotistas, etiamsi parentes infideles subjecti sint civiliter christiano Principi. Quia 1. ratio allata hic etiam valet: nam hæc subjectio non adimit parentibus jus educandi & retinendi apud se liberos suos. 2. Potestas sæcularis non se extendit ad supernaturalia, qualis est susceptio Baptismi. Ecclesia verò nullam habet jurisdictionem in non baptizatos. Quare non potest Principibus ullam potestatem concedere in non baptizatos, sicut potest concedere in baptizatos. 3. Ex usu constanti Ecclesiæ, quæ nunquam egit apud Principes etiam religiosissimos, ut cogerent infideles sibi subjectos ad Baptismum suscipiendum, aut curarent omnes infantes subditos baptizari, ut notat *S. Thomas.*

Dixi. *infantes:* Nam baptizandi sunt pueri rationis compotes, qui hoc petunt, cùm sint sui juris in negotio salutis. Sed tunc debent egredi è domo paterna, si aliter christianè vivere nequeant.

Resp. 5. In evidenti periculo mortis, infantes infidelium baptizari debent, etiam invitis parentibus. Quia tunc nec auferuntur à parentibus, nec Baptismus prophanationi exponitur, cùm infans paulò post sit moriturus, & aliunde urget præceptum charitatis.

Sed

Sed id fiat, si potest, insciis parentibus, ad vitandam perturbationem. Idem extendit Layman ad filios infidelium perpetuò amentes, ob eandem rationem.

Sed quid si infans reipsa baptizatus sit invitis, vel insciis parentibus, & postea adolescat?

Resp. Secluso periculo religionis christianæ & scandali, abstrahendus est à parentibus, ut erudiatur in fide christiana. Quia per Baptismum Ecclesia acquisivit jurisdictionem in eum, ac jus ad eum christianè instituendum; & ipse contraxit obligationem addiscendæ & servandæ legis christianæ, quod præstare nequit apud parentes.

Dixi, *secluso, &c.* Quia bonum religionis, & multorum præferri debet bono privato. (*a*)

Quæst.

(*a*) De Baptismo Judæorum sive infantium, sive adultorum, vide Epist. SS. D. N. BENEDICTI XIV. ad Archiepiscopum Tarsen. Vicesgerentem in Urbe, quæ impressa legitur tom. 2. Bullarii pag 86. ex qua magis præcipua indicabimus. *Primò* „Quod „nefas sit Hebræorum infantes, reluctante „Parentum arbitrio, baptizare. *Secundò*, „si contingat, ut ab aliquo Christiano He„bræorum puer morti proximus reperia„tur, rem oppido laudabilem, Deoque „gratam is efficiet, qui salutem puero aqua „lustrali præbeat immortalem. *Tertiò*, si „item eveniret, ut puer aliquis Hebræus „projectus esset, atque à Parentibus dere„lictus, communis sententia est, pluribus „quoque confirmata judiciis, eum baptiza„ri oportere.

Deinde aliquas declarationes addit ad hanc regulam pertinentes, quarum prima est. „Si Parentes desint; infantes verò „alicujus Hebræi tutelæ commissi fuerint, „eos sine tutoris assensu licite baptizari „nullo modo posse, cum omnis Parentum „potestas ad tutores pervenerit.

„Secunda est, si Pater Christianæ Mili„tiæ nomen daret, juberetque, infantem „filium baptizari, eum quidem vel matre „Hebræa dissentiente baptizandum esse.

„Tertia est, quamvis mater filios sui ju„ris non habeat, tamen ad Christi Fidem si „accedat, & infantem offerat baptizandum, „tametsi Pater Hebræus reclamet, eum ni„hilominus aqua Baptismatis abluendum „esse.

„Quarta est, quod si pro certo habea„tur, Parentum voluntatem esse infantium „Baptismati necessariam, quoniam sub ap„pellatione Parentum locum quoque ha„bet Paternus Avus . . . . . necessario se„quitur; ut, si Avus Paternus Catholicam „Fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad „sacri lavacri fontem, quamvis mortuo jam „patre, mater Hebræa repugnet, tamen in„fans sit absque dubio baptizandus.“ Imo etiamsi pater vivat, atque dissentiat, Avum ad Fidem conversum præferendum esse concludit. Addit præterea infantes à Parentibus Hebræis oblatos, etiamsi Parentes sententiam deinceps mutent, baptizandos esse. Nunquam baptizandos, ubi periculum adsit perversionis: ac baptizatos, invitis Parentibus, quamquam illicite, rite tamen baptizatos esse, & subtrahendos esse à Parentibus, ac Christianis tradendos, ut Fidem Catholicam edoceantur.

Ad Adultos quod attinet, statuit, *primò*, Hebræum septenio completo sui compotem, & quodammodo Adultum censeri, sed hac in re „Certissima regula est, *inquit*, quod „si citra illam ætatem certo constat, pue„rum Fidei Catechismis instructum satis in„telligere, quidnam sit baptizari, & quem„admodum sit professio Christianæ Legis, „baptizandus est, quoniam ætas ad contra„hendum matrimonium lege humana statui„tur; lex autem divina baptismi neutiquam „ab humana dependet.

Secundò. Si de perfecto rationis usu dubitetur, monet, Sacramentum esse differendum, sed hoc qui postulat, retinendum esse, ac si interea informandum, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

Tertiò. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unicè Ecclesiæ proprium, ac peculiare, Baptismum esse validum dubitari non posse.

Quartò. Si quis Baptismum accipiens præsenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendæ lotionis,

Quæst. XIV. *Quinam sunt effectus Baptismi?*

Resp. Hi: 1. Tollit omnem culpam, si non adsit obex. 2. Confert ex opere operato gratiam sanctificantem, & virtutes infusas. 3. Ejus intuitu conferuntur suo tempore gratiæ actuales fini suo accommodatæ, nimirùm ad sanctè & christianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Dei hæredes, & cohæredes Christi. 4. Imprimit characterem indelebilem. 5. Constituit membrum Ecclesiæ, ejusque potestati subjicit. 6. Tribuit capacitatem recipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, cæteraque Ecclesiæ bona communia. 7. Inducit obligationem servandi mandata Dei & Ecclesiæ, atque vitam christianam, seu consentaneam doctrinæ & exemplo Christi traducendi.

Quæst. XV. *Quænam dispositiones requiruntur in adultis ad recipiendam gratiam Baptismi?*

Resp. 1. Si adultus præter peccatum originale habeat alia actualia mortalia; ad ejus justificationem per Baptismum, ex *Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6.* requiruntur hi actus. 1. Fides, qua explicitè credat existentiam unius Dei remuneratoris, mysteria Trinitatis & Incarnationis, & generatim vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, & in primis à Deo justificari impium per merita Christi: nam horum fides explicita est necessaria necessitate medii. 2. Spes justificationis & vitæ æternæ. 3. Dilectio, qua Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. 4. Propositum efficax servandi omnia mandata, & christianè vivendi.

---

qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportere, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla præcesserit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum.

Quintò Si nulla sit dubitatio, planéque constet, ac luce clarius, adulto Baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem, aut intentionem, nil restare aliud, quam eumdem & hortari, & admonere, ut ritè id faciat, quod jam irritò fecit, & susci piat absolutè, ac liberè Sacramentum; ac si obstinatè repugnet, tum nihil aliud superesse, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit nec ne, adultum tum retinendum esse, baptizandumque sub conditione. Qui verò ita baptizati sint, omnino Fidem Catholicam observare tenentur.

Sextò. Si denuntient, Hebræum seriò petiisse baptismum, aut duo testes singulares, aut unus tantummodo, sed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus, & multo magis si adminiculis suffultus; tunc habito testium, vel testis examine, non oportere Hebræum ad Catechumenos ducere, sed Judex Catholicus, qui Romæ est Vicesgerens pro tempore, ejus voluntatem extra Vicum, vel domi suæ, vel in Templo aliquo semel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi consilio clarè perspecto & cognito, eum tuto jubeat, aut ad Vicum remitti, aut Catechumenis recenseri.

Septimò demum. Virum aut Sponsum Hebræum Christi legem amplexum jure optimo oblationem facere suæ vel Uxoris aut Sponsæ, in quam jus à legibus, & authoritatem sibi concessum habet. Facta verò hæc oblatio nec sane potest, nec omnino debet à Christi fidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique studio, ut christiana veritas jam Viro, aut Sponso cognita, Uxori quoque, aut Sponsæ lucem afferat, ac salutem; eo vel maximè quod Romani Pontifices licet judæis vim fieri, quoad Religionem severè prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando è tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas hebdomadas iis publicè Evangelium annuntiari, eosdemque jubent sacris hisce Concionibus interesse, ut apparet *in Constit. 1. Nicolai III. & Constit. 106. Gregorii XIII.*

vivendi. Nam adultus non poteſt admitti ad Dei amicitiam, niſi in eam conſentiat; nec poteſt in illam ſincerè conſentire, niſi velit omnia facere quæ ad iſtam amicitiam ſervandam, & mutuum amorem ſignificandum neceſſaria ſunt. 6. Voluntas recipiendi Baptiſmum. 7. Pœnitentia, ſeu dolor de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cætero, ex Actor. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque veſtrum.* Et verò æquum eſt, ut qui voluntate propria Deum offendit, in ejus amicitiam non recipiatur ſine peccatorum retractatione & dolore: Hæc autem pœnitentia debet eſſe ſupernaturalis, abſoluta, univerſalis, efficax, incompoſſibilis cum ullo affectu ad mortale, & appretiativè ſumma. Non tamen requiritur perfecta contritio: nam cùm Baptiſmus ſit inſtitutus ad remittendum peccatum originale, & alia actualia ante ipſum commiſſa, non prærequirit diſpoſitionem, quæ hunc effectum pariat: alioqui ſemper præſupponeret ac præexigeret effectum, ad quem conferendum inſtitutus eſt.

Reſp. 2. Ad juſtificationem adulti habentis ſolum originale peccatum (ſi hoc eſſe poteſt) iidem actus requiruntur, excepta contritione, quæ ſolùm poteſt eſſe de peccatis perſonalibus, voluntate ſcilicet phyſicè propria commiſſis.

Reſp. 3. Si adultus jam juſtificatus ſit per contritionem, ſeu charitatem perfectam, ut recipiat augmentum gratiæ in Baptiſmo, requiritur voluntas Baptiſmum recipiendi ex motivo aliquo ſupernaturali; nam ad gratiam recipiendam, requiritur conſenſus illi accommodatus. Sed hæc voluntas ſufficit, cùm jam præceſſerint fides, ſpes, contritio & charitas.

Nota. Qui ſine debitis diſpoſitionibus, ſed cum voluntate Baptiſmi ſuſcipiendi baptizatur, non recipit gratiam: ſed tamen Baptiſmus eſt validus, & poſtea reviviſcit, ſeu efficit gratiam, ſublato per contritionem perfectam, vel per Pœnitentiæ Sacramentum obice.

TRACTATUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS. EX SPECULATIVA.

QUÆSTIO I.

Utrùm Confirmatio ſit verum Sacramentum?

Nota. Confirmationis Sacramentum ſic dictum eſt à primario ſuo effectu, qui eſt ſpiritualis corroboratio ad fidem intrepidè profitendam. Definitur, Sacramentum à Chriſto inſtitutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam.

Hoc Sacramentum negarunt Waldenſes, Lutherus & Calvinus.

Dico. Confirmatio eſt verum novæ legis Sacramentum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Act. cap. 8. *Cùm audiſſent Apoſtoli, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Quæ verba ſignificant Apoſtolos per cæremoniam ſacram à Baptiſmo diſtinctam, conſiſtentem in impoſitione manuum & oratione ſeu certis verbis ſacris, contuliſſe baptizatis Spiritum ſanctum, quo nomine ſignificatur non ſolùm gratia gratis data, ſed etiam potiſſimùm gratia ſanctificans. Atqui omnis cæremonia ſacra, qua confertur gratia ſanctificans, eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum. Ergo cæremonia illa ab Apoſtolis adhibita, eſt Sacramentum. Non eſt autem aliud quàm Confirmationis Sacramentum. Ergo.

Prob. 2. Ex Traditione, cujus teſtes ſunt Patres apud Bellarminum & alios. Pro omnibus ſint Tertullianus, Lib. de reſurrectione carnis, cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Ubi ſignificat praxim Eccleſiæ priorum ſæculorum, qua poſt Baptiſmum ſtatim conferebatur Confirmatio & Euchariſtia; & ritui Confirma-

firmationis vim sanctificandi tribuit perinde ac Baptismo & Eucharistiæ.

S. Cyprianus, Epist. ad Jubajanum, ubi postquam dixit Petrum Samaritanis baptizatis Spiritum sanctum contulisse per manus impositionem & orationem, hæc subjicit : *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram* (Episcoporum) *orationem ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consumentur.*

S. Ambrosius, Lib. 3. de Sacramentis, c. 2. *Sequitur spirituale signaculum .... quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

S. Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos : *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

S. Augustinus, L. 2. contra Litteras Petiliani, c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari : quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse Baptismus ; sed potest esse & in hominibus pessimis .... discerne ergo visibile sanctum Sacramentum* (Chrismatis seu Confirmationis) *quod esse & in bonis & in malis potest, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est.*

Prob. 3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quam testantur Patres citati & alii, atqui summi Pontifices sanctissimi ; ut Cornelius, Epistol. ad Fabian. Innocentius I. Epist. ad Decentium ; Gregorius Magnus, L. 3. Epist. 9. ad Januar.

Prob. 4. Ex Conciliis, videlicet Eliberitano, anno 305. can. 38. Arelatensi I. anno 314. Laodiceno can. 7 Meldensi can. 44. Florent. in decreto pro Armenis, & Trid. Sess. 7. Can. 1. ubi ait : *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum ... Anathema sit.*

Obj. 1. In omni vero Sacramento tria requiruntur, nempe promissio gratiæ, ritus externus, & mandatum illum usurpandi. Sed hæc tria in Confirmatione non reperiuntur. Ergo Confirmatio non est Sacramentum.

Resp. Nego min. Nam ritus externus habetur, *Act. c.* 8. nempe impositio manuum cum oratione seu certis verbis sacris, & quidem gratiam conferens : *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ritus autem ille externus conferre non poterat Spiritum sanctum seu gratiam, nisi annexam habuisset gratiæ promissionem. Mandatum verò habetur in praxi Apostolorum : nam Apostoli ritum illum externum non adhibuissent, nisi illius adhibendi mandatum à Christo accepissent. Præterea tria hæc nobis sufficienter innotescunt ex Traditione & praxi Ecclesiæ.

Obj. 2. S. Augustinus, L. 3. de Baptismo, cap. 16. ait : *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud: nisi oratio super hominem ?*

Resp. Hic loquitur tantùm de manuum impositione reconciliatoria, quæ olim hæreticis ad Ecclesiam revertentibus adhibebatur, & quæ erat mera cæremonia Ecclesiastica, non Sacramentum.

QUÆSTIO II.

Quænam sit materia remota Confirmationis?

DIco. 1. Materia remota Confirmationis est Chrisma.

Prob. 1. Ex Patribus. Pro omnibus sint, S. Cyprianus Epist. 72. ubi ait: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Quibus verbis significat Chrismationem seu unctionem habere vim conferendi gratiam in Confirmatione, ideóque Chrisma esse materiam ejus remotam. Et S. Augustinus, L. 2. contra Litteras Petiliani, c. 4. suprà citato.

2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ.

3. Ex Conciliis Laodiceno, c. 48. ubi dicit oportere eos, qui illuminantur, post Baptisma inungi super cœlesti Chrismate, & esse regni Christi participes. Florent. in decreto; & Trident. Sess. 7. Can. 2. ubi ait: *Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismate virtutem aliquam tribuunt; Anathema sit.*

Dico 2. Chrisma, quod est materia Confirmationis, est unguentum ex oleo & balsamo confectum, ita ut utrumque sit essentialis materia Confirmationis.

Prob. 1. Ex S. Gregorio Magno, qui, in Cant. Canticorum, c. 1. sic ait: *In Engaddi balsamum gignitur; quod cum oleo pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.*

2. Ex Ordine Romano.

3. Ex cap. un. de sacra Unctione, ubi Innocentius III. ait: *Conficitur Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo.*

4. Ex Concil. Florent. in decretorio Armenis, in quo dicitur: *Secundum Sacramentum est Confirmatio; cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, (quod nitorem significat conscientiæ;) & balsamo, (quod odorem significat bonæ famæ;) per Episcopum benedicto.*

5. Ex praxi Ecclesiæ.

6. Quia Chrisma ex usu Ecclesiæ est unguentum ex oleo & balsamo confectum.

Porro oleum illud est oleum olivarum, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ semper hoc oleum adhibuit.

Obj. 1. Nullus ex Patribus ante sextum sæculum mentionem fecit mixtionis balsami cum oleo. Ergo Chrisma prioribus sæculis confectum non erat ex balsamo.

Resp. Nego conf. Quia non omnia expressè commemorarunt Scriptores Ecclesiastici. Cùm autem hæc admixtio usurpata fuerit tempore Gregorii Magni, nec reperiamus eam ab aliquo Pontifice aut Concilio institutam fuisse, certum est argumentum eam admixtionem ante hoc tempus nempe ante sextum sæculum in Ecclesia usurpatam fuisse. Ergo quinto sæculo jam vigebat usus balsami oleo admixti. Cùm autem non inveniamus hanc admixtionem sæculo quinto, quarto, tertio, secundo institutam fuisse ab aliquo Pontifice aut Concilio, certum est eam ab Apostolis Ecclesiæ traditam fuisse, juxta hanc regulam S. Augustini, L. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.*

Præterea à Patribus & Conciliis priorum sæculorum implicitè commemoratur balsamus, hoc ipso quod assignat Chrisma pro materia Confirmationis. Nam Chrisma propriè non est merum oleum, sed unguentum ex oleo & alio liquore confectum; qui sanè alius liquor est ipsum balsamum, ex quo con-

constabat Chrisma tempore Gregorii Magni, proindeque etiam ante ejus tempora.

Obj. 2. Non est probabile Apostolos, & Episcopos trium priorum sæculorum, quibus persecutio sæviebat, balsamum semper oleo admiscuisse, cùm illi essent pauperes, & ille liquor pretiosissimus sit.

Resp. Nego. Nam præterquàm quòd non tanta balsami copia requirebatur, inter Ethnicos qui ad fidem convertebantur, non pauci divitiis pollebant, & studio salutis animarum flagrabant. Unde facilè suppeditabant, quidquid ad cultum Dei & Sacramentorum administrationem necessarium erat.

Obj. 3. Innocentius III. cap. *Pastoralis* de Sacramentis non iterandis, consultus: utrùm *Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus*, respondet, *quod non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.* Ergo censuit validum fuisse Confirmationis Sacramentum sine balsamo.

Resp. Nego conseq. Quia solùm intendit cæremonias accidentales non esse iterandas, sed supplendum esse ipsum Sacramentum, eum, qui oleo tantùm unctus fuit, unguendo Chrismate cum debita forma, sed privatim ad vitandum scandalum: nam nihil iterabitur, cùm Sacramentum nullum fuerit, & cautè supplebitur quod omissum fuerat, privatim ponendo substantiam Sacramenti. Hunc autem sensum esse patet 1. Quia non est credibile Pontificem doctissimum docuisse, eum qui solo oleo unctus fuerat, postea inungendum esse solo balsamo ad supplendum, quod prætermissum fuerat: alioqui debuisset ungi balsamo non benedicto, vel certè ungi balsamo benedicto absque oleo: quorum utrumque Ecclesiæ consuetudini adversatur. 2. Quia ipse Innocentius, c. 1. de sacra Unctione disertè docet materiam proximam Confirmationis esse Chrismationem. Ergo sensit Chrismationem esse essentialem confirmationi, ideóque Chrisma esse etiam de ejus essentia, cùm Chrismatio sine Chrismate esse non possit. At secundùm ipsum Innocentium, Chrisma non est solum oleum, nam c. *Pastoralis* citato, Chrisma à simplici oleo distinguit.

Observa. Christus pro materia Confirmationis instituit oleum olivarum & verum balsamum, quodcunque illud sit, sive Syriacum, sive Arabicum, sive Americanum, aut quodvis aliud; quamvis illa inter se specie physica differant: sicut pro materia Eucharistiæ instituit verum vinum de vite, quodcunque sit, sive Syriacum, sive Italum, sive Gallicum, quamvis hæc inter se specie different.

Dico 3. Ad valorem Confirmationis requiritur benedictio Chrismatis facta ab Episcopo. *Ita Theologi communiter cum S. Thoma.*

Prob. 1. Ex Patribus videlicet S. Dionysio Areopagita vel alio auctore libri de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 4. S. Leone, Epist. 88. ubi dicit, consecrationem Chrismatis solis deberi Episcopis; & ex S. Gregorio, in cap. 2. Cant. Canticorum, ubi dicit *balsamum cum oleo, Pontificali benedictione Chrisma effici.*

2. Ex Ordine Romano.

3. Ex Conciliis Carthaginensi II. can. 3. & Carthagin. III. can. 36. vetantibus à Presbyteris Chrisma fieri, & Florent. suprà citato, docente Confirmationis materiam esse *Chrisma confectum ex oleo & balsamo, per Episcopum benedicto.*

4. Ex praxi Ecclesiæ, in qua nunquam dispensatum fuit cum simplici Sacerdote,

te, ut Chrisma benediceret, quamvis cum eo ex urgenti causa dispensatum fuerit, ut Sacramentum illud administraret. Nam nulla ratio hujus discriminis esse potest, nisi quòd benedictio Episcopalis ex institutione Christi sit absolutè essentialis Chrismati.

Obj. 1. Non requiritur essentialiter benedictio in materia Baptismi & Eucharistiæ : ergo nec in materia Confirmationis.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est voluntas & institutio Christi, nobis per Traditionem & praxim Ecclesiæ nota : cujus quidem rationem congruam hanc affert *S. Thomas, 3. part. q. 72. art. 3.* nempe quia Christus usus est Baptismo & Eucharistia, sic ex ipso usu Christi materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad confectionem Sacramenti: *Et propter hoc*, inquit, *non est de necessitate horum Sacramentorum, quòd materia priùs benedicatur, quia sufficit benedictio Christi.* At unctionibus visibilibus Christus non est usus, & ideo Chrisma & oleum infirmorum benedici debent, ut sint apta Sacramenti materia.

Obj. 2. Conc. Toletanum I. can. 20. ait : *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum Chrisma facere, & per Diœcesim destinare.* Ergo Chrismatis consecratio per Episcopum est solùm inducta jure ecclesiastico.

Resp. Nego conseq. Quia cùm consuetudo illa universalis Ecclesiæ ad quam recurrit Concilium, à nullo Pontifice vel Concilio instituta fuerit, solùm Christum auctorem habere debet. Quare Presbyteri, qui Chrismatis consecrationem attentabant, jus divinum violabant.

Inst. Synodus Toletana hanc consecrationem non declarat irritam fuisse, sicut nec illicitam. Ergo sensit illam valere.

Resp. Nego conseq. Quia illius invaliditas sufficienter innotescebat, vel ex ipsa universalis Ecclesiæ consuetudine, quam laudat.

Observa. Chrisma idem semper fuit etiam quoad speciem saltem moralem in Ecclesia Latina & Græca. Nam quamvis Græci Chrisma ex multis aromatum speciebus cum oleo componant, tamen principem locum obtinet balsamum, quod per aliorum aromatum admixtionem non corrumpitur : *Materia hujus Sacramenti* (inquit Arcudius, L. 2. de Concord. c. 5.) *etiam secundùm Græcos est oleum & balsamum .... sed istis immiscentur multa alia aromatum genera.*

QUÆSTIO III.

Quænam sit materia proxima Confirmationis?

DIco. Proxima materia adæquata Confirmationis est Chrismatis unctio in fronte in modum crucis. *Ita Theologi communiter* contra Recentiores aliquos, eam constituentes in sola manus impositione, distincta ab unctione Chrismatis; & contra alios eam ponentes partim in manus impositione seu extensione, quæ unctionem præcedit, & partim in ipsa unctione.

Prob. 1. Ex Patribus, qui effectum Confirmationis adscribunt unctioni Chrismatis factæ scilicet sub verbis formæ, quod semper subintelligunt. Pro omnibus sint S. Cyprianus, Epist ad

Ja-

Januarium. *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* S. Cyrillus Hierosf. Catechesi mystag. 3. *Sanctum hoc unguentum... postquam jam consecratum est .... est Chrisma Christi, quod adventus Spiritus sancti per ipsius divinitatem energiam habet; quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur. Et corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* S. Pacianus, Serm. de Baptismo. *Lavacro enim peccata purgantur, Chrismate sanctus Spiritus superfunditur.* Et S. Augustinus L. 2. contra litteras Petiliani. c. 104. Confirmationem appellat Sacramentum Chrismatis, & l. 5. de Baptismo, c. 20. Materiam proximam Confirmationis in unctione Chrismatis, quod oleum à majore sui parte vocat, constituit perinde ac materiam proximam Baptismi in ablutione.

Prob. 2. Ex Conciliis, videlicet Laodiceno sub S. Sylvestro, Can. 48. ubi Confirmationem per Chrismatis unctionem explicat; nam sic ait: *Oportet eos qui illuminantur, post Baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes.* Constantinopolitano I. quod Can. 7. exponens modum, quod hæretici ad fidem conversi confirmabantur, ait: *Signatos, sive unctos primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures; & eos signantes dicimus:* signaculum doni Spiritus sancti. Et Florentino, in Decreto Eugenii, in quo sola chrismatio, in fronte & in modum crucis pro materia proxima assignatur.

Prob. 3. Ex c. *Cùm venisset,* de sacra Unctione, ubi Innocentius III. sic ait: *Per frontis chrismationem, manus impositio designatur: quæ* (frontis chrismatio) *alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur: unde cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi Summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarii sunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant.*

Prob. 4. Ex Pontificali Romano jussu Clementis VIII. edito, in quo ritus confirmandi in hunc modum præscribitur: *Pontifex .... stans versa facie ad Confirmandos, junctis ante pectus manibus .... dicit:* Spiritus sanctus superveniat in vos, &c. *tunc extensis versùs confirmando manibus, dicit:* Oremus. Omnipotens sempiterne Deus .... emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de cœlis .... & consigna eos signo crucis Christi, in vitam æternam, &c. *Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos .... & summitate pollicis dextræ manus Chrismate intincta, dicit:* N. signo te signo crucis. *Quod dùm dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius: deinde prosequitur:* Et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ex his autem verbis (*Pontifex stans cum mitra illos confirmat, &c.*) patet Episcopum tunc solùm confirmare, quando Chrismate frontem ungendo in modum crucis dicit, *signo te, &c.* Ergo sola chrismatio est materia proxima Confirmationis. Cætera sunt cæremoniæ accidentales.

Prob. 5. Ex Euchologio Græcorum, quo illi à plurimis sæculis utuntur in Sacramentorum administratione, & in quo sic describitur ritus Confirmationis. Recitata oratione super confirman-

mandum, *ungit* (Minister) *baptizatum sancto unguento, signum crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus & pedibus, dicens: Signaculum doni sancti Spiritus. Amen.* Ergo Græci per solam Chrismatis unctionem confirmant, & quidem validè: nam nunquam Latini hunc illorum ritum reprehenderunt, nec sic confirmatos unquam iterùm confirmarunt. Et verò Græci longè ante eorum schisma hunc ritum observarunt, ut patet ex Concilio Constantinopolitano I. can. 7. citato. Ergo hic ritus sufficit ad essentiam Sacramenti, eamque totam continet, supple cum verbis ei adjunctis.

Prob. 6. Materia Confirmationis est applicatio materiæ remotæ illius. Atqui materia remota Confirmationis est Chrisma, ut constat ex dictis. Ergo materia proxima est Chrismatis applicatio, seu unctio facta in fronte in modum crucis: nam sic applicatur Chrisma in Ecclesia.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Duodecim prioribus sæculis Confirmatio fiebat per manus impositionem: ut constat ex Scriptura. Act. c. 8. & ex Patribus. Ergo materia proxima Confirmationis non est Chrismatis unctio.

Resp. Nego conseq. Quia illa manus impositio, quam adhibebant Apostoli & eorum successores Episcopi, est ipsissima Chrismatis unctio facta in fronte: nam immediatus contactus manus signantis & ungentis frontem Chrismate est vera & physica manus impositio. Hanc autem adhibebant Apostoli, ut constat ex Traditione & praxi Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ: cujus praxis nullus auctor assignari potest, proindeque ab Apostolis traditam esse, necesse est. Quare Patres Confirmationem modo manus impositionem, modo unctionem Chrismatis vocant; quam semper intelligunt per manus impositionem.

Porro in Scriptura sæpe pluralis numerus pro singulari adhibetur, & quidem in hac materia: nam Patres, ut Tertullianus & alii dicunt manus impositionem in singulari. Unde impositio unius manus sufficit.

Inst. Conc. Florent. in Decreto ait: *Loco autem illius manus impositionis* (qua Apostoli Spiritum sanctum conferebant) *datur in Ecclesia Confirmatio.* Ergo Chrismatio, qua nunc datur Confirmatio, distinguitur à manus impositione, quam ipsi adhibebant Apostoli.

Resp. Nego conseq. Nam Eugenius IV. his verbis solùm intendit, quod Sacramentum, quod olim manus impositio vocabatur, & quo olim Apostoli Spiritum sanctum visibiliter dabant, nunc appelletur Confirmatio, qua Spiritus sanctus invisibiliter datur.

Similiter cùm Innocentius III. ait: *Per frontis chrismationem, manus impositio designatur*: solùm vult frontis chrismationem, quæ nunc dicitur Confirmatio, esse illud ipsum Sacramentum, quod olim manus impositio appellabatur, & quo Apostoli Spiritum sanctum visibiliter dabant. Unde in his locis distinguitur non ritus à ritu, sed modus loquendi à modo loquendi. *Ita Bellarminus.*

Obj. 2. Tertullianus, L. de Baptismo, c. 7. ait: *Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione.* Et cap. 8. *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.*

Resp. Cap. 7. loquitur de unctione, quæ statim post Baptismum fiebat à Sacerdote in vertice capitis baptizati, & quæ erat cæremonia merè ecclesiasti-

ca, non Sacramentum. Cap. verò 7. loquitur de manus impositione, quæ fiebat ab Episcopo frontem baptizati inungente in modum crucis, & proferendo verba formæ, quibus advocatur Spiritus sanctus, & quæ erat Sacramentum Confirmationis cum verbis formæ. Porro olim tres usurpabantur unctiones diversæ; prima ante Baptismum oleo, quod vocatur Catechumenorum, fiebat in pectore & scapulis. Secunda post Baptismum Chrismate in capitis vertice fiebat à Sacerdote. Tertia eodem Chrismate adhibebatur ab Episcopo in fronte baptizati in modum crucis, qua sola administrabatur Confirmationis Sacramentum cum certa verborum formula.

Obj. 3. S. Gregorius, Epist. 61. ait: *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat.* Ergo tunc temporis conferebatur Confirmatio per manus impositionem distinctam à Chrismatis unctione, cui opponitur.

Resp. Nego conseq. Nam S. Doctor ibi loquitur de manus impositione, non confirmatoria, sed reconciliatoria tantum, & sensus est. Arianos recipi & reconciliari in Occidentali Ecclesia per impositionem manus merè cæremonialem: in Orientali verò Ecclesia per Confirmationis collationem. Nam non interrogatus erat de modo, quo danda esset Confirmatio, sed solùm de modo quo hæretici ad Ecclesiam Catholicam revertentes recipiendi essent. Præterea constat sæculo sexto eandem in utraque Ecclesia Latina & Græca fuisse Confirmationis materiam.

Porro cùm Sanctus Gregorius hic dicit hæreticos in Occidente per solam manus impositionem merè cœremonialem reconciliari Ecclesiæ Catholicæ, non debet omninò universaliter intelligi, sed solùm intendit hoc fieri communiter & in plerisque Ecclesiis Occidentis: nam in aliquibus ut in Hispania, Ariani ad fidem conversi statim confirmabantur.

Inst. 1. Sanctus Gregorius, in eadem Epistola dicit Monophysitas in Ecclesia recipi per manus impositionem, qua dabatur Spiritus sanctus.

Resp. Ibi intelligi debet de manus impositione, qua Spiritus sanctus conferebatur, non ex opere operato alicujus Sacramenti, sed ex opere operantis Ecclesiæ, cujus nomine Spiritus sanctus à Ministro invocabatur super hominem conversum, cùm eis manus imponebat.

Inst. 2. S. Gregorius, lib. Sacrament. in Offic. Sabbati sancti, sic exponit Confirmationis ritum: *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma . . . . levata manu sua super capita omnium, dicit: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos . . . . emitte in eis septiformem Spiritum tuum . . . . & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam.*

Resp. Illa manus sublatio seu extensio versùs confirmandos cum oratione est cæremonia merè ecclesiastica & Sacramento accidentalis, & quædam præparatio ad Confirmationem. Nam 1. Illa manus extensio & oratio eædem sunt, quæ nunc in Pontificali Romano leguntur, & post quas dicitur Pontifex confirmare Chrismatis unctione in fronte cum hac forma, *signo te, &c.* 2. Materia physica Sacramenti debet singulis applicari. 3. Hæc manuum levatio seu extensio non est in sensu proprio & physico manus impositio super confirmandum: nam manus impositio super aliquem est contactus immediatus manus super illum. 4. Cùm Apostoli confirmabant, imponebant manus

manus ſuper ſingulos confirmandos: non autem ſolùm extendebant manus verſùs illos, ut patet ex his verbis. Act. cap. 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Nam imponere manus ſuper aliquem in ſenſu proprio, non eſt ſolùm extendere aut levare manus versùs illum.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſit forma Sacramenti Confirmationis.?

DIco. Forma Confirmationis in Eccleſia Latina hæc eſt: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita Theologi communiter cùm S. Thoma, 3. p. qu. 72. art. 4. hocque eſſe de fide aſſerit Suarez.

Prob. 1. Ex Concilio Florent. in Decreto pro Armenis, in quo dicitur: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma .... Forma autem eſt, ſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

2. Ex Pontificali Romano, in quo hæc verba ſupradicta traduntur proferenda ab Epiſcopo, dum confirmat & chriſmate inungit; & Epiſcopus dicitur ſolùm confirmare, cùm *ſummitate pollicis dextræ manus Chriſmate intincta, dicit: Signo te ſigno crucis; quod dum dicit, producit pollice ſignum crucis in frontem illius; deinde proſequitur: Et confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Clemens autem VIII. in ſua conſtitutione ſuper illius Pontificalis editione aſſerit, nihil in eo Pontificali contineri ab antiquis Pontificalium codicibus alienum aut diſcrepans. Quare perpetuam ac conſtantem Eccleſiæ Romanæ praxim continet.

3. Ex Ordine Romano, qui eſt antiquiſſimus liber, cùm ab Alcuino, qui ſæculo octavo floruit, citetur, & in quo hæc forma quoad ſenſum traditur.

4. Quia forma Sacramenti conſiſtit in verbis quæ proferuntur à Miniſtro in applicatione materiæ. Atqui verba ſupradicta proferuntur à Miniſtro Confirmationis, dum frontem inungit Chriſmate, quod eſt materia Confirmationis: ergo ſunt forma Confirmationis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Forma Confirmationis conſiſtit in oratione, quam Epiſcopus cum extenſione manuum verſùs confirmandos fundit proximè ante chriſmationem. Ita ſentiunt Recentiſſimi aliqui.

Reſp. Hæc nova opinio prorſùs repudianda eſt, cùm repugnet Concilio Florentino, Ordini Romano, Pontificali Romano, & praxi Eccleſiæ Romanæ, quæ octavo ſæculo utebatur hac forma, *confirmo te, &c.* ut conſtat ex Ordine Romano: quam proinde ab Apoſtolis accepit, cùm probari non poſſit eam inſtitutam fuiſſe ab aliquo Pontifice aut Concilio.

Obj. 2. Ante veterem illum ordinem Romanum ſupra citatum, ſeu ante octavum ſæculum, nullum proferri poteſt teſtimonium alicujus Patris aut Scriptoris Eccleſiaſtici pro forma à nobis allata. Ergo forma illa non eſt inſtituta ab Apoſtolis, ideóque non eſt eſſentialis forma.

Reſp. Nego conſeq. Quia prioribus Eccleſiæ ſæculis ritus & formæ Sacramentorum ſcripto non mandabantur, ne gentilium & profanorum hominum ludibrio exponerentur; ſed hæc omnia ore ſolùm tradebantur, & per Traditionem oralem & praxim Eccleſiæ conſervabantur.

Quod conſtat ex Patribus, & ex S. Innocentio I. Epiſt. 1. ad Decentium,

cap. 3. ubi de Confirmatione loquens, expresſè dicit, ſe nolle ſcribere verba quibus perficitur, ne prodere videatur ſecretum, quod eatenus ſervatum fuerat in Eccleſia circa Sacramentorum adminiſtrationem: *Verba verò*, inquit, *dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Idem teſtatur Dionyſius Areopagita, ſeu auctor, lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia prope finem, ubi ait: *Precationes autem quæ in myſteriis adhibentur, nefas eſt ſcripto interpretari, & myſticam eorum intelligentiam, aut vim, quæ in eis Deo auctore efficacitatem habet, ex adyto in publicum efferre. Sed quemadmodum à majoribus noſtris traditum accepimus, cùm eas doctrina, quæ foras exire non debet, hauſeris, & ad diviniorem animi conſtitutionem, & mentis elevationem, divino amore, ſanctisque actionibus perfectus evaſeris: divino Sacramenti ordinis lumine ad ſummam eorum ſcientiam deducere.*

Hinc in Orientali Eccleſia ante finem quarti ſæculi, & in Occidentali ante finem ſexti ſæculi nihil de formis Sacramentorum ſcripto traditum eſt præter ſolam Euchariſtiæ formulam; quæ utpote integra ad verbum in Scriptura contenta, occultari non poterat. Igitur ſicut priorum ſæculorum ſilentium non probat hanc Baptiſmi formam (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*) non fuiſſe prioribus ſæculis uſurpatam: ita nec valet contra formam Confirmationis à nobis allatam; quia ſufficit praxis Eccleſiæ, quæ non inveniatur inſtituta ab aliquo Pontifice aut Concilio, quam proinde ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam fuiſſe neceſſe eſt.

Obj. 3. Illud, Act. c. 8. *Oraverunt* (Petrus & Joannes) *pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum .... tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Ergo tempore Apoſtolorum forma Confirmationis erat oratio, quæ impoſitionem manus præcedebat. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam per hoc verbum (*Oraverunt*) ſignificatur oratio prævia & præparatoria Confirmationi, non forma. Cùm autem dicitur: *tunc imponebant manus ſuper illos*, illorum ſcilicet frontem chriſmate ungendo, ſubintelligi debent verba formæ ab illis ſimul prolata, ſicut ſubintelligi debent, cùm, c. 19. dicitur: *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* Nam ibi nulla fit mentio formæ & orationis, ſed ſubintelligitur.

Præterea etiamſi per orationem illam intelligeretur forma, ſub qua confirmarunt Apoſtoli, non ideò cenſenda eſſet deprecativa. Nam verba formæ licèt indicativa dici poſſunt oratio, quia ſunt verba ſacra prolata à Miniſtro ut inſtrumento Chriſti ac nomine Chriſti, & totam vim ſuam ex meritis Chriſti habentia, & Deum efficaciter moventia ad conferendam gratiam: unde ſe habent per modum orationis. Et in hoc ſenſu formæ Baptiſmi & Euchariſtiæ, licèt indicativæ, vocantur à Patribus deprecationes.

Inſt. Ex his verbis, Jac. c. 5. *Et orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Rectè infertur formam extremæ unctiois conſiſtere in oratione ſtrictè dicta. Ergo etiam ex iſtis verbis, Act. c. 8. *Oraverunt ſuper illos, &c.* Rectè infertur formam Confirmationis eſſe deprecativam.

Reſp. Non præcisè ex illis verbis (*& orent ſuper eum*) ſed ex illis verbis explicatis per Traditionem Apoſtolicam, relucentem in perpetua praxi Eccleſiæ formam deprecativam in Extrema unctione uſurpantis, certo infertur formam Extremæ unctionis eſ-

ſe verè deprecativam. At idem colligi non poteſt ex illis verbis : *Oraverunt ſuper illos*, quia nunquam Eccleſia ſive Latina, ſive Græca formam deprecativam in Confirmatione adhibuit, una aut altera fortè excepta Eccleſia particulari, quæ in hoc à cæteris diſcedendo erravit.

Obj. 4. Nullis monumentis probari poteſt Apoſtolos imponendo manus dixiſſe hæc verba : *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis.* Ergo hæc verba non ſunt vera forma Confirmationis.

Reſp. Neg. conſeq. Nam nullo etiam monumento veterum Patrum probari poteſt Apoſtolos, eorumque ſucceſſores immediatos Baptizaſſe ſub hac forma : *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Imo nullus ante Gregorium Magnum ſcripſit in his verbis conſiſtere formam Baptiſmi, & tamen quis neget Apoſtolos hac forma uſos fuiſſe in Baptiſmo? Itaque praxim & doctrinam Apoſtolorum circa ritum & formam Sacramen torum ſufficienter probat perpetua praxis Eccleſiæ. Perpetuitas autem praxis Eccleſiæ in forma Confirmationis ſatis oſtenditur ex eo, quod oſtendi non poſſit ea ab aliquo Pontifice vel Concilio inſtituta fuiſſe.

Obj. 5. SS. Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus & alii Patres dicunt oratione & invocatione Spiritum ſanctum dari in Confirmatione. Ergo forma Confirmationis conſiſtit in præcibus, non verò in verbis ſupradictis.

Reſp. Nego conſeq. Quia Patres illi per orationem & invocationem intelligunt hæc verba formæ, vel æquivalentia : *Signo te ſigno crucis, confirmo te.* Nam hæc verba, licèt indicativa ſint, rectè vocantur oratio & deprecatio, quia ſunt verba ſacra, Chriſti nomine prolata à Miniſtro, ut ejus inſtrumento & agente per modum invocantis; non per modum imperantis, atque ex Chriſti meritis habentia vim impetrandi effectum ſacramentalem, movendo efficaciter Deum ad illum producendum.

Et verò Sanctus Auguſtinus dicit hominem per deprecationem baptizare & Euchariſtiam conficere perinde ac confirmare. An idcirco ſenſit formas Baptiſmi Euchariſtiæ non eſſe indicativas, ſed conſiſtere in deprecatione aliqua ſtrictè dicta, ſeu in formula orationis? *Si ergo* (inquit, l. 5. de Baptiſmo, cap. 20.) *ad hoc valet, quod dictum eſt in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum,* (id eſt Chriſmatis unctionem in Confirmatione) *vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur* (in Ordinatione) *quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas.* Item Sanctus Cyrillus, Catecheſi 3. formam Euchariſtiæ invocatione appellat propter rationem allatam : *Quemadmodum,* inquit, *panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt Corpus Chriſti.*

Obj. 6. Octavo ſæculo non adhibebantur hæc verba, *confirmo te,* ſed ſolùm iſta, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Nam Alcuinus, l. de divinis officiis, c. de Sabbato ſancto, ſic ritum Confirmationis deſcribit : *Hac finita* (oratione) *facit crucem de Chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicendo : in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Reſp. Alcuinus, loc. cit. citat Ordinem Romanum, in quo habentur hæc verba; *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quare edi-

editio libri Alcuini est mendosa, & in ea supplendæ sunt hæ voces, *confirmo te.* Vel ipse usus est codice mendoso, aut memoria lapsus est.

Idem dic de Amalario, qui Ordinem Romanum malè citat post Alcuinum, & qui probabiliter hoc mendum mutuatus est ex Alcuini libris.

Obj. 7. Septimo sæculo in Anglia omittebantur hæc verba, *confirmo te,* ut patet ex Anglicano codice vetusto, in Rothomagensi Ecclesia asservato, in quo solùm habetur oratio, quæ incipit: *Benedicat vobis omnipotens Deus, &c.*

Resp. In illo Codice obscuro descripta non fuit forma Confirmationis, sed solùm oratio, quæ Confirmationi præmittebatur. Nec mirum. Nam septimo sæculo necdum à quoquam scripto tradita erat in Occidente forma Confirmationis, quæ cùm facilis ac brevis esset, facilè memoriæ mandabatur, & retinebatur. Prædicta autem oratio certò non potest esse forma Confirmationis, cùm tam Episcopum & alios Clericos quàm confirmandos spectet: nam per eam Episcopus tam sibi quàm aliis præsentibus petit Spiritumsanctum.

Obj. 8. In Ordine Romano, qui jam octavo sæculo extabat, non habentur hæc verba, *signo te signo crucis,* sed solùm ista: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et à duodecimo sæculo in Ecclesia Romana usurpatur forma, quæ continetur in Decreto Eugenii IV. Ergo neutra forma est essentialis Confirmationi.

Resp. *Nego conse.* Quia vel sola verba hæc, *confirmo te, &c.* sunt ex institutione Christi essentialia formæ: vel in Ordine Romano non continebatur integra Confirmationis forma: vel non amplius extant correctiora exemplaria, in quibus descripta erat integra.

Obj. 9. In Decreto Eugenii traditur tantùm forma integralis, non essentialis. Et Eugenius eam tradendo voluit solùm Armenos docere rem ad meram disciplinam pertinentem.

Resp. *Nego.* Nam 1. alioqui æquè idem dici posset, cùm dicit formam Baptismi, esse hæc verba, *ego te baptizo, &c.* & formam Eucharistiæ esse hæc Christi verba, *hoc est corpus meum.* 2. In Decreto dicitur simpliciter esse forma Confirmationis, & nulla alia præter istam traditur. Absurdum est autem in Decreto ad docendos Armenos Sacramenta edito, tradere formam tantùm integralem, omissa essentiali.

Inst. Si forma in Decreto Eugenii tradita, sit essentialis, omissis aliquot ejus verbis, v. gr. *Chrismate salutis,* Sacramentum nullum esset. Falsum conseq. Ergo.

Resp. *Nego sequel. maj.* Nam ut forma Sacramenti dicatur essentialis, sufficit quod contineat verba essentialia, id est, verba quæ sensum à Christo institutum exprimant. Nec necesse est, ut omnia verba, quibus constat, sint essentialia, ut patet in hac forma, *ego te baptizo, &c.* in qua vox *ego* non est essentialis.

Obj. 10. Doctores Scholastici inter se dissident de verbis essentialibus formæ. Ergo circa hoc nihil certi asseri potest.

Resp. *Neg. antec.* Nam consentiunt omnes, hæc saltem verba (*confirmo te*) esse essentialia formæ, reliqua verò necessariò adhiberi debere saltem ex præcepto ecclesiastico.

Hæc autem verba (*confirmo te*) effectum primarium Confirmationis sufficienter exprimunt, quamvis hic effectus aliis verbis clariùs exprimi possit.

Obj. 11. Forma Græcorum consistit in oratione, quæ præcedit Chrismatis unctionem: Ergo etiam & Latinorum forma.

Resp.

Resp. Nego anteced. Nam forma Confirmationis apud Græcos consistit in his verbis: *Signaculum donationis Spiritus sancti:* qua Minister profert, inungendo Chrismate baptizatum, ut docent communiter Doctores, & testantur Arcudius & Bessarion Græci doctissimi.

Prob. 1. Ex Conc. Constantinopolitano I. Can. 7. ubi dicitur: *eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum, qui ex hæreticis servantur, recipimus secundùm subjectum hìc tenorem & consuetudinem; Arianos videlicet, & Macedonianos .... dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei catholica & Apostolica Ecclesia .... recipimus obsignandos, sive ungendos primùm sancto Chrismate, & frontem & oculos .... & eos signantes dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.* Ubi Concilium Confirmationis ritum exponendo, nullam aliam formam tradit præter supradicta verba, prætermissa oratione. Ergo Ecclesia Græca hac forma jam utebatur sæculo quarto, ideóque jam usa erat prioribus sæculis, cùm eam à nullo Concilio institutam inveniamus. Posterioribus verò sæculis eandem usurpata semper fuisse à Græcis, patet ex Euchologiis.

Prob. 2. Quia hæc verba sufficienter exprimunt Confirmationis effectus, nempe characterem & gratiam, & utriusque causam principalem, nempe Spiritum sanctum. Item actus confirmantis, consistens in Chrismatis unctione, exprimitur hac voce, *signaculum.* Quare forma illa Græcorum non differt quoad sensum substantialem ab his verbis: *Signo te, & confirmo te Chrismate salutis.*

Prædictam autem Græcorum formam validam esse, consentiunt Theologi. Quia 1. usurpabatur à Græcis ante eorum schisma, & traditur à secundo Concilio generali, nec unquam à Latinis repudiata fuit ut invalida. 2. Summi Pontifices, qui Græcorum ritus expenderunt, ut Gregorius X. in Concilio Lugdunensi: & Eugenius IV. in Florentino, prædictam formam nunquam reprehenderunt. Et Clemens VIII. in Bulla de unione inter Græcos & Latinos edita, hanc formam meminit, nec tamen repudiat, sed validam supponit. 3. Hæc forma effectus Confirmationis & actum confirmantis sufficienter exprimit.

Hinc patet Christum non determinasse Confirmationis formam quoad verba, sed tantùm generatim instituisse, ut adhiberentur verba, quæ hujus Sacramenti effectum sufficienter exprimerent, eaque ab Ecclesia determinarentur.

QUÆSTIO V.

Quinam sint effectus Confirmationis?

Dico 1. Confirmatio characterem imprimit.

Fide constat ex Conc. Trident. Sess. 7. can. 9. unde in eadem persona iterari non potest, cùm in charactere indelebili virtualiter permaneat. Per hunc characterem baptizatus consignatur ut miles Christi, adscribitur in ejus militiam, & accipit potestatem spiritualem ad exequenda, mediantibus gratiæ auxiliis ea quæ sunt fortis militis. Nam Confirmatio baptizatos ad propugnandam fortiter fide contra hostes visibiles, nempe persecutores fidei specialiter deputat, idoneosque efficit illos ad perfectam ætatem spiritualem promovendo.

Dico 2. Alter effectus Confirmationis, & quidem præcipuus, est augmentum gratiæ sanctificantis copiosissimæ, qua homo corroboratur ad fidem fortiter

titer profitendam, cum jure ad specialia in hunc finem auxilia.

Constat ex verbis formæ; ex Conc. Florent. dicente in hoc Sacramento dari Spiritum sanctum ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen ac fidem confiteatur; & ex Scriptura, & Patribus docentibus per Confirmationem dari Spiritum sanctum, quo nomine significatur gratia copiosa & corroborans animam.

Confirmatio autem primam gratiam saltem primo per se non confert, quia instituta est ad spiritualem corroborationem, & augmentum ac perfectionem gratiæ sanctificantis, ut docent Patres. Ac proinde ex institutione sua præsupponit in subjecto suo vitam spiritualem: nam qui non vivit, non potest corroborari, nec augeri potest id quod non est.

Præterea ex Conc. Trident. Seff. 14. c. 2. *est Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut non regeneratis ipse Baptismus.* At hoc esset falsum, si Confirmatio instituta esset ad conferendam primam gratiam: nam peccator baptizatus habens attritionem cum inchoato amore Dei posset justificari per Confirmationem; & sic Sacramentum Pœnitentiæ ei necessarium non esset ad salutē.

Hinc in peccatore ad gratiam in Confirmatione recipiendam prærequiritur contritio perfecta, vel Sacramentum Pœnitentiæ. In justo verò sufficit intentio recipiendi hoc Sacramentum.

QUÆSTIO VI.

Quodnam sit subjectum Confirmationis?

Dico. Omnes & soli baptizati sunt capaces Confirmationis.

Prob. Solos baptizatos esse illius capaces patet, quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum. Omnes verò baptizatos illius capaces esse constat ex praxi veteris Ecclesiæ, in qua infantes confirmabantur, ut patet ex Innocentio I. Epist. 1. c. 3. & Libro Sacramentorum S. Gregorii, atque ex Ordine Romano in officio Sabbati sancti.

Ratio est, quia omnes per Baptismum spiritualiter regenerati, sunt capaces accretionis spiritualis, quæ fit per augmentum gratiæ: ac proinde capaces sunt Confirmationis, ad hunc finem institutæ.

Quamvis autem infantes capaces sint Confirmationis, nunc tamen in Ecclesia Latina convenienter differtur usque ad usum rationis; tum quia ex hoc Sacramento cum actuali devotione, ad quam usus rationis requiritur, suscepto major percipitur fructus; & aliunde non est necessarium ad salutem necessitate medii; tum quia sic certiùs vitatur periculum iterationis: adulti enim, non infantes, Confirmationis à se susceptæ meminisse possunt.

Porro de ætate, qua conferendum est hoc Sacramentum, sic habet Catechismus Romanus, tit. de Confirm. *in quo illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minus tamen expeditè hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.*

QUÆSTIO VII.

Quisnam sit Minister Confirmationis?

Dico. Solus Episcopus est ordinarius Minister Confirmationis. Est de fide contra Photium & Græcos schismaticos.

Prob. 1. Ex Scriptura, in qua soli Apostoli leguntur confirmasse etiam

eos, quos jusserant ab aliis baptizari. Nam, *Act. c. 8.* Petrus & Joannes Apostoli ab Ecclesia missi sunt ad confirmandos Samaritanos à Philippo Diacono baptizatos. Et *cap. 19.* Paulus dicitur confirmasse eos, quos jusserat ab aliis baptizari. Ergo confirmandi munus saltem ordinarium ad solos Apostolos, eorumque successores Episcopos pertinet: nam nulla ratio afferri potest, cur soli Apostoli confirmarint.

2. Ex Patribus, & summis Pontificibus. Pro omnibus sit S. Innoc. I. epist. 1. ad Decent. c. 3. ubi ait: *De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio quàm Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Idem docent Leo Magn. Epist. 88. & S. Greg. Lib. 3. Epist. 9.

3. Ex perpetuo usu Ecclesiæ Catholicæ, de quo constat ex Cypriano, epist. 70. Cornelio Papa apud Eusebium, Lib. 6. Hist. c. 43. & aliis Patribus.

4. Ex Conc. Florent. in Decreto ubi dicitur: *Ordinarius* (Confirmationis) *Minister est Episcopus.* Et Trident. Sess. 7. Can. 3. de Confirmatione. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, Anathema sit.*

Ratio congrua est, quia Confirmatio est complementum & perfectio Baptismi, ut constat ex Patribus docentibus baptizatum perfici per Confirmationem: ac proinde convenit, ut à primario Ministro conferatur.

Obj. 1. Act. c. 9. Ananias, qui non erat Episcopus, dicitur manus imposuisse Paulo.

Resp. Hæc manuum impositio non fuit confirmatoria, sed solùm curatoria, ut patet tum ex eo, quod Paulus nondum esset baptizatus, tum ex his verbis: *Et vidit* (Saulus) *virum Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus, ut visum recipiat,* non verò Spiritum sanctum.

Nec obstant hæc Ananiæ verba: *Dominus misit me . . . . ut videas, & implearis Spiritu sancto.* Nam sensus est, ut videas per impositionem manus, & implearis Spiritu sancto per Baptismum.

Porro vel Paulus confirmatus est ab aliquo Apostolo, vel Spiritus sancti plenitudinem à Deo sine manus impositione accepit, sicut acceperant alii Apostoli.

Obj. 2. Conc. Hispalense II. Can. 7. dicit quædam *novellis & ecclesiasticis regulis* prohibita esse Presbyteris, inter quæ recenset Confirmationem & Chrismatis confectionem.

Resp. Per novellas & ecclesiasticas regulas intelligit decreta Innocentii I. & Leonis Magni. Sed illa decreta, quæ Concilio sufficiunt ad tollendos abusus, declarant jus divinum, quod Synodus excludere non intendit.

Obj. 3. Ex veteri consuetudine Presbyteri Græci & Armeni passim confirmant.

Resp. Hæc consuetudo inducta fuit ex concessione summi Pontificis, saltem tacita.

Obj. 4. S. Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, sic ait: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum . . . . disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem facta-*

ctitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii (summi) *quàm ad legis necessitatem.*

Resp. Sanctus Doctor his verbis (*ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem*) solùm vult potestatem ordinariam confirmandi ad solos Episcopos pertinere, non ex natura rei & necessitate absoluta, quasi Spiritus sanctus aliter dari non possit quàm per manus Episcopi, sed ex voluntate Christi, qui honorem specialem summo Sacerdotio attribuit, certa jura & potestates speciales Episcopis concedendo, quæ simplicibus Sacerdotibus non concessit. Cujus quidem hanc rationem subjicit sanctus Doctor, quia nempe *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.*

Obj. 5. Presbyteri succedunt Apostolis perinde ac Episcopi: Ergo etiam sunt Ministri ordinarii Confirmationis.

Resp. Presbyteri succedunt Apostolis in aliquibus tantùm, quæ nempe sunt Sacerdotum propria, non verò in omnibus. Nam Apostoli non solùm erant primi Christiani & Sacerdotes, sed etiam primi summi Sacerdotes: soli autem Episcopi succedunt Apostolis ut primis summis Sacerdotibus, ideóque succedunt Apostolis in omni eorum potestate ordinaria. Quare Episcopi soli simpliciter & absolutè succedunt Apostolis, simplices verò Sacerdotes Apostolis succedunt tantùm secundùm quid: nam non potest quis dici simpliciter & absolutè succedere alicui, nisi ei succedat in omnibus, in quibus ei succedi potest, ideóque nisi ei succedat in tota ejus potestate ordinaria. Hinc soli Episcopi sunt successores Apostolorum simpliciter & absolutè.

QUÆSIO VIII.

Utrùm simplex Sacerdos possit esse Confirmationis Minister extraordinarius?

Dico. Simplex Sacerdos potest ex dispensatione summi Pontificis conferre Sacramentum Confirmationis validè & licitè. *Ita Doctores communiter cum S. Thoma, 3. p. qu. 72. art. 11. ad 1. & omnes Canonistæ.*

Prob. 1. Ex facto Gregorii Magni, qui L. 3. Epist. 26. concessit Sardiniæ Presbyteris, ut confirmarent in iis locis, in quibus desunt Episcopi. Nam ibi sic ait: *Ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Jam verò quis tam sanctum ac doctum Pontificem erroris in re tam gravi arguere audeat? Idem concessisse alios Pontifices nempe Nicolaum IV. Urbanum IV. Joannem XXII. Eugenium IV. Leonem X. testantur Wadingus in Annalibus minorum, & Cardinalis Pallavicinus, in Hist. Concil. Trident.

2. Ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV. ubi postquam dixit ordinarium Ministrum Confirmationis esse Episcopum subjicit: *Legitur tamen per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum,* quod certe non adderetur, nisi id fieri posset.

3. Ex Conc. Trid. quod Sess. 7. Can. 3. de Confirmatione: *ideo ait ordinarium Ministrum esse Episcopum, ut indicaret posse extraordinaria potestate idem fieri etiam à Presbytero,* inquit Bellarminus.

4. Ex usu Ecclesiæ Græcæ, in qua jam ante schisma, Presbyteri Confirmationem conferunt, ut extraordina-

rii scilicet Ministri. Hanc autem Confirmationem à Presbyteris collatam, nunquam ut invalidam rejecit Ecclesia Latina, quæ etiam Græcos in scismate à Presbyteris confirmatos, nunquam iterum confirmavit aut confirmari jussit. Imò in fine Concil. Florent. refertur Eugenium IV. Græcis convocatis proposuisse aliquot quæstiones, inter quas hæc erat, cur Presbyteri confirment. Et in actis additur Græcos Pontifici satisfecisse super his omnibus quæstionibus, exceptis duabus ultimis, quæ erant de separatione Matrimonii & creatione Patriarchæ extra Constantinopolim. Sic enim habent acta: *Quas quidem quæstiunculas Præsul Mitylenensis dissolvisse facilè visus est, ultimis duabus exceptis.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Adrianus VI. docuit Confirmationem nunquam posse validè administrari à simplici Sacerdote.

Resp. Id quidem docuit necdum Pontifex, sed postea summus Pontifex factus, hanc suam opinionem mutavit. Nam anno 1522. concessit Religiosis Franciscanis pro Indiis, & regionibus, ubi desunt Episcopi, ut Sacerdos Franciscanus confirmare posset cum Chrismate ab Episcopo consecrato: habeturque authenticum Hispali in Monasterio sancti Francisci.

Obj. 2. Innocentius III. c. *Quanto*, de consuetudine graviter arguit simplices Sacerdotes, qui Constantinopoli confirmabant, solam consuetudinem prætendentes, graviterque vetat id in posterum fieri: *cùm*, inquit, *umbra ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

Resp. Ibi Innocentius loquitur de Presbyteris Latinis, non Græcis, ut patet ex ejus Epistola ad Lucium in urbe Constantinopolitana Vicarium seu Legatum suum scripta, ex qua Capitulum citatum desumptum est, & in qua hæc legi testatur Arcudius: *Mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant.* Et in vetustiore Decretalium collectione apud Antonium Augustinum vox *Latinis* apponitur. Græcorum autem consuetudo nullam potestatem confirmandi dare poterat Presbyteris Latinis in urbe Constantinopolitana, tunc Latinis subjecta, degentibus, quia ipsi immediatè subjecti erant summo Pontifici, sine cujus proinde concessione, nec validè, nec licitè confirmare poterant.

Obj. 3. Innocentius IV. in Epist. ad Episcopum Tusculanum suum in regno Cypri Legatum, sic ait: *Soli autem Episcopi consignent in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi.*

Resp. Cum Arcudio. Ideo hoc prohibet, quia putabat Presbyteros Græcos auctoritate propria munus confirmandi usurpasse. Neque hæc prohibitio videtur à Legato Pontificis promulgata fuisse, quòd commodè executioni mandari non possit.

Porro cùm aliqui Pontifices dicunt Confirmationem à solis Episcopis administrari posse, loquuntur de potestate ordinaria, non delegata, & dependente à concessione Superioris.

Obj. 4. Nicolaus Papa I. jussit iterùm confirmari Bulgaros, qui à Presbyteris Græcis à Photio missis confirmati fuerant.

Resp. Ideo eos jussit iterùm confirmari; quia Bulgari recens ad fidem conversi non erant subjecti Patriarchæ Constantinopolitano, qui proinde nullam potestatem erga eos validè delegare potuit; & quia Photius non erat verus Patriarcha, sed intrusus, & à

ſacris ſuſpenſus erat cum omnibus Presbyteris ſibi adhærentibus.

Obj. 5. Munus confirmandi eſt jure divino proprium Epiſcopis: Ergo non poteſt unquam validè exerceri à Presbyteris.

Resp. Munus ordinarium confirmandi eſt quidem jure divino proprium Epiſcoporum: quare Presbyteri ſine conceſſione illud exercere etiam validè non poſſunt. Sed tamen munus confirmandi convenire poteſt Presbyteris ex conceſſione ſummi Pontificis. Imò juxta multos Doctores etiam confirmare poſſent Presbyteri ex conceſſione Epiſcopi cujuslibet pro ſua Diœceſi, ſi hujusmodi conceſſio ſummo Pontifici non eſſet reſervata. Quia inquiunt, Epiſcopus eſt Paſtor ordinarius in ſua Diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubjectus. Ergo habet poteſtatem ordinariam in iis, in quibus ejus jurisdictio à ſummo Pontifice non coercetur, ideóque eam delegare poteſt.

Obj. 6. Poteſtas confirmandi eſt poteſtas ordinis, non jurisdictionis. At poteſtas ordinis non poteſt dari per delegationem. Ergo.

Resp. Confirmandi poteſtas ordinarìa, perfecta & abſoluta eſt poteſtas ordinis Epiſcopalis, quæ Epiſcopo convenit per characterem Epiſcopalem. Unde Epiſcopus ſolus poteſt validè confirmare independenter à qualibet conceſſione, imò non obſtante quavis prohibitione. At confirmandi poteſtas extraordinaria, inchoata, incompleta & dependens à Superiore eſt Ordinis Sacerdotalis, ineſtque Presbyteris per characterem ſacerdotalem. Quare ſi hæc poteſtas per conceſſionem Superioris compleatur & perficiatur, jam ſufficit ad confirmandum: & ſic Presbyteri validè confirmari poſſunt vi characteris Presbyteralis & conceſſionis Superioris: Diaconis verò & Subdiaconis nequidem ineſt confirmandi poteſtas extraordinaria & incompleta: unde delegari non poſſunt ad confirmandum.

Observa. Probabile eſt ſimplicibus Sacerdotibus confirmandi facultatem in Ægypto primùm conceſſam fuiſſe ante quartum ſæculum. Nam Auctor Commentariorum in Epiſtolas D. Pauli, inter S. Ambroſii opera editorum, qui quarto ſæculo ſcripſit, de hoc uſu ut jam antiquo loquitur in cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſios, cùm ibi ait: *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus.* Uſus autem ille primùm in Ægypto inſtitutus, ſenſim poſt ſæculum quartum in tota Eccleſia Orientali propagatus fuit, Epiſcopis expreſsè vel ſaltem tacitè conſentientibus, nec ſummis Pontificibus contradicentibus. Apud Latinos verò in Sardinia ſæculo ſexto Presbyteri confirmabant, ut conſtat ex S. Gregorio, Epiſt. 26. In Galliis ſæculo quinto idem feciſſe probabiliter colligitur ex Concilio Arauſicano I. Can. 1. & in Hiſpania ſæculo ſexto, ex Concilio Barcinonenſi II. can. 2. ſed in Eccleſia Latina ante nonum ſæculum Presbyteri confirmare deſierunt.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

I. Confirmatio est Sacramentum à Christo institutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam.

II. Ejus materia remota *est Chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto.* Concil. Florentin. in decret. de Sacrament. Materia proxima est unctio chrismatis in fronte per manum Episcopi facta in formam crucis; quæ chrismatis unctio est vera manus impositio. Forma autem, ex Concilio Florentino est hæc: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

III. Minister ordinarius est solus Episcopus, ex Concilio Tridentino Seff. 3. canon. 3. & Florentino hæc addente: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quare simplex Sacerdos ex commissione Papæ, potest validè ac licitè confirmare.

IV. Hujus effectus sunt. 1. Augmentum gratiæ sanctificantis, & virtutum ei annexarum. 2. Auxilia quædam specialia ad fidem fortiter profitendam cum quovis periculo, & ad superandas tentationes contra illam. 3. Character.

V. Confirmationis capaces sunt omnes & soli baptizati, etiam infantes, quibus primis Ecclesiæ sæculis conferebatur. Nunc tamen in Ecclesia Latina differtur usque ad usum rationis, ad majorem reverentiam hujus Sacramenti, & majorem utilitatem suscipientis ob actualem devotionem. Expedit autem pueros tempestivè confirmari, antequam innocentia baptismali excidant, modò suscepti Sacramenti non iterandi meminisse possint, ejusque excellentiam & utilitatem agnoscant.

VI. Patrinus adhiberi debet ex lege, seu consuetudine Ecclesiæ, quæ in variis canonibus exprimitur. Et quidem unus tantùm, sive vir, sive mulier, cap. *Non plures*, de consecr. dist. 4. circa quod nihil innovavit Concil. Trident. debetque esse confirmatus, seu confirmata, cap. *In baptismate*, eod. titul.

Quæst. I. *An quilibet adultus tenetur Confirmationem recipere data opportunitate?*

Resp. Multi negant, sed *Toletus & alii* affirmant & probant. 1. Ex cura & sollicitudine Apostolorum, *Actor.* 8. ut baptizatis conferretur. 2. Ex cap. *Omnes*, de consecrat. dist. 5. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Et ex S. Cyprian. epistol. 72. *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* 3. Ex Concil. Laodicen. canon. 48. *Quòd oporteat eos, qui baptizantur, chrisma Ecclesiæ accipere.* Ex Conc. Mediolan. IV. sub S. Carolo. *Si quis neglexerit* (ejus susceptionem) *Canonicis subjaceat disciplinis.* At negligit, qui data opportunitate non suscipit, ut per se & ex contextu patet. Et ex Concilio Rhemensi ann. 1583. *Moneant parochi, Sacramentum Confirmationis non debere negligi, vel prætermitti à verè Christianis.* 4. Ex canonibus pœnitentialibus, qui trium annorum pœnitentiam imponunt parentibus, quorum negligentia filius sine Confirmatione decesserit. 5. Quia hoc Sacramentum institutum est, ut medium per se certum & ordinarium ad dandum robur, & perfectionem vitæ christianæ, & non solùm ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam, sed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, à quibus nemo adultus immunis est. Ergo Christus voluit, ut ab omnibus susciperetur; & qui illud cùm potest, non suscipit, non satis consulit saluti suæ, sed illam ac auxilium divinum negligere meritò censetur: ergo peccat.

Certè apud omnes constat esse saltem culpam venialem hoc Sacramentum tunc omittere; cùm talis omissio sit irrationabilis quædam prodigalitas spiritualis. Mortale verò si omittatur sive ex contemptu, ut si quis illud, aut ejus effectum parvi faciat, vel vile, aut puerile existimet se illi subjicere: sive cum scandalo, ut si quis ita se publicè gerat, ut aliis exhibeat speciem contemptus.

Item constat Episcopum teneri sub mortali illud non raró administrare: nam cùm sit pastor animarum, tenetur illis ex officio per se subministrare media, quæ Christus instituit ad earum salutem, vel perfectio-

ctionem, ac ſpiritualem utilitatem, per ipſum ſuppeditanda. (*a*)

(*a*) De Confirmationis Miniſtro cum Ordinario, tùm Extraordinario, deque ſacro Chriſmate, atque ætate, in qua hujuſmodi Sacramẽtum pueris ſit conferendum. Vide lib. VII. de Synodo Diœceſana, in quo Cap. VII ſtatuitur. Primò: Dogma eſſe Catholicum in variis Conciliis definitum, quod Epiſcopus ſit Ordinarius hujuſce Sacramenti miniſter *num.* 2. Secundò: Manus impoſitionem olim adhibitam poſt Baptiſmum ad curandos Energumenos non fuiſſe confirmatoriam *num.* 3. Tertiò: Dubitari amplius non poſſe de Romani Pontificis poteſtate, quæ ſimplicibus Sacerdotibus concedere poſſit facultatem hujuſmodi Sacramentum adminiſtrandi, *num.* 4. & 7.

In Cap. VIII. habetur: Primò: hanc facultatem ſemper limitatam fuiſſe, hac lege, ut Presbyteri Chriſmate uterentur ab Epiſcopo conſecrato; nec ullam eſſe neceſſitatem faciendi ſimplici Presbytero facultatem conſecrandi Chriſma, quod quocumque ſe conferat, poſſit is ſecum deferre Chriſma ab Epiſcopo acceptum, quodque facile etiam obtinere poſſit à Romano Pontifice diſpenſationem illius præcepti, quo prohibetur uſus Chriſmatis ante annum benedicti *n.* 1. & 2. Secundò: Delegationem hujuſmodi eſſe actum poteſtatis, & juriſdictionis ſupremæ, à Chriſto Domino ſoli ſuo Vicario in terris commiſſæ, quamobrem omnibus in confeſſo eſſe, irritam nunc fore confirmationem à ſimplici Presbytero latino, ex ſola Epiſcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apoſtolica id juris ſibi unicè reſervavit.

In Cap. IX decernitur, Primò: In iis locis, in quibus Chriſmatio data à Sacerdotibus Græcis, non eſt à Sede Apoſtolica expreſſe improbata, eam pro valida eſſe habendam ob tacitum ſaltem privilegium à Sede Apoſtolica illis conceſſum, cujus quidem privilegii præſumptionem inducit ipſamet conniventia, & tolerantia Romanorum Pontificum. Secundò: Hanc Confirmationem irritam eſſe reputandam, in locis, in quibus conſtat Græcis, alteriuſve orientalis ritus Sacerdotibus, eſſe ab Apoſtolica Sede expreſsè ademptam; ademptam autem fuiſſe Sacerdotibus Bulgaris à Nicolao I. Cypris ab Innocentio IV. Italo Græcis cùm à Clemente VIII. tum a SS. D. N. Conſtitutionibus 57. & 129. tom. 1. Bullarii. Tertiò; In Synodo nationali Maronitarum anno 1736. in Monte Libano coacta, ſancitum eſſe, ne in poſterum ab alio, quam ab Epiſcopo Confirmatio conferatur. Vide Conſtit. 30 *in tom.* 1. *Bullarii pag.* 74. qua prædicta Synodus confirmatur.

In Cap. X. habetur, Primò: Hoc Sacramentum validè conferri omnibus baptizatis abſque ulla ætatis differentia, atque olim omnes ſtatim poſt Baptiſma confirmari conſueviſſe; nunc vero ante ſeptennium ordinariè conferendum non eſſe *n*, 1. 2. & 3. Secundò: Eccleſiam Orientalem antiquum ſervare morem de confirmando ſtatim poſt Baptiſma. Tertiò: Etiam in Eccleſia latina nunc ſanctè, & licitè conferri poſſe ſeptennio minoribus urgente periculo vitæ, aut futuræ diuturnæ abſentiæ Epiſcopi, vel alia neceſſitate, ſeu juſta cauſa. Fieri vero oportere dicitur, ab Epiſcopis ſine ulla acceptione Perſonarum.

TRA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.
EX SPECULATIVA.

EUcharistia, secundùm vim nominis Græci, significat bonam seu eximiam gratiam, & gratiarum actionem: tùm quia continet Christum, qui est & donorum omnium maximum & fons gratiarum omnium: tum quia in ea offertur Deo sacrificium gratiarum actionis perfectissimæ. Dicitur etiam communio, quia cum Christo conjungit fideles à quibus suscipitur, & fideles ipsos inter se conjungit, atque unit. Eucharistia autem est Sacramentum & simul Sacrificium, ut fide constat. Quare hic Tractatus in duas partes dividetur.

PARS PRIMA.

De Eucharistiæ Sacramento.

EUcharistia ut Sacramentum est, communiter definitur: Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ad spiritualem animæ refectionem à Christo institutum.

CAPUT I.

De natura Sacramenti Eucharistiæ.

SUppono Eucharistiam esse verum Sacramentum novæ legis, ut fide constat.

1. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, ut patebit ex dicendis.

2. Ex Conc. Trid. Sess. 7. Can. 1. ubi Eucharistia inter Sacramenta novæ legis numeratur, & anathematizatur, qui dixerit aliquod horum septem non esse verè ac propriè Sacramentum; sic enim ait: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam,* &c. *aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, Anathema sit.* Idem ante docuit Conc. Florent. in Decreto pro Armenis.

Ratio est, quia Eucharistiæ convenit definitio Sacramenti propriè dicti novæ legis: nam 1. est signum sacrum, sensibile, à Christo institutum, nempe spe-

ſpecies panis & vini conſecrati, ex Matth. c. 26. *Accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, &c.* 2. Permanenter inſtitutum, juxta illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. Inſtitutum ad ſignificandam & dandam gratiam ſanctificantem, & charitatem augendam ac conſervandam. Nam corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus panis ſignificat refectionem ſpiritualem, & illam efficit, juxta illud Joann. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, &c.*

ARTICULUS I.

Utrùm Euchariſtia conſiſtat in re permanente?

Nota. Lutherani & Calviniſtæ docent Euchariſtiam conſiſtere tantùm in uſu & actuali manducatione, ideóque in actione tranſeunte, non in re permanente; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Lutherani agnoſcant realem Chriſti præſentiam in ſumptione Euchariſtiæ, Calviniſtæ verò duntaxat ſpiritualem, & ſacramentalem. Kemnitius tamen cenſet corpus Chriſti præſens eſſe in omnibus actionibus, quæ in cœna peraguntur, nimirum benedictione, fractione, diſtributione, manducatione, item cùm immediatè poſt cœnam ad ægros defertur, & ab illis manducatur.

Dico. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re permanente. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex verbis, quibus Chriſtus inſtituit & confecit Euchariſtiam: nam hæc verba, Matth. c. 26. *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Prolata ſunt à Chriſto, antequam Apoſtoli Euchariſtiam ſumerent, & vera fuerunt ſtatim atque prolata ſunt. Ergo ante actionem manducandi & bibendi, fuit verum corpus & verus ſanguis Chriſti, ideóque verum Sacramentum. Ergo Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in re, quæ uſum ſeu manducationem antecedit, & quæ cùm actio non ſit, eſt aliquid permanens.

Prob. 2. Ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ ſervantis Euchariſtiam, & eam diſtribuentis diu poſt omnes actiones, quæ in cœna peraguntur. Cujus quidem Traditionis teſtes ſunt Patres priorum ſæculorum.

Pro ſecundo ſæculo. S. Juſtinus Martyr, Apolog. 2. teſtatur, Euchariſtiam, peractis myſteriis, ad abſentes mitti ſolitam fuiſſe per Diaconos; & S. Irenæus in Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium, L. 5. Hiſt. c. 24. ſcribit deceſſores ejus ſummos Pontifices Euchariſtiam ad Epiſcopos Paſcha Luna quatuordecima celebrantes miſiſſe in ſignum pacis & communionis.

Pro tertio ſæculo. Tertullianus L. 2. ad uxorem; & Cyprianus ſerm. de lapſis teſtantur, fideles ſuo tempore conſueviſſe Euchariſtiam in domos ſuas deferre, ut eam opportuno tempore ſumerent. Item Dionyſius Alexandrinus, in Epiſt. ad Fabianum ſummum Pontificem apud Euſebium, L. 6. Hiſt. c. 44. narrat à Sacerdote ægrotante per puerum miſſam eſſe particulam Euchariſtiæ ad Serapionem quemdam ſenem morti proximum.

Pro quarto ſæculo. S. Baſilius Epiſt. ad Cæſariam Patritiam ſcribit Anachoretas, qui ſæpius in Eccleſiam venire non poterant, conſueviſſe Euchariſtiam ſecum in eremum deferre, ut ibi ſumerent. Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 11. narrat ſororem ſuam Gorgoniam, magna fide de nocte procumbentem coram Euchariſtia apud ſe recondita in altari, ſtatim fuiſſe à morbo liberatam. Et S. Ambroſius orat. de obitu fratris ſui Satyri; refert eum per Eucha-

Eucharistiam, quam ad collum suum suspenderat, naufragii periculum evasisse; ibi enim de illo sic ait: *In naufragio constitutus . . . non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit . . . & Eucharistiæ particulam ab illis acceptam ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare . . . nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis . . . Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus*, &c.

Ex hac praxi patet antiquam Ecclesiam credidisse corpus & sanguinem Christi sub speciebus consecratis manere extra usum seu manducationem & totam actionem cœnæ, ideóqve Eucharistiam non in actione transeunte, sed in re permanente consistere.

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus. Nam 1. Conc. Nicænum I. Can. 13. jubet, ut cuilibet in extremis posito & Eucharistiam petenti, communio concedatur, probatis ejus dispositionibus: *In Summa autem*, inquit, *de quolibet excedente, & Eucharistiæ participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat.* Quod semper in Ecclesia observatum fuit. Certum est autem non potuisse, quovis tempore ægrotis Eucharistiam ministrari, nisi ea asservaretur in Ecclesia, cùm actio cœnæ non fieret in singulis ægrotantium cubiculis. 2. Ex Concilio Lateranensi IV. c. 20. in quo dicitur: *Statuimus, ut in singulis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur: ne possit ad illa temeraria manus extendi.* 3. Ex Conc. Trident. Sess. 13. cap. 3. ubi ait: *quod reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur. At in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est . . . & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & divinitate existere.* Et Can. 4. sic habet: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur; non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, Anathema sit.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Hæc verba (*hoc est corpus meum*) continent promissionem, & quidem sub conditione præcepti comedendi (*accipite & comedite*) At cùm promittitur aliquid sub conditione, ante impletam conditionem non impletur promissio. Ergo, &c.

Resp. Nego maj. Nam verba supradicta nullatenus sunt promissoria, & conditionata. Nam 1. pronomen (*hic, hoc,*) est demonstrativum rei sensibiliter præsentis. 2. Verbum in propositione positum significat tempus præsens, non futurum: promissiones autem exprimuntur per futurum tempus. 3. Hæ voces (*hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*) continent non promissionem sed rationem, seu motivum comedendi & bibendi, ut patet ex contextu & ex particula causali (*enim*); nam Matth. cap. 26. sic legitur: *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. . . . . bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.*

Obj. 2. Hæc verba (*hoc est corpus meum*) prolata non fuerunt ante manducationem, sed inter manducandum, ut videtur colligi ex serie & ordine

verborum, nam Matth. c. 26. dicitur: *Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum,* &c.

Resp. Cum Bellarmino hic spectari non debet ordo & series verborum, quia hic ordo sæpe mutatur ab Evangelistis, id quod prius factum est, narrando posteriùs, & è contra, ut patet ex Marc. 14. ubi dicitur: *Et accepto calice gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est sanguis meus novi Testamenti.* Certè si spectetur solus ordo verborum, colligitur corpus & sanguinem Christi esse in hoc Sacramento post usum; cùm hæ voces (*sanguis meus*) referantur post sumptionem: quod ne adversarii quidem admittunt.

Itaquè hic solùm attendi debet sensus ac significatio verborum, & inde colligi quid priùs, quidve posteriùs factum sit in cœna. Ex sensu autem & significatione verborum apertè colligitur verba (*hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*) fuisse priùs à Christo prolata quâm Apostolis porrigeret panem & vinum consecratum: nam verba illa continent motivum & invitationem comedendi & bibendi. Motivum autem sumendi debuit à Christo priùs proponi Apostolis, & ab his concipi, quàm illis cibus & potus porrigeretur, ut videlicet intelligerent, quid acciperent.

Obj. 3. Christus Eucharistiam instituens, non jussit illam asservari in pixide, gestari in supplicatione, adorari in Ecclesia. Ergo ista repugnant institutioni Christi.

Resp. Nego cons. Nam Christus non jussit Eucharistiam statim totam manducari, nec vetuit asservari in sacrificio, gestari in supplicatione, & adorari in Ecclesia: ac proinde hæc omnia non repugnant institutioni Christi.

Obj. 4. Clemens Romanus, Epist. 2. jubet, ut tot in altari ponantur hostiæ, quot populo sufficiant, ut si quid post communionem supersit, non servetur in crastinum, & à Clericis consumatur.

Resp. 1. Hæc Epistola non est Clementis.

Resp. 2. Subintelligi debet, exceptis his hostiis, quæ ex consuetudine reservandæ erant pro communione infirmorum. Nam illius epistolæ auctor ibidem manifestè supponit Eucharistiam asservari; sic enim loquens de Presbytero, Diacono & Subdiacono ait: *Cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria.*

Obj. 5. Origenes, Homil. 5. in cap. 7. Levitici, ait: *Dominus panem, quem Discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum,*

Resp. Non inde sequitur Eucharistiam non potuisse, nec debuisse postea asservari: nam hoc Christus non vetuit; imò dedit Apostolis potestatem hoc præscribendi, cùm ab Apostolis præscriptum fuisse constet ex praxi priorum sæculorum Ecclesiæ.

Obj. 6. Hesichius, L. 2. in Levit. c. 8. dicit, morem Ecclesiæ esse comburendi id, quod ex Eucharistiæ Sacramento superest.

Resp. Ibidem excipit particulas Eucharistiæ in sacrario asservari solitas etiam per multos dies.

Obj. 7. Teste Nicephoro, L. 17. Histor. Eccles. c. 25. mos fuit in Ecclesia Græca: ut reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus absumendæ.

Resp. Hoc intelligitur de reliquiis, quæ superabundabant, & supponitur

hostias

hostias de novo consecratas asservari pro infirmis: quare illa reliquiarum manducatio non fiebat quotidie, sed solùm feria quarta vel sexta, quando scilicet renovabatur Sacramentum in pixide, quod etiam statuit Concilium Matisconense II. Can. 6. anno 585. celebratum.

Obj. 8. Humbertus Cardinalis, in L. contra Nicetam, reprehendit Græcos, quòd Eucharistiam asservarent.

Resp. Neg. Sed illos tantùm reprehendit, quòd per quadragesimam Missam celebrarent ex pane consecrato die Sabbati vel Dominica, cùm tamen Missæ Sacrificium fieri non possit, nisi panis consecretur.

Obj. 9. Omnia Sacramenta novæ legis sunt ejusdem generis. Ergo omnia consistunt in actione transeunte.

Resp. Nego conseq. Nam quamvis omnia sint ejusdem generis, sunt tamen diversæ speciei.

Observa. 1. Sacramentum Eucharistiæ, utpote consistens in re permanente, manet physicè post ejus effectionem, & ejus usus seu sumptio est posterior ejus effectione, quam supponit. Nam Sacramentum Eucharistiæ consistit in corpore & sanguine Christi, & speciebus consecratis; & tandiu manet, quandiu sub illis speciebus mansisset naturaliter ac sensibiliter substantia panis & vini, si consecrata non fuisset, Eucharistiæ verò effectio est consecratio, seu prolatio verborum formæ cum debita intentione facta super materia. At reliqua sex Sacramenta consistunt in aliqua actione transeunte, suntque tantùm, cùm fiunt, & eorum effectio distinguitur ab applicatione, usu, & susceptione: unde fieri non possunt sine subjecto, cui applicentur, & à quo suscipiantur.

Observa 2. Prioribus Ecclesiæ sæculis, fideles in Ecclesia à Sacerdotibus Eucharistiam accipiebant manu dextra concava. Eucharistiæ autem sic acceptæ partem aliquam reservabant, & in domos suas deferebant, ut eam opportuno tempore privatim sumerent. Quod postea propter profanationis periculum ab Ecclesia prohibitum est.

ARTICULUS II.

In quo præcisè consistat Sacramentum Eucharistiæ?

Nota. Circa hoc quadruplex est Catholicorum sententia. Nam 1. plerique Thomistæ sentiunt hoc Sacramentum consistere in solis speciebus ut connotantibus corpus & sanguinem Christi. 2. Waldensis illud in solo corpore & sanguine Christi constituit, speciebus solùm extrinsecè connotatis. 3. Multi cum Cajetano, Bellarmino, Vasquez, volunt consistere adæquatè in speciebus, simul & corpore ac sanguine Christi. 4. Aliqui præter hæc duo addunt verba consecrationis.

Dico. Sacramentum Eucharistiæ consistit in speciebus simul & corpore ac sanguine Christi, & quidem adæquatè.

Prob. Per partes 1. consistit in speciebus. Nam hoc Sacramentum est sensibile per se saltem secundùm aliquam sui partem; cùm omne Sacramentum sit essentialiter signum sensibile gratiæ. *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem;* ait Conc Trid. Sess. 13. cap. 3. At Eucharistia non est sensibilis per corpus & sanguinem Christi; sed solùm per species, quæ proinde constituunt saltem inadæquatè Sacramentum. Præterea ex eodem Conc. Sess. 13. Can. 1. corpus & sanguis Christi continentur verè in Eucharistiæ

Sacramento: ergo non sunt totum Sacramentum, sed præter illa, species illud etiam inadæquatè constituunt.

2. Sacramentum Eucharistiæ consistit etiam in corpore & sanguine Christi. Nam ex Scriptura, Patribus & Conciliis, Eucharistia est cibus animæ & panis de cœlo, habet vim sanctificandi, conficitur verbis consecratoriis, adoranda est cultu latriæ. At hæc omnia non conveniunt solis speciebus etiam ut connotantibus extrinsecè corpus Christi. Nam quamvis species illæ cibum spiritualem significent, non tamen sunt ipse cibus spiritualis, nec proinde reficiunt animam. Christus enim non de speciebus, sed de carne & sanguine suo dixit, Joan. c. 6. *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Priùs dixerat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

3. Eucharistia consistit in his duobus adæquatè, non autem insuper in verbis consecratoriis. Tum quia positis præcisè speciebus consecratis, & corpore ac sanguine Christi, habetur tota essentia Eucharistiæ, in eo posita, quòd sit signum sensibile, sanctificans animam per modum cibi & potus spiritualis. Nam per corpus Christi nutrit ac sanctificat, & per species consecratas est sensibile. Tum quia si verba consecrationis essent constitutivum licèt partiale Sacramenti Eucharistiæ, hoc Sacramentum non consisteret totaliter in re permanente; nam verba consecrationis statim desinunt ac transeunt; neque totum haberetur post consecrationem. Nam post illam jam non extant verba consecrationis. Quæ duo falsa sunt.

Ne dicas: verba remanere moraliter & in æstimatione prudenti. Nam Eucharistia est res permanens physicè: ac proinde non potest intrinsecè constitui, nisi ex eo quòd physicè permanet.

Solvuntur Objectiones contra primam partem.

Obj. 1. Patres dicunt hoc Sacramentum esse corpus Christi. Ergo illud non consistit in speciebus.

Resp. Tunc partem pro toto per synecdochen sumunt, illud denominando à parte sua præcipua: sic etiam Baptismus vocatur ablutio.

Obj. 2. Christi corpus & sanguis sanctificant & reficiunt sola animam. Ergo sola sunt Sacramentum.

Resp. Nego conseq. Quia hoc non impedit, quominùs species sint etiam pars intrinseca licèt minùs præcipua Eucharistiæ, quatenus significant corpus & sanguinem Christi per modum cibi & potus spiritualis; & significando faciunt cum illis unum totum per se sensibile, significans & efficiens spiritualem animæ refectionem ac nutritionem. Nam illud totum est per se sensibile una sui parte, nempe speciebus, & altera principaliore ac excellentiore animam sanctificat & spiritualiter nutrit, nempe corpore ac sanguine Christi.

Solvuntur Objectiones contra secundam partem.

Obj. 1. Innocentius III. c. *Cùm Marthæ* de celebratione Missarum, tria distinguit in Eucharistia, videlicet Sacramentum tantùm, rem tantùm, & rem ac Sacramentum, & addit species esse Sacramentum tantùm. Ergo Eucharistia consistit in solis speciebus.

Resp. Nego conseq. Quia ibi non sumit Sacramentum strictè & adæquatè, sed duntaxat pro eo, quod significat rem sacram, & non significatur. Solæ autem species sunt tantùm Sacramentum

mentum in hoc sensu sumptum: nam significant rem sacram, nempe corpus & sanguinem Christi, & non significantur. Gratia verò est res tantùm, quia significatur, & non significat: & corpus ac sanguis Christi sunt simul res & Sacramentum, quia significant & significantur. Nam significantur per species consecratas, & significant spiritualem animæ refectionem: verùm quamvis species rem sacram significent, non sunt adæquatè Sacramentum novæ legis, quia gratiam non producunt, sed hanc producit corpus Christi sub illis latens.

Dices. Si corpus Christi sit res Sacramenti, non esset illius pars.

Resp. Neg. Nam est utrumque: est enim res Sacramenti respectu specierum, quia per illas significatur: & simul est pars Sacramenti ratione gratiæ, quam significat & producit.

Obj. 2. Eucharistia dicitur Sacramentum Corporis Christi; ergo non consistit etiam partialiter in corpore Christi.

Resp. Nego conseq. Quia cùm Eucharistia sic dicitur, sensus est, Eucharistiam esse Sacramentum, quod est corpus Christi, & quidem principaliter, quamvis partialiter.

Porro Sacramentum Eucharistiæ frangitur, & est visibile, sed solùm ratione specierum, non verò per totum suum constitutivum.

Obj. 3. Conc. Trident. Sess. 13. Can. 1. dicit corpus & sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ Sacramento.

Resp. Continetur tanquam pars in toto, qualiter anima continetur in homine.

Obj. 4. Berengarius hæresim suam in Concilio Romano retractans, agnoscit in Eucharistia non solùm esse Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi. Ergo corpus Christi non est Sacramentum, cùm ab eo distinguatur.

Resp. Nego conseq. Quia in illa fidei confessione, per Sacramentum intelligit præcisè signum rei sacræ, & solùm vult in Eucharistia non solùm esse signum corporis Christi, sed etiam ipsum corpus Christi. Nam ibi retractat suum errorem, quod dixerat, in Eucharistia esse nudum signum corporis Christi, quod vocabat Sacramentum.

Obj. 5. Sacramentum Eucharistiæ est signum corporis Christi.

Resp. Sacramentum inadæquatè sumptum, nempe species est signum corporis Christi: non verò adæquatè sumptum.

Observa. Canones decreti Gratiani non plus habent auctoritatis, quàm eorum auctores habuerint: nam à Gratiano nullam accipere possunt, cùm ipse nullam habuerit in Ecclesia. Et in illa collectione non pauca sunt suppositia.

Solvuntur Objectiones contra tertiam partem.

Obj. 1. Ex Concilio Florent. Omne Sacramentum legis novæ constat rebus & verbis. Ergo Eucharistia componitur etiam intrinsecè ex verbis consecrationis.

Resp. Nego anteced. Nam Concil. dicit Sacramenta novæ legis perfici rebus & verbis, non verò constare. Eucharistia autem ex pane & vino tanquam materia, & verbis consecrationis tanquam forma verè perficitur; sed ex illis non constituitur.

Concilium quidem dicit verba consecrationis esse formam Eucharistiæ. At non dicit verba illa esse eodem prorsus modo formam Eucharistiæ, quo hæc verba v. gr. *ego te baptizo, &c.* sunt forma Baptismi. Igitur verba conse-

consecrationis sunt Eucharistiæ forma, ex qua fit, non qua constituitur: sicut panis & vinum sunt materia ex qua fit, non materia componens.

Obj. 2. Omne Sacramentum novæ legis est cæremonia sacra & sensibilis à Christo instituta ad significandam & efficiendam gratiam. At talis cæremonia constat rebus & verbis. Ergo.

Resp. Disting. major. Omne Sacramentum spectatum in fieri, & consistens in actione transeunte, est cæremonia sacra, &c. *conc. maj.* Spectatum in facto esse, & consistens in re permanenti, *nego maj.* Sacramentum spectatum in fieri est Sacramentum consideratum, quatenus fit actu. Sacramentum spectatum in facto esse est Sacramentum consideratum quatenus jam factum est, & permanet constitutum in suo esse. Sola Eucharistia spectari potest hoc utroque modo: alia verò Sacramenta solum spectantur in fieri, seu quatenus fiunt, quia postquam facta sunt, jam desinunt esse, cùm consistant in actione transeunte. Quare cùm definiuntur generatim Sacramenta, definiuntur quatenus sunt in fieri. Jam verò Eucharistia spectata in fieri, est cæremonia sacra, & fit ex rebus & verbis tanquam materia & forma. At spectata in facto esse non est jam cæremonia; quia cæremonia est actio quædam sacra, quæ transit. Eucharistia autem postquam facta est, permanet in suo esse constituta, & est res totaliter & physicè permanens.

Obj. 3. Omne Sacramentum per id constituitur in esse Sacramenti, per quod constituitur in esse signi. Sed Sacramenta novæ legis constituuntur in esse signi non solùm per res, sed etiam per verba. Ergo.

Resp. Disting. min. ut suprà, si spectentur in fieri, *conc. min.* Si spectentur in facto esse, *nego min.* Porrò Eucharistia constituitur in esse signi sensibilis per species consecratas: ac proinde connotat verba consecratoria ut necessaria ad illam perficiendam, & ut causam efficientem, non autem ut constitutivum sui.

Inst. Si ita est, Eucharistia in facto esse non habet materiam & formam.

Resp. Neg. sequel. Nam corpus & sanguis Christi se habent per modum materiæ, & species per modum formæ; quia species significando corpus & sanguinem Christi, ut cibum ac potum spiritualem, determinant illa ad significandam gratiam sacramentalem Eucharistiæ, nempe gratiam animæ nutritivam; & sic species se habent per modum determinantis, ideóque formæ; corpus verò ac sanguis Christi per modum determinabilis, ideóque materiæ. Vel corpus & sanguis Christi cum speciebus consecratis se habent per modum materiæ: sacramentalis verò significatio, nempe refectio animæ se habet per modum formæ, ut sentiunt multi.

Dices. Alia Sacramenta habent res per modum materiæ, & verba per modum formæ. Ergo & Eucharistia.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia cætera Sacramenta consistunt tantùm in actione transeunte, nempe in applicatione materiæ & pronunciatione formæ. At Eucharistia in facto esse consistit in re physicè permanente, qualia non sunt verba.

Obj. 4. Christus verba instituit, & adhibuit ad significandam spiritualem refectionem. Ergo verba sunt de essentia Eucharistiæ.

Resp. Nego anteced. Nam Christus verba consecrationis instituit & adhibuit, non ad significandam refectionem spiritualem, sed ad præsentiam corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini significandam, & significando

cando efficienda. Unde verba consecrationis sunt signum practicum ejusmodi præsentiæ, non autem refectionis spiritualis.

Inst. Eucharistia non est signum sensibile refectionis spiritualis, nisi per habitudinem ad verba consecrationis: ergo hæc verba instituta sunt ad significandam refectionem spiritualem.

Resp. Nego conseq. Quia habitudo illa ad verba consecrationis ut jam prolata, & ipsa verba sunt tantùm aliquid essentialiter prærequisitum ad essentiam Eucharistiæ, & ut Eucharistia sit signum sensibile refectionis spiritualis. Nam Eucharistia non est ejusmodi signum, nisi per habitudinem & respectum ad verba consecrationis tanquam ad aliquid essentialiter prærequisitum. Sive Eucharistia non est signum sensibile refectionis spiritualis, nisi supposita consecratione seu prolatione verborum consecrationis.

Quæres 1. *Utrùm sumptio Eucharistiæ pertineat ad intrinsecum illius complementum?*

Resp. Neg. Quia hoc Sacramentum à Christo institutum est per modum cibi & potus spiritualis, juxta illud Christi, Joann. c. 6. *Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus.* At sumptio non est complementum intrinsecum cibi aut potus: ergo sumptio Eucharistiæ non est illius complementum intrinsecum.

Equidem Eucharistia ordinatur ad nutritionem spiritualem, quæ non potest haberi sine sumptione tanquam conditione. Sed inde sequitur tantùm sumptionem esse conditionem, sine qua non haberetur effectus Sacramenti.

Quæres 2. *Quomodo definiatur Sacramentum Eucharistiæ?*

Resp. 1. Eucharistia in fieri idem est, quod transsubstantiatio, seu conversio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, remanentibus duntaxat speciebus, ad spiritualem animarum refectionem.

Resp. 2. Eucharistia in facto esse, ut communiter accipitur, dum simpliciter hæc vox usurpatur, rectè definitur: *Novæ legis Sacramentum, continens corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini consecratis, ad spiritualem animarum refectionem.* Patet ex dictis.

Dicitur 1. *Sacramentum novæ legis*, nam revera tale est; & hæ voces tenent locum generis proximi; cæteræ differentiam continent.

2. *Continens*, supple formaliter, seu ut constitutivum illius. Unde sic etiam dici potest, *novæ legis Sacramentum, quod est corpus & sanguis Christi sub speciebus, &c.*

3. *Corpus & sanguinem*; quia illa duo substantialiter & intrinsecè continet, & sunt illius principale constitutivum.

4. *Sub speciebus panis & vini.* Quia corpus & sanguis Christi non sunt Sacramentum, nisi in quantum subsunt illis speciebus: nam non sunt Sacramentum, nisi in quantum sunt signum sensibile: non sunt autem signum sensibile, nisi in quantum subsunt speciebus panis & vini, per quas redduntur sensibilia.

Porro species sunt hic quidem in obliquo, sed grammaticaliter tantùm: nam quoad sensum & logicè sunt in recto. Unde Eucharistia rectè dici potest novæ legis Sacramentum, quod est corpus & sanguis Christi, & simul species consecratæ, per quas illa redduntur sensibilia, ad spiritualem animæ refectionem.

5. *Consecratis.* Tum quia species illæ non reddunt corpus & sanguinem Christi sensibilia, nisi quia fuerunt consecratæ: tùm quia corpus & sanguis Christi

Chriſti non ſunt ſub illis ſpeciebus, niſi poſt conſecrationem.

5. *Ad ſpiritualem animarum refectionem:* quia Euchariſtia inſtituta eſt per modum alimenti, & confert gratiam, qua in Dei amore creſcamus, conſervemur, & corroboremur.

CAPUT II.

De materia Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

Quænam ſit materia Euchariſtiæ?

Nota 1. Agitur hic ſolùm de materia tranſeunte & remota, ex qua quoad totam ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Chriſti converſa fit Euchariſtiæ Sacramentum, remanentibus duntaxat ſpeciebus ſeu accidentibus. Quæ quidem ex inſtitutione Chriſti eſſentialiter neceſſaria eſt, ut ex illa fiat tranſubſtantiatio, & ſuppeditentur ſpecies, quæ Sacramentum hoc partialiter componunt. Nam de materia proxima & permanente, ex qua intrinſecè conſtituitur Euchariſtia, jam dictum eſt illam conſiſtere in corpore & ſanguine Chriſti, quippe quæ determinabilia ſint, & determinentur per ſpecies ad ſignificandam gratiam ſacramentalem, Euchariſtiæ propriam, nempe ſpiritualem nutritionem.

Nota 2. Circa hanc materiam variè errarunt hæretici. Et 1. Quidem Gnoſtici, quorum abominandam opinionem referre pudet. 2. Cataphryges (teſte S. Auguſtino, L. de hæreſ. n. 26.) Euchariſtiam conficiebant in pane ex farina infantis ſanguine ſubacta. 3. Ophytæ (teſte eodem ſancto Doctore, eod. L. n. 17.) ad Euchariſtiam adhibebant tantùm panem, quem ſerpens lambebat, & ſic hunc panem conſecrari putabant. Hunc autem ſerpentem nutriebant & colebant. 4. Artotyritæ adhibebant panem & caſeum, quos offerebant, eò quòd primi homines fructus terræ & ovium Deo obtuliſſent, ut narrat S. Auguſtinus, eod. Lib. 5. Ebionitæ, Tatiani, Encratitæ, loco vini, aquam adhibebant, ut teſtatur S. Epiphanius, Lib. de hæreſ. Hunc errorem pauci aliqui Catholici Africæ Epiſcopi ex ignorantia, non ex animo hæretico, ſecuti ſunt, quos refellit *S. Cyprianus, epiſt. 78.*

Dico 1. Panis & vinum ſunt materia neceſſaria Euchariſtiæ. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, non aliam materiam adhibuit quàm panem & vinum, ut patet ex Matth. cap. 26. *Accepit Jeſus panem, & benedixit,* &c. *Et accipiens calicem, gratias egit.... Non bibam amodò de hoc genimine vitis,* &c. & hanc utramque materiam ut neceſſariam præcepit his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Luc. 22. & 1. Cor. cap. 11.

2. Ex perpetua Eccleſiæ Traditione & praxi.

3. Ex variis Conciliis præſertim ex Lateranenſi IV. c. 1. Florentino in decreto; & Trident. Seſſ. 13. c. 3. & 4. & can. 2.

Ratio convenientiæ. Quia non conveniebat, ut corpus & ſanguis Chriſti ſub propria ſpecie ſumeretur; & nulla aliena ſpecies convenientior fuit, quàm ſpecies panis & vini, utpote aptiſſima ad exhibendum corpus & ſanguinem Chriſti, ut animæ noſtræ alimentum.

Obj. Olim ad altare offerebantur uvæ, oleum, & incenſum.

Reſp. Offerebantur ad Clericorum ſuſtentationem, & altaris ornatum, non autem ad materiam Euchariſtiæ. Quare can. 3. ex iis, qui Apoſtolorum dicuntur, quamvis ſint à variis Conciliis conditi, decernitur depoſitionis pœna Epiſcopo vel Sacerdoti, qui aliud quàm panem & vinum obtulerit.

Dico

Dico 2. Solus panis triticeus est materia valida Eucharistiæ. Est omninò certum; ita ut sine errore negari nequeat.

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Ubi materiam Eucharistiæ æqualiter definit esse panem triticeum, & vinum de vite. Sed vinum de vite est materia absolutè necessaria, ut nemo dubitat. Ergo & panis triticeus.

2. Ex Traditione, quæ elucet in perpetuo usu Ecclesiæ tùm latinæ, tùm græcæ, solum panem triticeum consecrantis.

3. Ex rubricis Missalis Romani, tit. de defectibus, ubi dicitur non confici Sacramentum, si panis non sit triticeus.

4. Quia solus panis triticeus est simpliciter panis, & alii panes solùm in ejus defectum adhibentur. Christus autem consecravit panem simpliciter, ideóque ut materiam necessariam instituit.

Ratio convenientiæ est, quia hic panis magis confortat hominem, ideóque aptissimus est ad effectum Eucharistiæ significandum per suas species.

Dico 3. Ad valorem Sacramenti necesse est, ut panis sit confectus ex farina triticea, sola aquâ naturali diluta, & igne cocta. Nam sic conficitur panis usualis & simpliciter dictus: at ad Eucharistiam conficiendam necessariò requiritur panis simpliciter dictus, & usualis, seu panis, quo communiter utuntur homines, ut sit veluti comes aliorum ciborum; nam panem simpliciter dictum, ideóque usualem Christus consecravit, & consecrando, ut materiam necessariam instituit. Atque hunc Patres & Concilia pro materia Eucharistiæ assignant. Ergo.

Dico 4. Solum vinum de vite est materia valida calicis. Est de fide.

Prob. 1. Ex facto & institutione Christi. Nam Christus vinum de vite consecravit, ut patet ex his ejus verbis, *Matth. c. 26.* post panis & vini consecrationem prolatis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis,* & id quod consecravit, præcepit ut materiam necessariam, juxta illud, *hoc facite;* quibus verbis præcepit ut fieret quoad substantiam id quod fecit.

2. Ex Patribus, qui materiam Eucharistiæ tradunt.

3. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, quæ in ejus perpetuo usu cernitur: nam nunquam pro materia calicis adhibuit, nisi vinum de vite.

4. Ex Conc. Florent. suprà cit. & Lateranensi IV. c. 1. & Trid. Sess. 13. cap. 4. docentibus Eucharistiam fieri ex pane & vino transsubstantiatis in corpus & sanguinem Christi. Nomine autem vini simpliciter intelligitur solum vinum vitigineum.

Ratio congrua est, quia cùm vinum vitigineum confortet & lætificet cor hominis, aptissimum est ad effectus Eucharistiæ significandos.

ARTICULUS II.

Utrùm panis azymus, vel fermentatus sit materia Eucharistiæ.

Dico 1. Panis tam azymus quàm fermentatus, est valida materia Eucharistiæ. Est de fide contra Græcos schismaticos, solum fermentatum admittentes ut materiam validam, auctore Michaele Cerulario Patriarcha Constantinopolitano, qui anno 1053. Latinos damnare cœpit, quòd panes azymos consecrarent, ut scribit sanctus Leo IX. in sua ad ipsum Michaelem epistola.

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in definitione fidei à Græcis subscripta, ubi dicitur: *Definimus .... in azymo sive in fer-*

fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero (id est azymo, vel fermentato) *ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.*

2. Ratione. Quia ad validam consecrationem sufficit panis verus & simpliciter dictus. Atqui talis est uterque panis. Nam uterque fit ex farina triticea, aqua naturali subacta, & puro igne coquitur; & uterque habet proprium usum panis.

Præterea uterque panis dicitur panis simpliciter, quod de fermentato nemo negat, de azymo verò constat ex Scriptura, *Matth. cap. 26. Marc. 14. Luc. 22.* quibus locis Christus dicitur simpliciter accepisse panem, qui non potuit esse alius quàm azymus. Nam fermentatus tunc non inveniebatur in domibus Judæorum. Et *Luc. 24.* panis, quem Christus post resurrectionim fregit coram duobus Discipulis in castello Emmaus vocatur simpliciter panis, & tamen erat certò azymus, cùm tunc essent dies azymorum.

Adde, quòd azymus panis habeat verum ac proprium usum panis: nam aliis cibis tanquam illorum comes adhibebatur à Judæis, quibus in usu erat festis Paschalibus, qui ideò dicebantur dies azymorum.

Item panes propositionis, qui erant certò azymi, dicuntur simpliciter panes, *1. Reg. cap. 21.* iisque vescebantur Sacerdotes singulis hebdomatis.

Obj. 1. Alexander III. primus instituit, ut in azymo consecraretur.

Resp. Hoc est evidenter falsum. Nam Leo IX. in sua Epist. ad Michaëlem, asserit Ecclesiam Romanam à B. Petro Apostolorum Principe morem consecrandi in azymo accepisse, addens sanctos Martyres primitivæ Ecclesiæ nostris azymis consecratis saginatos fuisse.

Obj. 2. Panis simpliciter dictus est ille, qui est in sensu quotidiano, seu quo vescuntur homines. At azymus non est in usu quotidiano sicut fermentatus; Ergo non est panis simpliciter dictus.

Resp. Nego maj. Nam panis simpliciter dictus est ille, qui dicitur simpliciter panis in Scriptura, & qui fit ex farina triticea, aqua naturali subacta, & solo ignis calore coquitur, atque aptus est, ut aliis cibis tanquam illorum comes adhibeatur. Talis est autem panis azymus, quamvis fermentati usus sit frequentior, quia delectabilior est. Et verò carnes assatæ, non conspersæ sale, sunt cibus propriè dictus, quamvis sine sale comedi non soleant.

Obj. 3. Christus celebravit in fermentato tantùm, vel in azymo tantùm. Ergo uterque non est materia valida consecrationis.

Resp. Nego conseq. Quia quamvis Christus azymum consecrarit, non tamen illum adhibuit ut azymum ex necessitate Sacramenti, sed simpliciter ut panem triticeum, sicut sive album, sive rubrum vinum adhibuerit, non adhibuit secundùm tales differentias, sed simpliciter ut vinum de vite, ut constat ex usu Ecclesiæ ab Apostolis accepto. Itaque Christus instituit panem & vinum quoad substantiam tantùm moraliter sumptam; nec præcepit omnes circumstantias ultimæ cœnæ. Quare rectè Algerus, l. 2. de hoc Sacramento sic ait: *Eo pane usus est* (Christus) *non quia res quæ fiebat, id exigebat; sed quia cœna, in qua hoc factum est, alium panem non exhibebat.*

Porro panes azymus & fermentatus non differunt nisi accidentaliter.

Obj. 4.

Obj. 4. Ex Apostolo, 1. Cor. c. 5. *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ergo panis fermentatus est panis corruptus, proindeque non est verus panis, &c.

Resp. Nego conseq. Nam non ipse panis, sed massa cruda dicitur fermento corrupta seu alterata. Massa autem sic corrupta, seu potiùs alterata ac disposita nullatenus panem corruptum facit.

Dico 2. Quamvis uterque panis sit materia valida Eucharistiæ, Latini tamen tenentur sub mortali peccato consecrare azymum, Græci verò fermentatum, singuli juxta Ecclesiæ suæ ritum. Nam ita præcepit Concil. Florent. generale, in definitione: & utriusque Ecclesiæ consuetudo antiquissima obtinet vim legis, graviter obligantis.

Hinc cap. *Litteras* de celebrat. Sacerdos latinus privari jubetur in perpetuum officio & beneficio, quòd in fermentato pane, & scypho ligneo consecrasset.

Obj. Non est major differentia inter panem azymum & fermentatum, quàm inter vinum album & rubrum. Ergo uterque pro cujusque arbitrio adhiberi licitè potest perinde ac vinum album & rubrum.

Resp. Cum Bellarmino. Quamvis quoad valorem Sacramenti differentia inter ista omnia sit accidentaria, tamen multum interest inter differentiam azymi ac fermentati panis, & differentiam albi & rubri vini. Nam inprimis constat Christum usum esse azymo: non autem constat quo vino, utrùm albo an rubro usus sit. Et idcirco azymum adhibemus ob Christi exemplum. De vino non solliciti sumus, quia non habemus simile exemplum.

Præterea azymi & fermentati differentia Deus sæpe usus est ad varia mysteria significanda, ut patet ex toto Levitico, ubi ferè semper præscribuntur azymi panes ob significationem puritatis. Nusquam autem Deus usus est differentia vini albi aut rubri ad aliquid significandum. Ideo Ecclesia ob significationem retinent azymum: vinum autem indifferenter adhibet, sive album sit, sive rubrum. Denique præceptum Ecclesiæ magnum discrimen inter ista ponit.

Dico 3. Ecclesia latina convenientissimè solùm azymum consecrat.

Nam 1. Christus talem panem consecravit.

2. Hunc morem accepit à B. Petro Apostolorum Principe, ut testatur Leo IX.

3. Azymus panis aptior est ad significandam puritatem ac sanctitatem corporis Christi, necnon puritatem & sanctitatem, quam habere debent Fideles, qui Eucharistiam sumunt, juxta illud, 1. Cor. c. 5. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Præterea panis ille faciliùs, puriùs, ac decentiùs conficitur.

Obj. Consecrare in azymo est judaizare.

Resp. Neg. Nam (ut rectè ait Bellarminus) non est Judaizare, uti rebus, quibus utebantur Judæi, sed uti eodem ritu & ad eumdem finem. Quare azymis cum agno Paschali uti ad significandam Christi puritatem, & passionem ac mortem futuram est judaizare, ideóque illicitum. At uti azymis ad conficiendam Eucharistiam, & ad significandam Christi puritatem, quæ jam est, & in Eucharistia passionem ejus ac mortem præteritam, non est judaizare, sed implere Judaismi figuras. Alioqui adhibere non liceret aquam in Baptismo, quia illa utebantur Judæi in purificationibus suis.

Observa. Credibile non est omnes Ecclesias orientales à tempore Apostolorum consecrasse panem fermentatum. Nam credibile non est eas omnes ab Exemplo Christi, qui azymum consecravit, statim ab initio discessisse. Sed usus fermentati videtur quinto vel sexto tantùm sæculo cœpisse in Ecclesia orientali, ideóque longè ante Græcorum schisma.

ARTICULUS III.

Utrùm Christus panem azymum consecravit.

§. I.

Prænotanda.

I. LAtini azymum, Græci fermentatum consecrant, eò quòd hi Christum in fermentato, illi in azymo consecrasse contendant. Quare utrorumque fundamentum præcipuum, est factum Christi: nam patet illum ritum meliorem esse, quem Christus usurpavit. Quia autem evidens est Christum in azymo consecrasse, si (ut docent Latini) Christus Eucharistiam instituerit primo die azymorum, quo die integro & sex sequentibus panis fermentatus lege vetitus erat, nec ullibi apud Judæos inveniri poterat; Græci, ut Euthymius, Nicephorus, & alii dicunt Christum uno die anticipasse esum agni Paschalis, eumque comedisse non decimaquarta, sed decimatertia die mensis primi, & quidem cum azymis & cæteris rebus lege præscriptis, tamen ea cœna legali finita, adhibuisse panem fermentatum, quo vesci licebat, quia nondum venerant dies Azymorum: ac proinde in fermentato consecrasse.

II. Apud Israëlitas menses erant lunares, & omnes numerabantur à novilunio, idemque erat apud eos prima luna, secunda luna, tertia luna, &c. & primus dies, secundus dies, tertius, &c. Annum verò ab eo mense inchoabant, cujus dies decimaquarta æquinoctium vernum subsequebatur: qui mensis vocabatur Nisan, & nostro Martio circiter respondebat.

III. Deus præceperat Israëlitis, ut in memoriam liberationis ab Ægyptiaca servitute, singulis annis, die decimaquarta mensis primi, qui vocabatur Nisan, & quo ex Ægypto egressi fuerant, in vespera comederent agnum Paschalem, atque ab hac vespera per dies septem continuos vescerentur solis panibus azymis, nec quidquam fermentatum apud eos remaneret. Nam sic Deut. 16. legitur: *Observa mensem novarum frugum, & verni primùm temporis, ut facias phase* (Pascha) *Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte .... non comedes in eo panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem; quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ, non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, &c.* Idem patet ex *Exod. c. 12.* & *Levit. c. 23.* Septem autem illi dies azymorum vocabantur paschales. Primus, id est, xv. qui incipiebat à vespera diei xiv. & xxi. soli erant solemnes & festivi, quibus vetita erant omnia opera servilia, exceptis iis quæ ad victum pertinebant, ut patet ex *Exod. cap. 12.* Dicunt ergo Græci feria v. qua Christus cœnam celebravit, fuisse diem xiii. mensis, ac proinde nondum incepisse tempus azymorum; feria autem vi. qua Christus mortuus est, dicunt fuisse diem prophanum, non festivum, sed illo ipso die post occasum solis cœpisse tempus azymorum, quia ille erat dies xiv. &

& postea die Sabbati fuisse xv. diem & solemnissimum.

IV. Apud Judæos dies naturalis, & dies festus seu legalis diverso modo sumebantur, nam dies naturalis ac ordinarius juxta Bellarminum incipiebat ab ortu solis, & desinebat in ortum solis: vel, ut Tirinus docet, incipiebat ab ortu solis, & desinebat in occasum: vel ut aliqui alii volunt, numerabatur è media nocte ad alteram mediam noctem. Dies verò festus ac legalis juxta omnes incipiebat à vespera præcedentis diei, & desinebat in vesperam diei sequentis, juxta illud Levit. cap. 23. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

§. II.

Dico 1. Christus eo anno quo mortuus est, comedit agnum Paschalem prima die azymorum secundùm legem & morem Judæorum, nempe luna seu die XIV. in posteriore vespera, qua incipiebat dies xv. festivus, non autem luna XIII.

Prob. 1. Ex tribus Evangelistis, Matthæo, Marco & Luca, id clarè asserentibus. Matthæi cap. 26. *Primo autem die azymorum, accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha.* Marc. c. 14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli; quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha ... & paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit.* (Jesus) *cum duodecim .... & manducantibus illis, accepit Jesus panem .... & ait; Sumite, hoc est corpus meum.* Luc. cap. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha; & misit Petrum & Joannem, dicens: euntes, parate nobis Pascha, ut manducemus .... & paraverunt Pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit, &c.* Dies autem primus azymorum non est dies XIII. mensis, sed solus XIV. vel xv. ut patet ex Scriptura, Exod. cap. 12. & Levit. cap. 23. ibi, *mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam, phase Domini est; & quinta decima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.*

Prob. 2. Ex Patribus ferme omnibus tùm græcis, tùm latinis, qui asserunt Christum XIV. die Pascha celebrasse, ut Origenes. Tract. 35. in Matth. Chrysost. Hom. 85. in Matth. Item Theophylactus: Theodoretus, Tertullianus, lib. contra Judæos, Cyprianus, Serm. de cœna Domini, Ambrosius, Epist. 83. Hieronymus, in cap. 26. Matth. Augustinus, epist. 86.

Prob. 3. Ratione. Christus crucifixus est die festo, proindeque die Paschatis, qui erat primus dies azymorum. Ergo comedit agnum Paschalem, & cœnam celebravit pridie, nempe à prima vespera diei festi. *Conseq. patet,* nam Christus Agnum Paschalem comedit pridie mortis suæ, ut fatentur Græci. *Prob. anteced.* Nam 1. dies mortis Christi vocatur, Matth. c. 27. dies solemnis, & Marc. 15. & Luc. 23. dies festus. 2. Ex Joann. c. 15. ubi dicitur: *ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, &c.* Quod Christus dixit pridie passionis, & ipso die cœnæ, ut patet ex contextu.

Prob. 4. Ex Patribus, ut Origene, Tertulliano, Chrysostomo, Cyrillo, Augustino, Leone Magno, & aliis qui asserunt Christum ipso die solemni Judæorum crucifixum fuisse.

Confirmat. Quia verisimile non est Christum, qui legalia semper hactenus tam accuratè servaverat, violasse legem præscribentem, ut semper die XIV. mensis

mensis Nisan ad vesperam fieret Pascha, sed cum scandalo Judæorum illud, Matth. c. 5. *Non veni solvere* (legem) *sed adimplere. Amen quippe dico vobis . . . . jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

Dico 2. Christus consecravit azymum panem, non fermentatum.

Prob. Christus instituit Eucharistiam eo tempore, quo panis fermentatus prohibitus erat, nec in omnibus locis Judæorum inveniri poterat, sed quo solus azymus licitus erat & inveniebatur. Ergo Christus consecravit azymum panem, &c. *Prob. anteced.* Christus instituit Eucharistiam post esum Agni Paschalis, ut patet ex Matthæo, Marco, & Luca. Sed, ut probatum est, comedit Agnum Paschalem luna XIV. in posteriore vespera, quo tempore omnes Judæi tenebantur illum comedere, & quo usque ad septimum diem non licebat fermentatum panem adhibere, imo nec ullibi retinere: ut patet ex Levit. c. 23. cit. & Exodi, cap. ubi dicitur: *Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël. Omne fermentatum non comedetis. In cunctis habitaculis vestris comedetis azyma.*

§. III.

Refelluntur responsiones Adversariorum.

Dices 1. Tres Evangelistæ errarunt dicendo Christum celebrasse Pascha primo die azymorum, & correcti sunt à Joanne Evangelista dicente, *ante diem festum Paschæ.*

Resp. Hæc Græcorum responsio insignem blasphemiam continet: nam tria priora Evangelia tam sunt verbum Dei quàm Evangelium Joannis.

Præterea si per impossibile Evangelistæ inter se dissiderent, potiùs tribus quàm uni credendum esset.

Dices 2. Tres priores Evangelistæ primum diem azymorum seu diem Paschæ vocant XIV. mensis Nisan: Joannes verò XV. sicut à Moyse vocatur in Exodo, Levitico & Numeris.

Resp. Inter illos non est dissensio nisi merè apparens. Nam uterque dies sumptus ut festivus, erat respectu diversarum partium primus azymorum dies: dies enim XIV. erat à posteriore parte: nempe à vespera primus dies azymorum, dies vero XV. sumptus à priori parte, nempe ab ortu solis, vel à media nocte erat etiam primus dies azymorum festus & solemnis. Dies quippe festivi apud Judæos incipiebant à vespera diei præcedentis, & desinebant in vesperam diei sequentis: ac proinde dies primus azymorum quatenus festivus, incipiebat à vespera diei XIV. qua comedebatur Agnus Paschalis, & desinebat in vesperam diei XV. sicque dies primus azymorum constabat posteriori parte, nempe nocte diei XIV. & priori parte, nempe luce diei XV. sumendo utrumque diem ut naturalem & ordinarium, prout à Judæis sumebatur.

Itaque dies XIV. tam poterat vocari primus dies azymorum, quàm dies XV. sumendo primum diem azymorum ut diem festum: sicut sumpserunt tres Evangelistæ. Dies autem primus azymorum sumptus ut dies naturalis & ordinarius, erat ipsa dies XV. incipiebatque ab ortu solis diei XV. & desinebat in occasum solis ejusdem diei, vel in ortum solis sequentem, vel incipiebat à media nocte, & desinebat in mediam noctem sequentem.

Dices

Dices 3. Tres Evangelistæ loquuntur de die azymorum, non qui jam aderat, sed qui proximus erat.

Resp. Hoc est apertè falsum: nam Matthæus & Marcus dicunt, *primo die azymorum*: & Lucas dicit, *venit dies*, sumendo verbum in præterito, ut patet ex voce Græca *ilte*, quæ est aoristus præteriti temporis.

Dices 4. Dies, quo Christus cœnam fecit, dicitur primus dies azymorum, quia tunc Christus comedit Agnum Paschalem cum azymis.

Resp. Nego. Nam Evangelistæ illum diem non respectivè sed absolutè vocant primum azymorum, & dicunt Discipulos quæsivisse à Christo, ubi vellet comedere Pascha, quia erat primus dies azymorum: non autem quia tunc Christus volebat comedere Pascha.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Matth. c. 76. *Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Ergo Christus crucifixus non fuit die festo Paschæ, sed pridie, nempe die XIV. ante posteriorem vesperam.

Resp. Nego conseq. Nam quamvis Principes Sacerdotum & Magistratus primum hoc dixissent ob metum tumultus, postea tamen oblata occasione ex proditione Judæ promittentis se Christum sine tumultu traditurum, mutarunt sententiam, statueruntque eum statim occidendum etiam in festo Paschæ, tum ne opportunitas eum interficiendi elaberetur, tum ut major ei ignominia inferretur.

Obj. 2. Die mortis Christi Joseph mercatus est sindonem, ex *Marc. 15.* Mulieres paraverunt aromata, ex *Luc. cap. 23.* Item Judæi egerunt causam criminalem contra Christum, & eum comprehenderunt, examinarunt, &c. Quæ omnia die festo erant prohibita, nam illo die prohibebantut opera servilia.

Resp. Diebus festis apud Judæos licita erant opera quædam pietatis & charitatis, quale erat sepelire mortuos, præsertim cùm opus illud differri non poterat ob Sabbatum imminens, ut accidit in morte Christi: ac proinde licebat parare & facere ea quæ ad sepulturam necessaria erant, ut emere sindonem, aromata. Sic Tobias Israëlitam occisum sepelivit die festo. Nam quædam opera permittebantur diebus festis, quæ prohibita erant die Sabbati, in quo major quies præcipiebatur, ut patet ex *cap. 12. Exodi*, ubi permittitur die primo & septimo azymorum licet festis coquere cibos, quod Sabbato non licebat, nam ibi dicitur: *Dies prima* (azymorum) *erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.*

Quod attinet ad Judæos, qui causam criminalem egerunt.

Resp. Illi invidia & odio in Christum obcœcati, sibi facilè persuaserunt hoc sibi die festo licere, imò & se obsequium præstare Deo, procurando etiam die festo mortem Christi, quem putabant velle destruere legem suam & cultum divinum; satisque honoris diei festo detulisse se existimabant, quòd non manibus suis Christum lapidarent: quare cùm consultarent de occidendo Christo, dicebant: *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo;* non autem, ne violemus diem festum; supponentes scilicet festum aliàs non violatum iri per occisionem Christi.

Obj. 3. Ex Joann. c. 13. Christus cœnam celebravit *ante diem festum Paschæ.*

Resp. Explico, ante diem festum Paschæ naturalem, seu sumptum naturaliter,

turaliter, & civiliter, *conc.* ante diem vestum Paschæ legalem, seu sumptum legaliter & ecclesiasticè, *neg.* Joannes ibi sumit diem festum Paschæ, non legaliter & ecclesiasticè, seu secundùm usum legalem & ecclesiasticum, sed naturaliter & civiliter seu secundùm usum civilem & ordinarium, quo dies festus prout naturalis est, sumebatur. Quare Joannes optimè consentit cum aliis Evangelistis; nam æquè dici potest Christus celebrasse cœnam ipso die festo Paschæ, sumendo diem Paschæ legaliter seu secundùm usum ecclesiasticum; & ante diem festum Paschæ, sumendo diem Paschæ, civiliter & naturaliter, seu prout dies naturalis sumebatur secundùm usum civilem & ordinarium. Dies quippe Paschæ sumi potest dupliciter; nempe legaliter seu secundùm usum legalem ac ecclesiasticum, & civiliter seu secundùm usum civilem ac ordinarium. Sumptus secundùm usum legalem & ecclesiasticum, quomodo sumptus est à tribus prioribus Evangelistis, incipiebat à vespera diei XIV. & desinebat in vesperam diei sequentis. Sumptus verò secundùm usum civilem & ordinarium, incipiebat ab ortu solis lunæ seu diei XV. & desinebat in occasum ejusdem diei, vel in ortum sequentis. Hoc modo sumptus est à Joanne, qui proinde cùm dixit: ante diem festum Paschæ, perinde est ac si dixisset, ante diem XV. seu die XIV. ad vesperam.

Obj. 4. Illud Joann. cap. 18. *Ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Ergo Judæi die mortis Christi comederunt Agnum Paschalem, ac proinde dies mortis Christi erat luna XIV. non XV. ideoque Christus cœnam fecit luna XIII.

Resp. Nego conseq. Quia nomen *Pascha* hoc loco significat, non Agnum Paschalem, sed victimam Paschalem, qua Sacerdotes diebus Paschalibus vescebantur. Sic *2. Paralip. c. 35.* sacrificia quæ diebus illis fiebant, vocantur *phase*, id est, Pascha. Singulis quippe diebus Paschæ (*ut patet* [illegible] *Num. c. 28.*) immolabuntur duo vituli, aries unus, hircus unus, & septem agni. Josepho autem teste l. 3. Antiq. c. 13. vituli, aries & agni erant holocausta; hircus verò erat sacrificium pro peccato, & ex eo quotidie parari solebat epulum Sacerdotibus. Illa igitur victima Paschalis, quæ à Sacerdotibus comedenda erat, est illud Pascha de quo Joannes loquitur, cum ait: *Ipsi non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* nam non licebat Sacerdotibus nisi mundis comedere sacrificia, ut patet ex *Levit. cap. 22.*

Obj. 5. Dies mortis Christi vocatur parasceve Paschæ, Joann. c. 19. *Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Ergo Christus mortuus est pridie Paschæ. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Quia per parasceven Paschæ intelligitur præparatio ad Sabbatum incidens intra hebdomadam Paschalem, non autem parasceve ad Pascha. Nam parasceve non erat apud Israëlitas nisi propter Sabbatum, si quidem ante Sabbatum, non ante alios dies, necessaria erat parasceve, id est, præparatio ciborum; quia Judæis licebat parare cibos diebus festis, & solo Sabbato non licebat. Patet etiam ex Evangelistis, quòd illud parasceve Paschæ sit parasceve in Paschate occurrens, non verò parasceve ad Pascha: nam Joann. c. 19. dicitur: *Quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati.* Et Marc. 15. *Erat parasceve, quod est ante Sabbatum.* Et Luc. 23. *Et dies erat parasceves, & Sabbatum illucebat.*

Dices.

Dices. Sabbatum illud dicitur à Joanne magnus dies. Ergo in illud incidebat eo anno primus dies azymorum.

Resp. Nego conseq. Nam Sabbatum illud dicitur magnum, quia celebrius erat, eò quòd incideret intra hebdomadam Paschalem, quæ tota solemnis erat, quamvis primus & ultimus dies solemnis essent.

Obj. 6. S. Chrysostomus, *Hom. 22. in Joann.* dicit Christum comedisse Agnum Paschalem pridie, quàm Judæi illum comederent.

Resp. Per Judæos non intelligit populum Judæorum, sed solùm Sacerdotes illos, qui in morte Christi procuranda occupati tota nocte fuerant; nam, Hom. 85. in cap. 26. Matth. sic ait de illis Sacerdotibus: *Pernoctarunt vigilantes, adeò ut Pascha ea nocte comedere neglexerint . . . . unde liquido patet, cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus tempus Paschæ transgressus est, sed illi audacissimi homines, & mille transgredientes legis præcepta.*

Obj. 7. S. Epiphanius, hæresi 50. ait: *Christum decima quarta die mactari ex præscripto legis oportuit.*

Resp. Loquitur de imolatione Christi, non in se, sed in figura. Et sensus est: oportuit Agnum, qui erat figura Christi, immolari luna XIV. ad vesperam secundùm legem.

Obj. 8. S. August. lib. 3. de consensu Evangelistarum, *cap. 13.* refert quosdam dixisse Pascha Judæorum eo anno, quo Christus mortuus est, incœpisse in sequenti Sabbato, & ideo sextam illam feriam dictam esse parascevem.

Resp. Hoc refert; sed non approbat.

Dices, S. Augustinus, Tract. 120. in Joann. dicit acceleratam fuisse Christi sepulturam propter parascevem Judæorum, qui cœnam puram illa nocte sumpturi erant.

Resp. Per cœnam puram non intelligit esum Agni Paschalis, sed cœnam quandam solemnem, quam Judæi sumebant vespera feriæ sextæ ad initium Sabbati.

Obj. 9. S. Anselmus, in *cap. 27. Matth.* dicit se certa ratione compperisse Christum luna XIV. mortuum esse, & luna XIII. suum Pascha celebrasse.

Resp. Hic locus ab aliquo interpolatore Græcorum fautore insertus fuit, ut rectè notat Bellarminus. Nam S. Doctor, *c. 26. Matth.* disertè asserit Christum luna XIV. celebrasse Pascha, & XV. crucifixum fuisse.

Obj. 10. Josephus, lib. 2. Antiq. numerat dies octo azymorum. At non potuerunt tot esse, nisi Pascha celebratum sit posteriori vespera lunæ XIII. non lunæ XIV.

Resp. Idem, lib. 3. Antiq. cap. 10. numerat tantùm septem dies azymorum: *Hoc festum,* inquit, *priori continenter succedit, duratque dies septem, per quos panibus non fermentatis vescuntur.* Dies autem azymorum octo vel septem numerari potuerunt, quia numerari potuerunt à luna XIV. vel XV. Luna enim XIV. secundùm posteriorem sui partem erat etiam primus dies azymorum, & luna XV. secundùm priorem sui partem erat etiam primus dies azymorum.

Obj. 11. Apud Israëlitas dies Pentecostes erat quinquagesimus à secundo die azymorum, ex *Levit. cap. 23.* At año mortis Christi dies Pentecostes Judæorum incidit in diem Dominicam, ut constat ex Traditione Ecclesiæ. Ergo eo anno secundus dies azymorum incidit etiam in diem Dominicam: ac proinde primus dies azymorum seu luna XV. incidit in Sabbatum, & luna XIV. in feriam sextam, & luna XIII. in feriam quintam, in qua Christus instituit Eucharistiam.

Resp. Vasques diem Pentecostes esse quinquagesimum diem à secundo die azymorum exclusivè, non inclusivè: ac proinde eo anno, quo Christus mortuus est, quinquaginta dies numerari debuerunt à die Dominica inclusivè, & sic eo anno dies festus Pentecostes fuit dies Dominica.

Vel dici potest cum Bellarmino, dies Pentecostes numerandos esse à primo die profano post festum primæ diei azymorum. Quare si secundus dies azymorum incidat in Sabbatum, sicut contigit eo anno, quo Christus mortuus est, tunc à tertio die azymorum numerandi sunt dies Pentecostes; & sic eo anno dies Pentecostes incidit in diem Dominicam. Si autem secundus dies azymorum non incidat in Sabbatum, ut plerumque accidit, ab eo numerari debent dies Pentecostes. Ratio Bellarmini est, quia causa, cur illi dies quinquaginta non inciperent à primo die azymorum, sed à secundo, est, quia illo die à quo incipiebant, aliqua opera servilia facienda erant, quæ die festo prohibebantur, nempe metere manipulum frumenti, & deferre ad Sacerdotem. At hæc magis vetita erant die Sabbati, quàm primo die azymorum. Ergo à fortiori, non licebat dies illos quinquaginta numerare à secunda die azymorum, quæ Sabbatum esset: proinde quando secunda dies Sabbatum erat, dies illi quinquaginta incipiebant in tertia die azymorum.

Nec obstant hæc verba Scripturæ. *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum.* Quia (inquit Bellarminus) Scriptura dicit *altera die Sabbati*, non altero die Paschæ, vel altero die azymorum. Quæ verba Scripturæ significant, prima die profana post primum die azymorum festivum.

Porro ad Josephum, l. 3. Antiq. c. 10. respondet eum loqui de eo, quod ut plurimum accidebat. Secunda autem die azymorum ut plurimum demetebatur manipulus frumenti, & ab illa incipiebant 50. dies Pentecostes: nam dies secunda azymorum raro incidebat in Sabbatum, sed ut plurimum in aliam diem profanam.

Obj. ult. Judæi non comederunt Agnum Paschalem luna XIV. sicut Christus, sed postea. Ergo postquam Christus comedit Agnum Paschalem, adhibuit panem fermentatum, nam adhuc inveniri poterat apud Judæos illos.

Resp. 1. Nego conseq. Nam cùm constet Christum comedisse Agnum Paschalem tempore per legem præscripto, evidens est illud tempus non adhibuisse panem fermentatum: ejus enim usus & retentio expresè lege prohibebantur totis septem diebus à vespera lunæ XIV. qua comedebatur Agnus Paschalis. Christum autem totam legem usque ad mortem accuratissimè observavit, & professus est se illam usque ad unum jota observaturum.

Resp. 2. Nego anteced. Quia 1. *Marcus c. 14.* ait: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant*, quo eodem die dicit Christum Pascha celebrasse. 2. Absolutè & generatim absque alia exceptione præcipiebatur Judæis, ut celebrarent Pascha luna XIV. primi mensis, & festum Paschæ luna XV. ut patet ex *Exodi, c. 12. Levit. cap. 23.* & *Numer. cap. 26.* Ergo verisimile non est, Judæos qui etiam tempore Christi erant legalium observantissimi, contra legem mutasse tempus talis ritus servandi. 3. Josephus oculatus testis, l. 3. Antiq. c. 10. scribit legem de immolando Agno Paschali luna XIV. & celebranda festivitate azymorum luna XV. diligenter observatam semper fuisse.

ARTICULUS IV.

Utrùm admixtio aquæ cum vino in calice sit necessaria?

DIco 1. Admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti, ita ut vinum purum validè consecrari possit. *Ita omnes Theologi cum S. Thoma contra Armacænum.*

Prob. 1. Ex Conc. Florent. quod in decreto pro Armenis declarat materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite. Quibus verbis assignat totam materiam essentialem Sacramenti: alioqui debuisset dicere, vinum de vite aquæ admixtum, sicut supra dixerat materiam Confirmationis esse oleum mixtum balsamo.

2. Ex Concil. Trident. Sess. 22. cap. 7. monente tantùm mixtionem aquæ præceptam esse ab Ecclesia. At si præcepta fuisset à Christo, & necessaria necessitate Sacramenti, Synodus hoc debuisset declarare. Præterea præcepti Ecclesiastici rationem reddens, non affert necessitatem Sacramenti, nec institutionem Christi, sed aliam multiplicem.

3. Ex Missali Romano, tit. de defectibus, ubi dicitur: *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam ... si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Idem docet Catechismus Romanus.

Obj. 1. Christus consecravit vinum aqua temperatum, ut docent Patres, Irenæus Lib. 4. c. 57. Cyprianus Epist. 68. Basilius, in sua Liturgia, Damascenus Lib. 4. c. 14. Concil. Carthagin. III. can. 24. Florent. & Trident. Ergo admixtio aquæ instituta est à Christo, & præcepta, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Resp. Nego conseq. Quia Christus his verbis instituit & præcepit tantùm, ut fieret quoad substantiam moraliter sumptam id quod fecit instituendo Eucharistiam; non autem ut id fieret etiam quoad omnes omninò circumstantias. Quare instituit & præcepit panem triticeum, & vinum de vite usuale. Vinum autem usuale est tum vinum purum, tum vinum aqua temperatum. Quæ institutio Christi nobis certè innotescit per Ecclesiæ sensum, & doctrinam Conciliorum.

Obj. 2. Justinus, Apolog. 2. postquam exposuit ritum celebrandi Eucharistiam, mixtionem aquæ cum vino, &c. sic ait: *Nam Apostoli in Commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum.*

Resp. Solùm intendit Christum præcepisse ritum celebrandæ Eucharistiæ quem exposuit, sumptum quoad substantiam, non verò quoad singulas illius circumstantias.

Obj. 3. S. Cyprianus, Epist. ad Cæcilium ait: *Si verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur. Quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit ... Si in sacrificio, quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.*

Resp. Aliqui putant S. Cyprianum ita sensisse; sed ei opponunt sensum universalis Ecclesiæ, qui clarè patet in doctrina Conciliorum Florent. Trident. & Missalis Romani. Alii dicunt Cyprianum velle solùm mixtionem aquæ cum vino requiri ad perfectam significationem Sacramenti, ad imitationem Christi, & ad licitam consecrationem, atque

atque ex convenientia, non autem ex necessitate Sacramenti. Quod probant ex his Cypriani verbis objecta antecedentibus: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spirituale & cœleste perficitur.*

Sed priores respondent, horum verborum (*si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse sine nobis*) hunc sensum esse: si vinum tantùm offeratur, repræsentatur tantùm sanguis Christi, sive sanguis Christi incipit esse repræsentativè ac figurativè sine nobis. Si verò offeratur aqua tantùm, populus fidelis tantùm repræsentatur. Unde nisi utrumque offeratur, nihil efficitur. At si utrumque misceatur, tunc Sacramentum perficitur.

Obj. 4. Concil. Aurelianense IV. Can. 4. ait: *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, & hoc aqua mixtum offerre præsumat; quia sacrilegium judicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit.* Ex Conc. Wormaciense Can. 4. dicit: *Præter panem & vinum aqua mixtum, aliud offerri non debet. Calix enim Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri.... non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur.*

Resp. Horum Canonum sensus est, contra institutionem & præceptum Christi esse, si præter panem & vinum aqua mixtum in sacrificio Missæ offeratur aliquid, puta lac. Et vino aquam miscendam esse propter factum Christi, & perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, ac ejus legem ab Apostolis acceptam, & propter factum Christi latam. Concil. verò Wormaciense posterioribus verbis solùm vult calicem Domini nec licitè, nec validè esse aquam solam, nec solum vinum licitè; sed utrumque requiri, ut consecratio tum validè tum licitè fiat.

Obj. 5. Ex Concil. Carthagin. III. Can. 24. mixtio aquæ fuit à Christo tradita.

Resp. Fuit à Christo tradita velut exemplum quod convenit sequi, non ut præceptum nisi radicaliter, quatenus exemplum Christi induxit Ecclesiam ad illam præcipiendam.

Dico 2. Admixtio aquæ modicissimæ cum vino necessaria est ex præcepto ecclesiastico.

Prob. 1. Ex Traditione, & perpetua Ecclesiæ praxi ac consuetudine vim legis habente, cujus testes sunt Justinus Martyr, Apol. 2. Irenæus L. 5. c. 2. Cyprianus, Epist. ad Cæcilium; Basilius & Chrysostomus in suis Liturgiis; Isidorus, Lib. 1. de divinis officiis c. 18. Damascenus, Lib. 4. de fide, c. 14.

2. Ex variis Conciliis, & præsertim ex Florent. in decreto, ubi assignans materiam calicis dicit vinum de vite, *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet.* Et Trid. Sess. 22. cap. 7. ubi ait: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia à latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cùm aquæ in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

Hoc autem præceptum obligat sub mortali culpa; quia materia licèt in se

levis, est tamen gravis ratione significationis & finis. Unde Missale Romanum dicit omittentem graviter peccare.

Obj. Hæc mixtio aquæ fuit primum ab Alexandro II. præcepta. Ergo non fuit in perpetuo usu.

Resp. Nego anteced. Nam ab Apostolis ipsis præcepta fuit, ut docet Concil. Florent. in decreto, ubi ait hunc ritum tum *à sancta Romana Ecclesia ab Apostolis Petro & Paulo edocta*, tum à cæteris omnibus Ecclesiis latinis & græcis ab initio nascentis Ecclesiæ servatum esse & servari.

Dixi, *ex præcepto Ecclesiastico.* Quia hæc admixtio non est præcepti divini. Nam Conc. Trident. Sess. 22. c. 7. dicit, *præceptum esse ab Ecclesiæ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* At si hoc præceptum fuisset à Christo, Concil. debuisset declarare, & tam incongruè locutum fuisset, quàm si dixisset, præceptum esse ab Ecclesiæ Sacerdotibus, ut ad consecrationem calicis adhiberent vinum de vite. Præterea quæ in Sacramentis conficiendis præcepta sunt à Christo, illa ad Sacramenti substantiam pertinent: cujusmodi non est aquæ mixtio.

Dico 3. Hæc mixtio convenienter præcepta fuit ab Ecclesia: tum quia Christus illam adhibuit, ut ex Patribus constat, tum quia aptissima est ad significandum 1. sanguinem & aquam, quæ ex latere Christi effluxerunt. 2. Unionem Christi cum Ecclesia: nam Christus per vinum, fideles autem per aquam significantur. 3. Unionem humanitatis cum verbo. 4. Gratiam, quæ à Christo dicitur aqua saliens in vitam æternam.

Dico 4. Hæc mixtio tempore Missæ & in ipso sacro calice necessariò facienda est. Quia alioqui non esset cæremonia sacra, nec sacram significationem haberet.

Item necessariò fieri debet ante calicis oblationem, propter Ecclesiæ universalis usum, vim legis obtinentem. Unde graviter peccaret, qui eam tunc omitteret. Quòd si illa mixtio ante calicis oblationem, facta non fuisset, misceri deberet ante calicis consecrationem. Nam usque ad illud tempus subsistit ratio præcepti ac significationis; non tamen post calicis consecrationem, qui tunc prohibetur.

Dico 5. Aqua vino miscenda debet esse modicissima.

Prob. 1. Quia ita expressè docet Conc. Florent.

2. Quia, ut ait Conc. Triburiense, Can. 19. sic meliùs significatur majestas Christi per vinum designata, & populi fragilitas per aquam repræsentata.

3. Quia (ut ait S. Thomas) hoc tutius est: nam vinum aliquando ita debile est, ut per magnam aquæ vim facilè corrumpatur. Sufficit autem aquæ gutta sensibilis, quia ad signum sensibile & convenientem significationem sufficit.

Ad validam verò consecrationem necesse est, ut major sit quantitas vini quàm aquæ. Quia materia calicis est vinum moraliter & usualiter, seu vinum usuale. Tale autem non esset, si vinum non prædominaretur aquæ; sed tunc diceretur esse aqua vino permixta, non verò vinum aquæ permixtum.

ARTICULUS V.

Utrùm aqua vino mixta convertatur in sanguinem Christi?

D*Ico 1.* Aqua, quæ in calice vino miscetur, convertitur in sanguinem Christi, sive immediatè, sive mediatè.

Hoc videri debet certum; nondum tamen est de fide, quamvis sæculo XII. &

& XIII. hæc quæstio vehementer agitata fuerit; & Innocentius III. cap. *cùm Marthæ*, de celebrat. Missar. dicit solùm, quòd sit opinio probabilior.

Prob. 1. Ex SS. Patribus id expressè asserentibus, pro omnibus sint Justinus Martyr, Apolog. 2. ubi ait: *Qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, eum, in quo gratiæ actæ sunt* (id est, qui à Sacerdote consecratus est) *panem, vinum & aquam, & ad ab sentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Cyprianus Epist. ad Cæcilium supra citata. Ambrosius L. 4. de Sacramentis, cap. 5. *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Damascenus L. 4. de fide cap. 14. *Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum, in comedentis & bibentis corpus & sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque à priori ipsius corpore diversum: sic propositionis panis, ac vinum & aqua, per Sancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem.*

2. Quia veritas formæ id exigit: nam hæc verba (*hic est calix sanguinis mei, &c.*) designant totum illum potum, qui est in calice, esse sanguinem Christi, efficiuntque quod significant.

Dico 2. Aqua vino mixta, per consecrationem immediatè convertitur in sanguinem Christi, hoc est, quamvis ante consecrationem in vini substantiam conversa non fuerit. *Ita multi contra multos.*

Prob. 1. Quia SS. Patres, nempe Justinus, Cyprianus, Ambrosius, Damascenus modò laudati, & alii eodem modo loquuntur de aquæ ac de vini consecratione & transubstantiatione: ac proinde sentiunt aquam sicut vinum immediatè converti in sanguinem Christi.

2. Quia Christus calicem suum consecravit immediatè post aquæ mixtionem, ideóque antequam aqua in vinum conversa fuisset. Quod idem faceret Ecclesia, nisi ad dignam hujus Sacramenti confectionem aliquæ cæremoniæ præmittendæ essent.

3. Si aqua non converteretur in sanguinem Christi, nisi priùs conversa fuisset in vinum, vetus Ecclesia debuisset maximè curare, ut modicissima aqua misceretur vino. At vetus Ecclesia nunquam fuit sollicita de aqua in exigua admodum quantitate admiscenda, ut certiùs ante consecrationem in vinum converteretur, ut constat ex Ambrosio modò citato, & Concilio Triburiensi, can. 19. permittente, ut in calice tertia pars sit aquæ. Quòd si Concil. Florent. postea jussit, ut aqua modicissima vino misceretur; non id præcepit, quòd crederet aquam priùs in vinum convertendam, sed ne aqua copiosè affusa vinum sat debile in variis regionibus, corrumperet.

4. Quia Missale Romanum præscribit, ut si Sacerdos immediatè ante consecrationem recordetur se non apposuisse aquam in calice, tunc illam infundat; item si in ipsa sumptione calicis advertat non fuisse vinum sed aquam, tunc infundat vinum & aquam, moxque facta oblatione consecret. At in his casibus aqua non potest priùs in vinum quàm in sanguinem Christi converti.

5. Illud immediatè convertitur in sanguinem Christi, quòd significatur nomine vini simpliciter, seu quod est vinum usuale. At tale est vinum aqua modica temperatum, cùm sit & dicatur vinum usuale, atque etiam vinum simpliciter.

Deni-

Denique valdè dubium, imò improbabile est, vinum posse sua virtute aquam in suam substantiam convertere, tum quia ad hoc necessaria esset fermentatio specifica, qualis fit in vite: tum quia experientia constat aquam vino permixtam posse separari & separatam fuisse à vino etiam post longum tempus.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Concilia & Patres non assignant aquam pro materia Sacramenti: Ergo non est illius materia nisi priùs convertatur in vinum.

Resp. Non assignant aquam solam, sed panem, & vinum aquæ permixtum, ut patet ex Patribus laudatis, & Concil. Carthaginensi III. canone 24. Aurelianensi IV. can. 4. Wormatiensi can. 4. & Bracarensi II. & Florentinum dicit vinum aqua miscendum. Alia verò Concilia, quæ solum vinum assignant, per vinum intelligunt vinum aquæ mixtum, quod est vinum simpliciter dictum & usuale.

Dices. Scriptura solùm meminit panem & vinum.

Resp. Per vinum intelligit omne vinum usuale. Vinum autem aquæ modicæ permixtum tam est vinum usuale, quàm vinum purum. Quare ex institutione Christi materia calicis est vinum usuale, sive sit purum, sive modicè lymphatum, quamvis ob præceptum Ecclesiæ purum licitè consecrari non possit.

Obj. 2, Si aqua vino mixta converteretur in sanguinem Christi, sanguis Christi contineretur sub speciebus aquæ. Falsum conseq. Nam species aquæ significare non possunt sanguinem, cùm ex Conciliis per aquam populus, & per vinum sanguis Christi significetur. Ergo.

Resp. Dist. sequel. maj. Sanguis Christi contineretur sub speciebus aquæ mixtis speciebus vini, *conc. seq. maj.* Contineretur sub speciebus aquæ, solis & separatis à speciebus vini, *nego seq. maj.* Itaque sanguis Christi continetur sub speciebus aquæ, quamdiu illæ mixtæ sunt speciebus vini: nam tamdiu sunt partialiter species vini mixti. Species autem vini mixti æquè significant sanguinem Christi præsentem ac species vini puri; quamvis etiam species aquæ populum, & species vini sanguinem Christi significent alio modo, nempe per quandam analogiam, eorum qualitates repræsentando. At si species aquæ à speciebus vini separarentur, tunc Christus desineret esse sub speciebus aquæ sic separatis; quia sanguis Christi non est nisi sub speciebus materiæ consecrabilis, qualis non est aqua sola, sed vinum purum, & mixtum aqua.

Porro cùm Conc. Trid. Sess. 13. can. 3. definit sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, loquitur de speciebus tum panis, tum vini, quale consecratum est, sive puri, sive mixti, & de separatione ordinaria, qua dividuntur partes sensibiles, & ita ut singulæ remaneant species materiæ etiam sub tali separatione consecrabilis.

Obj. 3. Aqua non est materia consecrabilis. Ergo non convertitur immediatè, &c.

Resp. Disting. antec. Aqua sola & seorsum sumpta non est materia consecrabilis, *conced. ant.* Aqua mixta vino prædominanti non est, &c. *nego ant.* Quia aqua sic mixta, est propriè vinum usuale. Igitur quemadmodum massa furfurea seorsim non est materia consecrabilis, & tamen potest esse partialiter materia valida, si nimirum misceatur cum farina pura, & sic cum ea constituat panem vulgarem: sic aqua

quam-

quamvis non sit seorsim materia consecrabilis, potest tamen esse partialiter materia consecrationis, si vino promi sceatur, & cum eo constituat vinum vulgare seu usuale. Ratio est, quia ex institutione Christi materia valida consecrationis est panis usualis & vinum usuale.

Inst. Ergo erit duplex materia in calice.

Resp. Nego. Quia aqua vino mixta in calice facit cum vino unam materiam, unum mixtum, unum vinum usuale.

Obj. 4. Christus non miscuit aquam vino, ut eam consecraret: alioqui aqua esset materia necessaria necessitate Sacramenti. Ergo aqua mixta vino non est materia consecrationis, nisi priùs convertatur in vinum.

Resp. Nego antec. & ejus probationem. Nam materia necessaria consecrationis ex institutione Christi est vinum usuale prout præscindit à vino puro, vel modica aqua temperato. Quare consecratio valet sine aqua, non sine vino.

Obj. 5. Si aqua vino mixta, esset materia consecrationis, Ecclesia faceret materiam consecrationis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam aqua vino mixta, est materia consecrationis, non vi præcepti ecclesiastici, sed vi institutionis Christi. Christus enim pro tali materia instituit vinum usuale, quod est tam vinum mixtum quàm purum. Quare Ecclesia mixtionem aquæ præcipiens, facit tantùm, ut vinum aqua mixtum sit sola materia licita, quamvis vinum purum sit materia valida.

Obj. 6. Innocentius III. cap. *cùm Marthæ* de celebrat. Miss. approbat opinionem docentem, aquam converti in vinum priusquam convertatur in sanguinem; nam sic ait: *Quæsivisti utrùm aqua cum vino in sanguinem convertatur? super hoc opiniones apud Scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo præcipua fluxerunt Sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo, vinum & aqua, quæ commiscentur in calice, divina virtute mutantur ... alii verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino: licèt Physici contrarium assererent, quia aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini partibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit .... verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* Ergo.

Resp. Nego antec. & ejus probationem. Nam Innocentius ibi præcisè approbat conclusionem secundæ sententiæ, non ejus rationem; cùm nec de illa, nec de contraria Physicorum sententia ullam mentionem faciat, dum secundam opinionem præeligit. Unde solùm respondet ad id, quod quæsitum fuerat, nempe aquam cum vino converti in sanguinem Christi, abstrahendo à mediata vel immediata conversione. Quare nobis non adversatur, sed potiùs favet.

Inst. Idem Innocentius III. L. 4. de mysteriis Missæ, c. 30. ait: *Quibusdam absurdum non videtur, quòd aqua transit in sanguinem, ea scilicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum aquæ infunditur?*

Resp.

Resp. Ibi quidem mediatam conversionem approbat, sed non rejicit immediatam. Imò huic clarè favet eodem libro, cap. 11. ubi asserit in Eucharistia haberi Trinitatem specierum, videlicet panis, vini, & aquæ. Quod falsum esset, si aqua priùs converteretur in vinum, quàm in sanguinem.

CAPUT III.

De Forma Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm verba, quibus Christus Eucharistiam confecit, ad consecrationem nunc sufficiant?

Nota 1. Recentiores Græci, videlicet Nicolaus Cabasilas, Marcus Episcopus Ephesinus, Simeon Thessalonicensis, Samonas Gazæus & alii Schismatici docent non solis istis Christi verbis (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) sed etiam aliis verbis, quibus Sacerdos orat, ut panis fiat corpus Christi, & vinum sanguis, confici Eucharistiam. Quam opinionem hæreticam esse censent multi Doctores, asserentes de fide esse Eucharistiam non fieri per orationem verbis Christi adjectam. Lutherani verò & Calvinistæ docent recitandam esse historiam institutionis Eucharistiæ sive ex Evangelio, sive ex S. Paulo. *1. Cor. c. 11.* & volunt omnia verba recitanda esse ad instruendum populum, & fidem excitandam, eaque esse solùm concionalia, non consecratoria; quamvis Lutherani verba consecratoria voce tenus admittant, & à Calvinistis in modo loquendi dissentiant.

Nota 2. Christum Eucharistiam confecisse verbis istis: (*Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.*)

Constat 1. ex Patribus apud Suarem & Bellarminum. Pro omnibus sint Sanctus Justinus Martyr, Apolog. 2. prope finem, ubi ait, panem fieri corpus Domini per preces verbi Dei, quas paulò post dicit esse hæc Christi verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Et sanctus Chrysostomus serm. de proditione Judæ, ubi ait: *Hoc est corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur.*

2. Ex Conc. Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc confecit Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

3. Ex Concil. Trident. Sess. 13. cap. 1. dicente: *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse; cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est, &c.*

Dico. Ad conficiendam validè Eucharistiam requiruntur & sufficiunt verba, quibus eam Christus confecit, nempe hæc vel æquivalentia: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ac proinde ad validam consecrationem non requiritur recitatio historiæ Eucharistiæ, nec oratio, item verba, quibus Eucharistia conficitur, sunt consecratoria.

Prob. 1. Quia Christus Eucharistiam confecit verbis illis solis, ut constat ex not. 2. Atqui Sacerdotes Eucharistiam conficiunt iisdem verbis, quibus Christus ipse eam confecit. Ergo Sacerdotes nunc conficiunt Eucharistiam verbis istis solis vel æquivalentibus: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ac proinde hæc verba vel æquivalentia ad conficiendam validè Eucharistiam requiruntur ac sufficiunt. *Minor constat* ex Patribus apud Suarem & Bellarminum. Pro omnibus tres hìc sufficiant. Sanctus Ambrosius, Lib. 4.

de Sacramentis, cap. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum. Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.... consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt. Oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. 2. de Paschate: *Inter sermones de carne, præcipui sunt illi Christi: Hoc est corpus meum; illisque prolatis à Sacerdote, qui non credit esse verum corpus Christi, sine dubio fidem derogat.* Sanctus Chrysostomus, homil. 2. in 2. ad Tim. *Quemadmodum verba, quæ locutus est Christus eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant: ita & oblatio eadem est.*

Prob. 2. Quia Christus nihil aliud exegit ad consecrationem à nobis peragendam, quàm id quod fecerat: nam nobis circa Eucharistiam conficiendam jussit solùm, ut id faceremus quod ipse fecerat, juxta illud, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui Christus Eucharistiam confecit per hæc verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus:* alioqui hæc ejus verba non essent vera. Ergo Christus nihil aliud à nobis exigit ad conficiendam validè Eucharistiam, quàm ut proferamus eadem hæc verba vel æquivalentia: *Hoc est corpus meum, &c.*

Prob. 3. Statim atque illa Christi verba (*Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*) prolata sunt, adest corpus & sanguis Christi: alioqui verba illa, quæ ex institutione Christi & ejus nomine Sacerdos profert, essent falsa.

Prob. 4. Forma Eucharistiæ instituta fuit à Christo. Atqui oratio Græcorum, sicut recitatio Eucharistiæ non fuit instituta à Christo: Ergo neutra pertinet ad formam essentialem Eucharistiæ.

Prob. 5. Quia Sacerdos ex persona Christi loquens consecrat, ut docent Patres, sive (quod idem est) Christus per os Sacerdotis consecrat. Atqui Christus per os Sacerdotis non profert nisi verba, quæ olim protulit, nempe hæc sola, *hoc est corpus meum, &c.* Ergo.

Prob. Denique ex praxi utriusque Ecclesiæ latinæ & græcæ. Nam in Ecclesia latina statim post hæc verba (*hoc est corpus meum*) Sacerdos proponit hostiam populo adorandam, eamque ipse adorat: ac proinde Christus jam est sub speciebus hostiæ, alioqui Ecclesia latina idololatriam committeret. In Ecclesia verò græca, his Christi verbis (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) prolatis, Diaconus continuò demonstrat populo hostiam & calicem, & sic utrumque adorandum populo proponit. Ergo jam Christus est sub speciebus panis & vini: alioqui Ecclesia græca idololatriam committeret.

Hinc patet verba ista (*fac Domine panem istum corpus Christi tui*) quæ in Liturgiis Græcorum, post hæc Christi verba (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) à Sacerdote recitantur, nullatenus requiri ad consecrationem, cùm Eucharistia per verba Christi supradicta jam confecta sit.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Patres passim dicunt Eucharistiam precibus & invocatione consecrari. Ergo præter verba Christi supradicta requiritur oratio aliqua.

Resp.

Resp. Nego conseq. Quia Patres per orationem & preces, quibus dicunt Eucharistiam consecrari, intelligunt verba Christi (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,*) ut patet ex Justino, in Apolog. 2. ubi dicit preces, quibus fit Eucharistia, esse verbum à Deo profectum, esse hæc Christi verba: *Hoc est corpus meum, &c.* ex Irenæo, L. 5. c. 2. ubi asserit invocationem Dei, qua, l. 2. c. 24. dixerat Eucharistiam fieri, esse verbum Dei; & ex S. August. Serm. 28. de verbis Domini, ubi clarè significat precem mysticam, qua, Lib. 3. de Trinitate, cap. 4. dixerat Eucharistiam confici, consistere in verbis Christi. Hæc autem verba Christi (*hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*) sicut & aliorum Sacramentorum formæ vocantur preces & invocatio Dei, quia sunt verba sacra, habentia vim impetrandi à Deo effectum sacramentalem, movendo efficaciter Deum ad illum producendum; & nomine Christi proferuntur ad effectum sacramentalem à Deo obtinendum, sicque sunt implicita invocatio divinæ virtutis, quæ est causa principalis physica omnis effectus sacramentalis, & sine qua nihil efficere possunt.

Addit Bellarminus, cùm Patres Eucharistiæ consecrationem vocant vel invocationem Dei seu orationem, vel benedictionem, vel gratiarum actionem: per consecrationem intelligunt vel totam liturgiam, vel totum canonem in quo sunt preces, invocationes, benedictiones, gratiarum actiones: & sic modò ab una parte, modò ab alia totam actionem seu canonem denominant.

Obj. 2. Sanctus Dionysius, Lib. de ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. dicit consecrationem fieri post illa verba (*hoc facite in meam commemorationem*) quæ tamen in canone Missæ ponuntur post verba Christi, *hoc est corpus meum.*

Resp. In Liturgia, qua utebatur Dionysius, verba Christi (*hoc est corpus meum*) fuerunt post verba illa, *hoc facite in meam commemorationem.* Ratio est, quia in Liturgia Dionysii verba illa proferebat Sacerdos, ut se excusaret, quòd Eucharistiam conficere auderet: ac proinde verba illa (*hoc facite, &c.*) proferenda erant ante verba consecratoria. At in omnibus aliis Liturgiis nunc extantibus, historicè tantùm recitantur à Sacerdote, qui proinde ea recitat post hæc verba (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) cùm hoc ordine à Christo dicta fuerint, ut patet ex *1. Cor. cap. 11.* enimverò Dionysius seu auctor illius libri ibidem asserit Sacerdotem consecrare secundùm divinam Traditionem, quæ certò est de verbis istis, *hoc est corpus meum, &c.*

Obj. 3. In Ecclesia græca Sacerdos post verba Christi (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) sic orat: *Emitte Spiritum tuum- & fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui; quod verò in hoc calice est, pretiosum sanguinem Christi tui.* Eadem fere oratio habetur in Liturgiis S. Jacobi, S. Marci, S. Clementis, S. Basilii, S. Chrysostomi. Ergo sine precibus adjectis verbis Christi, panis & vinum non convertuntur in corpus & sanguinem Christi.

Resp. Nego conseq. Quia per preces illas non petitur absolutè, ut panis & vinum fient corpus & sanguis Christi, sed ut nobis fiant corpus & sanguis Christi, hoc est, ut panis jam factus corpus Christi, & vinum jam factum sanguis Christi, fiant etiam nobis per effectum nutritionis spiritualis verè corpus & sanguis Christi: sive ut fiant nobis in salutem animarum, easque spiritualiter nutriant.

Hunc esse verum orationis Liturgiarum illarum sensum: patet 1. ex confessione Græcorum, qui Concil. Florent. interfuerunt. Nam (ut Bellarminus L. 4. de Euchar. cap. 19. testatur) interrogat ab Eugenio IV. cur post Christi verba preces recitarent, quibus confectio Eucharistiæ peti videtur; responderunt se credere consecrationem fieri per Christi verba, preces verò illas solùm addi ad petendum à Deo, ut Sacrificium & Eucharistia nobis prosit ad salutem. Et quamvis hæc responsio in Actis Concilii non extet in terminis, & explicitè, tamen æquivalenter habetur: nam referunt, Mitylenensem Episcopum pro se & aliis Græcis super hac re summo Pontifici satisfecisse.

2. Ex Liturgiis objectis, in quibus preces sic desinunt: *Ut sit omnibus ex his sumentibus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam;* ut habet Liturgia Jacobi. Vel: *Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, & sanctificationem, in renovationem animæ, &c.* ut in Liturgia Marci. Vel: *Te precamur, ut hæc munera benevolè aspicias .... & mittas super hoc sacrificium, sanctum tuum Spiritum ... ut ostendas panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui: ut qui eum participant, ad pietatem firmentur, &c.* ut habet Liturgia S. Clementis. Vel: *Ut sit iis, qui participant, ad emundationem animæ, ad remissionem peccatorum, &c.* ut in Liturgia sancti Chrysostomi.

Dices. In oratione, quæ post verba consecrationis habetur in Liturgia Jacobi, interponitur bis vox *amen* post verba, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* At hæc vox petitionem sonat. Ergo.

Resp. Nego min. Nam *amen* non ibi adhibetur ad petendam præsentiam corporis & sanguinis Christi, sed ad profitendam talem præsenaiam: populus enim audiens panem nominari corpus Christi, & calicem ejus sanguinem, respondet, *amen*, id est, ita est, ita credimus. Unde in Missa Æthiopum immediatè post verba Christi supradicta populus respondet: *Amen, amen, amen, credimus, & confidimus, & laudamus te, ò Domine Deus noster, hoc est verè corpus tuum.* Et S. Ambrosius L. 4. de Sacramentis, c. 5. ait: *Dicit tibi Sacerdos: corpus Christi. Et tu dicis, amen, hoc est verum.*

Dices. In Liturgia sancti Chrysostomi Sacerdos sic orat: *Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui .... quod autem est in hoc calice, pretiosum sanguinem Christi tui .... mutans Spiritu tuo sancto.*

Resp. Verbum græcum Μετέβαλων malè redditum est latinè per vocem *mutans*, sed debuit sic verti, qui mutasti Spiritu tuo sancto: nam hic est præteriti temporis, nempe in aoristo secundo, qui magis propriè præteritum tempus significat. Quare sensus est: Domine, qui Spiritus tui virtute panem & vinum in corpus & sanguinem Christi tui mutasti, fac ut hoc corpus & hic sanguis sit iis, qui illa participant, ad emundationem animæ &c. quæ verba in fine reperiuntur. Quod etiam patet ex eo, quòd sanctus Chrysostomus pluribus locis asserat consecrationem fieri per verba Christi supradicta.

Porro Liturgiæ Basilii, Chrysostomi, & aliæ non sunt puræ, & quales ab illis editæ fuerunt. Sed multa illis identidem addita & immutata fuerunt.

Obj. 4. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, in Catechesi mystagogica 5. exponens ritum conficiendæ Eucharistiæ ne quidem meminit verborum Christi, sed eam dicit tantùm fieri per orationem ab

ab illis distinctam: *Deum*, inquit, *oramus, ut super illa proposita Sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi.*

Resp. Arcudius censet illum in hunc errorem ex inconsideratione lapsum fuisse, & ei opponit alios Patres, nempe Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Nyssenum, &c. Alii verò respondent Cyrillum usum fuisse aliqua Liturgia, in qua preces erant verba Christi, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus:* ideóque dixisse rogari Deum Patrem, ut mittat Spiritum sanctum, qui panem & vinum in corpus & sanguinem, verbis ipsius Christi convertat.

ARTICULUS II.

In quibus verbis consistat essentia formæ Eucharistiæ?

Nota. Certum est omnia verba, quæ ad consecrationem in canone Missæ continentur, saltem ex præcepto Ecclesiæ proferenda esse, ita ut sine gravi peccato omitti non possint. Sed controversia est, utrùm omnia sint necessaria, ad validam consecrationem; & si non omnia, quædam præcisè sint essentialia?

Dico 1. Certum est verba ista omnia (*hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*) vel æquivalentia, esse essentialia formæ consecratoriæ.

Prob. 1. Quia ita omnes Doctores catholici, & sensus Ecclesiæ catholicæ.

2. Quia Patres docent Eucharistiam confici verbis Christi, quibus nempe significavit, & significando effecit præsentiam realem corporis & sanguinis sui.

3. Quia sine illis omnibus non significatur clarè & distinctè, ideóque sufficienter transubstantiatio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, nec proinde sine illis fieret: nam verba non efficiunt nisi id, quod significant.

Dico 2. Hæc verba (*hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*) aut æquivalentia, sufficiunt ad validam consecrationem: ac proinde totam essentiam formæ Eucharistiæ constituunt.

Prob. Ad validam consecrationem sufficiunt illa verba, quæ operantur præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Atqui talia sunt verba supradicta, ergo sufficiunt ad validam consecrationem. *Prob. min.* Verba illam præsentiam corporis & sanguinis Christi operantur, quæ illam perfectè significant: nam omnes formæ Sacramentorum habent vim efficiendi id quod significant. Atqui verba supradicta prolata in persona Christi, significant perfectè præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ut per se patet. Ergo illam operantur.

Obj. 1. Hæc verba (*hoc est corpus meum*) non significant corpus Christi, sed Sacerdotis, nisi priùs proferantur verba ista: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in manus suas, &c.* Ergo hæc verba adhuc requiruntur ad validam consecrationem.

Resp. Neg. anteced. Nam hæc verba (*hoc est corpus meum*) ad significandum corpus Christi, non Sacerdotis illa proferentis, determinantur sufficienter per hoc, quòd Sacerdos illa profert ut agens personam Christi. Sic autem profert, hoc ipso quòd intendit ea proferre in persona Christi, seu ut gerens personam Christi.

Convenienter tamen verba objecta præmittuntur, ut clariùs appareat, verba illa (*hoc est corpus meum*) proferri à Sacerdote ex persona Christi.

Obj. 2. Christus verbis illis (*hoc est corpus meum*) addidit hæc alia, quod

pro vobis tradetur. Ergo hæc insuper requiruntur, &c.

Resp. Neg. conseq. Quia Christus hæc verba addidit, non ut consecratoria, seu habentia vim convertendi panem in corpus Christi, cùm hanc conversionem non significent, sed ut prænuntiativa mortis mox subeundæ pro eis, quos alloquebatur.

Obj. 3. In forma calicis hæc verba (*novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*) sunt necessaria ad validam consecrationem vini; nam

1. A Concil. Florent. referuntur in forma consecratoria vini.

2. In Missali Romano impressa sunt eodem charactere quo priora, & à Sacerdote eodem ritu ac tenore proferuntur, antequam adoret sanguinem.

3. Determinant priora verba (*hic est calix sanguinis mei*) ad significandum sanguinem Christi. Ergo verba ista (*hic est calix sanguinis mei*) non sufficiunt ad consecrationem validam calicis.

Resp. Neg. anteced. Ad 1. prob. *Resp.* A Conc. Florent. referuntur ista omnia; quia omnia ex præcepto Ecclesiæ pronuntianda sunt, non verò ex necessitate Sacramenti. Sic pro forma ordinis sacerdotalis à Conc. referuntur ista verba: *Accipe potestatem &c. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, cùm tamen juxta adversarios hæc posteriora verba non sint essentialia formæ.

Resp. Ad 2. Ideo hoc fit, quia omnia illa verba ad unam & eamdem orationem totalem pertinent ex institutione Ecclesiæ.

Ad 3. *Resp. Nego.* Nam hæc verba (*hic est calix sanguinis mei*) ad Christi sanguinem significandum determinantur per hoc, quod à Sacerdote in persona Christi seu ut agente personam Christi proferuntur: hoc ipso enim expressè ac determinatè significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini. Sed verba objecta adduntur solùm ad significandum aliquos effectus vel proprietates sanguinis Christi.

Obj. 4. Verba ista (*accipite & manducate, bibite*) requiruntur ad verum & essentialem sensum formæ propter particulam causalem *enim*, quæ sequitur. Ergo supradicta verba non sufficiunt.

Resp. Neg. anteced. Nam sine illis haberi potest sensus assertivus horum verborum: *hoc est enim corpus meum, hic est enim calix sanguinis mei*, qui solus sensus ad validam consecrationem requiritur. Sed verba objecta requiruntur solùm ad sensum historicum & illius veritatem. Itaque hæc verba (*hoc est enim corpus meum, hic est enim calix sanguinis mei*) quamvis sola proferrentur, habent sensum verum & integrum, si proferrentur assertivè & in persona Christi, ut re ipsa à Sacerdote proferuntur. Nam sic prolata integrè ac perfectè significant & affirmant præsentiam corporis & sanguinis Christi, quamvis tunc vox *enim* redundaret.

ARTICULUS III.

Resolvuntur variæ quæstiones circa formam Eucharistiæ.

§. I.

QUæres 1. *Utrùm verba consecrationis pronuncientur historicè tantùm, an etiam assertive?*

Nota. Verba consecrationis proferuntur historicè, seu narrativè, quando proferuntur ex intentione narrandi quid Christus in ultima cœna dixerit. Proferuntur verò assertivè seu significativè, quando proferuntur ex intentione

tione loquendi in persona Christi, & in ejus persona loquendo significandi corporis & sanguinis ejus præsentiam sub speciebus panis & vini.

Resp. Verba consecratoria à Sacerdote consecrante pronunciantur tum historicè ac narrativè, tum etiam assertivè: hoc est, pronunciantur ex intentione referendi verba, ut à Christo dicta, & asserendi id quo significant, sive ex intentione loquendi in persona Christi, & sic loquendo significandi corporis ac sanguinis ejus præsentiam sub speciebus panis & vini.

Et 1. Quidem quòd proferantur historicè, patet ex his verbis formam essentialem immeditè præcedentibus; *Fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Ubi vox *dicens*, significat verba essentialia (*hoc est corpus meum*) dicta esse à Christo, & recitari tanquam ab eo dicta.

2. Quòd proferantur etiam assertivè. *Prob. 1.* Quia Sacerdos verba consecrationis pronunciat in persona Christi, seu ut gerens personam Christi, ut constat ex Patribus & Conc. Florent. Sed Christus illa pronunciavit assertivè. Ergo & Sacerdos illa pronunciat assertivè.

2. Sacerdos intendit per illa consecrare, & efficere id quod Christus per illa effecit: nam si hoc non intenderet, saltem virtualiter & implicitè, non consecraret.

3. Si forma historicè, seu recitativè tantùm proferretur, ad sui veritatem, non exigeret conversionem præsentis materiæ in corpus & sanguinem Christi, sed solùm conversionem præteritam materiæ illius, quam Christus in corpus & sanguinem suum convertit in ultima cœna. Nam ad verborum illorum verificationem sufficeret, quòd Christus in ultima cœna panem

& vinum in corpus & sanguinem suum convertisset. Igitur verba consecrationis in duplici sensu proferuntur, nempe historico & assertivo. In primo sunt pars propositionis, qua dicitur Christus exhibuisse & demonstrasse Apostolis corpus & sanguinem suum sub speciebus sibi præsentibus: in secundo sensu sunt propositio integra, qua Sacerdos ex persona Christi loquens, idem corpus exhibet & demonstrat sub speciebus hìc & nunc sibi præsentibus.

§. II.

Quæres 2. *Pro quo instanti verificentur verba consecrationis?*

Resp. Verificantur pro eo instanti, quo completè proferuntur verba formæ essentialia.

Prob. Nam verba consecrationis verificantur tantùm pro eo instanti, quo corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis & vini. Atqui corpus & sanguis Christi sub illis speciebus ponuntur pro eo tantùm instanti, quo verba formæ essentialia completè proferuntur. Ergo *Prob. min.* Corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis & vini pro eo tantum instanti, quo significatio verborum formæ essentialium est perfecta: nam hæc non operatur, nisi sit perfecta essentialiter. Atqui significatio verborum essentialium est perfecta pro eo tantùm instanti, quo verba formæ essentialia completè proferuntur, ut patet. Ergo pro hoc tantùm instanti corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis & vini.

§. III.

Quæres 3. *Utrùm pronomina* hoc *& hic in formis Eucharistiæ sumantur adjectivè, an substantivè?*

Resp. Sumuntur substantivè. Ita communiter cum S. Thoma. Quia solita-

ſolitariè, ſine ſubſtantivo etiam ſubintellecto ponuntur ante copulam ſeu verbum *eſt*, & re vera habent rationem ſubjecti propoſitionis: quod non convenit adjectivis.

Obj. 1. In forma calicis pronomen non exprimitur neutraliter, ſed convenit in genere cum prædicato. Ergo ſumitur adjectivè.

Reſp. Nego conſeq. Quia ut ſumatur ſubſtantivè, neceſſe non eſt, ut exprimatur neutraliter.

Obj. 2. Pronomen *hic* tam ſumitur adjectivè in hac propoſitione (*hic eſt calix ſanguinis mei*) quàm in iſta, hic eſt frater meus. Ergo.

Reſp. Neg. anteced. Diſparitas eſt; quia in hac propoſitione (*hic eſt frater meus*) ſubintelligitur in ſubjecto nomen *homo*; ita ut ſenſus ſit: hic homo eſt frater meus. At in altera propoſitione non ſubintelligitur in ſubjecto nomen ſubſtantivum, ſed pronomen *hic* accipitur pro ſubſtantia aliqua indeterminatè, ſeu pro contento ſub ſpecie vini confuſè ſumpto.

§. IV.

Quæres 4. *Quid pronomina* hoc & hic *ſignificent in forma Euchariſtiæ?*

Reſp. Pronomina *hoc* & *hic* in formis Euchariſtiæ ſignificant & demonſtrant corpus & ſanguinem Chriſti ſub implicita & confuſa ratione rei contentæ ſub ſpeciebus panis & vini in fine prolationis formæ conſecratoriæ; ita ut ſenſus ſit; hæc res quæ continetur ſub ſpecie panis, eſt corpus meum; hæc res quæ continetur ſub ſpecie vini, eſt ſanguis meus. Ratio eſt, quia pronomina demonſtrativa in ſubjecto propoſitionis ſolitariè & ſine ſubſtantivo eis adjecto poſita, ſignificant tantùm confuſè ac generatim rem aliquam, ita ut debeant exponi per tò *hæc res.* Sic cùm dicitur, hoc eſt aurum, perinde eſt ac ſi diceretur, hæc res eſt aurum.

Dixi, *in fine prolationis.* Nam pronomina illa ſignificant, & demonſtrant tantùm id quod continetur in ſpeciebus in fine prolationis formæ conſecratoriæ. Ratio eſt, quia forma conſecratoria eſt practica & operativa ejus, quod ſub ſpeciebus exiſtit, dum abſolvitur, nempe corporis & ſanguinis Chriſti. Ergo pronomen in ea contentum non ſignificat, nec demonſtrat id, quod adhuc exiſtit initio prolationis formæ, & ea prolata deſinit exiſtere, ſed id quod vi ejus incipit exiſtere, nempe corpus & ſanguinem Chriſti: nam nemo intendit demonſtrare & demonſtrat id, quod deſiiſſet exiſtere, ſed quod exiſtit. Sic ſi Chriſtus aquam in vinum convertiſſet per hæc verba, hoc eſt vinum; non demonſtrat aquam, quæ deſiiſſet exiſtere, ſed vinum, quod fuiſſet factum, & ſenſus verborum illorum fuiſſet: hæc res eſt vinum.

Obj. 1. Pronomen *hoc* demonſtrat id, quod præſens eſt dum profertur, ſed id quod præſens eſt dum profertur, eſt panis, non corpus Chriſti. Ergo pronomen *hoc* demonſtrat panem, non corpus Chriſti.

Reſp. Major illa ſemper falſa eſt in demonſtrationibus practicis, vi quarum fit id quod demonſtratur. Nam in illis non demonſtratur, niſi id quod vi illarum fit, & nihil fit vi illarum, niſi integrè prolatarum.

Obj. 2. Quando Chriſtus, Matth. c. 26. pronunciavit verba iſta: *Manducate ex hoc omnes*, demonſtrabat panem. Ergo.

Reſp. Chriſtus per hæc verba demonſtravit panem non permanſurum panem, ſed convertendum in corpus ſuum vi conſecrationis; & Diſcipulos invitavit ad manducandum, non id quod tunc erat panis, ſed id in quod panis mox convertendus erat.

Obj. 3. Forma conſecratoria ſignificat converſionem panis in corpus Chri-

Christi. Ergo verbum *est* in forma illa significat convertitur: ac proinde pronomen *hoc* demonstrat panem con vertendum in corpus Christi.

Resp. Neg. anteced. Nam non significat illam propriè & formaliter, sed ad summum consecutivè seu consequenter. Forma enim consecratoria panis significat formaliter & propriè solam realem præsentiam corporis Christi sub specie panis; unde illam proximè & immediatè efficit, quatenus determinat Deum ad corpus Christi reproducendum sub specie panis, & consequenter ad destruendam substantiam panis, cùm duæ substantiæ non possint esse sub iisdem accidentibus. Unde corporis Christi reproductio est natura, vel saltem ratione prior substantiæ panis destructione, quam exigit.

Obj. 4. In formis Eucharistiæ pronomen *hoc* demonstrat speciem panis, & pronomen *hic* speciem vini. Ergo.

Resp. Neg. anteced. Alioqui enim illæ formæ essent falsæ: nam species panis non est corpus Christi, nec species vini est sanguis Christi.

Porro verba consecratoria sumi debent in sensu proprio: in sensu autem proprio sumpta significant præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.

CAPUT IV.

De præsentia reali Christi in Eucharia, & ejus præsentiæ modo.

ARTICULUS I.

Utrùm in Sacramento Eucharistiæ verè & realiter contineatur corpus & sanguis Christi.

Nota. REalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia negarunt. 1. Joannes Erigena natione Scotus, vulgò dictus Joannes Scotus sæculo nono, qui primus verba Christi ad sensum metaphoricum detorsit. 2. Berengarius, Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus circa annum 1050. qui hanc hæresim ex lectione libri à Joanne Scoto scripti haustam retractavit in Conc. Romano. 3. Petrus Bruis & Henricus quidam duodecimo sæculo. 4. Sæculo XIII. Colonienses dicti Apostolici, & Albigenses, omnes Manichæismi erroribus irretiti. 5. Sæculo XV. auctor sectæ flagellantium, & Wicleffus. 6. Denique sæculo XVI. Carolstadius Archidiaconus Wirtembergensis, Zuinglius Tigurinus Pastor, Oecolampadius ex Monacho Birgittano Apostata, & Joannes Calvinus.

§. I.

Dico. In Sacramento Eucharistiæ verè realiter, & substantialiter continetur corpus & sanguis Christi. Est de fide.

Prob. 1. Ex cap. 6. Joannis, ubi Christus promittit se daturum suam carnem in cibum, & suum sanguinem in potum verè ac realiter sumendum. Nam ibi sic ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam . . . . Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quibus verbis Christus promittit carnem suam ut manducandam, & sanguinem suum ut bibendum, non sub propriis speciebus: nam caro & sanguis Christi sub propriis speciebus non possunt habere rationem cibi & potus. Igitur Christus promittit carnem ut manducandam sub specie alimenti corporalis, nempe

nempe panis, & sanguinem potandum sub specie liquoris confortantis, nempe vini.

Quòd autem hæc Christi verba accipi debeant in sensu proprio, constat 1. Quia nulla est necessitas illa accipiendi in sensu metaphorico. 2. Quia cùm Judæi litigarunt inter se, existimantes Christum locutum esse de reali manducatione suæ carnis, juxta illud: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Christus hanc cogitationem non evellit, sed confirmat realem ac propriam manducationem carnis suæ: *Amen, amen dico vobis,* inquit, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, &c.* Item ipsis discipulis scandalum patientibus, ac murmurantibus eo quòd putarent Christum loqui non solùm de carne sua propriè & realiter manducanda, sed etiam comedenda more communi & carnali, in frusta scilicet divisa, juxta illud: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christus confirmat se daturum suam carnem propriè & realiter manducandam, licet non communi modo, confirmat, inquam, miraculo suæ Ascensionis: *Hoc vos scandalizat,* inquit, *si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* & corrigit solùm opinionem illorum de modo illo carnali ac communi edendi carnem suam, passusque est multos ex discipulis suis à se discedere ex occasione verborum suorum de carnis suæ manducatione. Quod tamen facilè impedire potuisset, explicando verba sua de manducatione impropria & metaphorica per solam fidem, si de hac intellexisset. 3. Quia Patres apud Bellarminum, & Concilia Ephesinum, Nicænum II. & Trident. hæc Christi verba intellexerunt in sensu proprio.

Prob. 2. Ex verbis quibus Christus Eucharistiam instituit, Matth. c. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit; ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; accipite & comedite, hoc est corpus meum: & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Similia leguntur Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. c. 11.

Quæ Christi verba in sensu proprio clarè significant realem præsentiam corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. In sensu autem proprio sumenda esse constat.

1. Ex hac regula interpretandi Scripturam receptissima, & à S. Augustino, l. 3. de Doctrina Christiana, c. 10. tradita, nempe verba Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio nisi obstet Scriptura contraria, (*sub qua intellige etiam Traditionem*) aut evidens aliquod absurdum ex eo sequatur. Enim verò si Scriptura posset pro cujusque arbitrio ad metaphoricos sensus detorqueri, nihil ex ea certi haberi posset, & ipsa Scriptura esset errorum omnium seminarium, at neutrum dici potest: nam neque afferri potest ulla Scriptura contraria præsentiæ reali Christi, imò in eam conspirant Evangelistæ & Paulus, qui Eucharistiæ institutionem referunt absque ullo sensus figurati indicio, & semper utuntur verbo *est*, & nominibus corporis ac sanguinis. Neque etiam ex hac reali præsentia Christi absurdum aliquod, sed potius ex ea sequitur maxima divinæ bonitatis, sapientiæ & omnipotentiæ commendatio.

2. Quia Christus per hæc verba privatim de re gravissima instruebat Apostolos

ſtolos ſuos, homines rudes ac ſimplices, quibus, vel myſteria clarè proponebat, vel obſcurius dicta continuo explicabat, eosque alloquebatur eo tempore ac loco, quo minimè oportebat eum obſcurè ac tropicè loqui, videlicet cum primùm tanti Sacramenti participes efficiebat Apoſtolos, quos proinde neceſſe erat planè intelligere, quid eis daretur, ut illud cum debito affectu ſuſciperent.

3. Quia Apoſtolus poſtquam Euchariſtiæ inſtitutionem eodem quo Evangeliſtæ modo retulit, inde concludit ea, quæ neceſſariò realem præſentiam corporis & ſanguinis ſupponunt, ſic enim ait, 1. Cor. c. 11. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe ipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Igitur ex Apoſtolo, qui Euchariſtiam indignè ſumit, reus eſt, non figuræ corporis & ſanguinis Chriſti, ſed ipſius corporis & ſanguinis; quia nempe indignè recipit corpus & ſanguinem Domini, non verò ſolùm utriusque figuram. Et verò ſi qui indignè tractant figuram corporis & ſanguinis Domini, eſſent rei ipſius corporis & ſanguinis Chriſti. Judæi, qui olim Agnum paſchalem & manna indignè ſumebant, æque dici debuiſſent rei corporis & ſanguinis Domini, cùm illa duo eſſent figuræ Chriſti: quod eſt abſurdum.

Iem ex Apoſtolo qui Euchariſtiam indignè recipit, judicium ſibi manducat, quia non diſcernit corpus Domini, ſed eam ſumit tamquam panem materialem. Quæ omnia clarè oſtendunt in Euchariſtia ſumi verè ac realiter corpus & ſanguinem Chriſti, non meramfiguram corporis & ſanguinisejus.

4. Ex perpetua & conſtanti Traditione, quæ ſemper hæc Chriſti verba intellexit in ſenſu proprio, ut jam oſtendi.

Prob. 3. Ex perpetua Traditione, cujus teſtes ſunt Patres & Concilia. Horum teſtimonia à tempore Apoſtolorum per ſingulas ætates apud Bellarminum digeſta reperies. Ex innumeris textibus, qui proferri poſſunt, hi ſufficiant.

Primo ſæculo. S. Ignatius Martyr, Epiſt. ad Smirnenſes apud Theodoretum, Dialogo. 3. Sic ait de hæreticis ſui temporis: *Euchariſtiam & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.*

Secundo ſæculo. S. Juſtinus, Martyr, Apolog. 2. prope finem, ſic de Euchariſtia loquitur: *Non enim ut communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus ſervator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ad eumdem modum etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipſo profectis gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus.* Et S. Iræneus, l. 4. c. 34. *Eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini, & calicem ſanguinis*, & infra: *Quemadmodum qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti*, id eſt, ſpecie panis, & corpore Chriſti.

Tertio ſæculo. Tertullianus, lib. de reſurrectione carnis, cap. 9. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.*

S. Cyprianus eandem veritatem tradit, Serm. de lapſis.

Origenes, hom. 5. in diverso. *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito; Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ubi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.*

Quarto sæculo. S. Cyrillus Hierosf. Catechesi Mystagogica. 4. Postquam institutionem Eucharistiæ & verba Christi retulit, sic prosequitur: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, & dicente: hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum . . . . sola voluntate. Et non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset? quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub vini specie datur sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christipheri erimus, cùm ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus;* &c.

S. Ambrosius, lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum. Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi . . . . si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? . . . . non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est . . . . ergo didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.*

S. Chrysostomus, Hom. 60. ad populum Antiochenum. *Quot nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.* Et Homil. 51. in Matth. *Si volumus, ipsum totum habemus: non enim vestis solùm, sed corpus ipsius nobis propositum est; non ut tangamus solummodo, sed comedamus, &c.* lege totum.

Idem docent S. Athanasius, apud Theodoretum, Dialog. 2. S. Hilarius, lib. 8. de Trinit. S. Basilius, l. de Bapt. c. 2. S. Gregorius Naz. orat. 2. de Paschate, his adde Patres Concilii Nicæni I. ann. 18.

Quinto sæculo. S. Hieronymus, in c. 1. Epist. ad Titum.

S. Augustinus, l. 2. contra adversarium legis, c. 9. *Sicut mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus,* &c. Et in Psal. 33. Conc. I. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum,* ait: *hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis.*

Idem docet S. Leo M. Serm. 6. de jejunio 7. mensis. Adde Concilium Ephesinum quod approbavit explicationem 12. Anathematismorum contra Nestorium in Alexandrina synodo edidorum, factam à S. Cyrillo Alexandrino, in qua ad 11. clarè continetur fidei veritas de reali præsentia Christi in Eucharistia.

Sexto sæculo. S. Remigius Remensis Episcopus, in Commentario, cap. 10. Epi-

Epistolæ primæ ad Corinth. de pane consecrato à Sacerdote sic ait: *Licet panis videatur, in veritate corpus Christi est.*

Septimo sæculo. S. Gregorius magnus, Hom. 22. in Evangelia. *Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis; qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

Octavo sæculo. S. Joannes Damascenus, l. 4. Orthodoxæ fidei c. 14. *Dixit Deus: hoc est corpus meum, & hic sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem; atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur . . . . panis ac vinum & aqua per sancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.* Idem testatur Concil. Nicænum II.

Nono sæculo. Paschasius Corbejensis Abbas, in libro de corpore Domini, c. 1.

Decimo sæculo. Carnotensis Fulbertus Episcopus, vir doctrina & sanctitate illustris, in Epist. ad Adeodatum.

Undecimo sæculo. Sanctus Anselmus, in Commentario cap. 11. Epistolæ primæ ad Corinthios. Et Concilia multa contra hæresim Berengarii huic veritati oppositam, scilicet Romanum II. sub S. Leone IX. in quo excommunicatus est Berengarius: Vercellense multorum Episcoporum ex diversis mundi partibus coactorum, in quo Joannis Scoti liber contra realem Christi præsentiam in Eucharistia lectus & damnatus est. Berengarii hæresis damnata, & veritas opposita confirmata est, ut testatur Lancfrancus, in Coñentario adversùs Berengarium: Turonense anno 1055. aliud Concilium Romanum 113. Episcoporum, anno 1059. sub Nicolao II. & aliud Romanum sub Gregorio VII. in quibus duobus Conciliis Berengarius, abjurata hæresi, fidei professionem de præsentia reali Christi in Eucharistia cum jurejurando emisit.

XII. Sæculo, sanctus Bernardus in vita S. Malachiæ.

XIII. Sæculo. Præter S. Thomam, S. Bonav. & Scholasticos Doctores. Concilium generale Lateranense IV. c. 1. ubi ait. *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur: in qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altari, sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina.*

XIV. Sæculo. Præter Scotum, Durandum & alios Scolasticos, Concilium Generale Viennense, in decreto de festo corporis Domini, Clementina unica de reliquiis & venerat. sanctorum.

XV. Sæculo. Duo Concilia generalia Constantiense, & Florentinum. Constantiense, Sess. 15. damnavit has Joannis Wicleffi & Joannis Hus propositiones. *Sicut Christus est simul Deus & homo, sic hostia consecrata est simul corpus Christi ad minimum in figura, & verus panis in natura: vel quod idem sonat, verus panis naturaliter, & corpus Christi figuraliter. Securè denuncio modernis hæreticis, quod non possunt declarare, nec intelligere accidens sine subjecto. Sicut Joannes figuraliter fuit Elias, & non personaliter: sic panis in altari figuraliter est corpus Christi; & absque ambiguitate, hæc est figurativa locutio, hoc est corpus meum, sicut ista, Joannes est Elias.* Florentinum verò, in decreto unionis Græcorum definit, *in azymo, sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraci-*

ter

ter confici. Et in decreto pro Armenis ait: *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia carnis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.*

XVI. Denique sæculo. Concilium Tridentinum generale, Sess. 13. c. 1. & Can. 1. ubi ait: *Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; Anathema sit.*

Ex his omnibus fieri potest hoc præscriptionis argumentum. Illud dogma est verum & à Deo revelatum, quod semper creditum fuit in Ecclesia. At dogma de reali præsentia Christi semper creditum fuit in Ecclesia, ut patet ex dictis. Ergo hoc dogma est verum & à Deo revelatum. *Major constat:* nam dogma quod semper creditum fuit in Ecclesia, certissimè ab Apostolis traditum fuit, ideoque verum & à Deo revelatum est.

§. II.

Solvuntur Objectiones petitæ ex Scriptura.

Obj. 1. Si corpus & sanguis Christi sunt realiter in Eucharistia, maximè quia Christus utrumque daturum esse se promisit, *Joann. c. 6.* At hoc ibi non promisit. Ergo.

Resp. 1. Etiamsi realis præsentia Christi in Eucharistia ex illo capite probari non posset, tamen adhuc sufficienter & efficaciter ostenditur ex verbis, quibus Christus Eucharistiam instituit, *Matth. c. 26.*

Resp. 2. Neg. min. Nam in tertia parte capitis illius sexti, quæ incipit à verbis istis (*panis, quem ego dabo &c.*) agitur de manducatione reali & orali corporis Christi, ut constat tum ex Patribus ad Bellarminum, & ex Conc. Trident. Sess. 13. c. 2. tum ex ipso contextu, ut probatum est.

Inst. 1. Christus hæc subjecit: *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Ergo priora Christi verba, nempe *panis quem ego dabo, &c.* figurata sunt. Ergo &c.

Resp. Neg. conseq. Nam (ut rectè docet Maldonatus) Christus his verbis (*caro non prodest quidquam*) non loquitur de carne sua, sed de hominibus carnalibus & carnaliter sentientibus. Quare hujus loci sensus est: Spiritus Dei est, qui excitat & dat fidem ac intelligentiam: homo carnalis non potest percipere divina mysteria. Et quia vos non spiritu Dei, sed sensu carnali vestro utimini, non potestis credere & intelligere; sicut Paulus, 1. Cor. c. 2. ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Quem sensum indicant verba Christi subjecta: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, hoc est, sunt de rebus divinis, spiritualibus, & ad animæ vitam conferentibus, non de carnalibus & caducis, ut exponit S. Chrysostomus. Homil. 45. in Joann.

Hanc expositionem probat Maldonatus 1. Ex Patribus antiquis, Tertulliano, Origene, Cyrillo Hierosol. & Chrysostomo, Hom. 46. in Joann. ubi ait: *Quomodo igitur ait* (Christus) *caro non prodest quidquam? non de sua carne dicit, absit; sed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur.*

2. Ex

2. Ex eo quòd quotiescunque in Scriptura, nomen *carnis* opponitur nomini *spiritus*, aut alteri idem significanti, accipitur non pro natura carnis, sed pro infirmitate & culpa, quæ nascitur ex humana carne, seu pro homine carnali, & agente ex naturæ corruptæ vitio.

Quòd si Christus de sua carne loquatur, sensus loci objecti est: caro præcisè sumpta à spiritu vivificante, nempe divinitate sibi unita, non habet vim spiritualiter vivificandi, sed hanc vim habet à spiritu seu divinitate sibi unita. Verba, id est, res & mysteria, quæ vobis proposui, nempe caro & sanguis meus sumenda, spiritus & vita sunt, id est, habent ratione divinitatis sibi unitæ virtutem vivificandi animam, ut exponunt Athanasius, Cyrillus, & Augustinus.

Inst. 2. Hæc Christi verba (*panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*) intelligi debent tantùm de Christo ut spiritualiter edendo per fidem. Ergo non significant realem manducationem, &c.

Resp. Nego anteced. Nam 1. Christus ibi promittit aliquid novi; item aliquid manducandum quod non manducaverunt Israelitæ in deserto, ut patet ex his ejusdem verbis: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem* (quem ego dabo) *vivet in æternum.* At Christus per fidem manducandus non erat quid novum, & sic eum in deserto multi Israelitæ manducaverant. Ergo. 2. Christus loquitur in futuro. At Christi manducatio per fidem, non erat tunc primùm futura: nam sic Christum manducaverant quicumque justificati fuerant ab exordio mundi; nemo enim justificari potuit sine aliqua fide in Christum. Item tunc multi Christum sic manducabant, nam tunc multi in eum credebant.

Inst. 3. Aliqui Catholici negarunt Christum hoc *cap. 6. Joannis* locutum fuisse de Eucharistia.

Resp. In hoc lapsi sunt, ex inconsideratione, & ut aliquas difficultates, quæ tamen facilè diluuntur, eluderent. Sed illis paucis Theologis oppono Patres, & Conc. Trident. Sess. 13. cap. 2.

Inst. 4. Hæc Christi verba (*nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.*) exponuntur à Clemente Alexandrino de verbo Dei, à Basilio de mystico adventu Christi, ab Hieronymo de Scripturis, à Bernardo de communicatione passionis Christi, &c. Ergo intelligi non debent de manducatione sacramentali, &c.

Resp. Nego conseq. Quia Patres illi tunc verba Christi non in sensu litterali, sed mystico exponunt, tamen sensum litteralem negant, qui sacramentalem & realem corporis ac sanguinis Christi manducationem exhibet. Neque enim sensus mysticus litteralem excludit, imò eum supponit. Et idem Scripturæ locus sæpe utrumque sensum habet. Sic cùm Apostolus dicit Jerusalem esse seu significare patriam cœlestem, non negat, imò supponit esse veram urbem terrestrem. Sensus quippe litteralis est id, quod per verba immediatè exprimitur; mysticus verò est id quod significatur per rem quam verba immediatè exprimunt.

Hoc autem familiare est Patribus eundem locum Scripturæ in litterali & mystico sensu exponere variis in locis. Sic supradicta Christi verba de reali manducatione corporis Christi exponunt Basilius, L. 1. de Bapt. c. 3. & Hieron. Ep. ad Hebidiam.

Inst. 5. Verba Christi, quæ Joannes; *cap. 6.* refert, dicta sunt integro anno ante passionem ejus, proindeque ultimam cœnam. Ergo illa verba intelligi non possunt de Eucharistia.

Resp. Nego conseq. Quia Christus Eucharistiam promittere potuit, & re ipsa promisit uno anno ante ejus institutionem.

Inst. 6. Christus, cap. citato non loquitur nisi de manducatione, quæ dat vitam. At sola manducatio spiritualis per fidem dat vitam. Ergo Christus de sola illa manducatione spirituali loquitur.

Resp. Nego min. Nam Sacramentalis manducatio quantum est ex se, vitam seu gratiam sanctificantem dat per modum causæ instrumentalis, quamvis fidem tanquam dispositionem exigat ad eam dandam. Itaque manducatio realis & sacramentalis dat vitam efficienter & instrumentaliter: manducatio verò spiritualis per fidem eam dat dispositivè, positis ponendis, sive est dispositio necessaria ad vitam recipiendam.

Porrò cùm Christus vitam æternam manducanti Eucharistiam promittit, subintelligitur conditio hæc, si dignè manducet.

Inst. 7. Sanctus Augustinus verba Christi, *cap. 6. Joann.* exponit de sola manducatione Christi per fidem, credendo ejus divinitatem & incarnationem, ut tract. 25. in Joann. *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti.* Et tract. 26. *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum manducat.* Ex eodem tractatu exponit verba Christi de manducatione Christi per charitatem, item per aggregationem ad corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia.

Resp. S. Doctor his locis verba Christi non litteraliter, sed mysticè explicat. At non intendit excludere realem & sacramentalem corporis Christi manducationem, quam alibi clarè tradit, & semper supponit, imo in citato tractatu 26. docet his verbis: *In hoc verò cibo & potu, id est, corpore & sanguine Domini, non ita est. Nam qui eam* (carnem Christi) *non sumit, non habet vitam, hanc utique æternam.* Et infra. *Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus* (per charitatem) *procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit.* Et tract. 27. sic ait: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Christi, & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus & bibamus.* Quid clarius?

Præterea cùm sanctus Augustinus dicit: *Ut quid paras dentes & ventrem: crede & manducasti;* non exponit verba illius capitis, quæ ad Eucharistiam spectant, sed ista: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Nam S. Doctor postquam hæc verba retulit, statim ista subjicit: *Hoc est ergo manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes & ventrem? &c.* Pro quo

Observa. Caput sextum Joannis tres partes complectitur. In prima agitur de pane materiali miraculosè multiplicato. In secunda Christus ex eo, quod Judæi hunc materialem panem quærebant, & idcircò Christum sequebantur, loquitur de se ipso ut pane spirituali per fidem manducando, id est, per fidem comparando, nempe credendo ejus divinitatem & incarnationem. Ex hac autem manducatione spirituali per fidem transit Christus ad sacramentalem comestionem suæ carnis sub panis speciebus, sermone, ut fit, ex alio in aliud devoluto: & tunc incipit

cipit tertia pars sermonis ad Eucharistiam spectans, à verbis istis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Ubi cùm Christus loquatur de futuro, significat se daturum carnem suam alio modo, quàm per fidem manducandam: nam manducatio Christi per fidem aliquam est omnium temporum, & multa tunc in Christum credentibus jam concessa fuerant.

Dices. Sanctus Augustinus, Lib. 3. de doctrina christiana, c. 16. ait: *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est: nisi manducaveritis,* inquit, *carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem: non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere; figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter reconden dum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit.*

Resp. S. Doctor solùm vult, hæc Christi verba non esse intelligenda crassè, & prout prima fronte sonare ru dioribus videntur de comestione sui cor poris facienda modo carnis proprio & vulgari nempe sub propria specie, & per partium divisionem ac masticationem: in quo sensu (ut ipse testatur tract. 27. in Joann.) Capharnaitæ & quidam ex Christi discipulis intellexerant, quemque solum vult excludere. Neque enim unquam negat ea in sensu litterali accepta de manducatione sacramentali carnis Christi sub speciebus panis sine illius divisione ac cæsione, & modo quodam spirituali facienda. Enim verò ex S. Augustino verba Scripturæ in sensu proprio intelligi debent, quando illa flagitium non suadent nec jubent. At flagitium solùm esse potest in comedenda Christi carne modo carnis proprio & ordinario, nempe per Christi occisionem, lacerationem ejus carnis, &c. Nullum verò esse potest in comedenda ejus carne sacramentaliter sub aliena specie, & modo quodam spirituali & sine illius divisione. Nam hanc manducationem sacramentalem clarè admittit pluribus locis.

Cùm autem S. Doctor dicit hæc Christi verba intelligenda esse de communicatione passionis ejus: juxta Bellarminum solùm vult sumendam esse Christi carnem sacramentaliter in memoriam passionis & mortis Domini, ut præscribit Paulus, *1. Cor. c. 11.*

Præterea S. Augustinus non intendit omnem alium sensum excludere, sed solùm carnalem: ad quem excludendum sufficiebat sensus mysticus.

Nota. Cùm Christus dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est:* per panem intelligitur cibus, juxta illud quod inferius dixit: *caro mea verè est cibus:* non verò intelligitur panis materialis.

Obj. 2. Hæ propositiones (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) sunt figuratæ sicut istæ: *ego sum vitis vera, ego sum ostium, Joannes est Elias, petra erat Christus.* Ergo non significant realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

Resp. Nego antec. Ratio disparitatis est, quia in his propositionibus allatis, est repugnantia seu incompossibilitas subjecti cum prædicato, quæ proinde per verbum *sum* in sensu proprio sumptum absolutè conjungi non possunt: & sic propositiones allatæ in sensu proprio sunt evidenter falsæ. At in illis propositionibus Christi (*hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*) nulla est repugnantia prædicati cum subjecto, nam non dicitur, panis est corpus meum, vinum est sanguis meus:

sed hoc, id est, res sub his speciebus contenta est corpus meum, est sanguis meus: in quo nulla est repugnantia.

Obj. 3. Christus in institutione Eucharistiæ locutus est Hebraicè vel Syriacè. Et in lingua Hebraica non invenitur verbum *significo*: unde in veteri testamento loco illius, semper usurpatur verbum *sum*. Ergo in propositionibus Christi verbum *est* sumitur pro *significat*.

Resp. 1. Nego 2. part anteced. Nam in Genesi verbum *significat*, vel *est signum* pluries reperitur.

Resp. 2. Nego conseq. Nam etiamsi hebraica lingua careret verbo *significo*, non idcirco verbum *est* semper pro verbo *significat*, sumeretur, sed tantum aliquando pro subjecta materia. Jam verò Christus per verbum quod usurpavit, intellexit tò *est*, non tò *significat*, alioqui Paulus & Evangelistæ illud Græcè non reddidissent per verbum *est*, sed ad removendum à fidelibus idololatriæ periculum & ad Ecclesiam in re tanti momenti rectè instruendam uti debuisset verbo *significat*, quo non caret græca lingua.

Obj. 4. Christus quando dixit: *Hoc est corpus meum*; loquebatur de eo, quod in manibus habebat. Sed panem in manibus habebat. Ergo.

Resp. Disting. maj. Loquebatur de eo quod in manibus habebat, completa propositione *conc. maj.* Ante completam propositionem, *nego maj.* Christus autem completa propositione & prolata ultima syllaba corpus suum non panem habebat in manibus, nam completa propositione practica efficit quod significat.

Inst. Si pronomen *hoc* significasset corpus Christi, propositio fuisset identica. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam ad tollendam identitatem propositionis sufficit diversus significandi modus: alioqui omnes propositiones affirmativæ essent identicæ.

Obj. 5. Illud, 1. Cor. c. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.*

Resp. Panis ille est panis consecratus, ideóque conversus in corpus Christi, remanentibus tantum speciebus panis, sub quibus totum continetur. Corpus autem Christi frangitur in Sacramento, non ratione sui, quasi pars à parte divellatur, sed ratione specierum quæ franguntur, quarum singulis fragmentis subest totum corpus Christi, & à quibus fractis corpus Christi extrinsecè denominatur fractum.

Obj. 6. Ibidem dicitur: *Patres nostri .... omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Ergò non manducamus Christum nisi per fidem sicut Israelitæ manducaverunt.

Resp. Nego conseq. Nam sensus est, Israelitas eandem inter se escam spiritualem manducasse, non eandem nobiscum, ut patet ex contextu. Nec obstat, quòd S. Augustinus tract. 26. in Joann. dicat Judæos eandem nobiscum escam comedisse; quia hunc Apostoli locum non litteraliter, sed mysticè exponit.

Porro ibi Paulus loquitur de manna, quod erat figura Eucharistiæ. Dici autem possunt Israelitæ eandem nobiscum escam manducasse, sed analogicè tantùm, quatenus illi figuram manducaverunt, nos rem figuratam manducamus.

Obj. 7. Luc. 22. Christus dicit: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Et 1. Cor. c. 11. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* At utraque propositio sumi debet figuratè:

Ergo

Ergo & ista, Matth. c. 26. *Hic est sanguis meus.*

Resp. Nego min. Nam in utraque propositione verbum *est* non sumitur pro *significat*, sed in sensu proprio. Nam calix, hoc est, id quod in calice continetur, est verè ac propriè testamentum novum, quod Christus in sanguine suo sanciebat.

Equidem vox *calix* sumitur figuratè seu metonymicè, nempe ut continens pro contento; sed non ideò ipsa propositio figuratè sumitur: alioqui hæc propositio, *Verbum caro factum est*, ubi caro figuratè nempe synecdochicè sumitur pro homine, sumi deberet figuratè, non in sensu proprio: ac proinde significaret verbum non esse propriè hominem.

Inst. 1. Calix, seu id quod continetur in calice, non est sanguis Christi, alioqui hæc verba (*hic calix novum testamentum est in meo sanguine*) haberent hunc sensum absurdum: sanguis est in meo sanguine.

Resp. Nego. Nam sensus illorum verborum est: hic calix, seu hæc res in calice contenta, est instrumentum, quo jus ad hæreditatem à Deo promissam hominibus rectè dispositis applicatur, consistens in meo sanguine. Horum autem verborum Matth. c. 26. (*Hic est sanguis novi testamenti*) sensus est, hic est sanguis meus, quo sancitur voluntas & promissio Dei testatoris seu testantis.

Porro hæc vox *testamentum* sumitur dupliciter secundùm usum communem & proprium: nempe 1. pro voluntate seu promissione testatoris. 2. Pro authentico instrumento, quo continetur voluntas seu promissio testatoris: vel quo applicatur nobis jus ad hæreditatem à testatore promissam. Item testamentum sumitur pro fœdere, seu pro voluntate fœdus sancientis, & pro authentico instrumento sanciti fœderis. Itaque Eucharistia est præcipuè & specialiter testamentum, tum quia jus ad hæreditatem nobis applicat: tum quia realiter continet Christi sanguinem, quo in passione effuso, sancitum est novum testamentum.

Inst. 2. Ex Luc. 22. Id quod datur in calice, funditur. Nam in textu græco sic legitur: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur.* At sanguis Christi non funditur realiter in Eucharistia, cùm venis inclusus maneat. Ergo.

Resp. Verbum *funditur* significat hìc effusionem faciendam in cruce: quæ quidem per præsens tempus exprimitur, quia proximè futura erat, & moraliter jam præsens erat. Quare vulgata interpres usus est tempore futuro *fundetur.*

Obj. 8. Ex Scriptura. Christus accepit panem, benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicens: *hoc est corpus meum.* Ergo id quod dabat Christus, erat panis realiter, & corpus Christi tantùm figuratè.

Resp. Nego conseq. Quia ad veritatem horum omnium sufficit & requiritur, ut id quod Christus discipulis suis dedit, fuerit panis ante consecrationem, & realiter corpus Christi post consecrationem ac vi illius.

Obj. 9. Postquam Christus, Matth. c. 26. dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* statim subjicit: *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Idem habetur, *Marc. 14* Ergo post consecrationem nihil est realiter nisi vinum.

Resp. Nego conseq. 1. Quia hæc verba (*dico autem vobis, non bibam, &c.*)

&c.) pertinent ad calicem vini, quem Christus immediatè post esum Agni Paschalis & ante Eucharistiæ confectionem Apostolis suis distribuit, non autem ad calicem consecratum, ut patet ex *Luc.* 22. Ubi duo calices in cœna Domini distinguuntur, unus post esum Agni, & ante consecrationem, alter verò post consecrationem; & verba objecta narrantur dicta fuisse à Christo ante consecrationem calicis. Quare Matthæus & Marcus verba illa suo loco non narrarunt, sed solus Lucas quocum aliter conciliari non possunt. 2. Quia etiamsi Christus hæc verba protulisset post consecrationem, illa referri deberent, non ad vinum consecratum, sed ad vinum antea potatum, vel quod erat adhuc super mensam; & sensus esset, se non bibiturum ampliùs vinum modo humano ad vires reficiendas. 3. Etiamsi hæc verba ad calicem consecratum referrentur, adhuc non obstarent veritati Catholicæ. Nam Eucharistia dici potest panis, & vinum seu genimen vitis, quamvis neutrius substantiam contineat; tum quia fit ex pane & vino tanquam materia transeunte, tum quia utriusque species retinet.

Obj. 10. Illud Matth. c. 26. *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Et illud Joann. cap. 14. *Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Et illud Marc. cap. ult. *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.*

Resp. Christus ut homo est solùm in cœlo visibiliter, seu sub specie propria ac visibili, & in suo statu naturali. Sed hoc non impedit, quominùs sit invisibiliter per reproductionem in statu extraordinario & supernaturali sub speciebus panis & vini consecratis. Primus autem textus significat, nos nunc Christum non habere in terris visibiliter, & secundùm eum statum in quo aliquid utilitatis corporalis accipere possit ab hominibus. Alii verò textus solùm significant Christum secundùm naturam humanam reliquisse mundum, & in cœlum ascendisse, ibique nunc esse, & inde visibiliter descensurum non esse ante diem judicii.

Obj. 11. Illud Matth. cap. 24. *Si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.*

Resp. Ibi Christus nos præcisè monet, ut impostores caveamus, qui se Christum vel prophetas mentientur.

Obj. 12. Illud. Matth. c. 15. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Sed corpus Christi in secessum non emittitur: ergo nec realiter in os intrat.

Resp. Verba illa Christi intelligi debent de cibis communibus, qui ad corpus nutriendum sumuntur, ex quibus id quod facta digestione superest, in secessum emittitur. Corpus autem Christi non est cibus communis, nec sumitur ad alendum corpus, sed ad sustentandam animam, eamque in amore Dei conservandam & augendam. Quod quidem licèt in os intret & in stomachum communicantis transmittatur, non tamen in secessum emittitur, quia corruptis in stomacho speciebus, absque ulla sui læsione, ibi desinit esse.

Observa. Vi horum verborum (*hoc est corpus meum*) solum corpus Christi ponitur sub specie panis, & vi istorum (*hic est calix sanguinis mei*) solus sanguis ponitur sub specie vini; non tamen idcirco Christus distrahitur. Nam propter naturalem concomitantiam, sub specie panis sunt cum corpore sanguis, anima & divinitas Christi, & sub specie vini sunt cum sanguine corpus, anima, & divinitas Christi: sicque Christus totus est sub utraque specie.

§. III.

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ ex Patribus.

Obj. 1. S. Ignatius Martyr, Epist. ad Philadelphienses ait: *Una est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est: & unus calix, qui pro omnibus nobis distributus est: unus panis, qui omnibus fractus est.* Ubi Eucharistiam à corpore & sanguine Christi distinguit.

Resp. Hic carnem Christi ut in cruce passam, & sanguinem ejus ut in cruce effusum distinguit ab Eucharistia, seu ab eadem carne & eodem sanguine ut positis sub speciebus panis & vini. Et rectè distinguit ob statuum & beneficiorum diversitatem, quæ ad distinctionem sufficit.

Obj. 2. Tertullianus, L. 1. contra Marcionem dicit, Christum corpus suum repræsentasse in pane. Et L. 4. c. 40. sic ait: *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei.*

Resp. Ad 1. verbum *repræsentasse* ibi significat exhibuisse; & sensus est, Christum corpus suum exhibuisse in pane, hoc est, panem in corpus suum convertisse. Sic idem Tertullianus, Lib. 4. contra Marcionem, eodem verbo utitur pro exhibere aliquid præsens, nam sic ait: *Itaque jam repræsentans eum, hic est filius meus dilectus.* Et verò verbum *repræsento* significat præsentem rem aliquam facere sive re ipsa, sive in signo aliquo seu imagine, ut constat ex Patribus & Cicerone. Quare hoc verbum ambiguum est, & ejus significatio ex subjecta materia vel ex circumstantiis determinari debet.

Resp. Ad 2. sensus est: Christus acceptum panem illum fecit corpus suum, dicendo: hic panis, qui olim fuit figura corporis mei, nunc consecratus, est corpus meum. Nam Tertulliauus ibi utitur metathesi, & verba illa (*figura corporis mei*) non conjungit cum his vocibus (*corpus meum,*) sed cum pronomine *hoc*, per quod pronomen demonstrat quidem panem communem, non qui remanet, sed qui mutatur.

Obj. 3. Origenem variis locis, nam;

I. Homil. 7. in Leviticum dicit: *Si enim secundùm litteram sequaris hoc, quod dictum est, nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, occidit hæc littera.*

Resp. Vult solùm verba illa non esse accipienda omninò ad litteram, id est, sine ulla adjunctione mysterii, sicut acceperunt Capharnaitæ, putantes edendam esse carnem Christi modo carnali & ordinario, per lacerationem & divisionem. Itaque verba illa Christi intelligi debent litteraliter, quoad substantiam manducationis, non autem quoad modum ordinarium manducationis carnis.

II. In cap. 26. Matthæi ait: *Panis iste, quem Deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum.*

Resp. Ibi prætermisso litterali sensu omnibus noto, exponit mysticè totum hunc locum, & per panem non intelligit panem materialem, sed doctrinam Christi.

III. L. 8. contra Celsum dicit: *Cum precibus & gratiarum actione pro beneficiis acceptis oblatos panes edimus.*

Resp. Non dicit nos panes simpliciter edere, sed panes mutatos in corpus Christi, nam sic ait: *Oblatos panes edimus, corpus sanctum quoddam per preces effectos, & sanctificans eos, qui cum sancto proposito ipso utuntur.* Dicit autem *quoddam*, quia noluit Ethnico apertè dicere corpus Christi,

sti, ne illi mysterium quod ignorabat irridendi occasionem daret, & aliundè probè sciebat Fideles intelligere corpus Christi.

IV. In cap. 15. Matthæi dicit 1. esum Eucharistiæ non prodesse, nec ejus omissionem obesse. 2. Cibum illum juxta id quod habet materiale in ventrem abire, & in secessum emitti. 3. Eucharistiam esse corpus typicum & symbolicum.

Resp. Ad 1. Origenes loquitur præcisè de esu corporali Eucharistiæ, abstrahendo à bonitate vel malitia sumentis: corporalis enim manducatio Eucharistiæ nihil prodest adultis sine spirituali manducatione per fidem & dilectionem tanquam dispositionem. Neque ejus omissio obest, si aliqua justa de causa omittatur Eucharistiæ sumptio, quia hæc omissio non est peccatum.

Ad 2. Per illud materiale quod in secessum emittitur, intelligit accidentia panis.

Ad 3. Eucharistia dicitur corpus typicum & symbolicum, quia nempe corpus Christi sub specie panis est symbolum sui ipsius, ut fuit in cruce: unde per Eucharistiam commemoratur passio ac mors Christi. Neque enim Origenes corpus illud typicum distinguit à vero Christi corpore, sed ipsum Christum, seu verbum incarnatum, prout extra Sacramentum spiritualiter manducatur per fidem, distinguit à corpore Christi typico simul & vero, sed in alio statu & sub aliena specie posito.

Cùm autem Origenes eodem loco dicit corpus Christi à peccatoribus manducari non posse, loquitur de manducatione spirituali per fidem & charitatem, quæ fit extra Sacramentum. Et verò Origenes, hom. 7. in lib. Numer. sic ait *Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea verè est cibus.*

Obj. 4. S. Chrysost. in Commentario in Psalm. 22. & in Epistola ad Cæsarium.

Resp. Utrumque hoc opus non est Chrysostomi, ut rectè probat Bellarminus.

Obj. 5. S. Augustinum multis locis; nam,

I. L. 29. contra Faustum, c. 21. dicit: *Hujus sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinem promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur.*

Resp. Ibi Eucharistiam vocat Sacramentum memoriæ cruenti sacrificii in cruce oblati; & rectè sic vocat. Nam corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini diversis, & seorsim existentibus posita, repræsentant, & sic in memoriam revocant cruentum sacrificium à Christo in ara crucis oblatum.

II. Epist. 23. ait: *Sicut secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est: Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei fides est.*

Resp. S. Doctor ibi loquitur de speciebus panis & vini, quæ sunt Sacramenta, id est, signa sensibilia corporis & sanguinis Christi sub illis existentium. Quæ quidem species sunt quodam modo corpus & sanguis Christi, nempe significatione seu repræsentatione: nam sunt signa sensibilia repræsentantia corpus & sanguinem Christi præsentia.

Nec obstat, quòd homines non soleant dicere species Eucharistiæ esse corpus Domini, nam neque dicere solent Baptismum esse fidem, & tamen Augustinus hoc dicit eodem loco, sed impropriè locutus est.

III.

III. Lib. 3. de Trinitate, c. 10. de Eucharistia loquens dicit: *Panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.*

Resp. Ibi per panem intelligit speciem panis, quam dicit consumi à sumente Eucharistiam.

IV. In Psalm. 98. ait: *Non corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos; & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.*

Resp. Sensus est, quòd non comedendum sit corpus Christi, quale ante passionem erat, in propria specie, & visibile ac mortale, sed manducandum est illud in aliena specie, invisibile, & impassibile. Similiter, quòd bibendus sit sanguis Christi in propria specie, qualis funderur à Judæis, sed in specie aliena. Sequentium verò verborum sensus est: mysterium aliquod commendavi vobis, nempe de carne mea manducanda; non est carnaliter intelligendum de carne manducanda modo vulgari, nempe in propria specie, & per divisionem ac lacerationem, sed de carne invisibiliter absque ulla læsione, verè tamen ac realiter comedenda.

Veritas hujus explicationis patet. 1. Quia Augustinus inducit ibi Christum respondentem iis, quibus (ut S. Doctor ait:) *durum visum* quod ait, *nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam: acceperunt illud stultè, & carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis.* 2. Quia ibidem paulò ante asserit Christum nobis dedisse in Eucharistia carnem suam verè manducandam, & quæ adorari debeat: *& quia,* inquit, *in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat nisi priùs adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

V. Lib. contra Adimantum, c. 12. ait: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum; cùm signum daret corporis sui.* Et in Psal. 3. dicit, quòd Christus Judam *adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit & tradidit.*

Resp. Eucharistia est verè ac realiter corpus & sanguis Christi, & simul signum ac figura, imago, typus, symbolum corporis & sanguinis Christi ut immolati in cruce, seu corporis Christi ut visibiliter crucifixi, & sanguinis ejus ut in cruce effusi ac separati à corpore. Nam corpus & sanguis Christi in Eucharistia, utpote posita sub alienis speciebus panis & vini, iisdemque diversis ac seorsim existentibus se ipsa ut in cruce immolata & separata fuerunt, verè exhibent.

Dices. Idem non potest esse sui ipsius signum & figura.

Resp. Disting. Sub eadem ratione ac consideratione, *conc.* sub diversa ratione & consideratione, *neg.* Nam eadem res uno modo considerata, potest esse signum ac figura sui ipsius alio modo consideratæ, ut patet hoc exemplo à Bellarmino adducto. Si Rex aliquis gravissimo bello confecto, idem ipsum bellum ad oblectandum populo in scena repræsentari vellet, & ipse idem qui verè pugnaverat, in scena se ipsum repræsentaret, esset ipse verè antitypon & repræsentatio sui ipsius. Imò, ut idem Bellarminus observat, Christus ipse non semel sub una

una ratione, dum viveret, fuit figura ſui ipſius ſub alia ratione. Sic cùm in monte coram Moyſe, & Elia, & Apoſtolis transfiguratus eſt, fuit figura ſui ipſius ut in cœlo ab omnibus veteris & novi teſtamenti ſanctis videndi.

Porrò S. Auguſtinus & alii Patres cùm Euchariſtiam vocant ſignum, ſemper intelligunt ſignum non nudum & vacuum, ſed plenum re ſignificata.

Obſerv. Euchariſtia igitur eſt ſignum & figura corporis ac ſanguinis Chriſti ut fuerunt in cruce; & Chriſtus in Euchariſtia eſt figura ſui ipſius ut fuit in cruce. Nam in cruce corpus ejus fuit immolatum & occiſum, atque à ſanguine ejus ſeparatum. In Euchariſtia autem corpus ejus eſt modo mortuo; & quantùm ad ſpecies panis ac vini ſeparatim exiſtentes, atque quantùm eſt ex vi verborum conſecrationis, ſeparatum à toto ejus ſanguine.

Obj. 6. Theodoretus, Dialog. 2. Orthodoxum inducit ſic reſpondentem: *Neque enim ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura; manet enim in priore ſubſtantia. & figura, & forma, & videri, & tangi poſſunt ſicut priùs: intelliguntur tamen ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur.*

Reſp. Juxta Bellarminum Theodoretus per naturam ibi intelligit naturam externam, quæ nil aliud eſt, quàm complexio accidentium, quibus res per ſe ſubſiſtens ſubeſt. Nam juxta Bellarminum Theodoretus duplicem naturam diſtinguit, unam internam, qua res per ſe ſubſiſtens in ſe conſtituitur; alteram verò externam, cui res per ſe ſubſiſtens ſubeſt, & à qua habet eſſe talis figuræ, formæ, coloris, &c. & quæ nihil aliud eſt quàm accidentia rei. Hanc, non illam, dicit manere in Euchariſtia.

Quidquid ſit de modo, quo Theodoretus hic naturam panis & vini ſumpſit, certum eſt illum ſenſiſſe panem & vinum vi conſecrationis fieri realiter corpus & ſanguinem Chriſti, ideoque ſubſtantiam panis & vini non remanere in Euchariſtia.

Obj. 7. Aliqui Patres dicunt impios non manducare corpus Chriſti in Euchariſtia.

Reſp. Solùm volunt impios non refici corpore Chriſti per gratiæ infuſionem, nam manducare aliquando ſumitur pro refici. At non negant ab impiis manducari realiter. Sæpe autem toti ſunt in interna ac ſpirituali manducatione ſeu refectione commendanda; eò quòd ſine illa nil proſit manducatio realis & externa. Pro quo

Obſerva. Ex Concil. Trid. Seſſ. 13. cap. 8. Euchariſtia ſumi poteſt tripliciter. 1. Sacramentaliter tantùm, ut à peccatoribus, 2. Spiritualiter tantùm ut à juſtis, qui fide viva per charitatem operante, Euchariſtiam ſumere, & Chriſto perfectè uniri cupientes, fructum Euchariſtiæ percipiunt ſine ſumptione reali. 3. Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter, ut à rectè diſpoſitis, qui Euchariſtiam realiter ſumunt.

Poteſt etiam ſumi materialiter ſeu realiter tantùm, non ſacramentaliter, ut à non baptizato.

Obj. 8. S. Ambroſius, lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. dicit eos bibere ſimilitudinem pretioſi ſanguinis Chriſti.

Reſp. Solùm vult nos ſumere ſanguinem, non in propria ſpecie ſanguinis, ne (ut ibidem ipſe ait) horror eſſet cruoris, ſed in ſpecie vini, quæ eſt ſimilitudo ſanguinis & quidem ut præſentis. Sic cùm dicitur Chriſtus offerri in imagine, ſenſus eſt offerri ſub figura & ſpecie alimenti, non ſub propria ſpecie ut eſt in cœlo. Cùm autem Ambroſius,

brosius, lib. 5. cap. 4. dicit: *Non iste panis est, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit:* sensus est, corpus Christi non converti in substantiam corporis nostri, more ciborum corporalium per nutritionem, sed animam reficere.

Porro aliqui alii Patres interdum obscurè, figuratè, mysticè, & minùs propriè de Eucharistia locuti sunt; tum quia volebant hoc mysterium infidelibus occultare; tum quia à fidelibus, ante exortas Sacramentariorum hæreses, in bono sensu intelligi se sciebant.

§. IV.

Solvuntur Objectiones petitæ ex ratione.

Obj. 1. Quando Christus dixit, *hoc est corpus meum*, demonstrabat id, quod antea acceperat, benedixerat, fregerat. Atqui panem acceperat, &c. Ergo panem demonstrabat. Ergo, &c.

Resp. Neg. maj. Nam Christus panem nondum consecratum acceperat: panem autem consecratum, & sua consecratione mutatum in suum corpus demonstrabat. Itaque id, quod Christus Apostolis dedit, erat ante consecrationem panis, & post consecrationem, ac vi illius corpus Christi.

Obj. 2. Quando Christus pronunciabat verba illa, *hoc est corpus meum*, intelligebat per pronomen *hoc* id, quod tunc in manibus tenebat. Sed tunc panem tenebat. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam Christus proferens verba ista (*hoc est corpus meum,*) intelligebat per pronomen *hoc* id, quod in manibus habebat in fine propositionis suæ, nempe corpus suum sub speciebus panis. Nam pronomen *hoc* in propositionibus practicis non demonstrat nisi id, quod fit per propositionem completam; & verba non habent suam significationem completam, nisi eo instanti, quo tota propositio completa est. In fine autem propositionis Christi id, quod sub speciebus existebat, erat non jam panis, sed corpus Christi. Quare cùm Christus proferebat vocem *meum*, loquebatur de eo, quod post verborum ejus prolationem mansurum erat, ideóque de eo quod incipiebat esse, non verò de eo quod esse desinebat.

Inst. Quando Christus pronunciabat pronomen *hoc*, antequam propositionem absolveret, tò *hoc* non significabat corpus suum. Ergo significabat panem: nam non datur medium.

Resp. Neg. conseq. Nam antequam Christus propositionem absolveret, pronomen *hoc* nullam determinatam sed vagam tantùm & indeterminatam significationem habebat: pronomen enim *hoc*, quando est subjectum propositionis, non significat aliquid determinatè, nisi quatenus ad significandum determinatur per propositionis prædicatum.

Obj. 3. Si Christus per hæc verba (*hoc est corpus meum*) voluisset convertere panem in corpus suum, dixisset, hoc fiat corpus meum: sicut dum creavit lucem, dixit, *fiat lux*, non autem, hæc est lux. Ergo.

Resp. Neg. anteced. Nam Christus per utramque locutionem potuit æquè operari, cùm nulli legi sit adstrictus; sicut per istam locutionem, Joann. c. 4. *Vade, filius tuus vivit,* tam operatus est quàm per hanc: *adolescens, tibi dico, surge.* Luc. 7. Itaque hæc locutio (*hoc est corpus meum*) isti (*fiat lux*) similis est in eo, quòd tam sit practica, & tam vim habeat efficiendi id quod significat: unde etiam similis est huic propositioni, hoc fit corpus meum. Hæ tamen duæ propositiones, non eundem, sed diversum sensum habent. Nam prior, nempe (*hoc est*

corpus meum) formaliter & directè significat realem corporis Christi præsentiam sub specie panis, & consecutivè tantùm conversionem panis in corpus Christi: posterior verò, nempe (*hoc fit corpus meum*) formaliter ac directè significat conversionem panis in corpus Christi, & consecutivè tantùm realem corporis Christi præsentiam sub specie panis. Quare verbum (*est*) in forma Eucharistiæ non significat *convertitur*, quamvis conversionem efficiat; & Sacerdos qui diceret, hoc fiat corpus meum, aut hoc convertatur in corpus meum, nihil efficeret, quia Christus instituit & jussit, ut verba formæ Eucharistiæ significarent formaliter ac directè realem præsentiam sui corporis sub specie panis, nec aliter consecraretur Eucharistia. Igitur cùm supradictæ propositiones habeant formalem ac directam significationem diversam, non sunt synonimæ.

Obj. 4. Corpus Christi non potest manducari manducatione reali & propriè dicta, sed solùm per fidem. Ergo

Resp. Neg. anteced. Nam quamvis manducari non possit modo carnali & vulgari per carnis divisionem ac masticationem, propriè tamen & verè ac realiter manducatur. Nam ut aliquid propriè ac verè manducetur, sufficit quod per instrumenta ordinaria, nempe linguam & palatum ab ore ad stomachum transmittatur. Quod fit respectu Eucharistiæ.

Porrò Eucharistia ratione solarum specierum dicitur frangi, dividi, dentibus atteri.

Obj. 5. Idem non potest esse sui ipsius commemoratio. At Eucharistia est commemoratio Christi, juxta illud, *hoc facite in meam commemorationem*. Ergo.

Resp. Disting. maj. Sub eodem respectu & statu, *conc. maj.* Sub diverso respectu & in diverso statu, *nego maj.* Eucharistia est equidem commemoratio passionis & mortis Christi, & fit ac sumitur in memoriam passionis Christi. Nam hæ verba (*in meam commemorationem*) significant commemorationem passionis ac mortis Christi, juxta illud 1. Cor. cap. 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Sed hoc non impedit realem præsentiam Christi in Eucharistia; quia Christus invisibiliter præsens sub speciebus diversis & seorsim existentibus potest esse, & est commemoratio sui ipsius ut patientis & morientis in cruce, & sumi potest in memoriam passionis & mortis suæ: nam eadem res potest sub uno statu excitare sui ipsius memoriam sub alio.

Obj. 6. Si Apostoli intellexissent verum Christi corpus sibi dari edendum, re tam prodigiosa perturbati fuissent, eamque perturbationem statim declarassent. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Neg. seq. maj. Nam jam ab anno fuerant à Christo ea de re instructi, cùm Christus, *Joann. c. 6.* eis corpus suum se daturum manducandum promisit; & aliundè lumine supernaturali illustrabantur, ut tantum mysterium simpliciter crederent, & debito affectu colerent.

Obj. 7. Idem corpus non potest esse simul in pluribus locis. Ergo corpus Christi, quod est in cœlo, non potest esse in Eucharistia.

Resp. Neg. anteced. Cujus falsitas probatur in Philosophia, ad quam pertinet hæc quæstio.

Obj. 8. Si Christus reproducitur in Eucharistia, quotidie à Sacerdote fit Deus homo, item quotidie corpus Christi generatur per consecrationem. Absurdum utrumque consequens, ergo & antecedens.

Resp.

Resp. Neg. sequel. maj. Nam Christus Deus homo à Sacerdote secundùm corpus non fit simpliciter & absolutè, sed tantùm secundùm quid: quod enim jam existit, non potest fieri absolutè & simpliciter. Igitur Christus secundùm corpus à Sacerdote fit tantùm secundùm quid, quatenus corpus Christi in statu suo naturali existens in cœlo, à Sacerdote per verba consecrationis ponitur in novo loco, in quo non erat antea, nempe sub speciebus panis & vini. Ponitur autem à Sacerdote moraliter tantùm, quatenus Sacerdos per verba consecrationis determinat Deum ad reproducendum corpus Christi sub speciebus panis & vini.

Item corpus Christi non generatur per consecrationem: nam non fit ex pane tanquam materia præexistente & componente, sed ut termino à quo.

ARTICULUS II.

Utrùm substantia panis & vini remaneat in Eucharistia post consecrationem?

Nota. LUtherus, qui priùs liberam reliquerat transsubstantiationis fidem, postea sententiam mutavit; sic enim contra Henricum VIII. Angliæ Regem scribit anno 1522. *Nunc transsubstantiare volo sententiam meam, & dico, antea posui nihil referre sive sic sive sic sentias de transsubstantiatione: nunc autem decerno impium & blasphemum esse, si quis dicat panem transsubstantiari.* Quare sensit substantiam panis & vini simul cum corpore & sanguine Christi esse in Eucharistia. Ita etiam sentiunt Lutherani.

Dico. In Sacramento Eucharistiæ non remanet substantia panis & vini unà cum corpore & sanguine Christi, sed tota convertitur in corpus & sanguinem Christi. Est de fide.

Prob. 1. Ex his verbis Christi, Matth. cap. 26. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Quæ verba (ut modò probatum est & fatentur Lutherani) verè ac propriè demonstrant corpus & sanguinem Christi, non verò solam illorum figuram vel virtutem. Unde sic argumentor. Si substantia panis & vini non convertatur in corpus & sanguinem Christi, hæc Christi verba erunt falsa. Falsum conseq. Ergo *Prob. seq. maj.* Nam sensus illorum verborum hic erit: hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus. At falsum est panem esse corpus Christi & vinum ejus sanguinem. Ergo. *Major constat*, tum quia pronomina *hic* & *hoc*, demonstrant substantiam sensibiliter præsentem ideóque demonstrabunt substantiam remanentem panis & vini, utpote solam juxta adversarios sensibiliter præsentem: tum quia pronomen *hic*, vel *hoc* non demonstrat nisi substantiam ex natura sua substratam iis accidentibus quæ indicantur, quandiu illa substantia iis accidentibus subest.

Igitur verus sensus hujus propositionis (*hoc est corpus meum*) est iste: hæc res, quæ continetur sub speciebus panis, non est ampliùs panis, sed est corpus meum.

Prob. 2. Ex Patribus apud Bellarminum pro omnibus sint S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. *Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in cœna Galilææ, sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutasset?* S. Ambrosius, l. de initiandis c. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur?* Nomine benedictionis

intelligit consecrationem. Et S. Damascenus, lib. 4. Orthodoxæ fidei, c. 14. *Panis, ac vinum & aqua per sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.*

Prob. 3. Ex Conciliis. Et 1. ex Concilio Romano sub Nicolao II. in quo Berengarius hæresim oppositam damnare coactus est, ut testatur Lanfrancus qui Concilio adfuit; & altero Romano sub Gregorio VII. in quo idem Berengarius professus est se credere, *Panem & vinum, quæ ponuntur in altari, in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Jesu Christi substantialiter converti per verba consecratoria, & ita post consecrationem esse verum corpus & sanguinem Christi.*

2. Ex Concil. generali Lateranensi IV. c. 1. ubi dicitur: *Idem ipse Sacerdos & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina.*

3. Ex Conc. Florent. suprà laudato.

4. Ex Conc. Trident. Seff. 13. Can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cùm corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, Anathema sit.*

Ex quibus patet Christum non esse præsentem in Eucharistia per unionem panis cum corpore Christi vel cum verbo; nam unio non est conversio.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Verba Christi (*hoc est corpus meum*) vera sunt, licet panis non mutetur in Corpus Christi. Ergo. *Nego antecedens, probatur.* Hæc propositio de Christo facta (hic homo est Deus) vera est sine conversione humanitatis in divinitatem & hominis in Deum. Ergo similiter propositio ista (*hoc est corpus meum*) vera est sine conversione panis in corpus Christi.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia in hac propositione (*hic homo est Deus*) propter solam unionem hypostaticam verbi cum natura humana subjectum & prædicatum supponunt pro eodem in recto, nempe pro supposito verbi, ita ut sensus sit: hoc suppositum habens humanitatem, est suppositum habens divinitatem. At in ista propositione (hic panis est corpus meum) subjectum & prædicatum non supponunt pro eodem sed pro diversis & disparatis rebus: unde propositio est falsa; nam propositio affirmativa non potest esse vera, nisi subjectum & prædicatum supponant, seu accipiantur pro eodem saltem in recto, ut patet. Quemadmodum igitur falsa est hæc propositio, humanitas est divinitas: sic & ista, panis est corpus meum; quia nempe rectum prædicati & subjecti non est idem in utraque propositione.

Obj. 2. Hæc propositio de lagena vini (hoc est vinum) vera est sine conversione lagenæ in vinum. Ergo similiter ista Christi (*hoc est corpus meum*) vera est sine conversione panis in corpus.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia secundùm communem hominum usum, ostenso continente demonstratur contentum, pro quo sæpe sumitur continens. Sic cùm dicitur de lagena, hoc est vinum; sensus est: id quod continetur in lagena, est vinum. At panis & vinum non sunt aliquid institutum ad aliud continendum: unde

sumi

ſumi non poſſunt pro alia re contenta: nam ridicula eſſet hæc propoſitio de pane, in quo duplio occultaretur, hoc eſt duplio.

Inſt. Chriſtus inſtituit panem ad corpus ſuum continendum. Ergo.

Reſp. Neg. anteced. Quia 1. Nullum eſt fundamentum id aſſerendi. 2. Chriſtus proferens hæc verba (*hoc eſt corpus meum*) debuit loqui ſecundùm communem uſum hominum, & acceptionem uſitatam; cùm tunc Sacramentum inſtitueret, teſtamentum conderet, fœdus iniret & præcipuum fidei dogma ſtatueret; alioqui non intelligeretur, & daretur occaſio errandi in re graviſſimi momenti. At panis aut vinum non eſt vas inſtitutum ad continendum corpus & ſanguinem Chriſti. 3. Chriſtus hanc inſtitutionem tam inſolitam & minùs convenientem debuiſſet clarè exponere, quod nusquam fecit. 4. Hoc repugnat conſtanti Traditioni Eccleſiæ, cujus eſt verum Scripturæ ſenſum exponere.

Obſerva. Ex Bellarmino in propoſitionibus de re continente & re contenta, pronomen *hoc* poteſt demonſtrare alterutram, modò tamen unica ſit res contenta. Sic de crumena auro plena, verè ac rectè dicitur, hoc eſt crumena, vel hoc eſt aurum. Secùs, ſi plures res continentur: nam tunc pronomen *hoc* neutram rem contentam, ſed ſolam rem continentem demonſtrare poteſt. Sic de crumena, in qua ſit aurum cum argento, dici verè non poteſt ſimpliciter, hoc eſt aurum: quia ſecundùm communem loquendi uſum, qui rem contentam per pronomen *hoc* demonſtrat, unam tantùm rem cum excluſione cujuscumque alterius demonſtrat. Quare ſi cùm Chriſtus dixit, *hoc eſt corpus meum*, corpus & panis ſimul fuiſſent, falſa eſſet hæc Chriſti propoſitio; ſed Chriſtus debuiſſet dicere: hoc non eſt ſolùm panis, ſed etiam corpus meum; vel, hìc, id eſt, in hoc pane eſt corpus meum.

Obj. 3. Si ad veritatem horum Chriſti verborum (*hoc eſt corpus meum*) neceſſaria ſit tranſubſtantiatio, ſeu mutatio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, neceſſaria quoque eſt transaccidentatio, ſeu mutatio accidentium panis in corpus Chriſti. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia in allata propoſitione Chriſti pronomen *hoc* non demonſtrat accidentia, ſed ſubſtantiam quæ ſubeſt accidentibus; nec propoſitionis ſenſus eſt, hoc accidens (putà albedo) vel hoc album eſt corpus meum; ſed ſenſus; ſubſtantia ſubſtans huic accidenti v. gr. quantitati eſt corpus meum. Unde ad veritatem hujus propoſitionis requiritur tantùm, ut pro ultimo inſtanti quo completur, ſubſtantia ſubſtans huic accidenti ſit re ipſa corpus Chriſti, ac proinde ut pro eodem inſtanti panis mutetur in corpus Chriſti.

Obj. 4. Euchariſtia ſæpe in Scriptura vocatur panis, ut 1. Cor. cap. 10. *De uno pane participamus.* Et c. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc . . . itaque quicumque manducaverit panem hunc . . . . indignè, reus erit, &c.* Ergo in Euchariſtia remanet panis.

Reſp. Nego conſeq. Itaque Euchariſtia rectè vocatur panis, quamvis ſubſtantiam panis non contineat. 1. Quia ex pane facta eſt: nam in Scriptura res, quæ fit per converſionem alterius in ipſam, ſæpe vocatur nomine rei converſæ & deſtructæ. Sic Joann. cap. 2. aqua in vinum converſa nominatur aqua poſt converſionem, juxta illud: *Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam.* Et Exod. c. 7. virga converſa in colubrum, poſt converſionem vocatur ſimpliciter

pliciter virga: *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* 2. Quia habet species & apparentias panis. Nam Scriptura sæpe vocat res nomine rerum, quarum apparentiam ac similitudinem habent. Sic *Genes. cap. 18.* & *Actor. cap. 1.* Angeli appellantur viri, quia sub specie humana apparuerunt. 2. Quia Eucharistia est cibus animæ nostræ. In Scriptura autem cibus omnis præsertim solidus vocatur panis. Sic *Psal.* 77. manna dicitur panis ab Angelis factus, *panem Angelorum manducavit homo.* Denique quia Eucharistia specialem quandam habet cum pane analogiam. Nam sicut panis corpus reficit; ita Eucharistia animam reficit, & ad animæ refectionem ex se ordinatur.

Obj. 5. Quando Christus dixit, Joann. cap. 6. *Ego sum panis*, verum dixit, & tamen non mutavit se ipsum in panem. Ergo à pari, &c.

Resp. Christus non dixit simpliciter, *ego sum panis*, sed, *ego sum panis vitæ*, *ego sum panis vivus.* Hæ autem voces additæ (*vitæ*, *vivus*) significant nomen panis non sumi in sensu proprio pro pane corporali, sed in sensu metaphorico, pro ipso Christo ut manducando per fidem & charitatem. Quare veritas illarum propositionum nullam mutationem exigit. At ad veritatem hujus propositionis (hoc est corpus meum) requiritur mutatio panis in corpus Christi. Nam sublata mutatione panis in corpus Christi, pronomen *hoc* demonstrat panem: & sic propositionis sensus est, hic panis est corpus meum, quod apertè falsum est.

Obj. 6. In fidei professione jussu Concilii Romani sub Nicolao II. emissa à Berengario, dicitur: *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse; & sensualiter, non solùm Sacramento, sed in rei veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri.*

Resp. Ibi per panem & vinum intelliguntur panis & vinum vi consecrationis mutata. Corpus autem Christi sensualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi, dentibus atteri dicitur ratione specierum, & illis mediantibus: sicut Christus dum hic mortalem vitam degeret, dicebatur tangi mediantibus vestimentis: *Quis me tetigit; tetigit me aliquis*, inquiebat ipse Christus, *Luc. cap. 8.* quamvis ejus corpus non tangeretur immediatè.

Porrò corpus Christi in Eucharistia tangitur mediantibus speciebus, ut signis illud realiter præsens sub se tegentibus.

Obj. 7. Si non sit panis in Eucharistia, sensus falluntur. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Sensus falluntur quidem circa objectum mediatum, quod est substantia substans accidentibus. At non falluntur circa objectum suum immediatum & proprium, quod consistit in accidentibus. Sæpe autem homines falluntur circa objectum mediatum, ut cùm aurichalcum quod vident, putant esse aurum; canem, putant esse lupum, &c.

Obj. 8. Si substantia panis non remanet in Eucharistia, est falsitas in hoc Sacramento, nempe in accidentibus. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam accidentia externa non sunt signa naturalia substantiæ sub se latentis, nisi servato ordi-

ordine naturæ, & ſublato omni miraculo. Quare ex accidentibus externis non poſſumus prudenter judicare ſub illis adeſſe ſubſtantiam internam niſi hypotheticè, nempe ex hypotheſi quòd nil factum ſit ſupra naturæ ordinem. Et ſi quis fallitur, per accidens fallitur.

Obj. 9. Si datur tranſubſtantiatio, corpus Chriſti fit ex pane, & ſic corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt idem corpus, quod fuit in cruce.

Reſp. Nego ſequel. Quia corpus Chriſti in Euchariſtia fit ex pane ut termino à quo, non verò ut materia componente.

Obj. 10. Hæc vox (*tranſubſtantiatio*) eſt nova, & inaudita fuit ante Innocentium III.

Reſp. Non eſt nova quoad rem ſignificatam: nam veritas per illam vocem ſignificata tam antiqua eſt quàm Eccleſia. Porro ab Eccleſia ſapienter & utiliter uſurpantur novæ voces ad veritatem fidei contra novas hæreſes meliùs explicandam.

Ex dictis collige 1. Nihil omnino ſubſtantiæ panis & vini in Euchariſtia remanere, ſed per conſecrationem totam panis ſubſtantiam verè ac propriè converti in corpus Chriſti, & totam vini ſubſtantiam in ejus ſanguinem, remanentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini. Hinc

Collige 2. Actionem, per quam Chriſtus in Euchariſtia ponitur, eſſe perfectam converſionem, & propriè tranſubſtantiationem, ut docet Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 4. & can. 2. Ratio eſt, quia in actione, qua Chriſtus in Euchariſtia ponitur, reperiuntur omnes conditiones ad veram ac perfectam tranſubſtantiationem ſeu converſionem unius ſubſtantiæ in aliam requiſitæ. Nam conditiones illæ ſunt quatuor. Prima, ut tota aliqua ſubſtantia deſinat eſſe: nam una ſubſtantia converti non poteſt in aliam, niſi deſinat eſſe quod antea erat. Secunda, ut alia ſubſtantia ſuccedat ſubſtantiæ pereunti: alioqui ſi una deſineret eſſe, & altera non inciperet eſſe, eſſet corruptio vel annihilatio, non converſio. Unde converſio duos habet terminos poſitivos, quorum unus deſinit, & alter incipit. Tertia, ut ſit aliqua connexio & dependentia inter deſitionem ſubſtantiæ pereuntis, & alterius ſupervenientis ſucceſſionem: ita ut prior ſubſtantia deſinat ut altera ſuccedat, & vi incœptionis unius fiat deſitio alterius. Alioqui, non erit una actio, quæ dici poſſit converſio; ſed erunt duæ actiones totales, quæ per accidens ſe concomitarentur, & quarum una annihilatio, & altera creatio diceretur. Quarta denique, ut remaneat aliquid commune utrique termino, nempe ſubſtantiæ pereunti, & ſubſtantiæ ſuccedenti: nam ſi nihil tale remaneret, deſitio termini à quo non exigeret ſucceſſionem termini ad quem. Atqui hæ quatuor conditiones in Euchariſtia reperiuntur. Nam 1. ſubſtantia panis & vini deſinit eſſe. 2. Corpus Chriſti de novo incipit eſſe ſub ſpeciebus panis, & ejus ſanguis ſub ſpeciebus vini. 3. Eſt vera connexio & dependentia inter poſitionem corporis Chriſti, & deſitionem ſubſtantiæ panis: ideo enim ſubſtantia panis deſinit eſſe, quia corpus Chriſti reproducitur ſub ſpeciebus panis, & reproductio corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis exigit deſitionem ſubſtantiæ panis, eò quòd duæ ſubſtantiæ non poſſint naturaliter ſubeſſe iiſdem accidentibus. 4. Denique corpus Chriſti ponitur ſub iiſdem numero accidentibus, quibus ſuberat ſubſtantia panis. Ergo in Euchariſtia fit vera tranſubſtantiatio, quæ eſt converſio unius ſubſtantiæ in aliam.

Collige 3. transsubstantiationem, quæ fit in Eucharistia, esse conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem Christi, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, ut docet *Conc. Trident. Sess. 13. can. 2.*

Collige 4. Actionem, qua corpus Christi ponitur in Eucharistia, esse veram & realem reproductionem, cùm ibi verè incipiat esse. Sed hæc reproductio non est creatio: nam propriè illud solùm creatur, quod absolutè incipit esse. At corpus Christi, utpote jam existens in cœlo, non incipit esse absolutè & simpliciter, cùm reproducitur in Eucharistia; sed tantùm incipit esse secundùm quid, hoc est, incipit esse tantùm sub speciebus, sub quibus antea non erat, licèt jam existeret in cœlo: sicut corruptis speciebus non desinit esse absolutè & simpliciter, sed tantùm secundùm quid, & cum addito (sub speciebus,) cùm semper remaneat in cœlo.

Neque etiam hæc reproductio est generatio; quia corpus Christi non fit ex pane ut materia ipsum componente, sed tantùm transeunte, & tanquam ex termino à quo. Præterea generari non convenit nisi enti, quod absolute incipit esse.

Igitur hæc reproductio dici solùm debet conversio, & transsubstantiatio, quæ (ut ait Concil. Trident.) est mirabilis & singularis, cujus quippe exemplum non extat, nec extitit in rerum natura. Nam neque conversio virgæ Aaronis in colubrum, aut vini in aquam, est perfectè similis conversioni panis in corpus Christi: in illa enim nihil remansit commune virgæ & colubro, aquæ & vino, cùm species, & accidentia virgæ & aquæ simul cum utriusque substantia desierint; neque erat connexio & dependentia inter positionem colubri & desitionem virgæ: nam productio colubri non exigebat desitionem virgæ, cùm coluber positus non fuerit sub accidentibus virgæ. Idem dic de vino. Præterea actio, qua productus est coluber, fuit vera creatio: nam idem antea non erat absolutè. Quare conversiones illæ non sunt perfectæ sicuti est transsubstantiatio, quæ fit in Eucharistia.

Conversio tamen virgæ in colubrum, & aquæ in vinum valet ad explicandum: quomodo virtute divina panis sic convertatur in corpus Christi, ut panis esse desinat, & nihil ejus substantiæ remaneat. Quare comparatio utriusque conversionis in aliquo convenit, & in aliquo deficit, ut contingit omni comparationi: alioqui jam non esset comparatio, sed identitas.

Observa. Panis & vinum convertuntur in corpus & sanguinem Christi, non solum quia corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus panis & vini vi verborum, sed etiam quia ibi incipiunt esse per veram reproductionem. Quare si Christus dixisset, hoc est Christus, verbum etiam esset vi verborum in Sacramento, & tamen substantia panis non converteretur in verbum, quia verbum non inciperet ibi esse per reproductionem.

Porro panis substantia per reproductionem corporis Christi exigitivè destruitur: & panis destructionem exigit corporis Christi reproductio, hoc ipso quod per eam incipit esse corpus Christi sub accidentibus panis, cùm sub iisdem accidentibus esse non possint naturaliter duæ substantiæ.

ARTICULUS III.

Utrùm totus Christus sit sub utraque specie Sacramenti Eucharistiæ?

DIco. 1. Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini. Est de fide.

Prob. 1.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 6. *Qui manducat me, & ipse vivit propter me.* Ergo Christus verè comeditur sub specie panis: non enim comeditur nisi sub illa. Ergo Christus est sub specie panis, alioqui non posset comedi sub illa. Atqui Christus est verbum homo, perfectus Deus & perfectus homo. Ergo sub specie panis est verbum homo, est perfectus Deus & perfectus homo, ideóque & personalitas verbi, & divinitas, & humanitas integra ac perfecta, proindeque totus Christus. Idem dic de specie vini ob identitatem rationis.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint S. Ambrosius L. de initiandis, cap. 9. *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi.* S. Chrysostomus, hom. 83. in Matth. de Christo loquens ait: *Ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus desideras videre, ipse verò* (in Eucharistia) *se ipsum ibi tradit, non ut videas solum* (videndo scilicet species consecratas) *verum etiam ut tangas, & in te habeas.* S. Hieronymus, Epist. ad Hebidiam, q. 2. *Dominus Jesus, ipse conviva & convivium, ipse comedens & qui comeditur.*

Prob. 3. Ex Conc. Constantiensi, Sess. 13. infra citando, Florent. in Decreto pro Armenis, & Trident. Sess. 13. c. 3. ubi ait: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie una cum ipsius anima & divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit.* Idem etiam Can. 3. definit. Hinc

Dico 2. Sic totus Christus est sub qualibet specie, ut tamen ex vi verborum præcisè contineatur sub specie panis solum corpus, & sub specie vini solus sanguis. Ratio est, quia vi verborum id præcise continetur sub specie panis, & sub specie vini, quod per verba consecratoria panis & vini significatur. Nam verba, quæ sunt formæ Sacramentorum, directè ex vi sua præcisè efficiunt id, quod significant. Atqui per verba consecratoria panis corpus, & per verba consecratoria vini sanguis solùm significatur, nihil ampliùs, ut patet ex his verbis: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Ergo

Dico 3. Sub specie panis sanguis, anima, & divinitas ac personalitas Christi; sub vini verò specie corpus, anima, & divinitas ac personalitas Christi per concomitantiam verè continentur. Nam partes omnes humanitatis continentur sub speciebus illis propter naturalem connexionem, quam habent inter se partes humanitatis Christi suscitati, & non amplius morituri: divinitas verò & personalitas verbi seu verbum ipsum propter unionem hypostaticam. *Ita Conc. Trid. modò cit.*

Dico 4. Non solùm Verbum, sed etiam Pater & Spiritus sanctus continentur in Eucharistia per concomitantiam. Nam 1. Verbum continetur in

Eucharistia: Conc. enim Trident. sub nomine divinitatis comprehendit personalitatem Verbi. Enim verò si divinitas in Eucharistia continetur propter unionem hypostaticam, à fortiori verbum in ea continetur; cùm humanitas verbo immediatè, divinitati verò mediatè tantùm, nempe mediante personalitate verbi uniatur. 2. Pater & Spiritus sanctus etiam sunt in Eucharistia specialiter: nam sunt inseparabiles à Verbo propter summam identitatem omnium personarum in natura. Quare tota Trinitas adoratur & recipitur in Eucharistia, in qua est præsens novo quodam modo: ita ut si per impossibile Trinitas non esset ubique, tamen esset in hoc Sacramento, sicut necessariò esset, ubicunque esset humanitas Christi.

ARTICULUS IV.

Utrùm totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis & vini?

DIco 1. Totus Christus continetur sub qualibet parte specierum panis, & vini post illarum divisionem. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in Decreto. *Totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati separatione facta, totus est Christus.*

2. Ex Conc. Trident. Sess. 13. Can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, Anathema sit.*

Ex praxi Ecclesiæ, quæ particulas ab hostia consecrata separatas, eadem veneratione asservat, & fidelibus porrigit perinde ac hostiam integram.

Ratio est, quia corpus Christi, ideoque totus Christus propter concomitantiam manet sub speciebus panis sensibilibus, quandiu non corrumpuntur. At non corrumpuntur per sui divisionem. Ergo. Præterea alioqui sequeretur Christum vel desinere esse sub partibus specierum post illarum divisionem quod dici non potest: alioqui Apostoli Christum non recepissent saltem sub specie vini, nam singuli partem tantùm specierum vini semel consecrati in eodem calice receperunt. Vel saltem sequeretur Christum non esse sub partibus specierum nisi secundùm singulas sui partes, quod absurdum est: nunc enim partes corporis Christi à se invicem separari non possunt; alioqui gloriosum Christi corpus esset mutilum, & membratim dissectum.

Dico 2. Totus Christus sub qualibet parte specierum panis & vini continetur etiam ante illarum divisionem. *Ita plerique Theologi cum S. Thoma contra paucos,* quorum sententia quamvis hæretica non sit, quia Conc. Florent. & Trident. in sua definitione addiderunt hæc verba, *separatione facta;* tamen ab aliquibus habetur ut errori proxima.

Prob. Fide constat, facta separatione specierum, Christum totum esse sub singulis illarum partibus divisis. At hoc falsum esset, si Christus sub illis partibus ante separationem non esset: nam separatio non est nova consecratio, nec quidquam de novo operari potest, nec proinde constituere Christi corpus ubi antea non erat.

Præterea Christi corpus non potest incipere esse, ubi non erat, nisi per reproductionem. Ergo separatione facta Christus non existit sub qualibet parte, si ante separationem non existebat sub illa: nam Christi corpus reproduci non potest per separationem specierum, nec vi verborum formæ priùs prolatæ, cùm jam verba illa desierint

fierint esse, & totum, quem habere poterant, effectum habuerint statim atque prolata sunt.

Obj. Non potest explicari, quomodo Christus sit totus sub singulis partibus specierum sensibilibus vel minimis ante illarum divisionem. Ergo sub illis non est.

Resp. 1. Nego conseq. Nam aliquid potest esse verum & certum, quamvis illud explicare non possimus. Quamvis v. gr. rectè explicari non potest æstum maris reciprocum, vim magneticam, &c. quæ tamen sub sensus cadunt. An ideo tamen ista non sunt? igitur ut aliquid tanquam certum habeatur, licèt sit de se inexplicabile & de se incredibile, sufficit quòd motivo certo nitatur. Quare hìc valet illud S. Augustini, Epist. ad Volusian. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

Resp. 2. Circa hoc variæ sunt Theologorum sententiæ. Sed hæc præ cæteris arridet, nempe corpus Christi cum figura & ordine situali omnium suarum partium reproduci vi verborum consecrationis sub omnibus & singulis moleculis speciei panis sensibilibus.

Prob. Nam hæc reproductio est possibilis; & illa admissa, rectè intelligitur Christum esse totum in tota hostia consecrata, & totum in qualibet ejus parte sensibili. Ergo debet admitti. *Prob. anteced.* Nam 1. Hæc reproductio est possibilis, non enim repugnat partes corporis organizati à Deo produci sub extensione minori & minori in infinitum cum figura & ordine situali; nec proinde etiam sic reproduci. Nulla certè in hoc ostendi potest implicantia. 2. Hac admissa reproductione, totus Christus est in tota hostia consecrata, & totus in qualibet ejus parte sensibili: quemadmodùm homo replicatus in singulis aulæ partibus, non solùm esset totus in singulis partibus aulæ, sed etiam totus in tota aula.

Porrò respectu beatorum nihil est deorsum vel seorsum; quia beati nullam habent dependentiam à certo loco vel situ, nec tendunt versùs centrum terræ sicut homines viatores.

ARTICULUS V.

Expediuntur aliquæ quæstiones circa corpus Christi in Eucharistia?

QUæres 1. *Utrùm corpus Christi in Eucharistia agat, videat, audiat, se moveat vel moveri possit?*

Resp. 1. Christus in Eucharistia existens nullas sensationes, aut actiones, à sensibus dependentes elicere potest. Quia ejusmodi actiones certam magnam extensionem in organo requirunt. Humanitas autem Christi in Eucharistia non habet sufficientem extensionem in organo, ut aliquid corporale in se producere vel recipere possit. Unde Christus nullas exercet in Eucharistia actiones vitæ sensitivæ, respectu cujus se habet modo quodam mortuo; ita ut Christo in hoc statu rectè competat illud, Apoc. 5. *Vidi . . . agnum stantem tanquam occisum.*

Resp. 2. Christus in Eucharistia elicit actus independentes ab organis, ut intellectiones & volitiones. Sic ejus anima omnia cognoscit per scientiam infusam, Deum intuitivè videt, & fruitivè amat, &c. Nam hæ actiones non indigent certa extensione in organo; & aliunde maximè conveniunt Christo in hoc statu, estque ipse ad illas proximè expeditus.

Resp. 3. Quamvis corpus Christi non possit se movere in Eucharistia defectu extensionis ad motum requisitæ,

verè tamen & propriè movetur localiter ab eo, qui movet species. Nam (ut constat ex Concil. Trident. Sess. 13. cap. 5. & 6.) corpus Christi in Eucharistia circumfertur in processionibus, ad infirmos defertur. Ergo movetur: nam moveri est transire de loco in locum per fluxum continuum. Præterea cùm illud comedimus, verè illud movemus: nam comedere est cibum ab ore ad stomachum trajicere. Non tamen movetur corpus Christi sine speciebus; quia vi decreti divini est ab illis inseparabile in Eucharistia, donec corrumpantur.

Quæres 2. *Utrùm corpus Christi in Eucharistia pati possit ab agentibus corporeis?*

Resp. Neg. Quia corpus Christi in Eucharistia non est actualiter impenetrabile. Agentia autem corporea non possunt extra se agere nisi tangendo & impellendo, nec tangere & impellere possunt nisi corpora actualiter impenetrabilia.

Quæres 3. *Quandonam corpus Christi desinat esse sub speciebus?*

Resp. Quando puncta quantitatis panis desinunt habere inter se eam dispositionem & conjugationem, quam haberent in pane. Nam tunc desinit esse quantitas panis: ac proinde etiam pereunt accidentia panis, ut odor, sapor, color radicalis, quantitati identificata; & sic Deus desinit ibi conservare corpus Christi, quod in quolibet puncto quantitatis panis reproductum fuerat ad constituendum cum speciebus sensibilibus panis signum sensibile refectionis spiritualis. Tunc autem Deus loco quantitatis panis quæ desiit, creat materiam novam, quæ convertitur in substantiam sumentis Eucharistiam, ex qua etiam generantur vermes, quando, v. g. species corruptæ sunt in pixide.

CAPUT V.

De unitate & necessitate Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm Eucharistia sub unica specie sit unum numero integrum ac perfectum Sacramentum?

DIco. Eucharistia sub unica specie est verum, integrum ac perfectum Sacramentum.

Prob. 1. Ex Concil. Trident. Sess. 21. cap. 3. ubi ait: *Declarat, quamvis redemptor noster in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.* Ergo ex Conc. sub altera tantùm specie est verum Sacramentum. Verum autem Sacramentum est Sacramentum integrum ac perfectum essentialiter: nihil enim potest esse verè tale essentialiter, si careat aliqua perfectione essentiali. Sic homo verus est homo perfectus essentialiter; nec potest esse homo verus sine omni perfectione essentiali homini.

2. Quia Eucharistia sub unica specie habet totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ, in eo positam quòd significet, & efficiat refectionem spiritualem animæ: nam Eucharistia sub altera tantùm specie significat & efficit refectionem spiritualem, & quidem perfectam ac integram. Neque enim refectio spiritualis distinguitur sicut refectio corporalis in duas partes, quarum una sit cibus, altera potus; sed cibus spiritualis & potus spiritualis sunt unum & idem, nempe Christus qui famem & sitim spiritualem explet per eandem speciei gratiam sacramentalem, juxta illud, Matth. c. 5. *Beati qui esuriunt*

& sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, nempe eadem justitia.

3. Ex communi sensu fidelium, qui communicantes sub sola specie panis, credunt se sumere integrum ac perfectum Eucharistiæ Sacramentum.

Obj. 1. Eucharistia instituta est à Christo velut convivium spirituale, juxta illud, Joann. c. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c.* At Eucharistia sub unica specie non est convivium integrum: nam ad integrum convivium duo requiruntur, cibus scilicet, quo fames, & potus, quo sitis expleatur. Ergo Eucharistia sub unica specie non est integrum Eucharistiæ Sacramentum.

Resp. Nego min. Itaque Eucharistia sub unica specie est convivium integrum animæ, quo fames simul & sitis spiritualis explentur. Nam fames & sitis spiritualis sunt idem, & explentur eadem gratia sacramentali, quam species unica significat & confert. Et verò unica species seorsim sumpta continet cibum & potum animæ, nempe totum Christum, qui est auctor gratiæ, & qui Joann. c. 6. de se dicit; *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.*

Inst. Solus cibus, vel solus potus non est convivium integrum, sed tantùm pars convivii.

Resp. Hoc verum est de cibo & potu corporali, & de convivio corporali. At cibus spiritualis & potus spiritualis sunt seorsim integrum convivium spirituale. Nam convivium spirituale non distinguitur sicut corporale in duas partes realiter distinctas & specie diversas, quarum una sit tantùm cibus, & altera potus. Ratio est, quia cibus & potus spirituales sunt una & eadem res, nempe Christus ipse, qui eadem gratia explet famem & sitim spiritualem, quæ sunt etiam unum & idem. Et verò si aliquid corporale esset simul cibus ac potus, & famem ac sitim perfectè expleret, num constitueret integrum convivium corporale? Ergo à pari, &c.

Obj. 2. Una species significat & efficit solùm refectionem spiritualem, quæ respondet corporali refectioni per cibum corporalem: altera verò significat & operatur tantùm refectionem spiritualem, quæ respondet corporali per potum corporalem. Ergo una species non efficit integram refectionem spiritualem. Ergo, &c.

Resp. Nego antecedens; quod supponit falsum: nam supponit duas refectiones spirituales partiales, quarum una non contineat id quod altera complectitur, ut contingit in cibo & potu corporali. Quod est falsum; nam quælibet refectio spiritualis consistit in gratia, qua integrè anima reficitur; & gratia, quæ datur sub specie panis ad explendam famem, non est diversa ab ea, quæ datur sub specie vini ad explendam sitim; sed est eadem, cùm fames & sitis spirituales eadem gratia sacramentali expleantur.

Obj. 3. Plus significatur per utramque speciem quam per unicam. Ergo unica species non significat nec efficit integrum convivium, nec proinde integrum Sacramentum Eucharistiæ constituit.

Resp. Nego anteced. Nam Eucharistia sub unica specie significat integram refectionem spiritualem. Eucharistia enim sub specie panis spiritualem animæ refectionem significat ad modum cibi spiritualis, & sub specie vini eandem refectionem significat ad modum potus spiritualis. Ergo Eucharistia sub alterutra specie significat integram refectionem spiritualem ad modum integri convivii; nam cibus spiritualis est integrum convivium spirituale, & efficit integram refectionem spiritualem: similiter & potus spiritualis.

tualis. Ergo Eucharistia sub alterutra specie integram refectionem spiritualem significat: nam integra refectio spiritualis necessario significatur per integrum convivium spirituale.

Inst. Hinc sequitur nullum esse discrimen inter Eucharistiam sub utraque specie, & Eucharistiam sub unica specie.

Resp. Nullum equidem est discrimen quantùm ad significationem essentialem, & efficaciam. Nam Eucharistia sub unica specie significat & efficit integram animæ refectionem, & eandem gratiam sacramentalem. Sed discrimen est quoad modum significandi: nam Eucharistia sub utraque specie perfectius integram animæ refectionem significat, quàm sub unica specie. Eucharistia enim sub utraque specie distinctè & explicitè integram animæ refectionem significat, & sub una tantùm specie hanc integram refectionem confusè tantùm & implicitè significat. Sed hæc diversitas est solùm accidentalis.

Obj. 4. Si una species cum corpore Christi sit integrum essentialiter Sacramentum, duæ species sunt inutiles. Falsum consequ. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam ambæ species necessariæ sunt ad perfectè repræsentandum cruentum crucis sacrificium, in quo sanguis separatus est à corpore. Præterea per utramque speciem clarius & expressius significatur effectus Sacramenti; quamvis Eucharistia sub unica specie non minorem effectum producat, eo quod idem Christus sub unica specie famem & sitim expleat per eandem gratiam.

Obj. 5. Utraque species pertinet ad integritatem Sacramenti. Ergo unica species non constituit integrum Sacramentum.

Resp. Disting. anteced. Utraque species pertinet ad integritatem Sacramenti, quatenus confici non potest hoc Sacramentum nisi in utraque specie, eo quod sit simul sacrificium mortis Christi repræsentativum, cùm sit, *conc. ant.* quatenùs sine utraque specie non recipitur integrum Sacramentum, *nego ant. & conseq.* Vel sic *disting.* utraque species pertinet ad integritatem Sacramenti in fieri & quoad confectionem, quæ est sacrificium mortis Christi repræsentativum, *conc. ant.* in facto esse, & quoad sumptionem, *nego ant.*

Obj. 6. Si una species sit integrum Sacramentum, Sacerdos utramque speciem sumens, recipit duo Sacramenta numero distincta. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia licèt duæ illæ species seorsim sumptæ, & ad plures refectiones ordinatæ constituant duo Sacramenta numero distincta; tamen moraliter censentur unum numero Sacramentum, quando ad unum idemque convivium ordinantur, & ipso usu per modum unius *refectionis sumuntur, ut fit à Sacerdote.*

ARTICULUS II.

Utrùm Eucharistia sit unicum specie Sacramentum?

DIco. Corpus Christi sub specie panis, & sanguis Christi sub specie vini sunt Sacramenta ejusdem speciei infimæ, ita ut solo numero distinguantur, quando seorsim, nec per modum unius convivii sumuntur.

Prob. Illa sunt Sacramenta ejusdem speciei infimæ, quæ habent significationem & efficaciam unius ejusdemque gratiæ sacramentalis. Nam Sacramenta non distinguuntur specie, nisi per significationem & efficaciam diversæ gratiæ Sacramentalis. Atqui corpus Christi sub specie panis, & sanguis Christi

Christi sub specie vini, habent eandem significationem & efficaciam: nam significant & conferunt eandem refectionem animæ integram, nempe gratiam sanctificantem & Sacramentalem, quæ in anima eosdem effectus spirituales operatur, quos producit cibus & potus materialis in corpore. Ergo sunt Sacramenta ejusdem speciei infimæ, &c.

Obj. 1. Diversa signa gratiæ constituunt specie Sacramenta. At species panis & vini sunt diversa signa gratiæ: ergo constituunt diversa specie Sacramenta.

Resp. Disting. maj. Diversa signa gratiæ Sacramentalis diversæ, diversam specie significationem habentia, & ad finem diversum ordinata, constituunt diversa specie Sacramenta, *conc. maj.* Diversa signa ejusdem gratiæ Sacramentalis, & eandem substantialiter significationem habentia, atque ad eundem finem ordinata, constituunt, &c. *nego maj. & distincta similiter minore, nego conseq.* Quamvis species panis differant à speciebus vini, tamen ambæ species eandem significationem & efficaciam habent, & ad eundem finem proximum ordinantur. Nam eandem gratiam significant & producunt, atque ad refectionem spiritualem quæ unica est, ordinantur. Ubi autem est unius gratiæ significatio & efficacia, quamvis res subjectæ illi significationi & efficaciæ sint physicè diversæ, non est tamen diversum specie Sacramentum.

Obj. 2. Species panis & species vini habent significationem Sacramentalem diversam. Ergo constituunt Sacramenta specie diversa.

Resp. Disting. anteced. Habent significationem Sacramentalem diversam quoad modum significandi, *conc. ant.* diversam quoad rem significatam, *neg. ant.* Illa non sunt Sacramenta specie diversa, quæ eundem effectum Sacramentalem quamvis modo specificè diverso significant, sed quæ diversum specie effectum significant & producunt. Nam sicut res aliqua non est Sacramentum, quia tali modo significat, sed quia effectum aliquem Sacramentalem significat & significando producit: ita res aliqua Sacramentum specie diversum non est, quia modo specificè diverso significat, sed quia effectum Sacramentalem specie diversum significat & producit. Quamvis autem species panis cum corpore Christi, & species vini cum sanguine Christi diverso modo significent, prior quippe significant per modum cibi spiritualis, & posterior per modum potus spiritualis; sunt tamen unicum specie Sacramentum: nam eundem specie effectum Sacramentalem, nempe eandem specificè refectionem animæ supernaturalem significant.

Inst. 1. Species panis significat refectionem, quæ fit per cibum spiritualem, & species vini significat tantùm refectionem, quæ fit per potum spiritualem. At refectio facta per cibum spiritualem specie diversa est à refectione, quæ fit per potum spiritualem. Ergo. *Nego min. Prob.* Cibus corporalis aliter reficit corpus quàm potus corporalis. Ergo similiter cibus spirilis aliter reficit animam quàm potus spiritualis. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia substantia cibi corporalis specificè diversa est à substantia potus corporalis: ac proinde effectus cibi corporalis debet esse specificè diversus ab effectu potus corporalis. At in Eucharistia spiritualis cibus & spiritualis potus sunt una eademque res quamvis diverso modo significata, nempe Christus, qui sub utraque specie animam eodem modo, nempe per eandem specie gratiam Sacramentalem reficit.

Inst. 2. Eucharistia sub specie panis significat tantùm præsentiam corporis Christi, & Eucharistia sub specie vini, significat tantùm præsentiam sanguinis Christi. Ergo ambæ species diversam habent significationem, etiam ex parte rei significatæ.

Resp. Disting. conseq. Habent diversam etiam ex parte rei significatæ significationem speculativam; *conc. conseq.* practicam, *nego conseq.* Eucharistiæ sub specie panis duplex est significatio, una speculativa, qua significatur præsentia corporis Christi: & altera practica, qua significatur & efficitur in subjecto rectè disposito spiritualis refectio animæ. Similiter Eucharistiæ sub specie vini duplex est significatio; una speculativa, qua significatur præsentia sanguinis Christi: & altera practica, qua significatur & producitur animæ refectio. Quare ambæ species habent etiam ex parte rei significatæ significationem diversam, sed speculativam tantùm, quæ non variat speciem: nam sola significatio practica constituit speciem, quæ proinde eadem est, ubi eadem est significatio practica. Igitur Eucharistia sub specie panis non est Sacramentum specie diversum ab Eucharistia sub specie vini, sed materialiter tantum.

Dico 2. Sacramentum Eucharistiæ est unum specie infima. Nam Sacramentum illud est unum specie infima, quod dividi non potest in alia Sacramenta specie diversa. At Sacramentum Eucharistiæ sic dividi non potest; siquidem (ut probatum est) Eucharistia sub specie panis & Eucharistia sub specie vini, etiam ut seorsim sumibiles, sunt Sacramenta ejusdem speciei infimæ. Ergo.

Quæres, *quandonam Sacramentum Eucharistiæ sit unum vel multiplex numericè?*

Resp. 1. Plures species panis consecratæ, seu plures hostiæ consecratæ, ut seorsim sumibiles, sive ut sumibiles diversis moraliter sumptionibus, sunt plura numero Sacramenta. Nam ut seorsim sumibiles sunt plura numero convivia, & singulæ significant ac efficiunt integram animæ refectionem.

Resp. 2. Plures species consecratæ panis & vini, quamvis sint multæ physicè, constituunt tamen moraliter unum numero Sacramentum, quando ad unam refectionē ordinantur & sumuntur unica moraliter sumptione. Nam tunc sunt unum numero convivium, & significant ac efficiunt unam numero refectionem spiritualem.

ARTICULUS III.

Utrùm Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem?

Nota 1. Eucharistiam necessariam esse necessitate præcepti tum divini, tum Ecclesiastici, constabit ex dicendis in Theologia morali. Quare agitur hic solùm de necessitate medii.

Nota 2. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo etiam inculpabiliter omisso salus obtineri non potest. Talis est gratia sanctificans. Illud verò necessarium est necessitate præcepti tantùm, cujus quidem omissio culpabilis, nisi per pœnitentiam remittatur, impedit salutem, sine quo tamen inculpabiliter omisso salus obtineri potest. Græci schismatici censent Eucharistiam esse necessariam necessitate medii.

Nota 3. Eucharistia spectari potest vel in re, vel in voto. Eucharistia in re est realis sumptio Eucharistiæ. Eucharistia in voto est votum seu desiderium vel propositum sumendi Eucharistiam. Duplex est autem Eucharistiæ votum, nempe explicitum & implicitum. Explicitum est actus voluntatis, quo

quo expresſè ac diſtinctè Euchariſtiæ ſumptionem volumus. Implicitum eſt actus voluntatis, quo aliquid volumus, in quo Euchariſtiæ ſumptio confusè continetur. Tale eſt propoſitum ſervandi omnia Dei præcepta, in quibus Euchariſtiæ ſuſceptio continetur.

Nota 4. Votum implicitum aliud eſt propriè dictum, & eſt actus voluntatis, quo volumus aliquid, in quo confusè continetur id, cujus votum implicitum dicimur habere. Aliud eſt impropriè dictum, & eſt appetitus quidem quaſi innatus vel habitualis alicujus rei: talis eſt appetitus, quo habitus ſuum actum, medium ſuum finem, res inchoata ſuam perfectionem, infans recens natus cibum ſuum appetere dicitur. Sive votum implicitum dictum eſt ordinatio vel diſpoſitio, vel capacitas habitualis. De hoc hic non agitur: nam certum eſt neminem baptizatum poſſe eſſe ſine tali voto. Sed hic quæritur, utrùm Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medii vel in re, vel ſaltem in voto propriè dicto, id eſt, utrùm ſumptio Euchariſtiæ ſit medium ita neceſſarium ad ſalutem, ut prima gratia vel ſalus obtineri non poſſit ſine illa realiter habita, vel ſaltem ſine vicario ipſius cum ſpeciali ac directa obligatione ad ipſam velut medium neceſſarium ad juſtificationem.

Dico 1. Euchariſtiæ ſumptio non eſt neceſſaria parvulis neceſſitate medii. Eſt de fide ex Concil. Trident. Seſſ. 21. Can. 4. ſic definiente: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem; Anathema ſit.* Et c. 4. rationem reddit, nempe quia parvuli per baptiſmum juſtificantur, nec poſſunt ante uſum rationis gratiam ſanctificantem amittere, cùm peccare non poſſint. Ac proinde parvuli, qui ante uſum rationis moriuntur, per ſolum baptiſmum ſalvantur. Ibi ſic enim ait: *Eadem ſancta Synodus docet: parvulos rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibusdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Dico 2. Realis ſuſceptio Euchariſtiæ non eſt adultis neceſſaria neceſſitate medii.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. Seſſ. 5. Can. 5. generaliter definiente, in baptizatis nihil eſſe, quòd eos ab ingreſſu cœli remoretur, quod falſum eſſet, ſi realis communio Euchariſtiæ ad ſalutem neceſſaria eſſet neceſſitate medii.

1. Ratione. Quia ad ſalutem obtinendam ſufficit ſtatus gratiæ. At ad ſtatum gratiæ conſequendum neceſſaria non eſt realis communio Euchariſtiæ: nam Euchariſtia non eſt inſtituta ad dandam primam gratiam, ſed illam ſupponit, cùm ſit Sacramentum vivorum.

Præterea adulti peccatores juſtificari poſſunt ſive per baptiſmum, ſive per pœnitentiæ Sacramentum in re vel in voto ſuſceptum; & ſi antequam mortaliter peccent, moriantur, ſalvabuntur ſine Euchariſtia, quia in ſtatu gratiæ decedent.

Dico 3. Euchariſtia in voto non eſt etiam ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii. *Ita communiter.*

Prob. Nam illud ſolùm eſt in voto neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, quod inſtitutum eſt à Deo tanquam medium ad juſtificationem ac peccato-

rum remissionem obtinendam. At hoc non convenit Eucharistiæ: nam ipsa primam justificationem & peccatorum remissionem supponit, ut licitè & utiliter sumatur. Medium autem non supponit id, ad quod consequendum institutum est.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Hæc Christi verba, Joan. c. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: tam important necessitatem medii, quàm ista de Baptismo, Joann. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo Eucharistia est necessaria necessitate medii sicut Baptismus.

Resp. Nego anteced. Nam istæ & similes locutiones sunt de se indifferentes ad significandam necessitatem medii vel præcepti, idque determinari debet ex subjecta materia. Igitur si in istis locutionibus agatur de re non necessaria ad justificationem, sed eam supponente, significatur solùm necessitas præcepti, ut contingit Eucharistiæ, quæ non est instituta ad conferendam justificationem, seu primam gratiam, sed augmentum illius. Adde quòd verus sensus Scripturæ nobis innotescet per sensum Ecclesiæ, cujus est Scripturam infallibiliter interpretari.

Inst. 1. Hæc verba (*nisi manducaveritis &c.*) tam infantes comprehendunt, quàm ista, *nisi quis renatus fuerit, &c.* Ergo tam important necessitatem medii: nam quidquid est necessarium respectu infantium, non est illis necessarium necessitate præcepti, cùm sint illius servandi incapaces, sed necessitate medii.

Resp. Nego anteced. 1. Quia hæc utraque verba intelligi debent pro subjecta materia. At Eucharistiæ manducatio, quæ priorum verborum materia est, non tam latè patet, nec tam necessaria est quàm spiritualis regeneratio, quæ est posteriorum materia. 2. Quia verba illa (*nisi quis renatus fuerit, &c.*) exprimentia necessitatem Baptismi, non diriguntur ad certas aliquas personas, nec per illa actus aliquis præcipitur, sed absolutè pertinent ad omnes homines sine ulla exceptione. At ista (*nisi manducaveritis, &c.*) quibus exprimitur necessitas manducationis Eucharistiæ, certum actum præcipiunt, & ad audientes ac intelligentes diriguntur. Unde ad eos solos spectant, qui possunt audire ac intelligere, & actum præceptum humano modo præstare: quales non sunt parvuli, utpote usu rationis destituti, ad quos proinde necessitas Eucharistiæ propriè sumptæ non spectat.

Inst. 2. Patres verba illa (*nisi manducaveritis, &c.*) extendunt ad parvulos, & ideo docent manducationem corporis Christi necessariam esse parvulis ad salutem. Nam Innocentius I. Epist. ad Patres Concil. Milevitani ait: *illud verò quod eos* (Pelagianos) *vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est: nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Quem locum referens S. Augustinus, lib. 1. contra Julianum, c. 4. sic loquitur: *Sancto Innocentio vide quid respondeas . . . . qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Et idem S. Augustinus, lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 20. Illud Christi (*nisi manducaveritis, &c.*) asserit & probat pertinere ad parvulos: & lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, c. 22. de

de parvulis loquens, ait: *Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Ergo.

Resp. Disting. anteced. Patres docent parvulis necessariam esse corporis Christi manducationem mysticam & impropriè dictam, *conc. ant.* oralem & propriè dictam, *nego ant. & conf.* cùm Patres illi extendunt ad parvulos hæc Christi verba (*nisi manducaveritis, &c.*) tunc illa verba non in sensu litterali sed mystico exponunt; & per manducationem Eucharistiæ intelligunt mysticam quandam manducationem Christi, in eo positam, quòd quis per gratiam Baptismi incorporetur Christo, vivum ejus membrum effectus, ejus spiritu & gratia vivificetur, ejusque corpori mystico nempe Ecclesiæ societur. Quod constat 1. quia S. Augustinus expressè docet Baptismum parvulis ante usum rationis morientibus sufficere ad salutem, ac proinde non ipsis necessariam esse realem Eucharistiæ manducationem, sed solùm illam, qua per Baptismum fiunt membra Christi & Ecclesiæ, sic enim, l. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 20. ait: *Si percepto Baptismate de hac vita emigraverit* (parvulus,) *soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum justificatos præsentia creatoris illuminat.* Idem docet pluribus aliis locis. 2. Quia præter oralem & propriè dictam Eucharistiæ manducationem, aliàs mysticam & metaphoricam modo explicato admittit; ut, Tract. 26. in Joann. ubi hæc verba (*qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*) exponens, sic loquitur: *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis, & justificatis, &c.* Et infra: *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter canem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi.*

Eadem autem fuit Innocentii sententia, quæ Augustini, qui suam Innocentii auctoritate confirmat.

Itaque Innocentius & Augustinus cùm dicunt parvulos salvari non posse sine sumptione corporis & sanguinis Christi, volunt solùm parvulos salvari non posse, nisi per Baptismum incorporati fuerint Christo, ejus membra effecti, ejus spiritu & gratia vivificati, & corpori ejus mystico nempe Ecclesiæ incorporati, & sic mysticè corpus Christi manducaverint, ejusque sanguinem biberint.

Ratio autem quæ illos impulit ad explicanda in sensu mystico non literali respectu infantium hæc Christi verba (*nisi manducaveritis, &c.*) hæc fuit, ut probarent Pelagianis parvulos sine Baptismo salvari non posse. Nam cùm Pelagianos urgerent verbis istis Christi, *nisi quis renatus fuerit, &c.* respondebant Pelagiani non baptizatos excludi à regno Dei, non verò à vita æterna. Ut hanc responsionem refellerent S. Augustinus & alii Catholici, adhibuerunt, hæc alia verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. non habebitis vitam in vobis:* sic argumentando. Qui non est particeps corporis & sanguinis Christi mysticè, & quantum ad unionem cum Christo spiritualem, unitatem Ec-

clesiæ, aliosque effectus, quos significat Sacramentum corporis & sanguinis Christi, non potest habere vitam æternam. At nemo sine Baptismo est hoc modo particeps corporis & sanguinis Christi. Ergo nemo sine Baptismo habere potest vitam æternam.

Inst. 3. S. Augustin. l. 1. de peccatorum merit. & remiss. c. 20. dicit hæc verba (*nisi manducaveritis*, *&c.*) tam pertinere ad parvulos, quàm ista, *nisi quis renatus fuerit*, *&c.*

Resp. Vult quidem utramque sententiam Christi ad parvulos pertinere, sed in diverso sensu; nempe vult priora verba ad eos pertinere in sensu tantùm mystico à nobis explicato, posteriora verò in sensu literali. Quare non nobis adversatur, qui negamus tantùm priora verba ad parvulos pertinere in sensu litterali.

Obj. 3. Aliqui Patres dicunt neminem salvari posse sine communione Eucharistiæ.

Resp. Loquuntur vel de necessitate præcepti respectu adultorum, qui si Eucharistiam culpabiliter omittant, hoc ipso salute excidunt, vel de manducatione mystica, de qua S. Augustinus loquitur.

Obj. 4. Nemo per Baptismum aut Pœnitentiam justificari potest sine voto suscipiendi Eucharistiam suo tempore: *Hoc Sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus Sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per se ipsum, ut adulti; vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli*, ait S. Thomas, q. 79. a. 1. ad 1. Ergo Eucharistia est medium necessarium ad salutem.

Resp. Disting. antec. Nemo scilicet adultus justificari potest sine voto recipiendi Eucharistiam latè dicto, quod includitur in proposito servandi omnia mandata, *conc. ant.* sine voto strictè dicto, quale requiritur ad justificationem ante susceptionem Baptismi vel Sacramenti Pœnitentiæ, *nego ant. & conseq.* Ibi autem Sanctus Thomas loquitur de voto latè sumpto, quod commune est rebus omnibus necessariis tantùm necessitate præcepti, & consistit solùm in proposito servandi omnia præcepta.

Dixi, *adulti*, nam parvuli voti omnis incapaces sunt, & tamen per Baptismum justificantur.

Inst. 1. S. Thomas, 3. p. q. 73. à 3. docet parvulos sine voto Eucharistiæ salvari non posse.

Resp. Loquitur solùm de voto impropriè sumpto, consistente in intentione Ecclesiæ parvulos per baptismum efficientis idoneos ad Eucharistiam suo tempore recipiendam. Unde solùm vult parvulos salvari non posse sine Baptimo, quem illis Ecclesia confert ex intentione, ut Eucharistiam suo tempore suscipere possint. Quæ tamen intentio necessaria non est ad Baptismi valorem.

Inst. 2. S. Thomas, 3. p. q. 80. a 11. ad 2. dicit Eucharistiam & Baptismum esse æqualis necessitatis respectu adultorum.

Resp. Nego. Sed solùm dicit utrumque Sacramentum adultis necessarium esse ad salutem, non verò æqualiter aut eodem modo necessarium esse, quantùm ad Eucharistiæ sumptionem oralem & propriè dictam, sic enim ait: *Quantùm verò ad adultos, utrumque est necessitatis.* Itaque S. Doctor solùm vult Eucharistiam & Baptismum adultis necessaria esse ad salutem, sed cum hoc discrimine, quòd Eucharistiæ communio propriè dicta sit necessaria necessitate præcepti, Baptismus verò necessarius sit necessitate tum præcepti, tum medii.

Inst. 3. S. Thomas eodem articulo in cor-

corpore docet Eucharistiæ manducationem esse necessariam necessitate medii.

Resp. Tunc intelligit Eucharistiæ manducationem mysticam, consistentem in eo, quòd quis incorporetur Christo per gratiam sanctificantem, & ejus vivum membrum fiat.

Obj. 5. Adultus justificari non potest sine proposito servandi omnia præcepta, ideoque recipiendi Eucharistiam. Ergo Eucharistia saltem in voto necessaria est necessitate medii ad justificationem, proindeque ad salutem.

Resp. Nego conseq. Nam illud solùm dicitur necessarium ad salutem necessitate medii saltem in voto propriè dicto, quod est medium ita necessarium ad salutem, ut dum haberi non potest in re seu secundùm se, justificatio obtineri nequeat sine alio tamquam ejus vicario cum speciali ac directa obligatione ad ipsum velut ad medium necessarium adhibendum contra eadem peccata per vicarium ejus remissa: cujusmodi sunt solùm Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ.

Obj. 6. Eucharistiæ communio est absolutè necessaria adultis ad perseverandum in gratia. Ergo est necessaria necessitate medii.

Resp. Nego anteced. Quia 1. ita communiter Doctores. 2. Quia Eucharistia non est unicum medium vitandi peccata mortalia: nam præter Eucharistiam sunt alia media, ut oratio, actus virtutum, jejunium, eleemosynæ, &c. quibus obtineri possunt auxilia absolutè sufficientia ad vitanda omnia mortalia. 3. Quia alioqui salus esset impossibilis adulto, qui sine sua culpa Eucharistiam recipere non posset, ut facile contingere potest Fidelibus à Turcis captis, vel justa de causa inter barbaras nationes degentibus.

Inst. 1. Eucharistia est cibus animæ. Sed anima non potest absolutè sine suo cibo conservare vitam suam spiritualem, sicut corpus suum sine suo cibo corporali. Ergo.

Resp. Disting. maj. Eucharistia est cibus animæ nostræ non unicus, *conc. maj.* unicus, *nego maj.* Nam oratio & actus virtutum sunt etiam cibus speritualis, quo vita animæ conservatur.

Inst. 2. Conc. Florentinum comparat Eucharistiam respectu animæ cum cibo & potu materiali, respectu vitæ corporalis. Ergo Eucharistia tam est necessaria ad conservandam vitæ animæ, quàm cibus materialis, &c.

Resp. Disting. anteced. Comparat quoad effectus, *conc. antec.* Nam dicit Eucharistiam operari in anima eos effectus, quos in corpore producit cibus & potus materialis. Comparat quoad necessitatem, *neg. ant. & conf.*

Porro Concil. Trident. dicit quidem Eucharistiam esse antidotum, quo à peccatis mortalibus præservamur; sed non dicit esse unicum antidotum.

Observa. Tamen etiam secluso omni præcepto positivo, Eucharistiæ communio non solùm utilis, sed etiam necessaria est ad faciliùs & certiùs perseverandum in gratia: ita ut sine illa non nisi difficillimè omnia mortalia vitari possint.

Prob. Quia Eucharistia non solùm est efficacissima, sed etiam à Deo singulariter instituta ut medium præcipuum & ordinarium ad vitam animæ conservandam, & ad vitanda peccata mortalia & venialia, ut constat ex Concil. Trident. Sess. 13. cap. 2. ubi ait: *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes; &c .... & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Quare qui hoc medium negligunt, meritò privantur specialibus gratiæ auxiliis, sine quibus non possunt nisi difficillimè

facillimè omnia mortalia vitari. Adultis tamen, qui inculpabiliter illam omittunt, moraliter sufficiunt alia media, ut oratio, jejunium, & actus virtutum cum Eucharistiæ voto, nempe desiderio ac proposito sumendi Eucharistiam.

ARTICULUS IV.

Utrùm communio Eucharistiæ sub utraque specie sit necessaria jure divino?

Nota. Certum est communionem sub utraque specie à Christo præceptam esse Sacerdoti sacrificanti. Certum est etiam communionem sub specie vini esse à Christo prohibitam laicis: nam communio sub utraque specie sæpe, imò communiter in publicis cœtibus data fuit laicis in Ecclesia Latina usque ad duodecimum sæculum, à quo tempore usus solius speciei panis sensim invaluit. Sed anno circiter 1412. Petrus Dresdensis & Jacobus Misnensis docuerunt Pragæ in Bohemia Eucharistiæ sumptionem sub utraque specie esse jure divino etiam laicis necessariam. Unde eorum discipuli dicti sunt Calixtini. Hunc errorem secuti sunt Joannes Hus, Hussitæ, & posteà Lutherani & Calvinistæ.

§. I.

Dico 1. Communio sub utraque specie necessaria non est ex præcepto divino Fidelibus non sacrificantibus. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum . . . qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ubi Christus vitam æternam promittit sumentibus Eucharistiam sub sola specie panis. Ergo Christus non præcipit omnibus sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie: nam si præcepisset, communicantes sub unica specie peccarent graviter violando præceptum divinum in re gravi, ideoque damnationem æternam mererentur: & consequenter Christus eis falsò vitam æternam promisisset. Act. c. 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Ubi communio exprimitur solùm sub specie panis, eo quòd, si non ordinariè, saltem sæpe Fideles laici sub hac unica specie communicabant.

Prob. 2. Ex Traditione, quæ nobis innotescit per usum veteris Ecclesiæ, quæ cùm vera Christi Ecclesia fuerit etiam juxta adversarios, nihil egit contra præceptum Christi. In veteri autem Ecclesia sæpe Fideles sub sola specie panis communicabant. Nam,

I. Primis Ecclesiæ sæculis sæviente persecutione, solebat post sacrificium fidelibus tradi Eucharistia domum deferenda, ut illam opportuno tempore sumerent, & maximè ut se ad mortem pro fide constanter subeundam corroborarent; ut constat ex Tertulliano, Cypriano, Clemente Alexandrino, & aliis apud Bellarminum. Eucharistia autem domum deferenda tradebatur tantùm sub specie panis. Sola enim species panis Fidelibus in manus tradebatur: species verò vini solùm dabatur ex calice bibenda, ut constat ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi 5. Nec in domibus laicorum erant calices seu vasa, quibus contineri posset sanguis Christi, ut patet ex Apologia 2. S. Athanasii. Neque id conveniebat.

II. Eucharistia sub sola specie panis asservabatur, ut constat ex Cypriano, Ambrosio, & aliis Patribus, qui de hac asservatione loquentes, solius panis speciem meminerunt.

III. Ægroti

III. Ægroti plerumque sub sola specie panis communicabant, ut patet ex Epist. Dionysii Alexandrini apud Eusebium, l. 6. Hist. c. 44. ex vita S. Ambrosii, in qua Paulinus Diaconus narrat sanctum illum animam agentem, ab Honorato Vercellensi Episcopo accepisse corpus Domini, *quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum.* Et ex vita S. Basilii, in qua Amphilochius scribit S. Basilium ad Missæ ministerium stetisse in templo, panem consecratum sumpsisse cum clericis, & postea in lecto recumbentem reddidisse Domino spiritum.

IV. Manichæi ut laterent, panem Eucharisticum cum Catholicis sumebant, nunquam calicem, ut constat ex S. Leone, serm. 4. de Quadragesima. At si Ecclesia sensisset utriusque speciei sumptionem Fidelibus omnibus à Christo præceptam esse, Manichæi solam panis speciem sumendo, latere non potuissent, sed sese prodidissent, abstinendo à specie vini.

V. In Ecclesia Latina prioribus sæculis, sicut nunc etiam fit, feria sexta majoris Hebdomadæ Sacerdos communicabat sub sola specie panis, sumendo scilicet hostiam pridie consecratam, ut constat ex Innocentio I. Ep. I. c. 4. & ex antiquis ritualibus. Item olim in Ecclesia Græca communio sub sola specie panis fiebat per totam quadragesimam, exceptis die Dominico & Sabbato, ut constat ex Græcorum Euchologiis simpliciter præscribentibus asservandam esse speciem panis pro aliis diebus, in quibus erat tantùm Missa Præsanctificatorum.

Vide plura apud Bellarminum.

Prob. 3. Ex Conciliis: Constantiense, Sess. 13. sic ait: *Sicut hæc consuetudo ad vitandum aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quòd licèt in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie, postea à conficientibus sub utraque, & à laicis tantùmmodò sub specie panis suscipiatur; cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Unde cùm hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare.* Trid. Sess. 21. can. 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi Fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; Anathema sit.* Et Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret; aut in eo errasse; Anathema sit.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Christi, Joann. cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Resp. Christus his verbis præcipit tantùm sumptionem corporis & sanguinis sui. Corpus autem & sanguis Christi verè sumuntur sub unica specie, perinde ac sub utraque, cùm Christus totus sit sub qualibet specie. Quare totum præceptum impletur sumendo Eucharistiam sub unica specie.

Obj. 2. Illud Christi, 1. Cor. c. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Resp. Verba illa absolutè ponuntur tantùm post consecrationem panis. Post calicis verò consecrationem ponuntur cum conditione, nam dicitur : *Hoc facite, quotiescumque biberitis in meam commemorationem.* Quod discrimen satis ostendit calicis sumptionem non omnibus præceptam esse. Quamvis igitur ista verba (*hoc facite*) ad laicos, & ad Sacerdotes conficientes Eucharistiam pertinerent, non tamen ad eos omnes eodem modo spectant. Nam Sacerdotibus præcipitur, ut aliquando Eucharistiam conficiant, & quoties conficiunt, sub utraque specie communicent : Laicis verò præcipitur tantùm ut aliquando communicent sive sub una specie, sive sub utraque, quem modum Christus reliquit Ecclesiæ determinandum.

Obj. 3. Eod. cap. dicitur : *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Resp. His verbis præcipitur, non sumptio calicis, sed dispositio requisita ad Eucharistiam utiliter ac dignè sumendam.

Obj. 4. Illud, Matth. cap. 26. *Bibite ex hoc omnes.*

Resp. Hoc dictum est solis Apostolis præsentibus, ut patet 1. ex contextu; sic enim ibi legitur : *Et accipiens calicem, gratias egit, dedit illis:, dicens : bibite ex hoc omnes.* Ergo Christus illis solis dixit, *bibite ex hoc omnes*, quibus dedit calicem, nempe solis Apostolis. 2. Ex his Marci, cap. 14. verbis : *& biberunt ex eo omnes* : ubi tò *omnes* manifestè significat tantùm eos, qui cum Christo in ultima cœna discumbebant.

Inst. Christus præcepit, ut Apostoli acciperent Eucharistiam sub utraque specie. Ergo idem etiam præcepit Fidelibus omnibus.

Resp. Nego conseq. Nam hoc Christi præceptum erat speciale, & Apostolos solos spectabat. Quamvis enim tunc non consecrassent, Christus tamen convenienter voluit, ut omnes Eucharistiam sub utraque specie sumerent, quia 1. tunc fiebat hujus Sacramenti institutio. 2. Tunc primùm Apostoli Sacerdotes ordinabantur : unde conveniebat, ut tunc acciperent, quod postmodùm celebrando accepturi erant. 3. Discumbebant in eadem cœna cum Christo, qui utramque speciem acceperat.

Obj. 5. Patres docent sanguinem Christi bibendum esse.

Resp. Tam sumitur sanguis sub specie panis quàm sub specie vini, cum sub qualibet specie corpus & sanguis Christi, & ipse Christus totus contineatur. Porro Patres cùm utuntur verbo bibendi, non faciunt vim in modo sumendi, sed in ipsa sumptione.

Obj. 6. In veteri Ecclesia Laici sub utraque specie communicabant, ut constat ex multis Patribus.

Resp. In veteri Ecclesia Laicis ministrabatur quidem Eucharistia sub utraque specie, sed non semper, ita ut sub unica etiam specie sæpe daretur, ut infirmis, & quando privatis in domos suas deferenda tradebatur. Crescente autem magis ac magis Christianorum numero, sensim desiit usus sub utraque specie ob difficultates & pericula. Quemadmodum igitur rectè & prudenter, etiam juxta adversarios, nunc retinetur modus administrandi Baptismi per infusionem, postquam hæc ubique inducta est, quamvis per duodecim sæcula administratus sit per immersionem, sed quæ propter difficultates & incommoda paulatim in desuetudinem abiit : sic usus ministrandi Eucharistiam sub sola specie panis rectè ab universa Ecclesia retinetur ob difficultates & incommoda majora, quæ in usu calicis reperiuntur, quam-

quamvis calix per duodecim sæcula in usu fuerit.

Obj. 7. Gelasius Papa, Can. *comperimus*, de consecrat. dist. 2. ait: *Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineant; qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Resp. Vel Gelasius (ut docet glossa) loquitur de solis Sacerdotibus sacrificantibus, qui jure divino tenentur utramque speciem sumere; Vel si comprehendat Laicos, loquitur de his, qui ex errore Manichæorum à calice semper abstinebant: quales erant ipsi Manichæi, & Priscillianistœ, qui ideò à specie vini abstinebant, quia putabant vinum esse creaturam de se malam & à Diabolo factam, & Christum non habuisse verum sanguinem. Hinc rectè jubentur aut integra Sacramenta & sub utraque specie sumere in signum abjectæ superstitionis & hæresis, aut ab iis omnino abstinere. Hinc etiam rectè dicuntur tantum Sacramentum grandi sacrilegio dividere, in quantum sua hæretica opinione Christum dividebant, & Eucharistiam ipsam, in qua sanguinem contineri non credebant.

Obj. 8. Calix est de substantia & necessitate Sacramenti: ergo jure divino sumi debet.

Resp. Dist. ant. Est de necessitate Sacramenti quoad confectionem, & quatenus Sacramentum hoc ex institutione Christi est sacrificium perfectè repræsentativum passionis & mortis ejus, *conc. ant.* Est de necessitate Sacramenti jam confecti & distribuendi, *nego ant.* Nam Sacramentum confectum, ejusque distributio supponit sacrificium jam perfectum; & quælibet species, utpote totum Christum continens, est integrum Sacramentum, ut supra probatum est.

Obj. 9. Eucharistia instituta est ad modum convivii spiritualis sumendi à Fidelibus omnibus. Sed convivium spirituale requirit cibum & potum spiritualem. Ergo.

Resp. Unaquæque species seorsim ab alia est integrum convivium spirituale, & continet cibum & potum spiritualem, nempe totum Christum. Nam cibus & potus spirituales sunt una eademque res, nempe Christus reficiens animam, qui sub unica specie totus continetur.

Obj. 10. Omnes communicantes debent annuntiare & commemorare mortem Christi, juxta illud, 1. Cor. c. 11. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Resp. Laici communicantes debent annuntiare mortem Domini, non eodem modo, sed diverso quo Sacerdos sacrificans annuntiat. Nam Sacerdos Eucharistiam conficiens sub utraque specie, annuntiat Christi mortem per repræsentationem perfectam, quatenus vi verborum corpus sub specie panis seorsim à sanguine, & vicissim sanguinem sub specie vini seorsim à corpore ponit: & sic vi verborum in signis sensibilibus separat corpus à sanguine, quamvis utrumque per concomitantiam sub qualibet specie seorsim ab alia contineatur. Communicantes autem sub unica specie annuntiant mortem Christi non solùm per recordationem quatenus hujus sacrificii participes facti gratias agere debent de Christi morte in eo repræsentata, sed etiam per repræsentationem minùs perfectam, quatenus Christi corpus sine

ejus ſanguine repræſentatum & vi verborum in ſacrificio ſeparatum ſumunt.

Dices. Saltem communicantes ſub utraque ſpecie expreſſiùs repræſentant mortem Chriſti. Ergo.

Reſp. Nego conſeq. Nam laici non tenentur mortem Chriſti tam perfectè & expreſsè repræſentare ſeu annuntiare, quàm Sacerdos conficiens & ſacrificans.

Obj. 11. Chriſtus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & illud ſub utraque ſpecie Fidelibus omnibus reliquit. Ergo Eccleſia non poteſt illos privare una ſpecie.

Reſp. Chriſtus hoc quidem Sacramentum Fidelibus ſub utraque ſpecie reliquit, ſed ſumendum vel ſub utraque vel ſub unica ſpecie ſecundùm ordinationem Eccleſiæ. Nam ex Conc. Trid. Seſſ. 21. cap. 2. hanc poteſtatem Chriſtus Eccleſiæ dedit; *ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Eccleſia autem nullam Fidelibus injuriam fecit, ſubtrahendo laicis ſpeciem vini, cùm ſub ſpecie panis totus Chriſtus contineatur, & tantùm gratiæ conferatur quantum ſub utraque ſpecie.

§. III.

Dico 2. Eccleſia juſtas ob cauſas Fidelibus non ſacrificantibus uſum calicis negat, & conſuetudinem ſub ſola ſpecie panis communicandi approbavit, eamque pro lege habendam decrevit.

Prob. Illas cauſas exponendo, nimirum.

I. Ob periculum morale effundendi guttas ſanguinis. Neque enim moraliter loquendo fieri poteſt, ut Chriſti ſanguis tantis populorum turbis miniſtretur, quando ad communionem Paſchatis tempore accedunt, quin ſæpiùs effundatur, præſertim cùm inter communicantes multi ſint ſenes, debiles, ruſtici, qui ad bibendum de alterius manu vix accommodare ſe norunt. Igitur ad vitandum irreverentiam & profanationes tanti Sacramenti, quæ nunc in tanta Fidelium multitudine vix vitari poſſent, ſi Euchariſtia ſub ſpecie vini daretur, meritò Eccleſia communionem ſub ſola ſpecie panis laicis permittit.

II. Ob periculum corruptionis ſpecierum, ſi vini ſpecies aſſervaretur pro communione laicorum.

III. Ut haberetur uniformitas communionis reſpectu omnium, quæ nunc haberi vix poteſt cum uſu calicis ob penuriam ac raritatem vini in plurimis regionibus, ubi etiam aliunde aſportatum, brevi tempore aceſcit & corrumpitur.

Præterea non pauci ſunt abſtemii, & plurimi ex eodem vaſe aut eodem calamo cum aliis bibere non poſſent ob horrorem, & metum ne contagioſum morbum, aut fœtidum halitum, aut ſordes ab aliis contraherent.

IV. Denique ut aboleretur hæreſis aſſerentium utriusque ſpecie ſumptionem jure divino neceſſariam eſſe.

Obj. Si iſtæ cauſæ valerent, priſca Eccleſia debuiſſet à primis ſæculis uſum calicis laicis prohibere.

Reſp. Nego. Nam variæ rationes ex allatis locum non habuere: tum quia non erat tanta Fidelium multitudo, nec adhuc exorta fuerat prædicta hæreſis: tum quia ſucceſſu temporis varia acciderunt, quæ oſtenderunt jam non expedire laicorum communionem ſub ſpecie vini.

Obſerva. Præceptum eccleſiaſticum communicandi ſub ſola ſpecie panis Græcos non ſpectat nec obligat: unde etiam Romæ utramque ſpecie in Eccle-

ſiis

fiis sui ritus sumunt. In Ecclesia verò latina ne viaticum quidem dare licet sub specie vini, etiamsi æger illud sub specie panis sumere non possit, ob contrariam praxim Ecclesiæ vim legis habentem. Potest tamen contingere casus, in quo sumptio speciei vini licita sit apud latinos, ut si post calicis consecrationem, irruentibus infidelibus Sacerdos aufugiat, aut deficiat: tunc enim Sacerdos non sacrificans, vel clericus in ejus defectum, vel utroque deficiente quivis laicus in statu gratiæ existens potest & debet calicem sumere ad impediendam profanationem.

CAPUT VI.

De effectibus Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm Eucharistia conferat primam gratiam?

Nota. LUtherus & Calvinus, qui putarunt Sacramenta instituta esse solùm ad excitandam fidem, qua homo justificatur, quique augmentum gratiæ & gloriæ non agnoscunt; consequenter docuerunt Sacramentum Eucharistiæ per se & primariò conferre remissionem peccatorum, excitando fidem. Unde negant statum gratiæ requiri ad communionem Eucharistiæ. Quinimò Lutherus in concione de digna præparatione ad Eucharistiam sic ait: *Optima dispositio est, non nisi ea, qua pessimè es dispositus: & è contrario tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus.* Digna sanè hoc monstro sententia. Calvinus verò, Lib. 4. instit. c. 16. §. 42. dicit Eucharistiam non prodesse justis.

Dico 1. Eucharistia non confert per se & primariò primam gratiam ac remissionem peccatorum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Joann. c. 6. Eucharistia dicitur instituta ut cibus & potus spiritualis: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Cibus autem vitam supponit, non dat; sed eam sustentat, conservat, & auget. Et ibidem cùm effectus Eucharistiæ recensentur, non dicitur dare vitam & remissionem peccatorum, sed conservare & augere vitam animæ, illamque à morte præservare, ut patet ex his Christi verbis: *Vivet in æternum, habet vitam æternam, in me manet, & ego in illo, vivet propter me.* Item ex Apostolo, 1. Cor. cap. 11. requiritur status gratiæ ad Eucharistiæ sumptionem: *Probet autem seipsum homo, & sic de illo pane edat*: & qui manducat indignè, hoc est, in statu peccati mortalis, damnationis æternæ reus est, juxta illud: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* A fortiori non recipit remissionem peccatorum.

2. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres, qui unanimi consensu apud Bellarminum & alios docent ad communionem Eucharistiæ requiri statum gratiæ & liberationem à peccato mortali: ac proinde remissionem peccatorum mortalium non esse primarium effectum Eucharistiæ, nam repugnat Eucharistiam per se & primariò conferre id quod necessariò præsupponit. Pro omnibus sufficiant Sanctus Ambrosius, Lib. 6. in Evang. Lucæ, in cap. 9. ubi sic ait: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi qui vocantur ad cœnam, priùs vocando sanantur .... ubique igitur mysterii ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cœlestis exuberet.* Et Sanctus Augustinus, tract. 26. in Joann. *Quàm multi de altari*

altari accipiunt, & accipiendo moriuntur . . . . videte ergo, fratres, panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate.

3. Ex Conciliis, Florentino, in decreto pro Armenis; & præsertim Tridentino, quod, Sess. 13. Can. 5. ait: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; Anathema sit.*

4. Ratione. Quia Eucharistia, cùm sit Sacramentum specie diversum à Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ, habere debet effectum primarium diversum ab effectu primario illorum Sacramentorum, qui est remissio peccatorum mortalium. Nam Baptismus per se & primariò operatur remissionem peccati originalis, & personalium, ei adjunctorum: Pœnitentia verò omnium mortalium post Baptismum admissorum.

Obj. 1. Illud, Matth. c. 26. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Resp. Ibi agitur de effusione sanguinis Christi, quæ facienda erat in cruce: non verò de effusione sanguinis; quæ fiat in Eucharistia, ut patet ex futuro *effundetur.*

Obj. 2. Ecclesia sic orat in Missa: *Hæc nos communio purget à crimine, sit ablutio scelerum.* Item aliqui Patres dicunt nos Eucharistia mundari & lavari.

Resp. Hæc intelligi debent de Eucharistia ut est sacrificium; nam ut talis vim habet impetrandi remissionem peccatorum mortalium: non verò est Sacramentum. Verba autem mundari, ablui, & simili[illegible] intelligi possunt de Eucharistia, ut est Sacramentum, sed vel respectu venialium, aut pravorum affectuum, reliquiarum peccatorum, jam remissorum, vel respectu mortalium futurorum quoad præservationem. Nam Eucharistiæ sumptio valet ad remittenda venialia, ad tollendos pravos habitus, ad expellendas ac sanandas infirmitates à peccatis mortalibus relictas, atque etiam ad præservandum à peccatis mortalibus.

Obj. 3. Conc. Florent. dicit hominem per Eucharistiam incorporari Christo.

Resp. Loquitur de hominis cum Christo incorporatione, quæ fit per augmentum gratiæ, non verò per primam gratiam seu justificationem, ut patet ex his quæ subjicit decreti verbis: *Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur.*

Obj. 4. Eucharistia ex sua institutione continet Christum, qui peccata mortalia remittere potest. Ergo Eucharistia ex sua institutione habet vim remittendi mortalia.

Resp. Nego conseq. Quia Eucharistia Christum continet non sub quacunque ratione, sed solùm sub ratione cibi & potus spiritualis, qui vitam supponit in eo cui datur.

Obj. 5. Idem potest esse simul cibus & pharmacum. Ergo licèt Eucharistia sit cibus, potest tamen esse pharmacum, quod sanet à peccatis mortalibus.

Resp. Nego conseq. Nam Eucharistia est quidem etiam pharmacum, non quòd à peccatis mortalibus sanet, sed quia præservat à mortalibus, venialia peccata, & infirmitates ex mortalibus jam remissis relictas curat.

Dico 2. Controversia est Doctorum Catholicorum inter se, utrùm Eucharistia per accidens & secundariò conferat primam gratiam, & remittat mortalia in aliquo casu, nempè cùm quis bona fide sed falsò putans se esse in statu gratiæ, devotè ac reverenter Eucharistiam

charistiam sumit sine affectu ad peccatum mortale.

Affirmat S. Thomas, 3. p. q. 79. art. 3. ubi ait: *Potest tamen hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *operari remissionem peccati* (mortalis) *dupliciter: uno modo, non perceptum actu, sed voto, sicut cùm quis primò justificatur à peccato. Alio modo, etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet. Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus: sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.*

Negant multi cum S. Bonaventura, tum quia Eucharistia instituta fuit per modum cibi & potus. Potus autem & cibus nihil unquam prosunt applicati mortuo; nec habent vim etiam per accidens & secundariò dandi vitam, sed solùm conservandi & augendi. Tum quia Sacramenta non efficiunt nisi id, quod significant: Eucharistia autem nullo modo significat gratiam primam & remissivam mortalium, sed solùm gratiam nutritivam & augmentativam significat.

ARTICULUS II.

Quinam sunt veri effectus Sacramenti Eucharistiæ?

DIco. Sacramenti Eucharistiæ primus & primarius effectus est spiritualis nutritio animæ, seu gratia per modum nutritionis.

Prob. 1. Ex illo, Joann. c. 6. *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Ergo Eucharistia est cibus & potus spiritualis animæ. Cibi autem ac potus effectus primarius est nutritio.

2. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo*, ut inquit Urbanus Papa, *gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.*

3. Ex Conc. Trident. Sess. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit:* qui manducat me, & ipse vivet propter me: *& tanquam antidotum; quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

Ratio est, quia Eucharistia efficit quod significat: at significat nutritionem: ergo illam efficit in anima.

Hæc autem nutritio spiritualis consistit tum in augmento gratiæ sanctificantis & virtutum infusarum: tum in gratiis actualibus, quæ suo tempore intuitu Eucharistiæ perceptæ dantur ad charitatem conservandam, & augendam per actus charitatis, & aliarum virtutum ex illius imperio vel motivo; nisi tamen iis gratiæ auxiliis per peccata venialia omninò deliberatè vel sæpe commissa obex postea apponatur.

Secundus effectus Eucharistiæ est liberatio à peccatis venialibus.

Tertius est præservatio à peccatis mortalibus, ideóque perseverantia in bono, ut patet ex Conc. Trident. cap. citato, ubi ait Eucharistiam esse *antidotum, quo liberemur à culpis quotidia-*

tidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.

Ratio est, quia Eucharistia indignè sumentibus efficit quoad vitam spiritualem id omne, quod materialis cibus & potus efficiunt quoad vitam corporalem; cùm sit instituta ad modum cibi & potus. Atqui materialis cibus & potus reparant vires amissas, & præservant à morte corporali. Ergo etiam Eucharistia resarcit detrimenta spiritualia, quæ sunt peccata venialia, actum charitatis ejusdem fervorem impedientia, & præservat à morte spirituali, conservando vitam animæ.

Hanc autem remissionem venialium operatur Eucharistia, per charitatis fervorem, quem producit gratiis actualibus, quæ dantur ex opere operato illius. Præservationem verò à mortalibus efficit etiam mediantibus gratiis actualibus, quæ intuitu Eucharistiæ priùs perceptæ dantur ad eliciendum sæpe actum charitatis, qui incompossibilis est cum omni affectu ad mortalia: unde sæpe actum charitatis eliciens tentationes vincit, & præcepta observat.

Jam verò mediante ista præservatione efficit perseverantiam in gratia, & per eam gloriæ consecutionem. Unde à Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2. Eucharistia dicitur etiam *pignus futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis.* Et Joann. cap. 6. Christus ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quartus effectus est delectatio spiritualis. Constat ex Conc. Florent. modo laudato, & ex Conc. Gener. Viennensi, ubi Clemens V. sic ait: *In hoc Sacramento habetur omne delectamentum & omnis saporis suavitas ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Et verò de manna, quod erat figura Eucharistiæ dicitur Sap. 16. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Sed hæc spiritualis delectatio, sicut & excitatio charitatis impeditur per negligentiam, teporem, distractionem voluntariam communicantis, vel affectum ad terrenas delectationes. Quare sanctus Bernardus, Serm. 5. de Ascensione ait: *Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? præoccupatam nempe sæcularibus desideriis animam delectatio sancta declinat. Nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.*

Quintus effectus. Eucharistia minuit fomitem peccati seu concupiscentiam, augendo scilicet charitatem actualem, ut docet S. Thomas, 3. p. q. 79. art. 6. ad 3. ubi de Eucharistia ait: *Diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*, quia, sicut Augustinus dicit in Lib. 83. quæstionum, *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.* Nam re vera fervor charitatis, ad quem excitat Eucharistia per gratias actuales, intensionem actus concupiscentiæ impedit, vel ejus vim elidit.

Sextus denique Eucharistiæ effectus, est gloriosa resurrectio & immortalitas corporis speciali aliquo modo, quatenus nempe Deus movetur ad vivificanda corpora propter conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice Christi carne, juxta illud, Joann. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Observa. Non semper hi omnes effectus obtinentur. Quia qui Eucharistiam recipiunt sæpe impedimentum apponunt

nunt donationi gratiarum actualium, vel resistunt ipsis gratiis actualibus donatis, quarum mediante cooperatione obtinentur hi effectus. Gratiæ verò sanctificantis augmentum statim datur justo post Eucharistiæ manducationem.

ARTICULUS III.

Utrùm Eucharistia plus gratiæ conferat sub utraque specie, quàm sub unica?

DIco. Sacramentum Eucharistiæ non plus gratiæ confert sub utraque specie quàm sub unica. *Ita comuniter.*

Prob. 1. Ex Conc. Moguntino celebrato anno 1549. cap. 32. ubi ait: *Illum sub una specie communicandi morem ad salutem Fidelium æque utilem & efficacem esse, quàm alterum sub utraque specie.*

2. Ratione.. Quia sub unica specie totum & integrum Sacramentum sumitur, ut probatum est. Ergo non minùs gratiæ sub unica specie confertur quàm sub gemina: sicut non plùs gratiæ recipit, qui binas hostias sumit. Item Christus in Eucharistia tantum efficit sub unaquaque specie, quantum sub unaquaque significat. Nam Sacramenta novæ legis tantum operantur, quantum significant, cùm sint signa practica gratiæ. Atqui Christus sub unaquaque specie seorsim ab alia tantum significat, quantum sub utraque: nam (ut probatum est) Christus sub unaquaque specie seorsim ab alia integram refectionem spiritualem significat. Ergo Christus tantum gratiæ efficit sub unaquaque specie seorsim ab alia, quantum sub utraque.

Obj. 1. S. Ambrosius: l. 5. de Sacramentis, c. 3. ait: *Quotiescumque bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in spiritu.* Ergo sanguis Christi sub specie vini specialem effectum producit, quem non producit corpus Christi sub specie panis.

Resp. Nego conseq. Nam eundem effectum corpori Christi sub specie panis attribuunt Patres. Sic idem Ambrosius, l. 4. de Sacramentis, cap. 5. ait: *Qui manducaverit hoc corpus, fit ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* Porro per inebriationem illam spiritualem intelligitur magna copia gratiarum, quæ sub alterutra specie dignè sumentibus confertur.

Obj. 2. Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ, qua ei concedit facultatem communicandi sub utraque specie, dicit hanc ei concedi ad majus augmentum gratiæ.

Resp. Loquitur de augmento gratiæ obtinendo ex opere operantis, ratione scilicet majoris devotionis, quacum supponit Regem communicaturum sub utraque specie. Adde, quod Clemens ibi loquatur ut Doctor privatus· non enim quidquam definit, aut toti Ecclesiæ id credendum proponit.

Obj. 3. Sacramenta novæ legis tantum operantur, quantum significant. At Eucharistia sub duplici specie significat duplicem refectionem spiritualem, unam scilicet quæ respondet refectioni per cibum corporalem ad explendam famem; & alteram, quæ respondet refectioni per potum ad sedandam sitim. Ergo.

Resp. Nego min. Nam utraqua species non significat nisi unicam refectionem spiritualem, quæ est indivisibilis & simplex. Nec enim sicut refectio corporalis dividitur in cibum & potum, qui sint inter se realiter distincti: nam cibus & potus spiritualis sunt una & eadem res, nempe Christus reficiens animam eadem gratia Sacramentali, qua simul fames & sitis spirituales explentur. Quare cibus spiritualis seorsim à potu spirituali est integrum convivium spirituale. Idem dic de potu spirituali.

Inst. 1. Species panis significat refectionem diversam ab ea, quam significat species vini. Nam species panis significat refectionem per modum cibi, & species vini per modum potus. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam eadem est refectio, quæ per utramque speciem significatur, quamvis significetur per unam speciem modo diverso ab eo, quo significatur per aliam. Sed hæc diversitas se tenet tantùm ex parte modi, non ex parte rei contentæ, per quam habetur ista refectio, cùm sub alterutra specie habeatur eadem res, videlicet Christus reficiens animam. Quare æque integra refectio habetur sub unica specie ac sub duplici; cùm sub unica id totum accipiatur, quod accipitur sub duplici.

Inst. 2. Species panis aliud significat, & aliud species vini. Ergo ambæ species non significant eandem refectionem.

Resp. Neg.ant. Nam ambæ illæ species diversæ significant cibum & potum spirituales, qui sunt una & eadem res: quæ licèt expressius significetur per utramque speciem quàm per unam, tamen per unam tota significatur & habetur.

Inst. 3. Si utraque species expressiùs, distinctiùs, & perfectiùs significat quàm unica, utraque majorem effectum producit quàm unica. Ergo.

Resp. Nego seq. antec. Quia quamvis utraque species expressiùs & clariùs spiritualem refectionem significet; non tamen aliquid significat, quod alterutra species, licet paulo obscuriùs non significet. Id autem quod idem solùm distinctiùs & expressiùs quoad modum significat, non ideo majorem effectum producit. Sic Baptismus trina immersione collatus non plus significat nec operatur; & moneta melius impressa non plus valet quàm altera.

Obj. 4. Alius est effectus cibi, alius effectus potus: nam cibus famem sedat, potus sitim extinguit. At Eucharistia sub specie panis est cibus, & sub specie vini est potus. Ergo utriusque speciei, diversus est effectus.

Resp. Disting. maj. Si potus & cibus non sint una & eadem res, *conc. maj.* Si potus & cibus sint una & eadem res, quæ eandem virtutem habeat, *neg. maj.* Eucharistia sub qualibet specie continet totum Christum, qui est simul cibus & potus noster spiritualis, & per eandem gratiam Sacramentalem explet simul famem & sitim spiritualem, quæ sunt una & eadem animæ affectio: unde in spiritualibus famem explere & sitim extinguere sunt prorsus unum & idem. Et verò si solo lacte infantes perfectè nutriuntur, & eorum fames ac sitis explentur, eo quod lac sit simul cibus & potus, seu sit potus cibalis. Idem dic de pane, aqua vel vino macerato, qui est quidem cibus, sed potus continens. A fortiori, Eucharistia sub unica specie continens totum Christum, qui est simul cibus & potus animæ explet simul famem & sitim animæ, quæ sunt unum & idem.

Obj. 5. Si Sacerdos sumens speciem vini non acciperet novam gratiam & diversam ab ea, quam accepit in sumptione speciei panis, sumptio Sanguinis non esset Sacramentum: nam Sacramentum est de se collativum gratiæ. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia Sacerdos in sumptione speciei panis totam gratiam, quæ datur ex opere operato vi hujus Sacramenti, accipit non solùm propter sumptionem corporis sub specie panis, sed etiam propter sumptionem sanguinis sub specie vini mox futuram, & jam moraliter operantem. Nam hæ duæ sumptiones sibi statim succedentes censentur una moraliter refectio, & utraque species per modum unius convivii sumitur. Quòd autem duplex

duplex gratia non conferatur per duplicem speciem, causa non est, quia utraque sumptio ambarum specierum non sit de se gratiæ collativa, cùm re vera sit Sacramentum, sed quia utraque sumptio est moraliter unicum numero Sacramentum.

Dici etiam potest cum Bellarmino, in casu communionis sub utraque specie, Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi cùm sumpta est etiam species vini, quacum post ejus sumptionem confert eandem gratiam quam contulisset sola. Quia Eucharistia sub specie panis non confert gratiam, nisi tota sumptio Eucharistiæ absoluta sit, nec tunc censetur absoluta, nisi cùm utraque species sumpta est.

In casu autem, quo Sacerdos celebrans moreretur ante sumptionem speciei vini, is à Deo mortem ejus proximè futuram præsciente, statim post sumptionem hostiæ acciperet eandem gratiam, quam accepisset, si utramque speciem sumpsisset.

Inst. Ergo inutiliter sumitur utraque species.

Resp. Nego sequel. Nam (ut ait Bellarminus) Sacerdos utramque speciem non inutiliter sumit, non solùm quia utraque species operatur, sed etiam quia utriusque speciei sumptio, licèt non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte Sacramenti. Nam cùm Sacramentum sub duplici specie ad cruentum crucis sacrificium perfectè repræsentandum, & ad expressiùs ac clariùs spiritualem animæ refectionem significandam institutum sit, utraque species necessariò ab aliquibus sumenda est, quamvis non necessariò ab omnibus. Sed maximè necessaria est utriusque speciei sumptio ob sacrificii perfectionem & complementum.

Observa hic ex Bellarmino. Non est inutile id, quod facit aliquid, quamvis etiam sine eo id fieri potuisset. Nam Christus aliquando sola voluntate miracula patrabat, ut cùm aquam in vinum convertit: aliquando voluntate, verbo, & contactu, ut cùm puellam mortuam excitavit; aliquando voluntate, verbo, contactu, & alio instrumento, ut sputo, sic cæcum illuminavit. In his omnibus nihil erat inutile & superfluum, quia omnia operabantur, & tamen non erant omnia necessaria, neque majorem effectum producebant omnia simul, quàm unum, aut duo tantùm. Non enim melius revixit puella quàm Lazarus, etiamsi illam & voce appellavit, & manu apprehendit, Lazarum autem solùm vocavit.

Obj. 6. Una species non dependet ab altera in operando. Ergo unaquæque debet suum effectum operari.

Resp. Quamvis una species sine altera integram refectionem significare & efficere possit, & in hoc sensu una in operando non dependeat ab alia; tamen cùm ambæ species simul sumuntur, mutuam habent inter se in operando dependentiam; quia tunc, cùm per modum unius convivii sumantur, simul ac indivisibiliter significant, ideoque operantur unum & eundem effectum convivii, nempe unam & eandem refectionem integram.

Obj. 7. Ambæ species simul sumptæ significant perfectam refectionem, quam non significat alterutra species. Ergo ambæ producunt perfectiorem effectum quàm unica.

Resp. Nego anteced. Itaque unica species verè significat perfectam refectionem spiritualem, quàm ambæ simul sumptæ significant. Nam quælibet species seorsim sumpta significat Christum ut reficientem animam.

Obj. 8. Eucharistia sub specie panis significat & producit gratiam tantum confortantem animam; & sub

ſpecie vini ſignificat & producit gratiam tantum exhilarantem animam. Ergo ambæ ſpecies diverſam gratiam ſignificant & producunt. Ergo, &c.

Reſp. Nego anteced. Nam Euchariſtia ſub qualibet ſpecie etiam ut ſeorſim ſumibili eſt integrum convivium ſpirituale, quod non ſicut convivium materiale dividitur in duas res, ſed conſiſtit in unica re, nempe Chriſto, ut reficiente animam eadem gratia: ac proinde Euchariſtia ſub qualibet ſpecie etiam ut ſeorſim ſumibili gratiam tum confortativam, tum ſpiritualiter exhilarativam ſignificat & efficit.

Obj. 9. Sacramentum bis ſumitur, quando ſumitur utraque ſpecies; & ſemel duntaxat ſumitur, cùm ſumitur unica ſpecies. Ergo plus gratiæ, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam non augetur gratia vel fructus Euchariſtiæ, quando bis ſumitur eodem moraliter tempore; quia ſumitur per modum unius convivii, & tunc ſumitur unicum moraliter numero Sacramentum. Alioqui qui duas tresve particulas ſumeret unam poſt alteram in eadem participatione myſterii, majorem gratiam acciperet, quàm qui unam tantùm: ſimiliter cùm Sacerdos duobus aut tribus hauſtibus ſanguinem ſumit, plus gratiæ acciperet quàm qui uno hauſtu totum ebibit. Quod abſurdum eſt, & à nemine admittitur.

Obſerva. Conc. Trident. præſentem controverſiam dirimere noluit, utpote inter Doctores Catholicos agitatam. Unde Seſſ. 21. cap. 3, ſolùm declaravit: *etiam ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi: ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt.*

CAPUT VII.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

ARTICULUS I.

Quis ſit Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ?

Nota. Lutherus poteſtatem conficiendi Euchariſtiam tribuit baptizatis omnibus, quamvis addat non expedire, ut quis ea utatur, niſi ad hoc officium deputatus ſit. Imò, in lib. de miſſa privata, aſſerit verum fore Sacramentum, etiamſi conficeretur à Diabolo.

Dico. Solus Sacerdos poteſt Euchariſtiam conficere, ſeu validè conſecrare, ideoque ſolus eſt miniſter Euchariſtiæ conficiendæ. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Chriſtus poteſtatem conficiendi Euchariſtiam conceſſit ſolis Apoſtolis, quos ſolos alloquebatur, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut conſtat ex Traditione & perpetuo Eccleſiæ ſenſu ac uſu.

2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios.

3. Ex Conc. General. Conc. Nicæn. I. Can. 14. ait: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quòd in nonnullis locis & Civitatibus Diaconi dent Presbyteris Euchariſtiam: quod nec Canon, neque conſuetudo tradidit, ut his qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chriſti.* Conc. Lateran. IV. cap. 1. *hoc utique Sacramentum* (Euchariſtiæ) *nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus.* Conc. Florent. in decreto pro Armenis, idem docet. Denique Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 1. & Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis,* hoc facite in meam comemorationem, *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacer-*

Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.

Obj. 1. Hæc verba (*hoc facite in meam commemorationem*) tam extenduntur ad Fideles omnes, quàm ista, Matth. cap. ult. saltem in necessitate, *baptizantes eos, &c.* Ergo Fideles omnes possunt Eucharistiam conficere.

Resp. Nego anteced. Cujus falsitas constat ex Traditione, & sensu, ac praxi Ecclesiæ, cujus est verum sensum Scripturæ exponere.

Ratio à priori hujus disparitatis, est voluntas Christi, qui convenientissimè voluit, ut omnes possent validè baptizare, non consecrare, ob maximam necessitatem Baptismi, & majorem reverentiam erga Eucharistiam.

Obj. 2. Illud, 1. Petr. cap. 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium, &c.*

Resp. Hoc intelligitur de Sacerdotio latè & impropriè sumpto, nempe pro spirituali potestate & obligatione offerendi Deo laudes & bona opera, quæ sunt hostiæ spirituales, de quibus suprà dixit, cùm ait: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Obj. 3. Conc. Anciranum, an. 314. jubet, ut Diaconi, qui immolaverant idolis, cessent ab omni sacro ministerio, sive à pane, sive à calice offerendo.

Resp. Sensus est, quòd Diaconi non debeant porrigere Sacerdoti panem & vinum, ut illa consecret: quod erat illorum officium, à quo ob crimen suspenduntur. Unde per tò *offerre* non intelligitur consecrare: hoc enim numquam potuerunt Diaconi, ut testatur S. Hieronymus, Dialog. contra Lucifer. ubi ait: *Hilarius Sardus, cùm Diaconus de Ecclesia recessérit .... neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & Presbyteros non habens; Ecclesia enim non est, quæ non habet Sacerdotes.*

Obj. 4. Conc. Arelatense I. Can. 15. ait: *de Diaconis, quos cognovimus multis locis offerre; placuit minimè fieri debere.*

Resp. Loquitur vel de distributione Eucharistiæ, quam Diaconi illi absque licentia Episcopi vel Presbyteri sibi arrogabant: vel de oblationibus Fidelium distinctis à consecratione hostiæ, quæ præsente Sacerdote non poterant ab alio benedici, temeréque id à Diaconis prædictis præsumebatur. Unde per tò *offerre* intelligitur vel Eucharistiam Fidelibus distribuere, vel benedicere à Fidelibus oblatas, & distinctas ab iis, quæ consecrabantur. Pro quo

Nota. Olim in Ecclesia offerebantur à laicis panis & vinum, quorum pars consecrabatur, & alia à Sacerdote benedicebatur, posteaque Fidelibus distribuebatur. Quæ benedictio fiebat à Sacerdote, dum illius erat copia, alioqui verò in casu necessitatis ab alio fieri poterat.

Quæres, *utrùm plures Sacerdotes eandem hostiam consecrare possint?*

Resp. Affirm. Modo cùm debita intentione formam eodem instanti absolvant.

Constat ex consuetudine, qua recens ordinati simul cum Episcopo consecrant; alioqui frustra proferrent verba consecratoria. Tunc autem singulorum actio se habet per modum unius actionis moralis, Deum moventis ad convertendum panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi.

ARTICULUS II.

Quis sit minister Eucharistiæ dispensandæ, seu ministrandæ?

Dico 1. Solus Sacerdos est minister ordinarius Eucharistiæ distribuendæ.

Prob. 1. Ex Concil. Trid. Seff. 13. cap. 8. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos tanquam ex Traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

2. Quia solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus jure ordinario dispensatio Eucharistiæ commissa ac præscripta est à Christo per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

3. Quia ii soli sunt ministri ordinarii dispensandæ Eucharistiæ, ad quos solos pertinet eam conficere: nam confectio ordinatur ad dispensationem.

Dico 2. Diaconus est extraordinarius Eucharistiæ dispensandæ minister, videlicet cum licentia Episcopi vel presbyteri.

Constat ex praxi veteris Ecclesiæ, quæ olim hoc officium commiserat Diaconis, ut patet ex S. Cypriano, Serm. de lapsis; ex Actis S. Laurentii: ex Ordine Romano, & ex Conciliis Aquisgranensi, c. 7. & Carthaginensi IV. Can. 38.

Nunc autem ex usu præsenti Diaconi Eucharistiam ministrare non debent sine licentia Episcopi; nisi urgeat necessitas danti viaticum, absente Presbytero.

Dico 3. Subdiaconi & alii Clerici minores non possunt solemniter & in cœtu publico Eucharistiam ministrare.

Patet ex perpetuo usu Ecclesiæ. Nam munus illud numquam nisi Sacerdotibus vel Diaconis commissum fuit, ut constat ex S. Cypriano, ex Conc. Arelatensi I. Nicæno I. & Carthaginensi IV.

Olim tamen ex speciali commissione Eucharistiam detulerunt ad absentes, ob penuriam Superiorum ministrorum, ut patet ex Epistola Innocentii I. & ex Actis Sancti Tharsici Acolythi, qui cùm Eucharistiam deferret; à paganis occisus fuit, quod eam producere noluisset.

Imò laici prioribus Ecclesiæ sæculis, cùm sæviret persecutio, Eucharistiam de Sacerdotis vel Diaconi manu acceptam privatas in domos deferebant, & ipsi sumebant antequam fidem coram tyrannis profiterentur.

PARS II.

De Sacrificio Missæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm in Missa offeratur verum ac propriè dictum Sacrificium?

§. I.

Prænotanda.

I. SAcrificium latè, vel strictè sumitur. Sumptum latè & impropriè est quælibet actio bona interna vel externa ad Dei cultum & honorem relata, vel Deo grata; ut contritio cordis, laus Dei, eleemosyna, &c.

Sacrificium verò strictè & propriè sumptum est oblatio externa rei sensibilis, per aliquam ejus destructionem, facta Deo, ad testificandum Deum esse supremum rerum omnium & nostri esse Auctorem, ac supremum vitæ & necis Dominum, cui proinde totum nostrum esse debemus, ejusque destructionem si illam postularet.

Dicitur 1. *Oblatio externa rei sensibilis* animatæ scilicet vel inanimatæ. Quia Sacrificium humano ac publico usui accommodatum esse debet, estque actus religionis externus, Deo debitus. Nam cùm homo ex corpore & spiritu constet, Deum colere debet, non solùm actibus internis sed etiam externis.

II. *Per aliquam destructionem*, sive physicam quæ sit rei desitio immediatè facta ipso actu sacrificandi, ut cùm animalia occidebantur: sive moralem, per quam scilicet res oblata ponitur ipso actu sacrificandi in statu deteriori & inepto

inepto ad suos usus naturales, & tendente ac ordinato ad interitum seu desitionem, ut patet in liquoribus, qui in libationibus fundebantur.

Ratio est, quia per Sacrificium homines intendunt testificari Deum esse supremum Auctorem ac Dominum omnium Creaturarum, seque ei debere totum suum esse, ideoque paratos esse illud consumere, imo destruere ad ejus gloriam si vellet, vel ejusdem esse destructionem pati.

III. *Facta Deo.* Nam Sacrificium est cultus latriæ soli Deo debitus, cùm solus Deus sit supremus auctor rerum omnium & Dominus vitæ ac necis. Unde illud Exod. c. 22. *qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.*

IV. Denique. *Ad testificandum Deum esse*, &c. Nam Sacrificium est testificatio, qua homo profitetur se habere totum suum esse à Deo, seque ei totum debere, & ideo dignum esse Deum, in cujus honorem & cultum idem esse consumatur & destruatur: quam destructionem quia Deus vetat, pro nostro esse, quod destruere nobis non licet, esse alterius rei offerimus & destruimus, ut hac oblatione & destructione testificemur nos paratos esse nostrum esse consumere, imo destruere ad Dei gloriam & honorem, si ipse exigeret, ut rectè exponit Delugo.

Porro Christus se in cruce sacrificavit non solùm tormentis & morti se subjiciendo, sed etiam capite sensibiliter inclinato in signum subjectionis & humiliationis, spiritum vi propria emittendo, juxta illud, Joann. c. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso.*

Cæterum allata definitio est Sacrificii sumpti activè, seu pro actu sacrificandi. Nam si Sacrificium sumatur passivè seu pro re sacrificata, sic definitur: substantia sensibilis per aliquam sui destructionem oblata Deo ad testificandum Deum esse supremum rerum omnium & nostri esse Auctorem, atque vitæ ac necis Dominum.

Missa autem hic sumitur pro tota celebratione divini officii, in quo Eucharistia consecratur. Sic dicta est vel à missione seu dimissione populi, quia Liturgia Sacrificii peracta dimittebatur populus, vel à voce Hebraica *Miza;* quæ oblationem significat.

§. II.

Dico. In Missa offertur verum & propriè dictum Sacrificium. Est de fide contra Lutherum & Calvinum.

Prob. 1. Ex Scriptura 1. ex Malachiæ c. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* At per oblationem illam mundam intelligitur Eucharistiæ Sacrificium, ut constat ex Traditione Patrum, ut Justini, in dialogo cum Triphone, Irenæi, l. 4. c. 32. Chrysostomi. in Psal. 95. Augustini, l. 19. de civitate Dei, c. 35. Damasceni, lib. 4. de fide, c. 14. & ex Conc. Trident. Sess. 22. cap. 1.

2. Hebr. cap. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Ubi autem est altare, ibi debet esse Sacrificium propriè dictum, quod non potest esse nisi Eucharistia, cùm in nova lege omnia alia Sacrificia desierint.

3. *Ex Matthæo, cap. 26. Marco, cap. 14. Luca, cap. 22. & Paulo, 1. Cor. cap. 11,* Referentibus Eucharistiæ institutionem & celebrationem, quæ est verum & propriè dictum Sacrificium, ut sic ostendo. Christus celebrando

lebrando Eucharistiam, se ipsum sub specie panis & vini Deo Patri obtulit, & id ipsum fieri jussit ab Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus usque ad mundi consummationem. Atqui Christus hoc faciendo, verum Sacrificium obtulit, & instituit offerendum usque in fidem mundi, ut per se patet. Ergo celebratio Eucharistiæ est verum & propriè dictum Sacrificium. *Major constat* ex Patribus apud Bellarminum, & alios. Pro omnibus sint, Irenæus, l. 4. c. 32. Ubi dicit Christum instituendo Eucharistiam, *Novi Testamenti novam docuisse oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo.* Cyprianus, Epist. 68. *Quis magis Sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Augustinus Concione 2. in Psal. 33. *Ipse* (Christus) *de corpore & sanguine suo instituit Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech*, id est, sub specie panis & vini. Idem docet, Serm. 1. & Chrysostomus, Homil. 24. in 1. Cor. *Christus . . . pro cæde brutorum se ipsum jussit offerri.*

Prob. 2. Ex Traditione, quæ clarè elucet in antiquissimis Liturgiis, *Jacobi, Marci, & aliorum;* & evidenter patet ex unanimi consensu Patrum, qui cùm de Eucharistiæ celebratione loquuntur, utuntur passim vocibus Sacrificii, hostiæ, victimæ, & verbis immolare, offerre, sacrificare. Pro omnibus hìc sufficiant.

S. Cyrillus, Hierosol. Catechesi 5. *Post quam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum . . . . maximum esse credentes pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii.* S. Chrysostomus, Homil. in Psal. 95. *Vidi quàm luculenter, quamque dilucidè* (Malachias) *mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* S. Ambrosius, l. 1. in Luc. c. 1. *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus assistat Angelus . . . . Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus immolatur.* Et in Psal. 38. *Et si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur.* S. Augustinus, l. 10. de civit. Dei cap. 20. loquens de Christo: *Et Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium . . . Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur . . . . Huic summo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cesserunt.* Et Serm. 130. de tempore. *Novum est altare Sacrificii Christi, quoniam immolatio nova & admirabilis: ipse enim hostia erat & Sacerdos: hostia quidem secundùm carnem, Sacerdos verò secundùm spiritum; idem ipse qui offerebat & quod offertur: simul ergo hostia, & Sacerdos in altari perfectus est.*

His accedit definitio Concil. Trid. Sess. 22. Can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; Anathema sit.*

Prob. 3. Ratione 1. Sic. In vera religione necessariò debet esse verum ac propriè dictum Sacrificium. Atqui religio Christiana est vera religio, ut evidenter constat ex motivis credibilitatis. Ergo in religione Christiana necessariò

sariò debet esse verum & propriè dictum Sacrificium: quod non potest esse aliud quàm Eucharistia, cùm alia Sacrificia sint abrogata, & sola Eucharistia sit Sacrificium Deo dignum. *Major etiam constat*: nam vera religio necessariò exhibere debet Deo cultum externum supremum, & ipsi soli debitum; finis enim veræ religionis est Deo supremum & ei soli debitum cultum tum internum, tum externum exhibere: & alioqui non coleret Deum modo debito. At solum Sacrificium est cultus externus supremus & soli Deo proprius ac debitus: nam alia genera honoris æterni possunt esse ei aliquo modo communia cum creaturis. Ergo vera religio necessariò debet exhibere Deo verum ac propriè dictum Sacrificium, & re ipsa exhibet. 2. Quia definitio veri Sacrificii convenit Eucharistiæ confectioni, ut infrà probabitur.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Verum ac propriè dictum Sacrificium religionis Christianæ est solum Sacrificium crucis. Ergo in Missa nullum verum offertur.

Resp. Nego anteced. Quia Sacrificium crucis semel oblatum est, & statim desiit esse, neque postea mansit nisi per efficaciam & effectus suos, non verò in se. Imo nunquam fuit tempore religionis Christianæ: nam religio Christiana propriè cæpit post mortem Christi. At Sacrificium proprium veræ religionis debet semper esse in illa, ut ipsa possit semper Deo supremum cultum externum exhibere. Præterea vera religio habere debet Sacrificium externum & visibile, ad quod homines illius religionis peragendum conveniant, & quod sæpe ab ipsis frequentari possit. Cujusmodi non est Sacrificium crucis, sed sola Eucharistia.

Obj. 2. Ad verum Sacrificium requiritur occisio victimæ. Ergo non datur Sacrificium incruentum, &c.

Resp. Nego antecedens universaliter sumptum. Nam ad Sacrificium rei inanimatæ, aut rei viventis quæ in aliena specie & in forma rei inanimatæ sacrificatur, non requiritur occisio; sed sufficit moralis destructio rei, quæ sacrificatur, ut patet in sacrificiis panis, vini, & aliarum ejusmodi rerum, quæ olim sacrificabantur, quatenus in honorem Dei ponebantur in statu deteriori & inepto ad suos usus naturales, & tendente ad interitum seu desitionem. Christus autem quamvis sit res vivens, tamen in Missa offertur in forma rei inanimatæ & in specie aliena, nempe panis & vini. Unde verè Christus in Missa sacrificatur, sed modo incruento.

Obj. 3. Ex Apostolo, *Hebr. cap. 7.* Christus est unicus Sacerdos legis novæ.

Resp. Revera Christus est unicus legis novæ Sacerdos principalis, nullumque habens successorem cum eadem auctoritate & dignitate. Unde excluditur tantùm multiplicatio Sacerdotum in eadem auctoritate & dignitate cum Christo. Quamvis autem nemo succedat Christo in eadem auctoritate & dignitate, tamen ipso vivente ordinantur multi alii inferiores Sacerdotes, qui sint ejus Vicarii & Ministri in Sacerdotio: sicut in veteri lege vivente Aarone multi erant inferiores Sacerdotes.

Inst. Christus est Sacerdos in æternum. Ergo non sunt alii Sacerdotes.

Resp. Nego conseq. Equidem cùm Christus sit Sacerdos in æternum, non possunt illi substitui alii in Sacerdotio successores. At possunt esse alii multi in terris Sacerdotes Ministri & Vicarii Christi in sacerdotio, per quos nunc visi-

visibiliter & humano more in terris sacrificet, cùm hoc ipse per se non præstet ampliùs. Imò verè Christus est Sacerdos in æternum, quia visibiliter & humano more per Ministros sacrificat, & sacrificabit usque ad consummationem sæculi. Nam (ut docet Apostolus, Heb. c. 5.) omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona & sacrificia. Unde Christus debet per se vel per Ministros suos offerre Deo Sacrificium propriè dictum, alioqui non esset ampliùs Pontifex.

Obj. 4. Ex Apostolo, *Heb. c.* 9. Est unicum Sacrificium, unica oblatio. Et c. 10. dicit de Christo: *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei .... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Resp. Apostolus solùm vult unicum esse Sacrificium cruentum semel tantùm in cruce oblatum, & infiniti valoris ad remittenda omnia peccata & ad sanctificandos omnes homines, ideoque non iterandum esse. Item unicam esse hostiam & oblationem ex parte rei oblatæ. Quod non officit Sacrificio Missæ, quia in Missa offertur Sacrificium incruentum, cujus victima Sacerdos principalis est Christus, quodque Sacrificium valet ad applicandum hominibus infinitum pretium cruenti Sacrificii crucis. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc uberrimè percipiuntur: tantùm abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur,* ait Conc. Trident. Sess. 22. cap. 2. Itaque plura Sacrificia Missæ non derogant virtuti Sacrificii crucis, cùm non offerantur ut suppletiva ejus insufficientiæ, sed ut illius rememorativa, & ex Dei ordinatione applicativa valoris ejus infiniti.

Obj. 5. Sacrificium crucis habet vim infinitam & sempiternam ad sanctificandum homines. Ergo inutile est aliud.

Resp. Nego conseq. Nam Sacrificium Missæ valet ad exhibendum Deo supremum cultum, ad constituendam religionem, quæ sine vero Sacrificio externo esse nequit, ad Sacrificium crucis commemorandum, & ad applicandum fructum Sacrificii crucis. Quamvis enim omnes infinito pretio crucis redempti sint, quantum ad sufficientiam pretii pro omnibus oblati; tamen ut salutem actu consequantur, opus est ejus applicatione. Inter varia autem media, quibus ex Dei ordinatione meritum ac pretium cruenti Sacrificii crucis nobis applicatur, unum è præcipuis est Missæ sacrificium.

Obj. 6. Eucharistia est repræsentatio cruenti Sacrificii Christi. Ergo non est Sacrificium.

Resp. Nego conseq. Nam utrumque ei convenit. Sic antiqua Sacrificia simul erant repræsentationes ac figuræ futuri Sacrificii crucis, & vera Sacrificia.

Itaque Eucharistiæ consecratio est repræsentatio Sacrificii crucis, quia vi verborum solum corpus Christi directè sub specie panis, & sanguis ejus solus directè sub specie vini ponitur, & quidem ad repræsentandam realem separationem corporis & sanguinis factam in cruce, & mortem inde secutam. Hæc autem repræsentatio est mystica separatio corporis & sanguinis Christi. Eadem consecratio est etiam verum Sacrificium, ut constat ex dictis, & patebit ex dicendis articulo sequenti.

Obj. 7. Eucharistia est testamentum, & Sacramentum: Ergo non est Sacrificium.

Resp.

Resp. Nego conseq. Nam hæc omnia ei conveniunt sub diversa consideratione. Eucharistia enim est testamentum Christi, quatenus est instrumentum, quo nobis applicantur promissiones nobis à Deo factæ: est Sacramentum, quatenus est signum sensibile & efficax gratiæ animarum nutritivæ: est denique Sacrificium, quatenus in ea Christus secundùm corpus & sanguinem Deo offertur in agnitionem supremi ejus Dominii, per utriusque destructionem moralem.

Obj. 8. Si in Missa esset verum Sacrificium, Missa esset novum testamentum distinctum ab eo, quod Christus in ultima cœna instituit, & promitteret novam remissionem peccatorum. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Itaque Missa non est novum testamentum, sed est testamenti à Christo instituti repetitio; nec promittit novam remissionem peccatorum, sed remissionem Sacrificio crucis acquisitam applicat.

QUÆSTIO II.

In quo consistat Sacrificium Missæ, seu forma Sacrificii Missæ.

Nota. SAcrificium sumitur dupliciter. 1. Pro actione Sacrificandi, quæ dicitur etiam forma sacrificii, & oblatio. 2. Pro re sacrificata, quæ dicitur materia proxima sacrificii.

Dico. Sacrificium Eucharistiæ sumptum pro actu sacrificandi consistit adæquatè in consecratione spectata præcisè, ut est positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini vi verborum.

Prob. 1. Actio sacrificandi in Missa consistit solùm in ea actione, quam Sacerdos exercet in persona Christi. Nam Christus in Sacrificio Missæ est semper offerens ministerio Sacerdotum, in ejus persona offerentium, ut docet Conc. Trident. Sess. 22. cap. 2. ubi ait: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Atqui sola consecratio est actio, quam Sacerdos exercet in persona Christi: Nam cùm Sacerdos assertivè dicit: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei;* loquitur in persona Christi. Cæteræ verò actiones, quæ præcedunt vel sequuntur, non exercet in persona Christi, sed in persona propria, vel nomine Ecclesiæ, ut patet inductione. Ergo actio sacrificandi consistit in sola consecratione.

Prob. 2. Quia consecrationi convenit definitio integri Sacrificii. Nam est oblatio externa substantiæ sensibilis per aliquam ejus destructionem facta Deo in testificationem supremi dominii Dei in omnes creaturas.

I. Quidem est oblatio externa: nam consecratio est oblatio realis & exercita, seu in actu exercito facta: nam ex institutione Christi fit ad Dei cultum supremum exhibendum. Sicut enim in lege veteri ovis jugulatio aut combustio facta ex intentione colendi Deum cultu latriæ, erat oblatio realis & exercita; sic consecratio seu positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini facta ex institutione Christi, cum intentione saltem confusa sacrificandi, contenta in voluntate faciendi quod Christus instituit, est oblatio realis & exercita ad testificandum supremum Dei dominium, & summam ejus excellentiam.

II. Est oblatio substantiæ sensibilis, nempe corporis & sanguinis Christi, quæ sunt sensibilia ratione specierum, sub quibus latent.

III. Per aliquam ejus destructionem, nempe moralem, per se tendentem ad desi-

desitionem. Nam Christus consecratione non solùm immolatur mysticè per separationem sanguinis à corpore vi verborum; sed etiam physicè ac realiter ponitur secundùm corpus & sanguinem, modo quodam mortuo, in statu deteriori, inepto ad usus naturales & humanos corporis & sanguinis, & ordinato ad consumptionem, ac tendente ad destructionem seu desitionem; cùm ponantur sine extensione necessaria ad usus naturales & humanos, & sub speciebus corruptibilibus, quibus corruptis ibi esse desinunt. Quæ quidem destructio moralis fit per mutationem realem, & æquivalet physicæ relatè ad Sacrificium; & ad illud sufficit, ut patet ex Sacrificio libaminis, quod fiebat effusione alicujus liquoris, ut vini, quod destruebatur tantùm moraliter per effusionem in terram, qua vinum censebatur moraliter destructum, quia per illam factum erat inutile ad suos usus naturales ac humanos, & tendebat ad physicam sui destructionem.

IV. In protestationem, &c. Nam ex Christi institutione per consecrationem illius corpus & sanguis ponuntur sub speciebus panis & vini ad protestandum Deum esse supremum rerum omnium & nostri esse Auctorem, ac supremum vitæ & necis Dominum.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Sunt etiam aliæ actiones in Missa, in quarum aliqua consistere potest partialis essentia Sacrificii. Ergo tota ejus essentia non consistit in consecratione.

Resp. Nego anteced. Cujus falsitatem probo inductione, ut inde adhuc confirmetur nostra sententia. Nam aliæ actiones liturgiæ sunt oblatio & immutatio panis & vini, mixtio, fractio, elevatio hostiæ consecratæ, ejus positio super altare, distributio & communio Sacerdotis. At in nulla harum actionum consistit etiam partialiter essentia seu forma Sacrificii. Ergo tota essentia ac forma Sacrificii non consistit nisi in consecratione.

Prob. min. Nam 1. non consistit in oblatione panis & vini, neque in eorum immutatione, seu destructione præcisè sumpta. Quia essentia Sacrificii consistit in oblatione & immutatione solius victimæ Sacrificii. Panis autem & vinum non sunt victima Sacrificii Missæ, sed solus Christus, ut constat. ex Conc. Trident. Seff. 22. cap. 2. declarante in divino hoc Sacrificio esse unam eandemque hostiam, quæ in cruce immolata fuit, sola ratione offerendi diversam.

2. Neque in mixtione aut fractione: Nam Christus mixtionem non adhibuit: fractionem verò non fecit nisi ad usum distributionis; & per illam ejus corpus non offertur, nec mutatur realiter per aliquam destructionem.

3. Neque in elevatione & positione super altare, vel oratione quæ fit post consecrationem. Nam nulla harum actionum facta fuit à Christo, nec ab eo instituta.

4. Neque in distributione. Nam Concil. Trident. Seff. 22. Can. 8. definit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, esse licitas: quod falsum esset, si distributio esset de essentia Sacrificii.

5. Denique neque in communione Sacerdotis celebrantis. Nam essentia seu actio Sacrificii consistere debet in actione, quam Sacerdos facit in persona Christi per potestatem directè acceptam vi ordinationis, & per quam Sacerdos Deo aliquid offert: qualis non est communio, quæ etiam laicis competit.

Obj. 2. Sacerdos in offertorio sic orat: *Suscipe, sancte Pater, hanc immacu-*

maculatam hostiam, quam ego indignus servus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero pro innumerabilibus peccatis, &c. Ergo Sacrificium Missæ consistit etiam in oblatione vel immutatione panis & vini.

Resp. Nego conseq. Panis enim non est immaculata illa hostia, pro expiatione peccatorum oblata, sed solus Christus. Nam ex Conc. Trident. una eademque est hostia Sacrificii Eucharistiæ & crucis, panis autem & vinum non fuerunt pars Sacrificii seu hostiæ crucis. Itaque sensus horum verborum hic est: suscipe sancte Pater immaculatam hostiam, quam ego indignus servus tuus ex hoc pane per mirabilem conversionem mox confecturus sum, & tibi oblaturus pro innumerabilibus peccatis, &c. Unde Sacerdos in offertorio orat Deum, ut acceptet hostiam à se ex hoc pane conficiendam & offerendam, & ut victima ex pane conficienda prosit sibi & aliis: Atque simul per cæremoniam illam ab Ecclesia institutam sacrat Deo materiam remotam Sacrificii, ad Sacrificium Eucharistiæ decentiùs peragendum.

Obj. 3. Actio sacrificandi supponit victimam, quæ in omni Sacrificio præexistere debet. At consecratio non supponit victimam, nempe Christum sub speciebus: Ergo non est actio sacrificandi.

Resp. Nego maj. universaliter sumptam. Nam hostia, seu res oblata, non præsupponitur Sacrificio, quando ipsa fit per productionem, quæ simul est illius destructio sacrificata. Nam talis res fit per actionem, qua offertur & sacrificatur, seu (quod idem est) fit & offertur una eademque actione. In Sacrificio autem Eucharistiæ corpus & sanguis Christi ponuntur sub speciebus per actionem, qua simul destruuntur moraliter per mutationem realem, & sic verè sacrificantur. Nam una eademque actione reproducuntur sub speciebus Eucharisticis modo inepto ad usus naturales corporis & sanguinis, & ordinato ad consumptionem & desitionem. Unde in hoc Sacrificio res oblata fit & offertur eadem actione; & eadem actione producitur & destruitur in testificationem supremi Dei dominii, & infinitæ ejus excellentiæ.

Obj. 4. Feria sexta majoris hebdomadæ non fit consecratio, & tamen fit Sacrificium: nam Sacerdoti dicenti: *orate fratres*, minister respondet, *suscipiat Dominus hoc Sacrificium de manibus tuis, &c.*

Resp. Ibi Sacrificium sumitur pro re sacrificata, non verò pro actione sacrificandi.

Cùm autem S. Thomas, q. 83. art. 2. ad 2. dicit, in die Parasceves corpus Christi pridie consecratum sumi à Sacerdote, ne Ecclesia eo die careat fructu passionis; hoc dicit, quia Sacerdos tanquam persona publica & nomine Ecclesiæ communicat, atque pro ipsa orat per victimam pridiè sacrificatam, præsentem in altari.

Obj. 5. Conc. Trident. Sess. 23. c. 1. Oblationem à consecratione distinguit: nam dicit à Christo fuisse *Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus.*

Resp. Concil. Trident. Oblationem quidem à consecratione distinguit, sed ut ratione seu conceptu tantùm diversam. Et rectè: nam offerre & consecrare, quamvis ex institutione Christi sint idem physicè & realiter, tamen habent conceptus diversos. Consecrare enim est præcisè ponere corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini: offerre verò est pone-

ponere corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini modo moraliter utriusque destructivo ad testificandam supremam Dei excellentiam, summumque ejus in omnes creaturas dominium. Una tamen & eadem actione utrumque fit; & sic una & eadem realiter actio est simul consecratio & oblatio seu actus sacrificandi.

Obj. 6. Essentia Sacrificii Eucharistiæ consistit saltem partialiter in communione Sacerdotis, seu consumptione hostiæ. Ergo non consistit adæquatè in consecratione.

Resp. Nego anteced. 1. Quia per communionem Sacerdotis nihil offertur Deo; & illa non fit in persona Christi, nec per potestatem directè acceptam vi ordinationis, cùm laicis etiam conveniat. Actio autem sacrificandi consistit in actione, quæ fiat in persona Christi per potestatem vi ordinationis, cùm Christus sit principalis Sacerdos, & *id nunc offerens,* (id est, sacrificans) *ministerio Sacerdotum.*

2. Quia consecrationi convenit integra Sacrificii definitio; & in ea habetur perfecta repræsentatio Sacrificii crucis, & simul oblatio victimæ per aliquam illius destructionem.

Inst. 1. Sacrificium Eucharistiæ dicitur consummari, quando consumitur à Sacerdote. Ergo communio est partialis essentia illius.

Resp. Nego conseq. Nam dicitur consummari per communionem Sacerdotis, quia per consumptionem consequitur integrum finem suum, & usum ad quem destinatur: Eucharistia enim est simul Sacrificium, & Sacramentum institutum ut sumatur ad refectionem animæ. Cùm autem sumitur à Sacerdote, sumitur nomine Fidelium.

Inst. 2. In nullo casu licet Sacerdoti omittere communionem: non nisi quia sine ea non ponitur tota essentia Sacrificii. Ergo.

Resp. Nego min. Nam ideo solùm omissio illa in nullo casu licita est, quia communio Sacerdotis à Christo præcepta est, vel ad integritatem Sacrificii, vel ut complementum illius extrinsecum, vel quia Eucharistia ut Sacramentum sumi debet à Sacerdote nomine Ecclesiæ, sine qua sumptione non consequitur integrum finem suum & usum ad quem destinatur.

Inst. 3. In Can. *relatum,* de consecrat. dist. 2. dicitur: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

Resp. Sensus est, Sacrificium in quo Sacerdos non communicat, non esse quale debet esse, id est, non esse licitum & legitimum, utpote contra institutionem ac legem Christi, qui statuit ut Sacrificium Eucharistiæ semper nomine populi sumeretur à Sacerdote consecrante, eò quòd simul sit Sacrificium, & Sacramentum institutum, ut cedat in usum Fidelium.

Inst. 4. Sacrificium Eucharistiæ est perfectum holocaustum; at de ratione holocausti est, ut totum in Dei honorem consumatur. Ergo est de ratione Sacrificii Eucharistiæ ut sumatur à Sacerdote. Ergo, &c.

Resp. Non est de ratione holocausti, ut consumatur à Sacerdote, vel alio. Nam in holocausto veteris legis nulla panis victimæ comedebatur à Sacerdote vel alio, sed tota igne consumebatur. Igitur est solùm de ratione holocausti, ut tota victima Deo penitùs offeratur, & in illius honorem destruatur sive physicè, sive moraliter. In Missa autem tota victima Deo offertur; ita ut nihil illius

in

in usus profanos cedere possit, & tota destruitur moraliter secundùm corpus & sanguinem.

Inst. 5. Omne Sacrificium consistit in destructione aut consumptione rei oblatæ.

Resp. In consecratione Eucharistiæ est destructio moralis, æquivalens physicæ destructioni, & sufficiens ad verum Sacrificium, ut probatum est, & saltem tanta, quanta olim erat in libationibus vini, olei, aliorumque liquorum, qui sacrificabantur per solam sui effusionem in terram.

Obj. 7. Post consecrationem fit commemoratio pro defunctis. Ergo statim post consecrationem Sacrificium non est essentialiter perfectum, alioqui statim haberet effectum suum ex opere operato.

Resp. *Nego conseq.* Nam commemoratio seu oratio illa pro defunctis habet tantùm vim ex opere operantis, & per modum impetrationis. Sacrificium verò statim post consecrationem habet suum effectum ex opere operato.

Porro interdum per Missam, sacrum intelligitur Sacrificium Missæ quoad actiones & cæremonias ab Ecclesia institutas.

Observa. Consecratio sub utraque specie est de perfectione essentiali Sacrificii Eucharistiæ, quia 1. ita Doctores communiter. 2. Christus hoc Sacrificium instituit sub utraque specie. Hoc Sacrificium ex institutione Christi est memoriale, & repræsentatio cruenti Sacrificii in cruce oblati. Sicut ergo in cruce sanguis à corpore separatus est, & inde secuta mors Christi: ita ad id repræsentandum sanguis in hoc Sacrificio debet quantùm est ex vi verborum poni separatim à corpore, & vicissim.

QUÆSTIO III.

In quo consistat materia Sacrificii Eucharistiæ seu res sacrificata?

Dico. Sacrificium Eucharistiæ sumptum pro re sacrificata & oblata, est Christus ipse prout existit sub speciebus panis & vini.

Prob. 1. Ex Scriptura, 1. Cor. cap. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Quod Patres intelligunt non solùm de cruenta, sed etiam de incruenta oblatione Christi.

2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiant Patres, articulo 1. laudati.

3. Ex Conc. Trident. Sess. 22. cap. 2. ubi ait: *In divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit:* & infra. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Dixi, *sub speciebus panis & vini;* nam Christus prout existit in propria specie, & prout est in cœlo, non sacrificatur; quia ut talis non destruitur moraliter, nec immutatur per actionem sacrificandi, sed solùm prout existit sub speciebus Eucharisticis.

Obj. 1. Panis & vinum oblata, sunt etiam Sacrificium ordinatum ad Sacrificium corporis & sanguinis Christi: unde in Missa duo sunt Sacrificia unum moraliter constituentia.

Resp. *Nego.* Nam ex Patribus & Conc. Trident. unicum est in Ecclesia & singulare Sacrificium, in quo offertur & immolatur una eademque hostia, quæ in ara crucis immolata fuit, nempe solus Christus.

Inst. 1. Patres dicunt panem & vinum offerri in Missa.

Resp. Per hanc locutionem vel intelligunt panem & vinum ad Sacrificium

cium Eucharistiæ adhiberi seu consecrari : vel per panem & vinum intelligunt corpus & sanguinem Christi posita aut ponenda sub speciebus panis & vini per consecrationem, ut constat ex S. Cypriano, Epist. 68. ubi ait : *Quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit? & obtulit hoc idem* (quoad speciem externam) *quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.*

Inst. 2. Christus instituit hoc sacrificium tanquam Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui obtulit panem & vinum in Sacrificium. Ergo panis & vinum sunt Sacrificium saltem partiale à Christo institutum.

Resp. Nego conseq. Nam Christus est Sacerdos secundùm ordinem seu ritum Melchisedech, quia sub speciebus panis & vini obtulit, quod præfigurabat Sacrificium Melchisedech in pane & vino, nempe corpus & sanguinem suum. Melchisedech enim suo sacrificio præfiguravit Christum sub speciebus panis & vini offerendum.

Inst. 3. Per consecrationem panis & vinum destruuntur. Ergo sunt partiale sacrificium Eucharistiæ.

Resp. Nego conseq. Quia destructio illa ex institutione Christi non fit, nec offertur ad testificandum summum Dei dominium, ejusque infinitam excellentiam; sed solùm fit, ut ponantur corpus & sanguis Christi sub utriusque speciebus modo moraliter illorum destructivo ad protestandam infinitam Dei excellentiam.

Obj. 2. Species sacramentales sunt pars intrinseca rei oblatæ & Sacrificii Eucharistiæ. Ergo non solus Christus est materia hujus Sacrificii.

Resp. Nego anteced. Nam alioqui non esset una eademque hostia in cruce & in Eucharistia, sola offerendi ratione diversa, ut docet Conc. Trid. Christus enim seipsum solùm in cruce obtulit, nullatenus verò species sacramentales.

Inst. 1. Ex Conc. Trident. Sess. 22. cap. 1. Christus Sacrificium visibile instituit. Ergo species sacramentales, per quas solas est visibile, sunt pars Sacrificii Eucharistiæ.

Resp. Nego conseq. Sed ex antecedente sequitur solùm species sacramentales ad Sacrificium Eucharistiæ pertinere tanquam id sub quo offertur hostia Sacrificii, & per quod Sacrificium visibile ac sensibile constituitur : ideoque se habent per modum conditionis necessariæ ut victima sit visibilis.

Inst. 2. Eucharistia ut Sacramentum includit species tanquam partem essentialem. Ergo etiam sic eas includit ut est Sacrificium.

Resp. Nego conseq. Quia ratio Sacramenti diversa est à ratione Sacrificii; & Eucharistia plura essentialia includit ut Sacramentum, quàm ut Sacrificium. Nam Eucharistia ut Sacramentum est signum sensibile refectionis spiritualis animæ, quod signum includit intrinsecè multa, nempe corpus & sanguinem Christi, & species sensibiles : at ut est Sacrificium sumptum materialiter, id est, sumptum pro materia Sacrificii, nempe victima, est solus Christus secundùm corpus & sanguinem, seu corpus & sanguis Christi oblata sub speciebus.

Inst. 3. Can. *hoc est*, de consecrat. dist. 2. dicitur : *Hoc modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne.*

Resp. Canones decreti non plus habent auctoritatis in decreto Gratiani, quàm illorum auctores. Hic autem canon est Lancfranci ex propria opinione loquentis : cujus sanè auctoritas hac

in re nulla est, cùm hæc ejus opinio repugnet Patribus, & Conc. Trident. declaranti unam eandemque esse hostiam Sacrificii crucis & Eucharistiæ; & utramque sola offerendi ratione differre.

Hinc colligi infinitam esse excellentiam Sacrificii religionis Christianæ, infinitè Deo placere, infinitum Deo honorem exhibere, infinitè aptum esse ad omnem Sacrificii finem assequendum, omnia alia Sacrificia etiam possibilia infinitè superari; cùm Christus ipse sit victima hujus Sacrificii, & principalis offerens. Unde in lege nova hoc unicum est & esse debet Sacrificium.

QUÆSTIO IV.

Quale sit Sacrificium Eucharistiæ.

Nota. IN veteri lege erant quatuor Sacrificiorum genera, nempe latreuticum seu honorarium, propitiatorium, Eucharisticum, & impetratorium. Primum dicebatur holocaustum, secundum hostia pro peccato, tertium & quartum hostia pacifica.

Dico. Sacrificium Missæ est simul latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium.

I. Est latreuticum, in quantum tota victima offertur Deo ad testificandum supremum ejus in omnes creaturas dominium, supremamque excellentiam divinam.

II. Est Eucharisticum, in quantum offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis.

III. Est propitiatorium prout offertur in remissionem peccatorum, & satisfactionem pœnæ eis debitæ; & ad hoc utrumque valet, ut constat ex Patribus, & ex Conc. Trident. Sess. 22. Can. 3. ubi ait: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, Anathema sit.* Et cap. 2. *Docet sancta synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

Porro peccata dimittit ex opere operato, sed mediatè quoad culpam, & immediatè quoad pœnam.

IV. Denique est impetratorium. Nam offerri potest & valet ad obtinenda omnia beneficiorum genera, seu quidquid à Deo rectè peti potest, ut patet perpetua praxi Ecclesiæ.

Quare hoc unum legis novæ Sacrificium una sua perfectione comprehendit omnia Sacrificiorum genera. Et Concilium Tridentin. Sess. 22. cap. 1. dicit, quòd hoc unum Sacrificium bona omnia per varia sacrificia legis naturæ & legis Mosaicæ significata, velut omnium illorum consummatio & perfectio complectitur. Et verò nihil nobilius, nihil præstantius, nihil honorificentius & gratius Deo offerri potest in Sacrificium, quàm ipse Christus, nihil aptius & efficacius esse potest ad omnem finem & effectum Sacrificii assequendum. Valor autem hujus Sacrificii est infinitus quoad sufficientiam & in actu primo, sed finitus in actu secundo & quoad applicationem.

QUÆSTIO V.

Utrùm offerre liceat Sacrificium Missæ in honorem Sanctorum?

DIco. Offerri licere constat

1. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres, & praxis Ecclesiæ elucent in omnibus Liturgiis antiquis, tum græcis, tum latinis.

2. Ex Conc. Trid. Sess. 22. Can. 5. *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, Anathema sit.*

Observa. Ecclesia non offert Sacrificium ipsis Sanctis, sed soli Deo ut Auctori virtutum & meritorum Sanctorum, & gloriæ qua fruuntur. Dicitur tamen offerri in honorem Sanctorum, quia offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis ab ipso in Sanctos collatis, quod cedit in aliquam gloriam Sanctorum. Ita explicat Conc. Trident. Sess. 22. c. 3. his verbis: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens; eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

QUÆSTIO VI.

Quinam hoc Sacrificium offerre possint?

DIco 1. Christus est verè & propriè principalis offerens.

Constat 1. Ex Scriptura, *Hebr. c.* 7. ubi Christus dicitur Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Christus autem secundùm interpretationem Patrum & Doctorum est talis Sacerdos in æternum, quatenus continuò Sacrificium corporis & sanguinis sui sub speciebus panis & vini offert ministerio Sacerdotum usque ad consummationem sæculi.

2. Ex Conc. Trident. Sess. 22. c. 2. supra citato.

3. Ex Patribus, pro omnibus sit S. Augustinus, l. 10. de civitate Dei, c. 29. ubi de Christo sic ait: *Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio.*

4. Ratione. Nam Sacerdos hoc Sacrificium offert ut minister Christi, personam ipsius immediatè gerens ac repræsentans, ita ut consecrans eo modo loquatur, ac si revera Christus esset, dicens: *hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* Unde Christus verè per Sacerdotes sacrificat, idque longè alia speciali ratione, quàm per ministros suos baptizet: Nam baptizans quamvis agat ut minister Christi; tamen loquitur in propria persona & propriis verbis: consecrans verò loquitur in persona Christi & verbis ipsius Christi.

Ratio à priori est, quia voluit Deus, ut in nova lege sibi offerretur Sacrificium, quod semper sibi gratum, ideóque purum ac sanctum esset. Ut autem Sacrificium purum sit, requiritur, ut non solùm res oblata seu victima pura sit, sed etiam ut saltem principalis offerens sit purus ac sanctus; quia nempe Sacrificium propriè ac formaliter sumptum consistit in oblatione, seu actione qua offertur hostia.

Porro Christus est principalis offerens, quatenus Sacerdos in persona ipsius, & tanquam legatus ejus ipsum repræsentans sacrificat, seu per verba consecratoria ipsius Christi propria ponit sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi modo illorum moraliter

liter destructivo per realem mutationē, ipso Christo volente, & actu interno proprio hanc moralem corporis & sanguinis sui destructionem ad honorem Dei & alios fines Sacrificii ordinante.

Dico 2. Solus Sacerdos per se ac immediatè & tamquam proprius minister hoc Sacrificium offerre potest, ita ut actio sacrificandi à solo Sacerdote physicè & immediatè exerceri etiam validè possit. Est de fide.

Prob. 1. Ex Patribus apud Bellarminum.

2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ divinam Traditionem certò demonstrat.

3. Ex Concil. Nicæno I. Can. 14. ubi dicitur Diaconus non habere potestatem offerendi hoc Sacrificium.

4. Ex Concil. Florentino, in decreto pro Armenis.

5. Ex Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. declarante Christum Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum; Anathema sit.* Ubi Sacerdotibus, non aliis, docet inesse potestatem offerendi Sacrificium Eucharistiæ.

6. Quia solis Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus Christus dixit, *hoc facite in meam commemorationem*, prout hæc verba significant consecrare & sacrificare. Unde nulli alteri dedit potestatem consecrandi & sacrificandi. Ideoque nullus præter Sacerdotes hanc potestatem, quæ omnino supernaturalis est, habet.

Dico 3. Ecclesia etiam offert Sacrificium per Sacerdotem ut ministrum & legatum, ut constat ex Patribus.

Hinc Fideles omnes ut Ecclesiæ membra generali quadam ratione dicuntur offerre per quemlibet Sacerdotem non excommunicatum. Sed specialiter unà cum Sacerdote & per Sacerdotem Sacrificium offerunt Fideles omnes, qui illi intersunt & interno affectu consentiunt, ut constat ex Canone Missæ, in quo Sacerdos sic orat: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum .... & omnium circumstantium .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium, &c. ... hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, &c... unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta .... offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, &c.* Igitur omnes per Sacerdotem offerre possunt & debent hoc Sacrificium.

Ratio est, quia Sacrificium est cultus publicus ac solemnis; & omnes debent Deo supremum cultum etiam externum exhibere, & per illum agnoscere & testificari supremam Dei excellentiam, summúmque ejus in res omnes creatas dominium.

Item specialiter sunt offerentes ii, qui cooperantur Sacerdoti offerenti, petendo aut procurando Sacrificium, dando stipendium sustentationis, ministrando Sacerdoti. Nemo tamen præter Sacerdotem potest esse offerens ut principium physicum & immediatum actionis sacrificandi, seu consecrationis.

TRACTATUS
DE
EUCHARISTIA.

EUchariſtia eſt Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, ad ſpiritualem animæ refectionem à Chriſto inſtitutum.

CAPUT I.

De materia & forma Euchariſtiæ.

Quæſt. I. *QUænam eſt materia neceſſaria, ex qua conficitur Euchariſtia?*

Reſp. 1. Eſt panis triticeus, & vinum de vite. *Prob. 1.* Ex perpetua Eccleſiæ Traditione & praxi. 2. Ex Conciliis præſertim Lateran. IV. cap. *firmiter*. Trident. Seſſ. 13. c. 4. Can. 2. & Florentino, ibi: *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* 3. Quia Chriſtus inſtituens Euchariſtiam, non aliam materiam adhibuit, *Matth. 26.* eamque ut neceſſariam præcepit his verbis, *Hoc facite, &c.* Luc. 22. & 1. Corinth. 11. Præterea panis triticeus ſolus eſt, qui dicatur ſimpliciter panis, alii non vocantur panes niſi cum addito, nec adhibentur niſi in ejus defectum. Item vinum ſimpliciter eſt vinum de vite uſuale. At ex Scriptura & Conciliis materia Euchariſtiæ eſt panis & vinum ſimpliciter.

Hinc 1. Non poteſt validè conſecrari panis confectus ex oriza, avena, hordeo, milio, &c. vel ex leguminibus, radicibus herbarum, aut fructibus arborum: item ex tritico non puro, ſed mixto, v. gr. hordeo, vel avena, ſi quantitas tritici non ſit notabiliter major: nam aliàs panis non eſſet ſimpliciter triticeus. Quare Miſſale Roman. *de defectibus*, ait: *Si panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.* Secùs ſi farina alterius materiæ ſit in tam parva quantitate, ut panis morali æſtimatione cenſeatur adhuc triticeus. Reverentia tamen Sacramento debita exigit, ut panis ſit ex puro tritico, & valdè albus.

Licitè verò conſecrari non poteſt panis confectus ex grano, de quo dubitatur, an ſit verum triticum. Nam in Sacramentis, quæ non ſunt de neceſſitate medii, numquam licet adhibere materiam non certam; alioqui ſine neceſſitate urgente exponerentur nullitati. Species autem grani, de quibus præſertim aliqui dubitant, an ſint

sint triticum, sunt siligo, seu secale & spelta. Nam quamvis S. Thom. senserit siliginem esse triticum, quia quandoque ex tritico in malis terris generatur, multi tamen id negant: quia quandoque etiam ex tritico nascitur avena: potestque res unius speciei propter diversas dispositiones & causas degenerare in rem alterius speciei.

Hinc 2. Non potest validè consecrari. 1. Liquor expressus ex pomis, piris, cerasis, &c. 2. Omphacium, *du verjus*, quia necdum habet naturam vini. 3. Acetum, quia non est amplius vinum, & fit ex corruptione substantiali vini. 4. Succus intra uvas maturas adhuc contentus, aut vinum in pane, vel alia simili materia contentum; quia in tali statu non habet rationem vini usualis. 5. Vinum aromatibus ita conditum, ut morali æstimatione speciem vini amiserit. Secùs, si alteratio sit exigua, quamvis illicitè consecratur.

Econtra validè consecratur. 1. Mustum, seu vinum ex uvis maturis recens expressum, cùm jam habeat naturam vini, quamvis hoc sit prohibitum, quia est impurum ob admixtas fæces, ac proinde indecens. In necessitate tamen, juxta S. Thom. 3. part. quæst. 74. art. 5. ad 3. licitè consecratur. 2. Vinum congelatum, sed postea resolutum, modò per gelu non fuerit corruptum. Vinum autem actu congelatum, & non resolutum est materia incerta: quare si fortè in hieme vinum in Calice congeletur, debet per ignem resolvi, priusquam consecretur; sed ejus congelatio, quantùm potest, impediri debet.

Resp. 2. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut panis sit confectus ex farina triticea aqua naturali diluta, & igne cocta. Nam sic conficitur panis simpliciter dictus, & usualis, aliorumque ciborum comes, qualem Christus instituit.

Hinc non possunt validè consecrari. 1. Liba, placentæ, & similia confecta ex farina triticea mixta lacte, butyro, ovis, melle, saccharo, aliisque liquoribus ab aqua naturali specie differentibus; nisi fortè liquores isti admixti aquæ naturali, essent in exigua quantitate, ita ut aqua plurimùm prædominaretur. Illicitum tamen est consecrare panem triticeum mixtum quacumque re, grano, vel liquore, etsi in parva quantitate: quia est contra usum Ecclesiæ, & reverentiam Sacramenti postulantis materiam omnino puram. 2. Massa cruda, seu pasta; quia non est panis usualis, nec cibus hominum. Si autem farina sit diluta aqua rosacea, dubium est an sit valida materia, ut habet Missale Romanum.

Porrò ex præcepto & usu Eccelesiæ panis consecrandus apud latinos debet esse figura orbiculari & integra.

Nota. Nulla videtur posse occurrere causa moraliter sufficiens ad conficiendam Eucharistiam, nisi in materia certa (inquit Suarez,) quia huic Sacramento summa reverentia debetur; & aliunde non est necessarium necessitate medii in re ad salutem.

Quæst. II. *An panis tam azymus, quàm fermentatus est materia valida?*

Resp. Affirmat. Ex Conc. Florent. in decreto unionis: ibi: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Ratio est, quia uterque est panis verus, & simpliciter dictus, & sic in Scriptura vocatur; nam uterque fit ex farina triticea, aqua naturali subacta; ac puro igne coquitur, habetque proprium usum panis.

Latini tamen tenentur sub mortali consecrare azymum, Græci verò fermentatum, singuli juxta Ecclesiæ suæ ritum: nam ita præcepit Concil. Florentin. citat. & utriusque Ecclesiæ consuetudo antiquissima obtinet vim legis graviter obligantis utpote de re gravi. Hinc, cap. ultim. *de celebrat-* sacerdos quidam Latinus jubetur privari in perpetuum officio & beneficio, quod in fermentato consecrasset in defectum azymi. Quare in hoc nulla dispensat necessitas, ne Viatici quidem pro infirmo consecrandi: nam ad tanti Mysterii majorem reverentiam interest modo ac ritu convenienti semper confici. Præceptum quippe divinum circa Viaticum non obligat, nisi quando id fieri potest modo convenienti & cum debitis circumstantiis.

Nota. Quamvis multi dicant sacerdotem Latinum iter agentem per Græciam licitè uti fermentato, & Græcum azymo in Occidente, in iis scilicet locis ubi non sunt Ecclesiæ sui ritus; quia ex S. Augustin. epistol. ad Januar. licet cuique facere, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit, modò non adversetur divino mandato; si tamen inter Latinos sint aliquæ Ecclesiæ Græcorum, & inter Græcos aliquæ Latinorum, in his tenetur unusquisque suæ Ecclesiæ ritum servare; quia hoc ipso quòd ibi templum habent, perinde est quoad sacrificium, ac si essent in sua patria. Nec licet Latino in Ecclesia Græcorum inter Latinos sita celebrare in fermentato; quia hoc est speciale privilegium Græcis in Ecclesia concessum.

Quæst. III. *An & quanta aqua admisceri debet?*

Resp. 1. Ex præcepto Ecclesiæ aqua elementaris ante consecrationem vino admisceri debet. Constat ex Conc. Florentin. supra citat. & Trident. Sess. 22. cap. 7. ibi: *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cùm aquæ in Apocalypsi Beati Joañis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Hoc præceptum sub mortali obligat, quia licèt materia sit in se levis, est tamen gravis ratione finis & significationis; nam apponitur aqua ad repræsentandam unionem populi fidelis cum suo capite Christo, atque etiam unionem humanitatis cum Verbo. Hæc tamen admixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti: ita Missale Roman. & Concil. Trident. solùm dicit hanc esse præceptam ab Ecclesia.

Resp. 2. Aqua vino miscenda debet esse modicissima. Quia 1. ita Conc. Florentinum statuit, & fert usus Ecclesiæ. 2. Ut ait Concil. Tribur. Canon. 19. sic melius significatur majestas Christi per vinum designata, & populi fragilitas per aquam repræsentata, 3. Hoc est tutius: nam (ut ait S. Thomas) vinum aliquando ita debile est, ut per aquam in magna quantitate, licèt minore, facilè corrumpatur. Sufficit autem una aquæ gutta sensibilis; cùm ad signum sensibile, & significationem convenientem sufficiat. Ad validam verò consecrationem necesse est, ut major sit quantitas vini quàm aquæ, quia materia calicis est solùm vinum usuale. At tale non esset, si vinum aquæ non prædominaretur; & res mixta non esset potiùs vinum quàm aqua. Quare cap 13. *de celebrat. Miss.* dicitur perniciosus abusus, quòd plus aquæ quàm vini in calicem infunditur.

Resp.

Resp. 3. Hæc mixtio necessariò fieri debet, 1. Tempore Missæ, & in ipso sacro calice: nam alioqui non esset cæremonia sacra nec sacram significationem haberet. 2. Ante calicis oblationem, ob Ecclesiæ usum; unde graviter peccaret, qui eam tunc omitteret. Quòd si illa mixtio ante calicis oblationem facta non fuisset, fieri debet ante calicis consecrationem, nam usque ad illam subsistit ratio & tempus præcepti ac significationis, non post, quia tunc prohibetur, & cessat tempus, ex Missal. Roman. tit. de defectib. ibi: *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam . . . . si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Quæst. IV. *An ut utraque hæc materia validè consecretur, debeat esse moraliter præsens consecranti?*

Resp. Affirm. Quia 1. ita fert Traditio & praxis Ecclesiæ in facto Christi fundata; Christus enim consecravit materiam præsentem & non dedit potestatem Apostolis faciendi, nisi quod ipse fecerat. 2. Id exigit veritas formæ, quæ continet pronomen demonstrativum, *Hoc*, *hic*: nihil enim demonstrari potest ad sensum, nisi sit moraliter præsens. 3. Alioqui Sacerdos posset totum panem, qui nunc in hac urbe, vel tota regione existit, consecrare.

At sufficit moralis præsentia; nam hæc sufficit ad veritatem formæ. Ad moralem autem præsentiam materiæ, ex communi hæc requiruntur. 1. Ut consecrans sciat materiam ibi esse. 2. Ut materia sensu aliquo percipi possit, non tamen necesse est, ut in se videatur, vel tangatur à Sacerdote; sed sufficit, ut in eo loco sita sit, in quo à consecrante possit sensu percipi; sive in se, sive in alio, ut in suo toto, vel proximo continente, aut vase ad illam continendam destinato. Sic hostiæ, quæ latent sub aliis multis in cumulo censentur Sacerdoti præsentes: nam id censetur moraliter præsens, quod potest demonstrari humano modo ad sensum, per pronomen, *Hic*, *hoc*, independenter ab omni alio signo. 3. Ut sit propinqua, qualis debet esse res, quæ velut in usum humanum assumenda, demonstrari potest pronomine, *hic* vel *hoc*: alioqui non esset præsens more humano. Sed cùm definiri nequeat, quænam absolutè requiratur propinquitas, in re incerta servari debet praxis Ecclesiæ non consecrantis nisi materiam valdè propinquam. Item materia debet esse coram Sacerdote, alioqui non posset demonstrari per ly *hoc*, strictè sumptum, per quod debet significari res præsens independenter à circumstantiis, & ab omni alio nutu & signo, *Requiritur ut materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote*, ait Missale Roman. *de defect.*

Hinc non potest validè consecrari materia licèt vicina, si sit à tergo, vel sub mappa vel post parietem, aut aliud corpus opacum, quod non habet rationem thecæ, seu vasis proximè illam continentis: nam tunc non est moraliter præsens consecranti, nec ullo sensu demonstrabilis. Econtra hostiæ in pyxide, seu ciborio clauso contentæ consecrantur, si ad eas dirigatur intentio; quia ad moralem præsentiam rei sufficit, quòd proximum ejus continens ad illam continendam destinatum, sit præsens: quemadmodum vinum in lagena clausa censetur moraliter præsens & demonstrabile ei, cui lagena est præsens; quia ratione continentis proximi contentum præsens est, & demonstratur.

Quædam circa hoc dubia sic resolvit recentior Theologus. 1. Si hostiæ non sint in ipso altari, sed alicubi prope illud, v. g. si in credentia ex oblivione sint relictæ; probabiliter non consecrantur, quamvis Sacerdos ante habuerit intentionem eas consecrandi. Tum quia non videntur connaturaliter designari per ly *hoc:* tum quia præsumi non debet Sacerdos voluisse intentionem suam extendere ad eas contra praxim & præceptum Ecclesiæ consecrandas in eo loco, in quo non possunt sine gravi culpa consecrari.

2. Si sint positæ quidem in altari, sed alicubi extra corporale ad latus, res est dubia & maximè pendet ab intentione Sacerdotis. At si positæ sint, non quidem supra corporale, sed prope illud, v. g. à parte Evangelii inter librum & corporale, videntur consecratæ, quamvis Rubricæ præscribant, ut ponantur supra corporale, sicut verè consecrantur in ciborio clauso super corporali posito, licèt Rubrica præcipiat tunc aperiri in ipsa consecratione, sicut in prima oblatione: nam possunt sufficienter demonstrari per ly *hoc.*

3. Guttæ vini, quæ calici separatim à toto adhærent extrinsecùs, non consecrantur: cùm enim consecrari licitè non possint, præsumi non debet Sacerdos intendere earum consecrationem. De iis verò quæ intra cuppam sunt separatæ à toto, variant sententiæ: unde pro praxi expedit, ut Sacerdos semel pro semper intendat non consecrare nisi id, quod est præcisè continuum.

4. Sacerdos de vera hostiarum consecratione rationabiliter incertus, vel dubius, debet eas sumere post sanguinem: vel si nimis multæ sint, rogare alium Sacerdotem, ut in suo sacro dum unam aut alteram hostiam absolutè consecrat, simul eas intendat consecrare sub conditione, si non sint consecratæ; vel id ipse die sequenti in suo sacro faciat. Quòd si dubium sit de valore consecrationis alterutrius materiæ pro sacrificio constitutæ, debent iterum verba consecrationis super illam materiam proferri sub conditione: & si dubium sit de valore materiæ, verbi gratia, quia præsumitur vinum esse acetum, vel aqua plurima vino mixta, debet certam aliam consecrare, ne sacrificium imperfectum relinquat, & post communionem sumere materiam dubiam.

Quæst. V. *An ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis?*

Resp. Affirm. Quia 1. Missale Roman. de defectibus sic habet: *Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat, quia requiritur intentio. Secùs, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.* 2. Quia actiones sunt circa singularia determinata: ergo intentio Ministri, quæ est causa practica consecrationis, ferri debet circa materiam determinatam. 3. Cùm forma Eucharistiæ sit demonstrativa, exigit determinationem rei demonstrandæ; res enim indeterminata demonstrari nequit. Non est tamen necesse singulas hostias designari quoad numerum, sed sufficit eas designari in toto objecto, quod proponitur, v. gr. ut Sacerdos intendat consecrare omnes hostias

hostias præsentes, etsi ignoret illarum numerum, vel circa illum erret, ut patet ex Rubrica cit. Imò si plures hostias habeat quàm sumere statuerat, omnes consecrantur; quia omnes sunt ei moraliter præsentes, & intendit consecrare id quod præsens est. Nec error speculativus tollit intentionem absolutam consecrandi materiam præsentem, quam ut debitam censetur habere implicitè, nisi eam expresse excludat. Hinc *si putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque.* Missal. Rom.

Quæst. VI. *An quævis minutissima materia potest validè consecrari?*

Resp. Affirm. modò sit sensu perceptibilis: nam talis materia potest esse signum sensibile, & per verba consecrationis ad sensum demonstrari. At si particulæ panis, vel vini, ita sint exiguæ, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt validè consecrari. Quia non possunt demonstrari præsentes in ordine ad sensus, prout exigunt voces *hic & hoc;* & quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Non potest autem fieri consecratio, quin conficiatur Sacramentum.

Quæst. VII. *An potest validè consecrari materia in maxima quantitate?*

Resp. Affirm. modò sit secundùm se totam moraliter præsens consecranti. *Ita communiter.* Quia 1. Christus nullam certam quantitatem definivit, & absolutè dedit Sacerdotibus potestatem consecrandi panem & vinum absque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Quantacunque sit materiæ quantitas præsens, designari potest per pronomen *hoc*, & verificatur forma. Non licet tamen majorem quantitatem consecrare, quàm tempore opportuno possit absumi; quia periculum esset, ne species putrescerent. Quòd si consecretur nimis magna quantitas cum injuria Sacramenti, erit abusus potestatis à Christo concessæ, qui non impedit substantiam Sacramenti.

Quæst. VIII. *An panis sine vino, vel vinum sine pane consecrari potest?*

Resp. 1. Non potest licitè. Quia 1. Christus præcepit, ut utraque materia consecraretur, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, 1. Cor. 11. Sic enim *Conc. Trid. Sess. 22. c. 1.* interpretatur. 2. Eucharistiæ institutio exigit utriusque consecrationem. Nam Eucharistia ut est Sacramentum, instituta est ad modum & signum integri convivii, quod cibo & potu perficitur; & ut est Sacrificium, est incruenta ac mystica immolatio Christi, constituti modo quodam mortuo sub speciebus per consecrationem, & expressa repræsentatio Sacrificii cruenti, quod per realem separationem sanguinis à corpore in cruce peractum est. Sed ad hoc necesse est, ut ambæ materiæ consecrentur, & sub illarum speciebus Corpus & Sanguis mysticè separentur, & expresse repræsententur ut separata fuerint in Cruce: unde ex institutione divina consecratio utriusque speciei est de Sacrificii substantia & integritate. Hoc autem Sacramentum non conficitur nisi in Sacrificio. Igitur institutio Eucharistiæ, quæ est juris divini, ac proinde jus divinum, exigit utriusque materiæ consecrationem. 2. Ecclesia id prohibet, ut patet ex ejus usu, & Missali Romano, *de defect.*

Resp. 2. Validè tamen una materia sine alia consecratur. Quia 1. Christus priùs tempore per verba de præsenti consecravit unam materiam, quàm alteram: sic etiam Sacerdos consecrat, & hostiam adorandam populo proponit

nit ante vini consecrationem. Quare si Sacerdos per impotentiam, vel malitiam non consecraret vinum; non ideò efficeret, ut species panis consecrata non esset verè consecrata. 2. Veritas & consecratio formæ, per quam consecratur una species, est absoluta, & independens ab altera forma consecratoria alterius speciei: ac proinde exigit, ut Christus sit statim sub tali specie consecrata independenter ab altera; alioqui forma esset falsa.

Quæst. IX. *Quænam est forma Eucharistiæ?*

Resp. 1. Quisque graviter tenetur proferre totam formam, quæ in canone legitur, ob usum & præceptum Ecclesiæ in re tam gravi. Forma pro consecratione panis, hæc est: *Hoc est enim corpus meum*; pro vino ista: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Verba autem essentialia formæ debent proferri assertivè, seu cum intentione affirmandi id quod significant: nam ex Patribus & Conc. Florent. Sacerdos ea profert ex persona Christi, seu ut gerens personam Christi; & debet per illa intendere consecrare ac efficere quod significant.

Resp. 2. Ad validam consecrationem certum est requiri hæc verba: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei;* aut illis æquivalentia, quæ significent clarè ac distinctè conversionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem: verba enim non efficiunt nisi id, quod significant. Horum autem sensus est: Hoc contentum sub his speciebus, est Corpus meum, est Sanguis meus.

Hinc invalida est consecratio. 1. Si pro ly *hoc*, diceretur *illud*, quia ly *illud*, non demonstrat rem præsentem. 2. Si dicatur ibi vel hic adverbialiter, quia voces illæ significant tantùm Corpus esse in pane, vel Sanguinem in vino, non autem veram conversionem panis in corpus, aut vini in sanguinem. 3. Si pro ly *Corpus* dicatur *Caro*, quia corpus plus significat quàm caro: corpus enim est totum integrale constans non solùm ex carne, sed etiam ex ossibus, nervis, &c. 4. Si dicatur, *Hoc Corpus est meum*: nam transpositio illa mutat sensum verborum Christi: 5. Si dicatur, *Hoc est Corpus Christi*: quia hic modus loquendi longè diversus est, & hæc verba non proferuntur ex Christi persona.

Resp. 3. Hæc verba: *Hoc est Corpus meum, Hic est Calix Sanguinis mei*, aut illis æquivalentia, ad validam consecrationem secundùm communem Doctorum sententiam sufficiunt; & probant, 1. Ex Patribus, qui nulla alia verba pro forma assignant. 2. Quia ista verba perfectè significant præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini: verba autem formæ, utpote practica, efficiunt id, quod perfectè significant.

CAPUT II.

De præcepto Eucharistiæ, ejus effectu, & dispositione.

Quæst. I. *An extet præceptum sumendi Eucharistiam?*

Resp. Extat præceptum divinum aliquando eam sumendi. Patet ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Et ex Conc. Trid. Sess. 13. c. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem cibum. &c.* quod ad omnes spectat. Hoc præceptum ex communi sententia adultos obligat, 1. Pluries in vita: nam ex *Conc. Trid. loc. cit.* Eucharistia instituta

tuta est per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur & confortetur; & necessaria ex præcepto ut cibus: ergo non raro ex præcepto sumenda est. Christus tamen non determinavit frequentiam sumptionum, sed reliquit determinandam ab Ecclesia, quando fidelium necessitas id exigeret. 2. Obligat in quovis probabili mortis periculo, ut in gravi morbo, instante conflictu, difficili partu, periculosa navigatione, incisione, &c. Constat tum ex consuetudine totius Ecclesiæ ministrandi Eucharistiam omnibus in periculo mortis versantibus, & eam in hunc finem sollicitè asservandi, semper & ubique observata, quæ ostendit id ex Traditione Apostolorum à Christo edoctorum manasse. Tum quia nunquam potest esse magis necessitas hujus cibi instituti ad conservandam & roborandam vitam spiritualem contra tentationes ac difficultates, quàm in periculo mortis, in quo solent esse graviores, & ex qua pendet ultimò æternitas, & imminet ultima lucta cum hoste ad decidendum de salute æterna.

Pluries autem in eodem morbo viaticum dari potest, modò dies decem ab altera viatici sumptione intercesserint. *Ita Rituale Parisiense.*

Resp. 2. Omnes & singuli fideles utriusque sexus, cùm ad annos discretionis pervenerint, tenentur singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ. *Ita Conc. Trid. Sess. 14. Can. 9.* ubi hoc negantes anathematizat. Et ex Conc. gener. Later. IV. cap. *Omnis*, de pœnit. & rem. ibi: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.* Circa quod observanda sunt sequentia.

1. Pueri tenentur ad communionem, quando habent sufficientem usum rationis ad discernendum Corpus Christi ab aliis cibis, & ad illud reverenter ac devotè sumendum sunt idonei; quod aliis citiùs, nempe circa annum 10. vel 12. aliis seriùs, scilicet circa 14. contingit; licèt pueri priùs censeantur obligari ad confessionem, quia ad communionem plus requiritur discretionis & devotionis ac reverentiæ. Nam ita Ecclesiæ consuetudo interpretatur præcepta confessionis, & communionis pro materia subjecta; & Eucharistiæ dignitas singularis exigit maturiorem ætatem, & majorem discretionem, ut possit convenienti devotione ac reverentia sumi. Quare ætas, qua urget obligatio communionis, est intra annum 10. vel 12. & 14. ita ut nemo ultra differat, si sit sufficienter instructus, & rectè dispositus: quia saltem communiter neque ante 10. incipit, neque ultra 14. differtur plenior usus rationis requisitus. In periculo tamen mortis, puero capaci confessionis, & sufficienter instructo, dandum est Eucharistiæ viaticum: nam in eo periculo versatur, in quo non expectat tempus commodius ad Eucharistiam cum meliori dispositione recipiendam, ut præcepto divino satisfaciat; & aliunde potest reverenter sumere, & probare se sufficientem per confessionem, ne indignè sumat.

2. Per Pascha, ex Eugenio IV. Bulla *Fide digna*, & usu Ecclesiæ, intel-

ligitur tota quindena à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè. Tamen in variis locis sive ex consuetudine, sive ex privilegio, sive ex necessitate, plus temporis conceditur.

3. Communio Paschalis fieri debet in propria Parochia, & sumenda de manu proprii Sacerdotis, vel ejus delegati. Constat ex Ritualibus & variis Synodis, & ex consuetudine vim legis habente, & ita interpretantem canonem Concilii Lateranensis. Unde sacra Congregatio Cardinal. declaravit anno 1682. sæculares non satisfacere præcepto Ecclesiastico per communionem factam in Ecclesiis regularium, Sacerdotes tamen sæculares ex consuetudine satisfaciunt celebrando in Ecclesia, cui addicti sunt per suas functiones.

4. Vagabundi tenentur Eucharistiam suscipere in ea parochia, in qua eo tempore versantur, nam ibi sunt verè subditi, & non habent alium certum parochum, vel pastorem, unde ibi censentur habere domicilium eo modo quo illius sunt capaces. *Ita Suarez, L. 9. instit. Soc. c. 3.* ubi idem ut verius censet de peregrinis: quia reputantur tanquam incolæ illius loci, in quo tempore Paschali inveniuntur, ut declaravit Eugenius IV. & Parochus illius loci est proprius eorum Sacerdos; nisi tamen ipsius Parochi interveniat licentia saltem tacita, quæ ex consuetudine innotescit.

5. Confessor potest ex justa causa communionem Paschalem pœnitentis ultra quindenam differre, ex Conc. Later. c. *Omnis*, cit. imò tenetur, si judicet differendam esse absolutionem: enim verò cùm communio pendeat ab absolutione, qui potest ac debet hanc differre, potest quoque ac debet illam.

6. Huic præcepto communicandi non satisfit per communionem sacrilegam. Nam 1. Innocentius XI. oppositum damnavit. 2. Ecclesia expressit in præcepto modum excludentem communionem sacrilegam: nam, cap. *Omnis*, præcipit, ut omnes suscipiant *reverenter*, ideóque non sacrilegè. Præceptum autem non servatur, nisi servetur modus præcepti in ipso præcepto expressus, cùm ipse præcipiatur. 3. Præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti divini de sumptione Eucharistiæ pia ac fructuosa, qua anima alatur & ejus vita confortetur ac augeatur, ex ex 1. Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo; & sic de pane illo edat.* Et ex Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, &c.*

7. Qui ante quindenam in sua parochia Eucharistiam sumpsit, tenetur iterum sub mortali eam ibi sumere intra quindenam. Nam quando per præceptum determinatur tempus, non impletur saltem integrè, nisi eo tempore, sicut qui die Sabbati audivit Missam, non est immunis ab obligatione eam audiendi die sequenti. Præterea non satisfacit præcepto Eucharistiam *in Paschate* suscipiendi. *Hinc ægrotis Parochialibus, etiamsi communionem extra præscriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet, ac ministrabit* (Parochus.) ait Rituale Rom.

8. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur adhuc postea intra eundem annum quamprimum communicare. Quia hoc præceptum non est sicut præceptum jejunandi, vel audiendi Missam tali die, sed continet virtualiter duo præcepta, alterum communi-

municandi semel saltem in anno, alterum in Paschate: ita ut Communio annua primariò propter se præcipiatur ad implendum præceptum divinum sæpè in vita communicandi, nec alligetur Paschæ, sicut Sacri auditio affixa est diei festo. Quod satis indicant hæc verba legis Concil. Later *ad minus in Pascha*, & ista Concil. Trid. *Singulis annis saltem in Paschate.* Et verò Ecclesia debuit, exigente fidelium negligentia, determinare tempus observandi præceptum divinum communicandi pluries in vita, ideoque & obligare ad communionem post Pascha eos, qui in Paschate omisissent. Ergo cùm adhuc servari possit præceptum Ecclesiæ, quantùm ad id quod est magis principale, durat obligatio toto anno, donec impleatur.

Imò juxta *Suarez*, *Azor*, *Reginald. & alios*, est obligatio continua communicandi quamprimùm moraliter fieri potest, post Pascha, ita ut semper nova culpa admittatur, quoties data opportunitate non impletur. Quia tempus Paschæ non est tantùm determinatum propter solemnitatem, & majorem congruentiam hujus temporis, sed etiam ne diutiùs differatur communio; unde præceptum est affirmativum, quatenus præcipit communionem; & simul implicitè negativum, quatenus prohibet ejus dilationem ultra Pascha: & probant etiam ex usu Ecclesiæ: nam qui communionem omisit, censuris & minis compellitur, ut quamprimùm communicet. Aliud est de auditione Sacri, quæ præcipuè præcipitur ob diem sacrum & in illius honorem, tanquam onus affixum diei, sic ut eo transacto non obliget, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Sicut ergo cùm tributum exigitur in certum diem, eo transacto statim semper solvi debet, ita, &c. Hinc qui toto anno non communicavit, tenetur in confessione dicere, quoties id per annum omisit, cùm posset commodè communicare, nam toties peccavit.

Sed *Delugo* docet tunc remanere obligationem communicandi, non quidem statim post Pascha, sed solùm ante finem anni: quia, inquit, cùm præceptum communicandi in Paschate nequeat jam observari, nec proinde obliget; solùm manet obligatio alterius præcepti communicandi saltem semel in anno; hoc autem non obligat ad communicandum hoc mense potiùs quàm illo, sed ad communicandum semel hoc anno. Addit, censuram infligi solùm propter transgressionem præteritam præcepti, quod obligabat sub censura infligenda à prælato, qui non vult eam exequi, nisi in eos, qui statim non communicaverint.

9. Qui prævidet se non habiturum opportunitatem communicandi in Paschate, nec postea hoc anno, tenetur prævenire. Quia tenetur singulis annis communicare: obligatio autem quæ cadit in totum tempus impleri debet initio, si in decursu, vel in fine impleri nequeat; nam urget in ea temporis parte qua potest impleri; ut patet in præcepto audiendi Missam, quam tenetur primo manè audire, qui postea non poterit, quia præceptum obligat pro illo die, prout impleri potuerit. Qui verò tempus prævenit, tenetur denuò communicare, si postea possit, in Paschate; quia non satisfecit huic alteri obligationi communicandi in ipso Paschate, & jam potest ei satisfacere.

10. Ad veram communionem necesse est, ut Eucharistia per os in stomachum trajiciatur, & in eo recipiatur: nam hoc requiritur ad veram manducationem & sumptionem alimenti. Unde si quis tamdiu teneret hostiam in ore, ut in eo dissolverentur spe-

cies, aut si moreretur, antequam in stomachum descendisset, reipsa non communicasset, nec reciperet gratiam.

(*a*) *Nota.* Non licet plusquam semel eodem die communicare, ut constat ex omnium consensu, ex consuetudine vim legis habente, & ex cap. 3. de celebr. & cap. *Sufficit*, de consecr. dist. 1. Qui Canones licet loquantur de solo Sacerdote, tamen ab omnibus exten-

(*a*) Ad Eucharistiæ administrationem, quod attinet, duo capita occurrunt in citato Opere de Synodo lib. VII. quorum in priori, quod ordine est nonum, de Viatico agitur, exhibendo, vel non exhibendo ei, qui post perceptam manè Sanctissimam Eucharistiam eadem die prudenter timetur moriturus, atque recensitis hinc inde opinionibus, statuitur, „ in tanta opinionum „varietate, Doctorumque discrepantia, in„tegrum esse parocho, eam sententiam am„plecti, quæ sibi magis arriserit, quin fiat „reus violati Statuti Synodalis, quod certè „non potuit casum istum extraordinarium „respicere. Neque fas esse Episcopo, aut „in Parochum animadvertere, qui præfato „ægrotanti Viaticum denegavit: aut quid„quam de ejusmodi controversia, in sua „Synodo decernere, ne videatur sibi arro„gare partes judicis, inter gravissimos, hac „super re secum contendentes Theologos.

In altero verò capite, quod est duode„cimum. *Primò.* Haud leviter delinquere, *ait.* „ Qui pueros etiam duodennes, & per„spicacis ingenii, sinunt ex hac vita migra„re, sine Viatico, hanc unam ob causam, „quia scilicet nunquam ante, Parochorum „certè incuria, & oscitantia Eucharisticum „panem degustarint“ atque probare quo„dammodo videtur Suaresii sententiam, qui „docet „omnibus, qui sunt doli capaces, „positis in vitæ discrimine, illud esse, ex „divino præcepto porrigendum. *Secundò.* „Posse, *ait*, & interdum debere Episco„pum constituere, ne Parochi renuant San„ctissimam Eucharistiam iterato deferre ad „ægrotos, qui etiamsi perseverante eodem „morbi periculo, idem sæpius, per modum „Viatici, cùm naturale jejunium servare ne„queant, percipere cupiunt. *Tertiò.* De „frequenti Communione, *monet*, ut caveat „Episcopus, ne aut universim improbet, „aut indiscriminatim suadeat, quotidianum „ad sacram Mensam accessum.“ Deinde ex decreto ad litem de frequenti Communione præcidendam, jubente, ac approbante Innocentio XI. *die* 12. *Februarii* 1679. promulgato, hæc verba transcribit. „ In hoc „igitur Pastorum diligentia potissimum in„vigilabit, non ut à frequenti, aut quoti„diana sacræ Communionis sumptione, u„nica præcepti formula aliqui deterreantur, „aut sumendi dies generaliter constituantur, „sed magis quid singulis permittendum per „se, aut Parochos, seu Confessarios sibi „decernendum putet, illudque omnino pro„videat, ut nemo à sacro Convivio, seu „frequenter, seu quotidie accesserit, re„pellatur; & nihilominus det operam, ut „unusquisque dignè, pro devotionis, & „præparationis modo, rarius, aut crebrius „Dominici Corporis suavitatem degustet... „Proderit etiam præter Parochorum, & „Confessariorum diligentiam, opera quo„que Concionatorum uti, & cum eis con„stitutum haberi, ut cùm Fideles ad san„ctissimi Sacramenti frequentiam (quod „facere debent) accesserint, statim de „magna ad illud sumendum præparatione „orationem habeant; generatimque osten„dant, eos, qui ad frequentiorem, aut „quotidianam salutiferi cibi sumptionem, „devoto studio excitantur, debere, sive „laici negotiatores sint, sive conjugati, si„ve quicumque alii, suam agnoscere infir„mitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Di„vini judicii formidine, discant cœlestem „Mensam, in qua Christus est, revereri; „& si quando se minus paratos senserint, „ab ea abstinere, seque ad majorem præ„parationem accingere. *Denique concludit.* „Si itaque in Synodo instituatur sermo de „frequenti, aut etiam quotidiano sanctis„simæ Eucharistiæ usu, non est deviandum „ab hujus decreti semita, sed si qua Paro„chis tradenda sit instructio, curandum est, „ut hæc illi adamussim respondeat: præci„pue verò monendi sunt Confessarii, ne „frequentem ad Eucharistiam accessum iis „aut suadeant, aut permittant, qui in gra„via peccata sæpe labuntur, nec de pœni„tentia peragenda, suaque vita emendan„da sunt solliciti; sicuti nec illis, qui, et„si gravia evitent crimina, voluntatem ta„men habent venialibus inhærentem: qua „de re legendi sunt sanctus Franciscus Sa„lesius *Philoteæ part.* 2. *cap.* 20. & Joannes „Taulerus *serm.* 4. *in festo Venerab. Sacra„menti.*

extenduntur ad laicalem communionem, & meritò: nam faciliùs Sacerdoti ob utilitatem totius Ecclesiæ permitti potest bis celebrare. Ratio prohibitionis est reverentia tanto Sacramento debita, & ut aptius repræsentaretur unica Christi mors, quæ semel contigit. Hinc si quis eo die quo communicavit, incidat in periculum imminens mortis, juxta Doctores omnes, aut ferè omnes, *inquit Delugo*, non ei licet iterum eadem die communicare: quia nunquam licet bis communicare eadem die extra Missam, nisi quando propter reverentiam Eucharistiæ necesse est, ut ab aliquo consumatur. Neque tunc est necessitas secundæ communionis: talis enim satisfecit præcepto divino communicandi in fine vitæ; nam communicavit tempore proximo mortis, ac proinde moraliter censetur communicasse in periculo mortis, licèt id ignoraret. Rituale tamen Metense contrarium docet.

Quæst. II. *Quinam sunt Eucharistiæ effectus?*

Resp. Hi. Primus & principalis est nutritio & confortatio animæ, ac augmentatio in vita spirituali, nimirum gratia sanctificante & charitate, ex Joann. 6. *Caro mea verè est cibus, &c.* Ex Conc. Florent. in decreto de Sacram. ibi: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando; Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem: in quo gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Et ex Concil. Trident. Sess. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me & ipse vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservemur.*

Hæc autem nutritio & confortatio spiritualis consistit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus uberioribus, quæ suo tempore intuitu Eucharistiæ perceptæ dantur, ad charitatem conservandam & augendam per opera meritoria; nisi tamen gratiis illis per peccata etiam venialia deliberatè vel frequenter commissa obex postea apponatur.

Secundus liberat à peccatis venialibus. *Concil. Trident.*

Tertius præservat à mortalibus. *Concil. Trident. cap. 2. cit.* per gratias scilicet actuales, quæ illius intuitu dantur ad superandas tentationes & servanda mandata cùm urgent; & mediante illa præservatione operatur perseverantiam in gratia, & per eam gloriæ consecutionem, juxta Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* si tamen homo gratiis illis non resistat.

Quartus est delectatio spiritualis, ex Concil. Flor. supr. cit. & ex Concil. Vienn. Clement. *de reliquiis*, &c. ibi: *In quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Sed hæc delectatio spiritualis sæpè non est sensibilis, & impeditur per negligentiam, teporem, distractionem communicantis, vel affectum ad delectationes terrenas.

Quintus imminuit concupiscentiæ fomitem, tum augendo charitatem, nam

nam ex S. Auguſtino augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis; tum per gratias actuales, quibus excitantur pii motus contrarii motibus concupiſcentiæ.

Denique Euchariſtia influit in glorioſam reſurrectionem corporum, in quantum Deus ad vivificanda iſta corpora movetur per conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice Chriſti carne, ex Joann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Ex quibus patet quàm utilis & expetenda ſit frequens Euchariſtiæ ſumptio, modò fiat cum debitis diſpoſitionibus.

Quæſt. III. *Quænam diſpoſitiones ex parte animæ requiruntur ad Euchariſtiam?*

Reſp. 1. Sub mortali requiritur ſtatus gratiæ. *Prob. 1.* Ex 1. Corinth. 11. *Quicumque manducaverit indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini .... Judicium ſibi manducat, non dijudicans Corpus Domini.* Sed qui eſt in peccato mortali, manducat indignè. Ergo. 2. Ex Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 7. ibi: *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè, quo magis ſanctitas & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & ſanctitate ad id participandum accedat, præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat, &c.* 3. Quia peccator gravem injuriam ac irreverentiam admittit in Chriſtum, eum ſuſcipiendo in ſtatu inimicitiæ, & peccati, quod ei infinitè diſplicet: & quantùm in ſe eſt, falſam reddendo ſignificationem tanti Sacramenti, illudque effectu ſuo privando: nam cùm ſit inſtitutum per modum cibi & potus, ad augendam, roborandam & conſervandam ſpiritualem vitam animæ, quæ eſt gratia ſanctificans, & charitas illam præſupponit: nec enim cibus datur, aut prodeſt mortuo. Quod ſacrilegium graviſſimum eſt: nam eo gravius eſt ſacrilegium, quo perſona, vel res ſacra, quæ indignè tractatur, ſanctior eſt.

Porrò S. Franciſcus Saleſius, in ſua introduct. tum immunitatem ab omni peccato mortali & ab omni affectu ad quodvis veniale, tum magnum deſiderium communicandi exigit ad communicandum octavo quoque die.

Reſp. 2. Qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, per ſe loquendo ante communionem tenetur jure divino confiteri. Conſtat ex *Concil. Trident. Seſſ. 13. c. 7.* in hunc ſenſum explicante hæc verba Apoſt. 1. Corinth. 11. *Probet ſeipſum homo.* Et Can. 11. ubi ait: *declarat Sancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcunque, etiamſi ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem.*

Dixi: *per ſe loquendo:* nam ſi urgeat neceſſitas communicandi, & deſit copia confeſſoris, ſufficit & requiritur contritio perfecta, ex eodem *cap. 7.* & praxi fidelium. Quia cùm finis intentus, nempe ſtatus gratiæ requiſitus ad Euchariſtiam, poſſit etiam absque confeſſione obtineri per contritionem perfectam, non debuit præceptum tunc confitendi ita ſtrictè obligare, ut nulla prorſus neceſſitas excuſaret. Hæc neceſſitas urgere, ex communi ſententia cenſetur. 1. Quando morituro viaticum dari debet, & deeſt hoſtia conſecrata. 2. Si Sacrificium, vel communio ſine gravi infamia aut ſcandalo omitti nequit, ex Miſſali Romano de defe-

defectibus. 3. Cùm post consecrationem Sacerdos meminit peccati mortalis, ex Missali Romano. 4. Juxta multos, quando Parochus die festo debet celebrare, nec potest alium substituere.

Porrò Sacerdos, qui in tali necessitate celebravit non confessus, tenetur postea quamprimùm confiteri. Ita præcipit Conc. Trid. cap. 7. sic: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Id est, ut explicat Missale Romanum. *Cum primùm poterit, debet confiteri.* Circa quod Alexander VII. damnavit has duas Propositiones 38. *Mandatum Concil. Tridentini Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.* 39. *Illa particula (quamprimùm) intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.* Quare confiteri tenetur statim atque habuerit copiam confessoris, etiam ipso die celebrationis, si sine magno incommodo possit. Dilatio autem licèt parva quoad tempus, est magna relatè ad finem præcepti, proindeque mortalis, ob periculum celebrandi iterùm sine confessione. Copia autem confessoris censetur deesse, cùm absque gravi incommodo, seu damno adiri nequit.

Nota. Qui jam confessus est, sed inculpatè omisit mortale, tenetur illud confiteri ante communionem, si absque gravi scandalo & infamiæ periculo possit (quale dicitur esse plerumque, si jam sacræ mensæ astaret) & hæc est praxis fidelium; nam est præceptum divinum confitendi ante comunionem omnia mortalia, quorum quis recordatur ex Conc. Trid. Sess. 13. c. 7. & Can. 11. unde oppositum fuit expunctum in S. Fidei Tribunali Hispano.

Resp. 3. Requiritur, ut cum magna devotione & reverentia sumatur Eucharistia. *Ita S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 10.* & per se patet: nam id summa Christi majestas tanto cum amore se totum creaturæ communicantis omnino exigit. Præterea devotio actualis requiritur ad aliquos effectus secundarios recipiendos: quamvis enim, secundùm S. Thomam & communem sententiam, ad recipiendum augmentum gratiæ sanctificantis sufficiat status gratiæ, eo quòd solùm peccatum mortale sit obex gratiæ sanctificantis, quippe, quæ cum veniali consistere potest, & Sacramenta ex opere operato gratiam conferant non ponenti obicem: tamen devotio actualis necessaria est ad recipiendam dulcedinem spiritualem, fervorem, & majus augmentum gratiæ habitualis, multasque gratias actuales speciales: nam Sacramenta ad modum causæ necessariæ efficiunt plus aut minùs pro perfectiore aut imperfectiore dispositione subjecti, ex Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. unde solus defectus devotionis actualis, secluso contemptu & scandalo, est grave veniale. Item ad remissionem venialium prærequiritur depositio omnis affectus ad illa, & displicentia aliqua saltem virtualis illorum. Hinc Filiucius hæc ait: Qui ex consuetudine multa venialia committit, & sentit se gravatum eorum conscientia; & hic si sine dolore eorum accedat, videtur peccare venialiter: quia ponit obicem aliquibus effectibus, ut eorum remissioni & fervori charitatis: & quia est aliqua irreverentia.

Resp. 4. Devotio actualis, quam exigit Eucharistia, postulat, ut cum fide viva, spe firma, charitate ardenti, & magna humilitate suscipiatur; atque etiam ut conjuges ab actu conjugali se abstineant saltem die communionis: quia hic actus propter delectationem carnalem mentem deprimit, distrahit, & à spiritualibus avocat; & rarò ob cor-

corruptionem naturæ ſine culpa veniali exercetur, præſertim ab exigente. Si tamen actus ille fiat ſolùm prolis gignendæ vel reddendi debiti cauſa, non impedit communionem, ex S. Gregorio in cap. *Vir 33.* quæſt. 4. Nam licèt in copula intercedat voluptas & corporalis immunditia, tamen cùm hæc accidant ob bonum finem, nec voluptas intenta ſit, honeſtas finis hanc indecentiam compenſat & impedit, ne mens tantùm deprimatur ac diſtrahatur. Qui verò ob voluptatem copulam exigit, regulariter venialem culpam admittit contra religionem, ſi eo die communicet, quia voluptas in eo actu quæſita mentem abſorbet, & multùm deprimit ac diſtrahit, ineptamque oratio ni reddit, & ſic impedit devotionem actualem. *Ita communiter, ut conſtat ex Sanchez.*

Dixi, *regulariter.* Quia poſſunt ſubeſſe aliquæ juſtæ cauſæ, ob quas communio tunc licita ſit poſt elicitam de culpa contritionem, ut Jubilæus, ſcandalum vitandum &c.

A fortiori, qui pollutionem voluntariam, vel aliud grave peccatum admiſit, non debet ſtatim, etſi contritus & abſolutus, Euchariſtiam ſumere, niſi urgeat aliqua neceſſitas, & aliud confeſſario videatur, ut ait Miſſale Roman. tum ob indecentiam; tum quia talis non poteſt ſtatim devotionem actualem debitam habere, propter diſtractionem, cogitationem turpium, recordationem delectationis obſcœnæ, & infirmitatem ex peccato relictam. Imò ex quadam decentia ab Euchariſtia abſtinendum eſt ob pollutionem nocturnam involuntariam, dum mentem perturbat ac diſtrahit, niſi videatur à dæmone ad communionem impediendam, procurata, vel niſi adſit aliqua neceſſitas, vel ſingularis utilitas, aut ſcandalum ex omiſſione timeatur. *S. Thom. 3. p. qu. 80. art. 7.*

Nota. Devotio, reverentia, & gratitudo Chriſto debitæ, exigunt aliquod tempus poni poſt communionem in gratiarum actione, pia occupatione animæ cum Chriſto, per actus fidei, ſpei, charitatis, &c. & teſte S. Thereſia illud tempus eſt pretioſiſſimum ac ſaluberrimum, proinde non ita contrahendum. Non licet autem ſtatim poſt communionem exſpuere ob periculum & irreverentiam. Præterea S. Carolus, Act. p. 4. in inſtruct. Euchar. monet eos, qui Euchariſtiam ſuſceperunt, *ut animi cogitationes, ſenſus omnes, & linguam cohibeant, abſtineantque præcipuè eo die à verbis otioſis, cogitationibus inanibus; ſed in ſanctis meditationibus, precibus, divinorum officiorum frequentia, Eccleſiis etiam frequentandis, aliisque pietatis officiis atque operibus verſentur .... & curent à ſui intima cuſtodia non alienari.*

Quæſt. IV. *Quænam ex parte corporis neceſſaria eſt diſpoſitio?*

Reſp. 1. Jure naturali requiritur exterior habitus, & corporis compoſitio, quæ internam animi reverentiam & devotionem exhibeat: nam debetur huic Sacramento non ſolùm interna, ſed etiam externa veneratio ſumma, & adoratio, cùm Chriſtus mediis ſpeciebus ſenſibili quodam modo in eo exiſtat, & tractetur. Non licet autem communicare, ſi ſit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam.

Porrò quoad ſordes corporeas, id docet Delugo, etſi ſecundùm ſe non impediant à communione ſaltem in occulto, cùm Euchariſtia ſit ſolùm cibus animæ, cujus mundities exigitur: decentia tamen & reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut ſi ſordes ejuſmodi facilè poſſint auferri, auferantur. Item ſi brevi ceſſabunt, & poteſt

potest commodè differri communio, aliquando semel aut iterum differatur. Quando tamen longius durant vel merè occultæ sunt, ut contingit in menstruo, non est, cur aliquis alimonia cœlesti privetur.

Resp. 2. Ex lege Ecclesiastica & consuetudine constanti vim legis habente, requiritur sub mortali jejunium naturale, consistens in eo quòd nihil omnino per modum cibi vel potus vel medicinæ, à media nocte præcedente, ab ore in stomachum trajiciatur. Constat. 1. Ex sensu & praxi Ecclesiæ. 2. Ex Augustino, epist. 118. *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs dominicum Corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideò per universum orbem mos iste servatur.* Hancque consuetudinem docet ab Apostolis manasse. Enimverò semper servata fuit: nec ab ullo Concilio, vel Papa instituta fuit: at (ut ait S. August. ibid.) *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.* 3. Ex cap. 5. de celebr. & ex Conc. Carthag. III. Canon. 29. Tolet. VII. Can. 2. & Constantiensi, Sess. 13. ibi: *Sacrorum Canonum authoritas, & Ecclesiæ approbata consuetudo servavit & servat, quòd hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non jejunis: nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.*

In hoc non datur levitas materiæ, ut constat ex Ecclesiæ sensu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, & ex Concil. Tolet. VII. c. 2. & Missali Romano, de defect. ubi ait: *Si quis non jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinæ, & quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.* Idque tum ob reverentiam & honorem Eucharistiæ, ut cœlestis ille cibus præponatur cuilibet cibo & potui terreno, & ut fideles assuescant discernere inter hunc divinum cibum, & alios communes, tum ob spiritualem significationem, quòd Christus debeat esse primus ac primarius eorum cibus, & in cordibus primò fundari. Et verò quælibet sumptio est contra principale prohibitum: nam prohibetur communio post sumptionem cujuslibet rei per modum cibi, vel potus, vel medicinæ.

Observa 1. Cùm hoc præceptum sit merè positivum, non obligat his casibus ab Ecclesia expressè vel tacitè exceptis, in quibus, vel necessitas hominis, vel reverentia Sacramenti aliud exigit. 1. Cùm in probabili articulo mortis Viaticum sumendum est ei, qui jejunus sine gravi incommodo communicare nequit. Neque tunc differendum est post mediam noctem, ut statim æger illud jejunus recipiat; nam id non fert usus Ecclesiæ ob nimiam difficultatem, & ob Sacramenti reverentiam; eo quippe tempore non potest sæpè cum debito decore, comitatu, & securitate deferri. Non licet tamen Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum viaticum moribundo, sicut nec consecrare in fermentato, vel sine vestibus sacris, aut omisso ritu sacrificii: nam consuetudo Ecclesiæ ita interpretatur præceptum divinum viatici sumendi, scilicet ut non debeat dari, nisi quando dari potest secundùm ritum & ordinem ab Ecclesia præscriptum in Eucharistia conficienda & ministranda, & modo convenienti ac in debitis circumstantiis. Et verò cùm Eucharistia non sit absolutè necessaria ad salutem, major habenda est ratio reverentiæ ei

 debitæ;

debitæ, & uniformitatis servandæ in ritu sacrificii, quàm utilitatis privatæ proximi: nam communi necessitati Ecclesia satis providit præcipiendo Eucharistiam in sacrario asservari ad viaticum. Ob casum autem rarum lex generalis; & uniformitas in ritu omitti non debet. 2. Quando perficiendum est sacrificium, ut cùm Sacerdote post consecrationem deficiente non adest nisi Sacerdos non jejunus, qui illud absolvat. Item cùm Sacerdos advertit in calice non fuisse nisi aquam, cujus jam partem sumpsit; tunc enim debet consecrare vinum, & consecratum sumere; vel cùm post consecrationem recordatur se non esse jejunum: nam lex divina faciendi sacrificium perfectum ac integrum prævalet legi Ecclesiasticæ de jejunio. Quòd si Sacerdos ante consecrationem advertat se non esse jejunum, tenetur recedere, si potest sine gravi scandalo. 3. Quando post ablutionem relictæ sunt reliquiæ aliquæ in hac Missa consecratæ, etsi magnæ sint, dum facilè recondi nequeunt in pyxide & sacrario: nam ad idem sacrificium spectant, & sumuntur per modum unius refectionis. Non licet tamen tunc sumere particulas alterius sacrificii, quæ sunt in ciborio ad illud expurgandum. 4. Si periculum sit, ne alioqui Eucharistia ab infidelibus prophanetur: nam lex divina obligat ad impedienda sacrilegia, cùm impediri possunt; & quod in reverentiam Eucharistiæ statutum est, non debet obligare ad non impediendam ejus prophanationem & irreverentiam.

Observa 2. Jejunio naturali, ideóque communioni, nunquam obstant ea, quæ per modum salivæ, vel respirationis in stomachum decidunt: ut reliquiæ minimæ vini aut aquæ, quibus os abluitur, mixtæ copiosiori salivæ; & reliquiæ ciborum dentibus adhærentes, ac postea casu trajectæ. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem,* ait Missale Rom. Ita sanguis vel humor è capite defluens, & juxta varios culex, aut floccus nivis per respirationem attractus, non obstant jejunio naturali, nec proinde communioni: nam ista aut non sumuntur ab extrinseco, aut non sumuntur per modum cibi, vel potus, vel medicinæ. Secùs, si saccarum, glycirriza, vel quid simile, quod sensim in ore liquescit simul cum saliva in stomachum decidat, licèt ante mediam noctem sumptum fuerit: quia quod sic liquescit, non deglutitur per modum salivæ, sed censetur esse id, quod principaliùs trajicitur. Et tunc est continuata comestio cibi, quæ fit per continuam liquefactionem & trajectionem. Idem dic de reliquiis cibi, quæ data opera trajiciuntur, nam tunc non possunt dici per modum salivæ deglutiri, sed verè comeduntur. *S. Thom 3. part. quæst. 80. art. 8. ad 4. S. Antonin. ex Paludan. Ita etiam Vasquez, Delugo, &c.* & dicit ut securiorem eligendam.

An autem quæ à stomacho nec alterari nec diggeri possunt secundùm ullam sui partem, ut lapillus, globulus plumbeus, frustum ligni, &c. impediant communionem, si deglutiantur? *Alii Affirmant:* quia sumptio cujuslibet rei prohibetur, ut fideles intelligant cuilibet rei creatæ hunc cibum esse præponendum. *Alii Probabilius negant:* eo quòd non habent rationem cibi, vel potus, vel medicinæ. *De his verò quæ sumuntur per modum gustationis sicut coci faciunt, qui cibum & potum supra linguam ponunt solum ad probandum, & statim projiciunt, videtur quod non impediant* (communionem)

nionem) *ſicut ſi quis velit probare, num ſit aqua, vel vinum album, quod ſibi miniſtratur. Quia non eſt cibus nec potus, ex quo non deglutitur,* ait S. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. Addit neque impediri, ſi aliquæ horum particulæ mixtæ ſalivæ præter intentionem deſcenderent, ut dictum eſt de reliquiis aquæ, cùm os abluitur.

Obſerva 3. Poſt cibum paulò ante mediam noctem ſumptum non requiritur ſomnus, aut cibi digeſtio ad communicandum. Miſſale Roman.

Quæſt. V. *Quinam licitè poſſunt Euchariſtiam diſpenſare?*

Reſp. 1. Soli Sacerdoti competit poteſtas ordinaria diſpenſandi Euchariſtiam, ex Conc. Trident. Seſſ. 13. cap. 7. Nam hæc commiſſa eſt iis ſolis, qui poſſunt illam conficere, & ad quos ſpectant illa Chriſti verba: *Hoc facite in meam comemorationem.* Tamen ex ejus commiſſione poteſt diaconus illam miniſtrare, ut conſtat ex praxi veteris Eccleſiæ; non autem ſubdiaconus, ut conſtat ex communi Doctorum conſenſu, & univerſali conſuetudine Eccleſiæ. Et verò diaconus habet ex ſua ordinatione in ordine ad hanc functionem aliquid plùs quàm alii Clerici inferiores; non quòd habeat ex ſua ordinatione poteſtatem diſtribuendi; ſed quia conſecratur peculiariter in miniſtrum immediatum Sacerdotis, & ſupremum inter miniſtros, atque adeo ad adminiſtrandum & ſerviendum Sacerdoti in rebus ſuperioribus & dignioribus, quarum præcipua eſt diſtributio Euchariſtiæ. Verùm ex uſu præſenti diaconi id non poſſunt ſine licentia Epiſcopi ob juſtam cauſam, niſi in neceſſitate dandi viaticum.

Reſp. 2. Sacerdoti non licet Euchariſtiam miniſtrare ſine jurisdictione ordinaria, vel delegata, aut privilegio, quia paſtorum munus proprium eſt paſcere, quòd fit per Sacramenta. Unde mortale eſt id facere ſine jurisdictione vel facultate ſaltem generali & interpretativa; nam eſt propria auctoritate uſurpare jus alienum in re gravi contra debitam gubernationem, & ordinem Eccleſiæ. Idem dic de aliis Sacramentis. Si tamen paſtor abſit, vel præſens non poſſit dare viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente diaconus poteſt ac debet miniſtrare. Nam tunc præſumitur voluntas Epiſcopi, vel Papæ, cùm Euchariſtia ſit tunc jure divino præcepta, & maximè utilis ſit, imò aliquo modo neceſſaria ad vires ſpirituales in illo periculoſo agone comparandas; neque enim jurisdictio requiritur ad adminiſtrandam Euchariſtiam, tamquam aliquid pertinens ad ſubſtantiam miniſtrationis, ſicut pertinet ad ſubſtantiam miniſtrationis Pœnitentiæ, ſed ſolùm ad debitum ordinem, & modum ſervandum in gubernatione populi Chriſtiani. Unde ad illud, non ad hoc ſufficit voluntas præſumpta. Nunc ex conſuetudine & conſenſu tacito Epiſcoporum quivis Sacerdos etiam ſæcularis ſine ulla parochi expreſſa licentia, quibusvis petentibus Euchariſtiam extra tempus paſchale in Eccleſiis adminiſtrant.

Nota. Eſt mortale Euchariſtiam ſub utraque ſpecie panis & vini dare, ex Concil. Conſtantienſi, & ex recepta conſuetudine vim legis habente, & approbata à Concil. Trid. Seſſ. 21. c. 2. Item eam diſtribuere ſine ſtola, ſuperpelliceo, vel alba, quia eſt contra reverentiam ei debitam, & præceptum Eccleſiæ.

Porrò à ſacra communione *arcendi ſunt publicè indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores: niſi de eorum pænitentia & emendatione conſtet, & publico ſcan-*

ſcandalo priùs ſatisfecerint. Occultos verò peccatores, ſi occultè petant, & non eos emendatos agnoverint, repellat : non autem ſi publicè petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat. Ita Rituale Rom.

CAPUT III.

De Miſſæ Sacrificio.

Quæſt. I. *AN Euchariſtia eſt verum ſacrificium?*

Reſp. Affirm. Eſt de fide, ex Conc. Trid. Seſſ. 22. Can. 1. 2. & 3. Ratio eſt, quia ſacrificium propriè dictum eſt oblatio externa ſubſtantiæ ſenſibilis, per ejus realem immutationem facta Deo, in teſtificationem ſupremi dominii Dei in omnes creaturas, & harum ad eum ſubjectionis. At hæc omnia conveniunt Euchariſtiæ : nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Chriſti, quæ ſunt ſufficienter ſenſibilia per ſpecies conſecratas ; & per actionem ſacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis ſub ſpeciebus corruptibilibus in ſtatu realiter diverſo, & inepto ad uſus naturales ac humanos Corporis & Sanguinis, atque tendente ad deſtructionem ſeu deſitionem, quatenus ſpeciebus corruptis neceſſariò ibi deſinunt eſſe Corpus & Sanguis Chriſti. Quæ quidem mutatio realis eſt deſtructio quædam moralis ſufficiens ad rationem ſacrificii, & æquivalens phyſicæ deſtructioni. Atque hæc oblatio fit ex inſtitutione Chriſti ad agnitionem ſupremi Dei in res omnes dominii, quòd nempe ſit ipſe author ſupremus rerum omnium, dominus vitæ & necis, ad cujus gloriam omnia referri debeant. Et verò cùm ſacrificium ſit actus religionis perfectiſſimus, quo Deo cultus ipſi ſoli proprius ac debitus exhibetur, non debuit eo carere vera ac perfectiſſima religio.

Nota. Sacrificium Miſſæ eſt ſimul, 1. Latreuticum ſeu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem ſupremi ejus dominii. 2. Euchariſticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. Propitiatorium, quatenus offertur, & valet ad remiſſionem peccatorum, & pœnæ eis debitæ. 4. Impetratorium, quatenus fit & valet ad impetranda à Deo beneficia.

Quæſt. II. *Quinam ſunt ſacrificii Miſſæ effectus?*

Reſp. 1. Ut propitiatorium, confert iis pro quibus offertur, remiſſionem peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & pœnam temporalem peccatis condonatis debitam, ex Conc. Trid. Seſſ. 22. c. docente: *Sacrificium iſtud eſſe verè propitiatorium . . . Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et, Can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ ſacrificium ſoli prodeſſe ſumenti : neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, Anathema ſit.* Producit autem immediatè remiſſionem pœnæ temporalis peccatis, quoad culpam remiſſis debitæ ; idque plus aut minùs pro voluntate Dei ; & devotioni ſubjecti. Remiſſionem verò peccatorum quoad culpam producit ſolum mediatè, quatenus ejus intuitu conferuntur gratiæ actuales, quibus peccator, pro quo oblatum eſt, excitatur & perducitur ad pœnitentiam ſufficientem cum Sacramento in re vel in voto ſuſcepto ad juſtificationem. Quia tamen ſæpe homo iis gratiis reſiſtit, ideo non ſemper hic effectus obtinetur.

Reſp. 2. Ut impetratorium eſt, habet vim impetrandi omnia genera beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad ſalutem conducunt, ſed ſecundùm diſpoſitionem divinæ providentiæ :

tiæ : nam hoc sacrificium continet Christum, & ejus merita hanc vim habentia.

Observa 1. Hos effectus parit sacrificium Missæ ex opere operato : quia non conferuntur ex opere operantis ; & quia Christus est non solùm victima, sed etiam offerens principalis. 2. Ut Missa specialiter prosit uni potiùs quàm alteri, requiritur applicatio à Sacerdote facta. Sufficit, si ante Missam adfuerit intentio eam applicandi tali, nec fuerit retractata. Ut autem is, pro quo offertur, accipiat gratias actuales, sufficit si non habeat voluntatem contrariam. At ut recipiat remissionem pœnæ temporalis, requiritur status gratiæ, & ut peccata, quorum pœnæ remittitur, sint ante remissa quoad culpam. 3. Ex communi sententia offerri potest pro conversione infidelium & hæreticorum, & excommunicatorum, modò non nominentur in orationibus.

Quæst. III. *An Sacerdotes teneantur aliquando celebrare?*

Resp. Omnes tenentur jure divino sub mortali. *Prob. 1.* Ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, ut Conc. Trident. Sess. 22. cap. 1. testatur, Christus Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit. 2. Quia Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solùm potestatem, sed etiam munus & officium sacrificandi per se illi annexum, ex illo, Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat sacrificia.* At quisque munus susceptum exequi tenetur graviter in re gravi, ut in hac ; & uti potestate sibi concessa in honorem Dei & utilitatem proximi : ut patet ex damnatione servi inutilis ob talentum absconditum. *Matth. c. 25.* Quare S. Thomas 3. part. quæstione 82. art. 20. ait, quod Sacerdos etjamsi curam animarum non habeat, *celebrare teneatur in præcipuis festis.*

Tenetur etiam jure Ecclesiastico : nam Concil. Lateranens. V. c. *Dolentes,* de celebrat. inter peccata Sacerdotum recenset, quòd vix quater in anno celebrent, & addit : *Hoc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus.* Et Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 14. sic statuit circa quoslibet Sacerdotes : *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis & festis solemnibus : si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* In Ecclesiis verò Cathedralibus, Collegialibus & Conventualibus quotidie celebrari Missa debet sub mortali, saltem ab aliquo, præsertim ex usu Ecclesiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

Quæst. IV. *Quando, quoties, ubi, & qua hora celebrare licet?*

Resp. 1. Quolibet die celebrare licet, excepta feria sexta majoris hebdomadæ ; feria verò quinta & sabbato ejusdem Missa privata vulgò dici non potest : sed unica publica seu solemnis in singulis Ecclesiis. Ita praxis Ecclesiæ decretis Pontificum firmata. In Diœcesi tamen Tullensi plures celebrantur Missæ privatæ feria quinta, ut populus satisfaciat obligationi audiendi Sacrum eo die impositæ.

Resp. 2. Non licet nunc plures Missas eodem die dicere, præterquàm in Natali Domini, & in casu necessitatis cum licentia Episcopi, dum idem Sacerdos duas habet Parochias, ex c. 3. *de celebrat.* & ex consuetudine vim legis habente.

Resp. 3. Secluso privilegio non licet sub mortali, ob materiæ gravitatem, celebrare nisi in loco consecrato, vel authoritate Episcopi benedicto, vel

in

in oratorio ad divinum tantùm cultum dedicato, & per Episcopum designato. *Ex Concil. Trident. Sess. 22. & cap. 12. de consecrat. dist. 1.* Idque confert ad reverentiam tanto mysterio debitam, & ad fidelium devotionem augendam. Excipitur casus necessitatis publicæ, dum Ecclesia est diruta, ne populus Sacro careat; vel deest, ut in castris, & in littore maris, *cap. 30. ead.* imò nunc in mari celebratur ex licentia Papæ.

Resp. 4. Jure communi, Missa non debet ante auroram absolvi, nec post meridiem inchoari, ex Missali Romano, & consuetudine generali. Excipitur. 1. Missa Nativitatis Domini. 2. Casus necessitatis conficiendi Eucharistiam pro Viatico. 3. Ex consuetudine, vel tacita licentia in pluribus locis hora antevertitur, vel differtur; & in hieme in gratiam opificum vel similium pluribus horis ante solis ortum celebratur. Porrò per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ excepto tempore utriusque æquinoctii durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diversis mensibus. Unde una hora & dimidia ante solis ortum sacrificare licet. Dicunt multi licere uno & altero quadrante post meridiem inchoare Missam, ex causa rationabili, v. gr. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem.

Quæst. V. *Quænam requiruntur ad celebrandum?*

Resp. Sub mortali requiruntur. 1. Lapideum altare ab Episcopo consecratum, fixum, aut portatile, tam amplum, ut hostiam & majorem partem calicis capiat, ut docet *Missale Rom.* Portatile amittit suam consecrationem, cùm nulla pars confracti lapidis calicem cum patena capere potest. Fixum suam perdit, tum per fractionem illam notabilem, tum etiam per separationem è loco suo sive basi, cap. 3. *de consecrat.* Disputant, an reliquiæ sanctorum sint necessariæ ad consecrationem altaris, & an si loculus, seu sigillum continens reliquias frangatur, aut auferantur reliquiæ, altare consecrationem amittat.

2. In altari tres mappæ, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictæ; superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata, quæ pro duabus habetúr, ex *Rubr. Missal. & ex cap. 27. dist. 2. de consecr.*

3. Calix & patena consecrata ab Episcopo, vel alio ex privilegio Papæ, debent esse ex auro, aut argento, vel cogente paupertate ex stanno, cap. 44. & 45. de consecrat. dist. 1. & Missale Romanum ait: *Debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patena itidem inaurata.* Calix amittit suam consecrationem, ideóque non licet eo uti. 1. Dum cuppa Calicis fixi separatur à pede per fractionem, quia consecratio cadit in totum Calicem per modum unius indivisibiliter: secùs, si pes sit tornatilis: nam tunc consecratio cadit in solam cuppam. 2. Si interior cuppæ superficies denuò inauretur; quia aliam habet superficiem non consecratam, quæ tamen debet esse consecrata ob contactum immediatum Eucharistiæ: idem dic de patena. Neutrum tamen amittit consecrationem, etsi perdat paulatim aurum, quo inauratum est, quia id quod remanet, erat consecratum: neque si quis ea sacrilegè adhibuisset in usus profanos; vel si ab aurifice resarciatur, modò nulla fiat fractio notabilis, aut mutatio superficiei interioris cuppæ, vel patenæ: nam id nullibi jus statuit.

4. Cor-

4. Corporale lineum mundum, benedictum ab Episcopo, vel alio potestatem habente, sufficiens ad commodè continendum calicem & hostiam, cap. 46. *de consecrat.* dist. 1. Item palla similiter benedicta & linea, saltem qua parte calicem tangit; & purificatorium lineum.

5. Lumen, ex cap. ult *de celebrat.* Ex Missali Romano, & consuetudine requiruntur duo luminaria cerea: tamen in casu necessitatis unum, imò juxta aliquos aliud lumen ex alia materia.

6. Crucifixus exsculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum. (*a*) (*b*)

7. Missale, nam est instrumentum necessarium; memoria enim labilis est, & non licet in actione tam sacra se exponere periculo errandi, vel omittendi aliquid.

8. Vestes benedictæ ab Episcopo, vel alio habente hoc privilegium, nempe amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula: ita ut si quid horum desit, omittenda sit Missa: quia actio, quæ debito modo fieri nequit, potius omittenda est, quàm indecenter exercenda. Ista amittunt suam benedictionem per lacerationem seu fractionem, & imminutionem notabilem, per quam desinunt esse apta ad usum suum: ut si albæ manica separetur, si cingulum ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum sufficiat, nam hæc manet benedicta ob retentam aptitudinem ad usum proprium. Item totum cingulum manet benedictum & aptum, si antequam frangatur, remedium adhibeatur connexione fortiori partium, etiamsi per nodum. Secundùm S. Antoninum & alios licet uti stola pro manipulo vel cingulo, & manipulo pro stola, si sit satis longus, quando aliter fieri nequit; quia hæc omnia sunt benedicta, & apta ad talem usum. Si priusquàm figura vestis destruatur, ad eam reficiendam assuantur paulatim aliqua, etsi ea non sint benedicta, eadem vestis moraliter benedicta manet; nam accessorium non tollit principale, sed ejus naturam sequitur; nisi tanta huic accessio fiat, ut possit penè novum censeri.

9. Minister, isque masculus, non fœmina, ex Missali Rom. & cap. 1. de cohab.

(*a*) *Nota.* „Inter Decreta Congreg, S. R. „habetur Decretum Sacræ Rituum Congregat. de anno 1737. præcipiens. Quod „in Altare, ubi est publicè expositum SS. „Sacramentum, tempore Missæ Crux de „more collocetur, apud aliquas Ecclesias „non est in viridi observantia: & hac de „causa Instructio pro oratione Quadraginta „horarum Clementis XI. Benedicti XIII. & „Clementis XII. Summorum Pontificum jus „su edita, sub silentio præterit, an locanda, „an vero removenda sit hujusmodi Crux, „linquens quemlibet in sua praxi, *S. R. C.* „2. *Septembris* 1741.

(*b*) De retinenda crucifixi Salvatoris imagine palam, & visibiliter exposita super Altaribus, ad quæ Missarum Sacrificia peraguntur, statuitur in Constit. XVII. BENEDICTI XIV. *Tom.* 2. *Bull. pag.* 125. 1. Permitti non posse, *quod Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & Populi assistentis oculos pene effugiat.* 2. Eam sententiam probandam, *ait*, quæ Cruci imaginem quoque Crucifixi addendam decernit. 3. Necessarium non esse Crucifixum è cruce pendentem in Altari constitui, si Salvator Noster Crucifixus in majori tabula Altaris depictus, aut cælatus ita appareat, ut primum teneat locum præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur. 4 Non sufficere parvam crucem, quæ tabernaculo præfigitur; sed Crucifixum inter candelabra statui oportere, ut constat *ex Congreg. Sac. Rituum* 1665. 5. Probat decretum Congreg. Sac. Rituum in not. ad cit. paginam à nobis relatum.

cohab. Cler. ibi : *Nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare.*

Hæc autem omnia requiruntur sub mortali, ob Ecclesiæ præceptum, & universalem consuetudinem vim legis habentem in re gravi, utpote pertinente ad reverentiam Eucharistiæ, & debitum modum sacrificandi, saltem si haberi possunt.

Quæst. VI. *Quænam circa Missæ celebrationem observanda sunt?*

Resp. Sequentia 1. Nihil licet addere vel detrahere iis, quæ in Missali præscripta sunt, ut vetat *Concil. Trident. Sess. 22.* & Pius V. in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut Missa juxta ritum, modum ac normam Missalis Romani legatur, & ne quis in celebratione Missæ alias cæremonias vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumat. Quod intellige, *salvis Ecclesiarum usibus :* nam quædam diœceses habent Missale proprium, & in aliquibus diversum à Romano. Item Urbanus VIII. mandavit in omnibus & per omnia servari ab omnibus ubique rubricas Missalis Romani, ut videre est initio ejusdem Missalis. Quæ obligatio ex genere suo gravis est, cùm sit imposita in virtute sanctæ obedientiæ, & de re ad cultum divinum pertinente. Unde illam violare est mortale, vel veniale, pro quantitate, vel qualitate rei aut actionis omissæ vel mutatæ; gravis verò in canone. Sic mortalis est omissio elevationis hostiæ consecratæ, immissionis particulæ hostiæ in calicem, oblationis panis vel vini, Epistolæ vel Evangelii, &c. In additione verò levitas materiæ raro locum habere potest, ob injuriam, quæ infertur Ecclesiæ usurpando potestatem ei propriam statuendi ea quæ ad ritum celebrandi pertinent, qui in Ecclesia uniformis esse debet; & ob periculum superstitionis ac erroris. Imò quæ de se venialia essent, ut v. g. ex negligentia omittere *Gloria in Excelsis*, vel *Credo*, vel unum aut alterum sanctum in canone, vel aliquam cervicis inclinationem aut genuflexionem, &c. Hæc, inquam, & similia evadunt mortalia, si adsit contemptus, vel inde grave scandalum sequatur; vel si fiant ex consuetudine aut habituali ac voluntaria indevotione seu negligentia; nam tunc adest contemptus saltem interpretativus. Item mortale est aliquid vel leve omittere aut mutare ex intentione errorem vel novum ritum introducendi, ut faciunt hujus ætatis novatores, Missæ secreta alta voce proferentes, & hoc suo facto damnantes Ecclesiæ Romanæ Ritum, contra Conc. Trid. Sess. 22. Can. 9. ubi ait : *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; Anathema sit.* Sacerdos verò, qui tanta celeritate Missam celebrat, præsertim ex consuetudine, ut vix integrum horæ quadrantem in ejus celebratione impendat, num mortaliter peccet tum propter gravem irreverentiam tanto Sacrificio illatam, tum propter populi scandalum, tum etiam propter contemptum saltem interpretativum, quasi esset actio levissimi momenti, à qua ad alias graviores properandum sit?

Hæc autem omnia ut diligenter vitentur, meminerit sacerdos horum Conc. Trid. verborum, Sess. 22. in Dec. de observ. & evit. in celebrat. Missæ : *Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur; quivis existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur,*

mur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur .... Edicto & pœnis propositis caveant (Episcopi) *ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, ne vel ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint.*

2. Preces pro singulis vestibus in Missali præscriptæ nequeunt sine peccato omitti, ex communi sensu & praxi piorum; eamque omissionem esse culpam venialem docet communis sententia. Secùs de precibus, quæ dicuntur *Præparatio ad Missam*: nam in Missali proponuntur pro opportunitate Sacerdotis recitandæ, quod præceptum non sonat.

3. Non licet celebrare tecto capite, c. 57. *de consecrat.* dist. 1. vel cum pileolo sine licentia, eaque Papæ, ex Decreto Urbani VIII. in Missali; item sine veste talari & calceis, *ex Missali Romano.*

4. Tenetur Sacerdos perfectè ac integrè tantum ministerium exequi; proinde diligenter præcavere omnes defectus etiam accidentales. Si tamen aliquid omissum est non ita grave, ordinariè non est supplendum iterando aliquid, vel præpostero ordine dicendo aut faciendo. Quia id ordinariè perturbationem & scandalum populi affert, & ista accidentalia ad decorem & reverentiam non juvant, dum non fiunt suo loco ac tempore, debitoque ordine. Si verò aliquis defectus substantialis circa materiam, vel formam, vel integritatem Sacrificii commissum sit, debet suppleri; quia facere Sacrificium mutilum & imperfectum est contra præceptum Christi. *Quod si valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale formæ omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.* Missale Rom.

5. Nunquam licet directè intendere mutilationem Sacrificii, ita ut non liceat ob metum mortis intentatæ consecrare solum panem ad communicandum infirmum, prævidendo vinum defecturum: quia talis intentio, cùm repugnet præcepto divino negativo, est intrinsecè mala. At excusant Sacerdotem, qui post consecratam hostiam, ob evidens & inopinatum & urgens mortis periculum eam consumeret, & consecratione calicis omissa fugeret: quia tunc non intendit, sed solùm permittit imperfectionem sacrificii ob extremam necessitatem. Si tamen inde scandalum, vel contemptus religionis sequeretur, teneretur sacrificium perficere cum quovis periculo.

6. Missam inchoatam abrumpere non licet sine justa causa, qualis est administratio Baptismi vel Pœnitentiæ in necessitate, concio vel promulgatio edictorum Ecclesiæ ante oblationem, &c. ut fert usus. Qui autem Missam inchoavit, tenetur sub mortali illam absolvere, cap. *Nihil.* 7. quæst. 1. & cap. *de consecr.* dist. 1. nisi excusetur ob impotentiam subito evenientem ex ex mentis deliquio, gravi infirmitate, &c. Sed tunc si redire & prosequi nequeat, & consecratio facta sit, alius Sacerdos debet Sacrum perficere, cap. *Illud*, 7. qu. 1. nam sacrificium non debet relinqui imperfectum. Imò tenetur Sacerdos cessare, si ante conse-

crationem se culpæ mortalis reum, vel censura ligatum, vel non jejunum esse recordetur, & nullum timeatur scandalum. Quòd si absque gravi scandalo cessare nequeat, elicita perfecta contritione Sacrum perficiat. Item cessare tenetur, si ante cœptum canonem Ecclesia violetur, vel excommunicatus non toleratus ex ea egredi nolit. *Quod si timeatur incursus hostium, vel alluvionis vel ruina loci, ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa: post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.* Missale Rom. *de defect.*

7. In requisitis ad Sacrificium, indecentia & immundities notabilis est mortalis ob gravem irreverentiam contra præceptum tum naturale & divinum, quo res sacræ decenter ac reverenter tractari debent; tum Ecclesiasticum, cap. ult. *de custod. Euchar.* Ex Concil. gener. Lateran. IV. ibi: *Præcipimus ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis.* Unde ex Missali Romano vestimenta sacra *non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda ac pulchra.* Contra quod graviter peccant ii, quibus incumbit horum custodia, vel obligatio ea suppeditandi, & superiores, qui ista non curant.

8. Linteamina & vestimenta sacra & vela detrita, & jam ad proprium usum inepta, debent igne consumi, & eorum cineres in piscinam projici; nec licet ea in usus prophanos convertere, vel vendere, c. *Altari*, de consecr. dist. 1. Sicut nec ligna & lapides Ecclesiæ dirutæ vel altaris: nam lex generalis est: *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.* Reg. 51. jur. in 6. Vasa tamen sacra igne transmutata possunt ob necessitatem pauperum vendi, & sic usibus prophanis deservire. Quæ verò usibus prophanis deservierunt, possunt in usus sacros, forma eorum mutata, converti: sic paganorum delubra in templa conversa sunt.

9. Vas, in quo Eucharistia asservatur, debet esse consecratum, ex Missali Rom. præscribente ut hostiæ consecrandæ ponantur vel supra corporale, vel in vase aliquo benedicto: & ideo extat ejus benedictio specialis in Rit. Rom. cum aliis. Nam (ut ait S. Thom. 3. part. quæst. 83. art. 3.) reverentia hujus Sacramenti à nulla re contingitur nisi consecrata. Idem dic de lunula, quæ debet esse ex auro, aut argento.

10. Sacra vasa etsi vacua, quæ Corpus & Sanguinem Christi contingunt, vel Chrismate uncta sunt, tangere non licet laicis, nec fœminis etiam religiosis, sed solis ministris sacratis, cap. 41. *de consecr.* dist. 1. cap. *Sacratas,* dist. 23. Quòd si tangat sine contemptu, ex communi sententia erit solùm culpa venialis; imò nulla, si subest aliqua necessitas, vel causa honesta. Quamdiu verò vasa continent Corpus, vel Sanguinem Christi, nemo sine mortali, præter Sacerdotem & Diaconum, potest ea contingere, sine absoluta necessitate, ex *cap. 26. dist. 23.* quia res est gravissima. Iisdem non licet corporalia & purificatoria tangere, antequam à Sacerdote, vel Diacono laventur, ex c. 40. *de consecr.* dist. 1. quia Corpus, vel Sanguinem Christi contingunt. Omnibus autem laicis licet alias vestes & pallas benedictas tangere cum debita reverentia; quia Eucharistiam immediatè non contingunt, nec sacro Chrismate unctæ sunt.

Quæst. VII. *Quænam observanda sunt circa stipendium Missarum?*

Resp.

Resp. Sequentia. I. Licet stipendium justum pro Missa accipere, non quidem ut pretium, quod esset simoniacum, sed in sustentationem: nam æquum est, ut qui in commodum alterius occupatus est, ab eo sustentetur, habita ratione temporis quo sic occupatur, & status occupati. Stipendium autem justum est illud, quod lege, vel consuetudine approbata constitutum est: nam licèt stipendium illud non sit verè pretium, tamen servat proportionem pretii, quatenus in ea servanda est ratio justitiæ. Sicut ergo illud est justum pretium, quod est lege taxatum, vel communiter consuetudine receptum; ita etiam stipendium. Quare qui ampliùs exigit, vel accipit, tenetur restituere; cùm ille excessus non sit debitus, nec sponte ac liberaliter dari censeatur. Hinc si quis ampliùs ultrò offerat ex ignorantia justi stipendii, monendus est: si verò taxationem noverit, censetur excessum liberaliter dare.

II. Cùm datur stipendium, ut celebrentur Missæ in tali numero, in tali loco, vel tempore, pro tali causa, &c. Hæc omnia ex justitia servari debent: nam dans non vult transferre dominium stipendii, nisi sub hac conditione: & alter recipiens, hoc ipso se obligat ad id omne quod petitur. Hinc peccat graviter Sacerdos si diu differat: nam interea magno spirituali fructu injustè privat eos, quorum debitor est. Imò tenetur ad restitutionem, si ideo Missa non profuerit ad specialem intentionem ejus qui stipem dedit, v. gr. ad aliquem successum, cujus occasione celebrationem petierit, nam defraudavit intentionem, ob quam stipendium datum est. Idcirco non ei licet plura stipendia accipere pro totidem Missis, quas prævidet non posse celebrari, nisi post longum tempus, si offerens expresse in id non consentiat. Nam alioqui sæpe contingeret illas non posse ampliùs dici propter causam ab offerente intentam, v. gr. pro infirmo, qui ante morietur, pro vincenda tentatione, pro felici exitu negotii, pro aliquo alio beneficio, quod postea obtineri non poterit.

III. Non licet anticipatè dicere Missam pro iis, qui sibi primum offerent stipendium. Nam 1. id est contra usum Ecclesiæ, & prohibitum à Sacr. Congregatione Cardinalium authoritate Pauli V. 2. Dans stipendium intendit, ut post datum Missa sibi applicetur, tum quia sæpè aliàs non potest obtineri finis intentus, ut cùm petitur in remissionem peccatorum postea commissorum: tum ut meliùs se disponat ad effectum sacrificii accipiendum. 3. Deus sicut neque punit, neque remunerat anticipatè ex his quæ prævidet futura; ita nec confert anticipatè effectum Sacramenti, aut Sacrificii.

IV. Qui stipendium majus solito pro Missis accepit, tenetur integrum dare iis, quibus Missas celebrandas committit, nec potest partem sibi retinere. Nam 1. Sine justo titulo partem illam retineret; nam non ei gratis ac liberaliter donata est, sed intentio dantis est, ut celebrans totum stipendium recipiat: cui proinde totum debetur. Nec accipiens comparavit illius stipendii dominium, nisi cum obligatione, ut vel ipsemet sacrificet, vel altari sacrificaturo pro sustentationis stipendium dante largiatur. 2. Hoc sapit turpe lucrum. 3. Urbanus III. id expressè vetuit decreto *Cùm sæpè*: & Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

V. Non licet pro una Missa accipere plura stipendia, nec pluribus acce-

ptis licet una Missa satisfacere: nam qui dant stipendia, intendunt tot pro se fieri & specialius sibi applicari sacrificia, & solùm sub hac tacita conditione dant. Ideo Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre, neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Quamvis enim unius Missæ valor sit infinitus secundùm rem quam continet, nempe Christum & ejus merita, est tamen limitatus secundùm applicationem. Christi enim merita quamvis infinita, non applicantur secundùm sui infinitatem, sed finito modo, quem Deus definivit.

Imò qui stipendia diversa singula justo minora, sive ab uno, sive à pluribus accepit pro pluribus Missis, non potest illa ad justum pretium reducere, & per pauciora sacra satisfacere: nam hoc ipso quod acceptat stipendia minora, censetur juri suo cedere, & reliquum condonare; taciteque promittit se totidem Sacra dicturum. Sed gravis est obligatio servandi pacta: aliàs rueret fides in societate humana. Unde S.Congregatio authoritate Urbani VIII. sibi specialiter attributa præcepit Sacerdotibus; ut tot Missas pro pluribus stipendiis incongruis celebrent, quot pro illis præscriptæ sunt, *ita ut alioquin suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur,* in Bullario tom. IV. pag. 88. quia nempe stipendium sub hac conditione ac onere datum & acceptum est.

VI. Qui ab aliquo stipendium accepit, non ei licet ab aliquo quidquam accipere, ut ei applicet in eadem Missa eam fructus partem, quæ ipsi Sacerdoti contingit. Nam 1. Hoc repugnat praxi Ecclesiæ, & sensui ac intentioni fidelium. 2. Hoc ipso quòd Sacri applicatio alteri debita est ex justitia, ei debiti sunt omnes fructus, quorum est capax. 3. Fructus ille nequit alteri applicari. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum* Urbani VIII.

VII. Sac. Congregatio confirmante Urbano VIII. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere,* in Bullario, tom. IV. pag. 91. Et verò aliàs acciperetur duplicatum stipendium pro una & eadem Missa: nam fructus beneficii habent rationem stipendii: Hinc Canonici & Capellani tenentur applicare fundatori soli Missas, quas ex fundatione tenentur celebrare, talis quippe fuit intentio fundatoris, etiamsi eam non expresserit. Nam hæc est praxis communis, quæ est optima fundationum sicut legum interpres; & ubi aliud non constat, præsumptio est pro fundatore: in dubio enim quisque præsumitur sibi optimè consulere voluisse. (*a*)

VIII.

(*a*) His, quæ de Sacrificio Missæ ab Auth. sunt exposita, addenda nonnulla sunt, quæ à SS. D. N. BENEDICTO XIV. vel definita sunt, vel clarius explicata. *Constit.* 22. incip. *Quanta cura* tom. 1. Bullarii *pag.* 56. sub pœna censurarum, quarum absolutio Romano Pontifici reservatur, prohibentur mercimonia super eleemosynas

VIII. Sacra Congregatio apud Fagnanum declaravit eum, qui accepit stipendium ad celebrandam Missam pro mortuo, & aliud stipendium ad celebrandam pro alio, v. gr. infirmo, non satisfacere unica Missa utrique obligationi, applicando fructum satisfactorium mortuo, & impetratorium infirmo. Et verò cùm Missa pro aliquo celebrari debet, ei totus fructus, cujus est capax, applicari debet. Fructus autem impetratorius prodest mortuis: nam pœnæ peccatis debitæ remitti possunt, non solùm per modum, seu viam satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis.

IX. Obligatus ad celebrandum in tali Ecclesia, vel Altari peccat mortaliter, si sine justa & gravi causa alibi celebret: quia in re gravi defraudat fundatorem, vel dantem stipendium. *Necesse est, ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur*, ait S. Gregorius epist. 20. l. 9. Quòd si Capellanus impediatur à celebrando per paucos dies, juxta multos non tenetur supplere per alium, vel compensare: quia non præsumitur hanc fuisse mentem fundatoris, cùm nequidem famulis ob eam causam stipendium minui soleat. Secùs, si pluribus diebus sit impeditus.

X. Beneficiatus non potest propria authoritate imminuere numerum Missarum olim constitutum, etiamsi ob imminutionem redituum, vel valoris pecuniæ non accipiatur stipendium sufficiens. Sed recurrendum est ad Episcopum, *ex Conc. Trid. Sess. 25. c. 4.* imo ad Papam, *ex decreto Urbani VIII.* ubi illud viget.

Quæst. VIII. *Quænam observanda circa Ecclesiæ pollutionem, reconciliationem & exsecrationem?*

Resp. 1. Est mortale celebrare Missam, vel officia divina, vel mortuum sepelire in Ecclesia polluta nec reconciliata, vel interdicta, vel exsecrata: quia

---

nas Missarum, hoc est, qui eleemosynas colligunt in iis locis, in quibus stipendia, sive eleemosynæ pro Missis sunt pretii majoris, Missas verò celebrare curant in locis, in quibus pro minori pretio celebrari soleant: si Laici sint, excommunicationem; si verò Clerici, vel Sacerdotes, suspensionem à solo Romano Pontifice absolvendam incurrant.

In Lib. V. de Synodo Diœcesana cap. VIII. *num.* 9. legitur, quod Patres Concilii Toletani, ad coercendam Sacerdotum avaritiam, anno 1324. vetuerunt, ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Missa, ex pacto exigeret, sed eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte offerretur. Et, *num.* 10. quod Episcopi ut Tridentino Concilio obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemosynarum exactiones impediant, debent in sua quisque diœcesi Missarum stipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat.

Cap. autem IX. *num.* 2. Porro si ultra Eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus, Sacerdos celebraturus exigat, non solùm peccat contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit: quibus additur, quod ex decreto Sac. Congreg. Concilii, etiam Regulares taxæ stare debent ab Episcopo constitutæ. Vide duo citata capita, in cap. 10. in quibus plura tractantur eruditè.

Vide item Lib. VII. cap. 60. 64. & 70. in quibus inter alia docetur, Primò. Non esse permittendum ut quisquam Missam celebret capite cooperto, ne coma quidem fictitia, *cap.* 60. *num.* 1. Secundò. Missæ Parochiali diebus festis interesse olim fideles debuisse; nunc vero cuique integrum esse Missam audire quocumque die in quacumque Ecclesia, atque ita satisfieri præcepto, dummodo non in Cappella, aut Oratorio privato audiatur cap. 64. *à num.* 3. *ad* 12. Tertiò, Missas, pro quibus celebrandis in determinata Ecclesia, oblatæ sint Eleemosynæ, posse ex indulto Episcopi in alia Ecclesia celebrari, si nequeant in illa cap. 70. *num.* 4.

quia est contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente. Nulla tamen ideò contrahitur censura, vel irregularitas, cùm nulla sit in jure expressa. Hinc si sacerdote celebrante Ecclesia notoriè polluatur, tenetur intermittere Missam, si nondum canonem inchoavit: nam hoc inchoato debet perfici Missa. *Ita Missale Rom.* Jam enim posita est proxima præparatio ad consecrationem.

Resp. 2. Ecclesia polluitur, seu violatur, ita ut indigeat reconciliatione. 1. Per injuriosam humani sanguinis effusionem, quæ vox copiam sanguinis indicat, cap. ult. *de consecr. Eccl.* & c. un. eod. tit. in 6.

2. Per homicidium voluntarium & injuriosum, licèt factum sine effuso sanguine, ut per venenum, strangulationem, &c. cap. 4. *de consecrat.* & Can. 19. de consecr. dist. 1. Unde non polluitur Ecclesia ob inculpabilem occisionem, ut si fiat ab homine mente capto. Requiritur autem, ut vulnus sit receptum in Ecclesia: unde si quis extra percussus, ad eam confugiat, ibique moriatur, vel sanguinem plurimum effundat, non polluitur. At polluitur, si vulnere ibi accepto, saucius foras exeat, & extra Ecclesiam moriatur, vel sanguinem effundat, vel si vulneretur in Ecclesia ab existente extra eam jactu lapidis, vel explosione catapultæ.

3. Per qualemcumque humani seminis effusionem voluntariam, cap. ult. *de consecrat. Eccles.* & cap. 20. *de consecrat.* dist. 1. Etiam secundùm omnes per actum conjugalem: nam verba legis generalia sunt; & *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

4. Per sepulturam excommunicati non tolerati, cap. 7. *de consecrat. Eccles.* Secundùm multos non polluitur ob sepulturam hæretici notorii, in locis scilicet ubi hæretici Catholicis permixti tolerantur, si non sit nominatim denuntiatus, quamvis illicita sit, ex cap. 2. *de hæret.* in 6.

5. Per sepulturam infidelis non baptizati, cap. 27. & 28. *de consecr.* dist. 1. & proinde infantis non baptizati, contra aliquos hoc de infante negantes: quamvis omnes fateantur esse mortale illos ibi sepelire, & inde cadavera illa, si possit, extrahenda esse: nam est verè infidelis non baptizatus.

Observa 1. Nomine Ecclesiæ quoad hunc effectum non intelliguntur oratoria in domibus privatis etsi ab Episcopo designata ad celebrandum: nam jura loquuntur solùm de Ecclesiis. At secundùm varios intelliguntur loca publica, ut eremitoria aliqua, hospitalia, & similia, quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, sed deputata ab Episcopo ad hoc, ut in iis publicè celebretur, in quibus nequeunt corpora infidelium sepeliri; quia hæc loca comprehenduntur nomine Ecclesiæ, cùm ita communiter appellentur. At quælibet Ecclesia; etsi nec consecrata nec benedicta, secundùm illos polluitur, ex cap. ult. *de consecr. Eccl.* & c. 10. *de immunit. &c.*

2. Cœmeterium benedictum polluitur iisdem modis, quibus Ecclesia, ita ut mortale sit in eo sepelire, & eodem modo reconciliatur.

3. Uterque locus non indiget reconciliatione, quæ est actus publicus, nisi factum publicè constet, & notorium sit; ita ut nulla tergiversatione celari possit: nec sufficit, quòd per duos, vel tres testes probari queat.

4. Etsi isti actus sint occulti, sunt tamen vera sacrilegia, utpote ab Ecclesia prohibiti ob reverentiam loco sacro debitam. Et verò si illi actus postea fiant notorii; Ecclesia eget recon-

conciliatione: ergo ante notorietatem jam erant sacrilegi & contra prohibitionem Ecclesiæ: non enim tales incipiunt esse, dum publici fiunt. *Ita communiter.*

5. Ecclesia non censetur polluta, si aliquid ex dictis contigerit supra Ecclesiæ fornicem vel tectum, vel in cameris adhærentibus, in turri, vel sub. terraneo specu, qui non sit ad sepulturam, vel secundùm multos in sacristia. Quia hæc non pertinent ad Ecclesiæ corpus, nec cultui divino deputantur: ac proinde tunc non committitur sacrilegium. Secùs de capellis, quia sunt partes Ecclesiæ, & ad sacrificium destinatæ sunt.

6. Polluta Ecclesia polluuntur simul altaria, imò & cœmeterium, si sit ei contiguum. Quia accessorium sequitur conditionem principalis, *ex reg. 42. jur. in 6.* Secùs, si ab ea remotum fuerit. At polluto cœmeterio, non ideo polluitur Ecclesia: nam minus non trahit ad se majus, nec accessorium principale, cap. un. *de consecr. Eccles. vel alt. in 6.*

Resp. 3. Ecclesiæ pollutio tollitur ejusdem reconciliatione. Si fuerit tantùm benedicta, potest reconciliari cum aqua benedicta communi per simplicem sacerdotem ex licentia Episcopi. Si consecrata sit, reconciliari potest à solo Episcopo, cap. 9. *de consecr. Eccl.* idque ritu in Pontificali præscripto.

Porrò non reconciliatur præcisè per celebrationem Missæ, etiam bona fide factam: *ita Delugo, Azor, Layman, & alii.* Tum quia per illam Ecclesia non consecratur. Tum quia consecratio & benedictio, & reconciliatio, cùm sint jure canonico institutæ, debent fieri per ritus à canonibus præscriptos; at nullus canon ista per celebrationem Missæ perfici statuit.

Resp. 4. Ecclesia exsecratur, seu amittit suam consecrationem, ita ut denuò consecrari debeat, si parietes Ecclesiæ secundùm majorem partem destruantur, aut corruant; vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur, ex can. 20. *de consecr.* dist. 1. juncto cap. *Ligneis,* de consecrat. Secus, si parietes paulatim & successivè destruantur ac reficiantur; quia semper manere censetur idem numero templum: modò tamen pars, quæ additur, non sit major, quia id, quod majus est, censetur ad se trahere, quod minus est. Neque si tectum solùm corruat, quia consecratio est potissimùm in parietibus, & exterioribus crustis, ubi linitio & cruces fiunt, ex cit. *juribus.* Porrò exsecrata Ecclesia, non ideò exsecrantur altaria, nec vicissim.

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

EX SPECULATIVA.

POENITENTIA diſtingui ſolet in eam quæ ſit virtus, & in eam quæ ſit Sacramentum. De Pœnitentia ut eſt virtus, pauca hæc ſufficiant.

I. Pœnitentia ut eſt virtus, ſubdividitur in habitualem, & actualem. Pœnitentia habitualis, ſeu habitus virtutis Pœnitentiæ eſt habitus inclinans ad dolorem, ac deteſtationem peccati commiſſi, ad emendationis propoſitum, & voluntatem Deo ſatisfaciendi, ſeu jus divinum peccato læſum, quantùm fieri poteſt, reſarciendi. Pœnitentia actualis, ſeu actus virtutis Pœnitentiæ eſt actus odii & doloris de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi & ſatisfaciendi.

II. Pœnitentiam eſſe virtutem conſtat ex Scriptura. Ezech. c. 18. *Si impius egerit pænitentiam, vita vivet,* & Luc. 13. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ergo actus pœnitentiæ eſt honeſtus, alioqui non illi promitteretur vita æterna: nec ſub pœna mortis æternæ à Deo præciperetur. Ergò habitus ejusdem elicitivus eſt virtus: nam virtus eſt habitus elicitivus actus honeſti: ratio eſt, quia ex Ariſtotele, virtus eſt habitus elicitivus ſecundùm rectam rationem. Talis eſt autem pœnitentia: nam inclinat ad eliciendum odium ac dolorem de divina offenſa, & ad illam per debitam ſatisfactionem reparandam, quod eſt ſanè ſecundùm rectam rationem.

III. Pœnitentia latè ſumpta, nimirum pro habitu inclinante ad dolendum de peccatis, abſtrahendo à motivo doloris, dici poteſt virtus generalis hoc ſenſu, quod ſpectare poſſit ad quamlibet virtutem. Nam dolor de peccatis concipi poteſt ex motivo proprio cujuslibet virtutis; putà: charitatis, ſpei, religionis, &c. & ſic pertinere ad quamlibet virtutem, cùm actus ſpeciem ſumat à ſuo motivo.

IV. Pœnitentia ſtrictè ſumpta eſt virtus, qua peccatum commiſſum deteſtamur, quatenus eſt offenſa Dei, cum animo placandi Dei, injuriæque divinæ compenſandæ, & ex motivo honeſtatis in hac placatione ac compenſatione elucentis. Pœnitentia autem ſic ſumpta, eſt ſpecialis virtus; quia ſic ſumpta habet ſpeciale motivum, nempe honeſtatem ſpecialem elucentem in placatione Dei & compenſatione divinæ

næ offensæ : quod motivum nulli alteri virtuti convenit.

Hinc pœnitentiæ objectum materiale, circa quod scilicet illa versatur, est peccatum : objectum formale quo, est peccatum ut est offensa Dei reparanda : objectum formale quod seu motivum proprium, est specialis honestas elucens in placatione Dei & reparatione divinæ offensæ : finis, est placatio Dei, ejusque offensæ, quantùm fieri potest, reparatio, seu compensatio.

Pœnitentia porro strictè sumpta est quædam justitia specialis, quæ tamen ad justitiam commutativam reduci potest. Nam quamvis inter offensam Dei & satisfactionem nostram nunquam constituat æqualitatem, quæ à plerisque exigitur ad justitiam commutativam, tamen (ut ait S. Thomas) compensatio pro offensa, est quædam pro offensa commutatio, præsertim cùm fiat secundùm voluntatem personæ offensæ.

Dico esse *justitiam specialem*, nempe illam, quæ est hominis ad Deum, & quæ longè differt ab ea quæ est hominis ad hominem : nam jus divinum est altioris ordinis, ideoque longè differt à jure humano. Omnia autem peccata sunt injuriæ Dei, cùm sint contra jus Dei ea prohibentis : quod jus quovis peccato violatur.

V. Actus proprii virtutis pœnitentiæ sunt odium, detestatio, ac dolor de proprio peccato; odium, & abominatio peccati alieni, horror peccati non dum commissi; justitiæ amor; voluntas satisfaciendi & jus divinum læsum compensandi.

Hinc virtus Pœnitentiæ secundùm suos actus sumpta, est partialis materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Porro Pœnitentia dicitur à pœna, quasi pœnæ tenentia. Hinc pœnitere idem est ac pœnam tenere seu dolere. Igitur Pœnitentiæ nomen dolorem prioris facti præsertim significat.

CAPUT I.

De Existentia, Natura, & Proprietatibus Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm Pœnitentia sit Sacramentum propriè dictum?

Nota. QUæritur hìc, utrum Pœnitentia interna, seu contritio, signo externo, videlicet confessione peccati declarata, cum verbo absolutionis à Sacerdote, legitimo judice, prolato, sit verè ac propriè Sacramentum novæ legis. Negant Calvinus, Zuinglius, Socinus, eorumque Sectatores, & ex Lutheranis non pauci. Lutherus verò, qui primùm Pœnitentiam è Sacramentorum albo expunxerat, postea tamen eam illorum numerum restituit. Olim etiam negarunt Montanistæ & Novatiani Ecclesiæ potestatem remittendi graviora crimina, ideoque Sacramentum Pœnitentiæ, saltem quale à Christo institutum est.

Dico. Extat in Ecclesia Pœnitentiæ Sacramentum propriè dictum, à Christo institutum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joan. c. 20. de Christo dicitur: *Hæc cùm dixisset insufflavit, & dixit eis : accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta sunt.* Christus his verbis permanenter instituit in Ecclesia ritum aliquem externum Pœnitentiæ, annexam habentem gratiam sanctificantem. Atqui ritus externus permanenter à Christo institutus, & annexam habens gratiam sanctificantem, est Sacramentum propriè

 dictum,

dictum, ut constat ex definitione Sacramenti ab omnibus admissa: neque enim aliter probatur Scriptura Baptismum esse Sacramentum. Ergo Christus instituit in Ecclesia Pœnitentiam, quæ est Sacramentum propriè dictum.

Prob. major. Nam 1. Per verba illa Christus Apostolis, eorumque successoribus concessit potestatem remittendi peccata judicialem, ut patet ex his verbis, *remittuntur, retenta sunt,* & perpetuò exercendam per verbum absolutionis, sine quo remitti non possunt peccata modo hominibus accommodato, & exigentem in reo pœnitentiam internam, ac confessionem: cùm sine dolore & retractatione peccata remitti non possint, & sine confessione Sacerdos non possit habere notitiam causæ, de qua judicare debet. 2. Ille ritus externus annexam habet à Christo gratiam sanctificantem, ut patet ex his verbis, *remittuntur eis:* nam peccata non remittuntur, nisi per justificationis gratiam.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum consensu apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sit S. Cyprianus Serm. de lapsis, ubi sic ait: *Confiteantur singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* Et S. Augustinus, Lib. 1. de adulterinis conjugiis, c. 28. ubi ait: *Quæ baptismatis, eadem est reconciliationis causa.*

Prob. 3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ.

Prob. 4. Ex Conciliis tum Florentino, in Decreto pro Armenis, ubi inter Sacramenta novæ legis quarto loco recensetur Pœnitentia: tum Tridentino, quod Sess. 14. Can. 1. sic ait: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum; Anathema sit.*

Ratio à priori est voluntas Christi. Bonitati autem divinæ, & infinitis Christi meritis maximè conveniebat, ut peccatis post baptismum commissis, quæ ob maximam hominum etiam baptizatorum in peccatum proclivitate valde multiplicantur, remedium certum, sensibile, & hominibus accommodatum semper suppeditaretur: & sic non solum Baptismus, sed etiam Pœnitentiæ Sacramentum institueretur.

Præterea Pœnitentiæ Sacramentum plurimùm confert tum ad fidelium singulorum utilitatem, fideles enim in illo cum peccatorum remissione consilium, solatium, peccatorum remedia, & satisfactionem percipiunt; tum ad Ecclesiæ Christianæ dignitatem, cùm in ea sit constitutum tribunal, in quo animarum causæ judicentur, & offensæ divinæ vindicentur simul & remittantur.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Christus, Joan. c. 20. ait: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Ergo Apostolis dedit potestatem remittendi peccata absque ritu externo, sicut ipse habebat.

Resp. Nego conseq. Quia vox *sicut* significat solùm dari Apostolis potestatem remittendi peccata verè & interius sicut Christus habuit, sed non omnino similem, nec eodem modo exercendam. Nam Apostolis competebat, & eorum in Sacerdotio successoribus competit modus ministerialis remittendi peccata per ritum externum à Christo institutum: Christo autem competebat modus peccata remittendi longè excellentior, & independens ab ullo ritu externo:

terno: conveniebat enim, ut beneficia divina aliter à Domino, aliter à Ministris conferrentur.

Obj. 2. Hæc verba (*quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*) significant tantùm potestatem prædicandi verbum Dei, quo excitatur fides, per quam solam peccata remittuntur, seu non imputantur. Ergo non significant, &c.

Resp. Nego anteced. Nam ex Patribus potestas his verbis expressa, est potestas judicialis, ut satis indicant verba remittendi & retinendi. Præterea Christus insufflando in Apostolos, & simul iis Spiritum sanctum conferendo, novam aliquam potestatem, eamque valde excellentem iis concessit: tùm quia factum illud insigne fuit & novum: tùm quia Christus Apostolis non contulit Spiritum sanctum nisi ad dignè exercendum novum aliquod Ministerium. Illa autem nova & excellens potestas, est potestas verè remittendi peccata per modum judicii; nam aliis in locis Christus propriis verbis potestatem prædicandi & baptizandi Apostolis concessit. Christus quippe ea, quæ ad Ecclesiæ fundamenta pertinebant, propriis verbis tradidit, & quæ essent diversa, diversis verbis exposuit.

Inst. Cyrillus verba prædicta intellexit de potestate remittendi peccata infidelibus: Ergo de potestate prædicandi, &c.

Resp. 1. Contra communem Patrum consensum prævalere non potest quorumdam interpretatio facta in sensu improprio.

Resp. 2. Cyrillus intellexit hæc verba de potestate remittendi peccata infidelibus simul & fidelibus, & in sensu nimis lato & improprio, qui tamen nullatenus hæreticis favet. Nam (ut ipse docet) Christus dedit quidem Apostolis potestatem remittendi, ac retinendi peccata infidelibus, tum fidelibus, sed diverso modo. Potestatem enim remittendi peccata infidelibus per Baptismum, si fidem & alias dispositiones necessarias haberent, & iis retinendi per exclusionem à Baptismo, si eo indigni censeantur, concessit: fidelibus autem non per Baptismum, sed per alium ritum videlicet Pœnitentiæ Sacramentum peccata remitti voluit.

Equidem aliqui alii Patres verba Christi supradicta intelligunt etiam de potestate remittendi peccata per prædicationem, sed non excludendo alium sensum unicè proprium, quem etiam in aliis locis tribuunt his verbis, ea explicando de potestate Sacerdotibus data ad remittenda peccata per absolutionem.

Obj. 3. Sacramentum Pœnitentiæ derogat meritis Christi.

Resp. Nego; Nam nobis illa applicat, & applicando commendat.

Obj. 4. Solus Deus potest remittere peccata. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Solus Deus peccata remittere potest auctoritate propria, suprema, independente, *conc. ant.* solus id potest excludendo potestatem ministerialem, quam concedere non possit, nec concesserit hominibus tanquam instrumentis & ministris, ejus nomine & auctoritate agentibus, *neg. ant.* enim verò si princeps subditis suis conferre potest de suis causis & offensis suo nomine judicandi potestatem, quidni Deus id posset?

Nota. Triplex distinguitur potestas remittendi peccata. Prima, est potestas suprema & independens, quæ soli Deo convenit. Secunda, est potestas ministerialis, principalis, & soli Deo subordinata, qualis est in solo Christo ut homine. Tertia, est potestas ministerialis minus principalis, Deo & Christo etiam ut homini subordinata: qualis à Christo concessa fuit Apostolis, & Sacerdotibus, eorum in

 hoc

hoc officio successoribus. Hæc autem potestas alligata est ritui externo, à Christo instituto.

Obj. 5. Ad Sacramentum requiritur Elementum, juxta illud S. Augustini, Tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* At in Pœnitentiæ ritu nullum est Elementum. Ergo.

Resp. Nego majorem universaliter sumptam. Nam ad Sacramentum novæ legis sufficit, si verba cadant in aliquod signum sensibile, cujus Sacramentalis significatio magis determinetur per verba, sive sit Elementum, seu res externa à Ministro adhibita, sive non. Verba autem objecta intelliguntur à S. Augustino solùm de Baptismo, quamvis à multis in latiori sensu aliis Sacramentis accommodentur, per Elementum intelligendo quodlibet signum magis determinabile per verba: qui sensus nobis non officit.

Obj. 6. Apostoli eam solam Pœnitentiam prædicarunt, quam prænuntiarunt Prophetæ. At Prophetæ non prænuntiarunt Pœnitentiam, quæ esset Sacramentum. Ergo.

Resp. Apostoli prædicarunt ea omnia, quæ Prophetæ tum explicitè, tum etiam implicitè prænuntiarunt. Prophetæ autem Sacramenta omnia novæ legis saltem implicitè prædixerunt, prænuntiando Christum Redemptorem, legis gratiæ auctorem, & Ecclesiæ institutorem.

Obj. 7. Aliqui Patres, ut Augustinus, & Gregorius Magnus Hom. 26. in Evang. exemplo Lazari priùs à Christo suscitati quàm à Discipulis solveretur, probant peccatores priùs ad vitam gratiæ revocari, quàm à Sacerdote absolvantur.

Resp. Loquuntur de resurrectione & vita spirituali inchoata, quæ consistit in actibus fidei, spei, pœnitentiæ & charitatis imperfectæ, quæque est effectus gratiæ actualis: non verò de resurrectione & vita spirituali perfecta, seu justificatione, quæ est effectus formalis gratiæ habitualis. Nempe volunt illi Patres contritionem imperfectam esse dispositionem necessariam ad vitam perfectam animæ, seu gratiam sanctificantem per absolutionem Sacerdotis consequendam: *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat*, inquit S. Gregor.

Quæres 1. *Quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ Sacramentum?*

Resp. Christus illud instituit præcipuè post resurrectionem suam. Ita Concil. Trident. Sess. 14. c. 1. ubi ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Dicitur, *præcipuè*, quia Christus ante mortem jam quasi inchoatè hoc Sacramentum instituerat, promittendo Apostolis judiciariam potestatem, Matth. cap. 18. his verbis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.*

Quæres 2. *Quomodo definiatur Sacramentum Pœnitentiæ.*

Resp. Rectè describitur, Sacramentum à Christo institutum ad remittenda peccata post baptismum commissa, per absolutionem legitimam Sacerdotis, peccatoribus verè contritis, satisfacere paratis, & confessis. Vel sic definitur: Sacramentum à Christo institutum ad peccata post baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis.

ARTI-

ARTICULUS II.

Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ à Sacramento Baptiſmi diverſum ſit?

Nota. CAlvinus, Calviniſtæ, & Lutherani quidam, qui Pœnitentiæ Sacramentum rejiciunt, cùm tamen concedendum putarent peccatores poſt Baptiſmum Deo reconciliari poſſe, comenti ſunt Baptiſmum ipſum, non quidem reipſa, ſed memoria ſolùm repetitum, dici poſſe & eſſe Pœnitentiæ, ſeu reconciliationis Sacramentum, quatenus Baptiſmi memoria excitat fidem, qua ſola peccata ſecùndùm illos remittuntur.

Dico. Pœnitentiæ Sacramentum à Baptiſmo, Baptiſmique memoria omnino diverſum eſt. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex dictis.

2. Quia nusquam in Scriptura & Patribus Pœnitentia dicitur eſſe ſola Baptiſmi memoria, fidem excitans. Et Petrus, *Actor. cap. 8.* Simonem Magum increpans, non memoriam Baptiſmi ſuſcepti tanquam reconciliationis cauſam, ſed pœnitentiam præcipit: *Pœnitentiam*, inquit, *age ab hac nequitia tua.*

3. Ex Patribus, qui Pœnitentiæ Sacramentum à Baptiſmo clarè diſtinguunt. Hìc ſufficiat S. Auguſtin. Lib. 2. de Adulterinis conjugiis, cap. 6. *Si à Catechumeno factum eſt (homicidium) Baptiſmate abluitur; ſi à baptizato, Pœnitentia & reconciliatione ſanatur.*

4. Ex Conciliis, tum Florentino, in Decreto ubi ait: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt . . . . quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, &c.* Tum Tridentino, Seſſ. 14. cap. 2. & Can. 2. ubi ait: *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit: quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, neque ideo Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; Anathema ſit.*

5. Ratione. Illa Sacramenta ſunt inter ſe omnino diverſa, & diſtincta re & memoria, quorum materia & forma, miniſter & ſubjectum, finis & effectus ſunt diverſa. At ſic ſe habent inter ſe Baptiſmus & Pœnitentia; Ergo ſunt duo Sacramenta inter ſe omnino diverſa. *Prob. min. per partes.* Nam 1. Baptiſmi materia proxima, eſt ablutio aquæ; Pœnitentiæ verò, ſunt actus pœnitentis: forma Baptiſmi ſunt verba iſta, *ego te baptizo, &c.* forma autem Pœnitentiæ ſunt hæc, *ego te abſolvo, &c.* 2. Miniſter Baptiſmi eſt quilibet homo in neceſſitate: miniſter autem Pœnitentiæ ſolus poteſt eſſe Sacerdos, judicis munus gerens in homines ſibi ſubditos. 3. Subjectum Baptiſmi eſt homo non ſubditus Eccleſiæ: ſubjectum Pœnitentiæ eſt ſolus homo baptizatus. 4. Habent diverſos fines & effectus. Nam Baptiſmus inſtitutus eſt primariò ad delendum peccatum originale, & ſecundariò peccata perſonalia cum illo conjuncta: Pœnitentia verò ad ſola peccata perſonalia, ſeu actualia poſt Baptiſmum commiſſa remittenda. 5. Denique Baptiſmus plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem etiam quoad pœnam omnem ſemper confert omni ſubjecto diſpoſito, imprimitque Characterem, unde initerabilis eſt. At Pœnitentia neque peccata remittit quoad omnem pœnam ſaltem ordinariè, neque Characterem imprimit: unde iterari poteſt & debet, ſi mortalia iterum committantur.

Obj 1. Luc. 3. Baptiſmus vocatur Baptiſmus pœnitentiæ.

Reſp.

Resp. Ibi agitur de Baptiſmo Joannis, non Chriſti. Baptiſmus autem Joannis dicitur 1. Baptiſmus pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam invitabat, & totam vim ſuam à pœnitentiæ virtute habebat. 2. In remiſſionem peccatorum, quia mediante pœnitentia perfecta, cujus erat ſignum, & ad quam excitabat cum auxilio gratiæ internæ, obtinebatur remiſſio peccatorum. Unde non remittebat peccata ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis. Baptiſmus verò Chriſti dicitur lavacrum regenerationis & renovationis, non ad pœnitentiam præciſè excitans, ſed per pœnitentiam diſpoſitos ſanctificans, renovans, ac regenerans.

Obj. 2. Aliqui Patres Baptiſmum vocant Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. Si quando ſic vocant, ideo vocant, quia in adultis peccato perſonali inquinatis requiritur pœnitentia aliqua interna, ſeu contritio, tanquam diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem in Baptiſmo percipiendam.

Itaque duplex pœnitentia in Scriptura præcipitur, altera quæ eſt præciſè virtus, ſeu contritio ante Baptiſmum peragenda, juxta illud Act. c. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum.* Altera, quæ eſt Sacramentum, & poſt Baptiſmum neceſſaria, conſiſtens eſſentialiter in contritione, confeſſione peccatoris, & abſolutione Sacerdotis, quam Simoni Mago præcipiebat Petrus, Act. c. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

Obj. 3. Marc. cap. ult. dicitur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Ergo Sacramentum Pœnitentiæ diverſum à Baptiſmo inutile eſt ad ſalutem, ergo non extat.

Resp. Nego conſeq. Quia hæc Chriſti verba intelligi debent cum hac conditione, ſi gratiam per Baptiſmum acceptam non amiſerit peccato mortali, vel hanc per Pœnitentiæ Sacramentum in re vel ſaltem in voto ſuſceptum recuperarit; ut conſtat ex aliis Scripturæ locis, ubi ad ſalutem præter fidem & Baptiſmum, requiritur obſervatio mandatorum Dei, perſeverantia in charitate & gratia, vel pœnitentia poſt lapſum.

Obj. 4. Baptiſmus nunquam deletur: Ergo tota vita utilis eſſe poteſt ad delenda peccata, ſi ad memoriam revocetur.

Resp. Baptiſmus quidem quantùm ad characterem quem imprimit, nunquam deletur. Baptiſmus verò quantùm ad ritum externum, per quem eſt Sacramentum, non manet, ſed ſtatim tranſit; & quantùm ad gratiam ſanctificantem quam confert; ſeu potiùs gratia regenerans per Baptiſmum accepta, amittitur per quodlibet peccatum mortale, nec recuperatur niſi per Pœnitentiæ Sacramentum in re vel in voto ſuſceptum.

Obj. 5. S. Auguſtinus, Lib. 1. De nuptiis & concupiſcentia, cap. 33. docet peccata omnia etiam poſt Baptiſmum remitti ipſo Baptiſmo.

Resp. Hoc ſolo ſenſu id docet, quod Baptiſmus ſit diſpoſitio, ſeu fundamentum præſuppoſitum ad obtinendam peccatorum remiſſionē vi clavium Eccleſiæ.

ARTICULUS III.

Quænam ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

§. I.

DIco 1. Materia remota, ſeu materia circa quam Sacramenti Pœnitentiæ, ſunt omnia peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſive mortalia, ſive venialia; ita tamen ut peccata mortalia ſint neceſſaria & principalis illius materia, venialia verò ſufficiens tantùm.

Prob. 1. Quia Sacramentum Pœnitentiæ verſatur circa omnia peccata tum mortalia, tum venialia remittenda, ut conſtat ex illo Joan. c. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quæ

verba cùm sint generalia & sine limitatione, complectuntur omnia omnino peccata.

Prob. 2. Ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ.

Prob. 3. Ex Conc. Trident. Sess. 14. Can. 1. ubi definit, Sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum esse *pro fidelibus quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis.* Et cap. 5. ubi docet venialia rectè & utiliter in confessione declarari; ad eorum scilicet remissionem obtinendam, ut constat ex piorum hominum usu & mente. Ratio est, quia omnes actus pœnitentis, quæ sunt materia proxima, & absolutio, versantur circa peccata detestanda, destruenda, remittenda, & expianda.

Dixi 1. *Peccata post baptismum commissa;* quia nec peccatum originale, nec peccata actualia, seu personalia ante Baptismum commissa remitti possunt nisi per Baptismum in re vel in voto susceptum, aut per Martyrium, ut constat ex perpetua traditione. Et Conc. Trident. Sess. 14. cap. 2. sic ait: *cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus,* de iis qui foris sunt, judicare?

Dixi 2. *Peccata mortalia esse materiam necessariam* Sacramenti Pœnitentiæ: non quòd hoc Sacramentum sine illis confici nequeat; sed quia remitti non possunt nisi per hoc Sacramentum in re vel in voto susceptum; & quia pœnitens tenetur illa confiteri, ut constat *ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.*

Addidi, *principalis;* quia hoc Sacramentum primariò & præcipuè institutum est ad mortalia peccata remittenda, cùm sit Sacramentum reconciliationis.

Dixi 3. *Peccata venialia esse materiam tantùm sufficientem* hujus Sacramenti, non verò necessariam: sufficientem quidem quia possunt esse materia confessionis & remitti per absolutionem: non autem necessariam, quia non tenemur ea confiteri, & remitti possunt sine Sacramento Pœnitentiæ; ut docet Concil. Trident. Sess. 14. cap. 5. his verbis: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

§. II.

Dico. 2. Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio.

Prob. 1. Ex Concilio Florentino, in decreto. *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam.*

Prob. 2. Ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requi-*

quiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.

Prob. 3. Ex Rituali Romano, ibi: *Illius materia remota, sunt peccata; proxima verò, sunt actus pœnitentis: nempe contritio, confessio, & satisfactio.*

Ratio est Christi voluntas. Rationem convenientiæ hanc assignat Chrysostomus, *Serm de pœnit.* ubi dicitur: in corde pœnitentis contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas; ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore & opere, iisdem reconciliemur Deo.

Obj. 1. Concilia dicunt tantùm actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo non sunt verè ac propriè illius materia.

Resp. Nego cons. Nam ideo solum dicunt actus pœnitentis esse quasi materiam, quia non sunt substantia aliqua solida, tractabilis, extrinsecus assumpta, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione, & similia, quæ minus distant à materia compositi physici. Actus enim pœnitentis esse verè ac propriè materiam hujus Sacramenti, satis constat tum ex Rituali Romano, ubi dicuntur simpliciter materia proxima, omissa voce *quasi:* tum etiam ex Conc. Trid. quod, cap. 3. eos vocat partes pœnitentiæ, & in fine sic ait: *Hæc de partibus & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, inconcussos conscientiæ terrores & fidem esse contendunt.* Partes autem Sacramenti sunt verè ac propriè vel materia, vel forma. Ergo cùm actus pœnitentis non sint forma Sacramenti Pœnitentiæ, necesse est, ut sint verè ac propriè ejus materia. Hinc Catechismus Romanus, p. 2. de pœnit. n. 12. sic ait: *neque verò hi actus quasi materia à sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione.*

Porro in Sacramentis non est paritas omnimoda, cùm illa inter se specie differant.

Obj. 2. Materia cujuslibet Sacramenti debet esse sensibilis, sed contritio non est sensibilis: Ergo non est materia Sacramenti.

Resp. Materia Sacramenti debet esse sensibilis vel per se, vel per aliud, sed non semper per se. Contritio autem est sensibilis per confessionem vel petitionem absolutionis, aut aliquod aliud signum externum. Sic corpus Christi in Eucharistia non est sensibile nisi per species; & tamen est pars Sacramenti Eucharistiæ. Similiter satisfactio, licèt consisteret in actu merè interno virtutis, fit sufficienter sensibilis; vel per confessionem, qua pœnitens significat se paratum esse ad satisfactionem perficiendam; vel per sententiam Sacerdotis imponentis satisfactionem, quam pœnitens acceptat saltem tacitè, eam non recusando.

Obj. 3. Si actus pœnitentis sint materia Pœnitentiæ, multiplex est materia hujus Sacramenti, & quidem specie diversa. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego seq. maj. Quamvis enim actus pœnitentis specie inter se differant, tamen unicam totalem hujus Sacramenti materiã constituunt: quemadmodum caro, ossa, nervi unicam corporis humani materiam componunt.

Obj. 4. Manuum impositio est etiam materia proxima hujus Sacramenti. Ergo non soli actus pœnitentis sunt ejusmodi materia.

Resp. Nego anteced. Cujus falsitas satis patet ex sensu & praxi Ecclesiæ, & ex Conciliis, præsertim Florent. & Trident. quæ nullam faciunt impositionis

nis manuum mentionem, dum ea omnia enumerant, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum requiruntur.

Inst. 1. In Scriptura sæpe commemoratur manuum impositio.

Resp. Tunc non agitur de Sacramento Pœnitentiæ, sed vel de Confirmationis aut Ordinis Sacramento, vel de sanitate miraculo restituenda, vel de benedictione parvulis à Christo data.

Inst. 2. Conc. Carthaginense IV. Can. 78. ait: *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam sensus Canonis is est: pœnitentes publici, qui nondum impleta pœnitentia, à Sacerdote ob periculum mortis absolvebantur, si convaluerint, postea absolvendæ pœnitentiæ causa redeant ad statum pœnitentium, & cum illis manuum impositionem accipiant. Et ni id fecerint, non se existiment absolutos à debito pœnæ temporalis, quæ illis ob crimina præscripta fuerat. Nam quod à culpa absoluti fuerint, constat ex eo, quod Eucharistiam susceperint, quam Ecclesia non tribuit nisi iis, quos à lethali culpa liberos existimat. Quare hoc Canone præcipitur tantùm pœnitentibus publicis, etsi privatim ob mortis periculum absolutis ut pœnitentiam publicam sibi injunctam, postea restituta sanitate integram perficiant.

Inst. 3. S. Augustinus Sacramentum Pœnitentiæ vocat manuum impositionem.

Resp. Ideo sic vocat, quia ætate sua hoc Sacramentum sine manuum impositione non ministrabatur.

Observa. Duplicis generis olim observata fuit manuum impositio: altera, quæ adhibebatur in administratione Sacramenti Pœnitentiæ: altera, quæ sine absolutione sacramentali fiebat, eratque mera cæremonia imponendi manus publicè pœnitentibus in tertio gradu pœnitentiæ constitutis, de qua Concilium Carthaginense IV. Can. 80. sic loquitur: *omni tempore jejunii, manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.*

Quæres, *Cur in Sacramento Pœnitentiæ actus Pœnitentis se habent ut materia, & verba absolutionis ut forma?*

Resp. Quia in quolibet Sacramento illud dicitur materia, quod minus expressè significat, & est ab alio determinabile ad significandum perfectius effectum Sacramenti. Illud verò dicitur forma, quod perfectius & magis expressè significat, & alias partes determinat ad perfectius significandum effectum Sacramenti, per analogiam ductam à materia & forma compositi Physici: nam illius pars indifferens & determinabilis, dicitur materia; & altera determinans, vocatur forma. Atqui actus pœnitentis minus expressè ac perfectè significant effectum Sacramenti Pœnitentiæ, & ad eum perfectius significandum sunt determinabiles per verba absolutionis, quæ perfectius & magis expressè illum significant, & ad eum perfectius significandum determinant actus pœnitentis. Ergo.

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ ex actibus pœnitentis, & forma absolutionis intrinsecè componatur?

Nota 1. Scotus, & Scotistæ contendunt pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem non esse partes intrinsecas hujus Sacramenti, sed esse duntaxat

xat dispositiones prærequisitas ad illius effectum; voluntque sola verba absolutionis esse totam essentiam Sacramenti, ideóque materiam simul & formam illius: materiam quidem prout sunt sonus quidam sensibilis, formam verò prout peccatorum remissionem significant. Durandus verò & Aureolus contritionem excludunt ab essentia Sacramenti, eo quòd non sit sensibilis. Cæteri verò nunc Theologi sentiunt actus pœnitentis & verba absolutionis esse partes intrinsecas Sacramenti Pœnitentiæ: ita tamen ut contritio & confessio sint partes illius essentiales materiales, satisfactio autem sit tantùm pars integralis, verba verò absolutionis sint forma essentialis.

Nota 2. Pars intrinseca duplex est, nempe essentialis & integralis. Pars essentialis est ea, sine qua compositum non potest esse simpliciter, ut caput respectu hominis. Pars integralis est ea, sine qua totum potest quidem esse, sed non potest esse integrum: talis est manus respectu hominis; nam sine manu potest esse verè homo, at sine illa non est perfectè integer homo.

Dico. Sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinsecè ex actibus pœnitentis, & verbis absolutionis.

Prob. Nam 1. Verba absolutionis intrinsecè componunt hoc Sacramentum: nam ex Conc. Trident. Sess. 14. c. 3. sunt forma illius, *in qua præcipuè ipsius vis sita est.* Forma autem rei, in qua præcipuè vis illius sita est, ipsam intrinsecè componit & constituit. 2. Actus pœnitentis sunt etiam intrinseci huic Sacramento. Nam partes simpliciter dictæ Sacramenti, & in quibus ex parte residet virtus Sacramenti, sunt quid intrinsecum Sacramento. Atqui actus pœnitentis à Conc. Trident. dicuntur simpliciter partes Sacramenti Pœnitentiæ, & in ipsis vis Sacramenti ex parte consistere satis indicat, dicendo vim illam præcipuè sitam esse in forma absolutionis. Ergo actus pœnitentis sunt quid intrinsecum huic Sacramento. Præterea quamvis actus fidei, spei, & charitatis saltem inchoatæ ad effectum baptismi requirantur, imò volitio suscipiendi baptismi ad illius valorem in adultis prærequiratur, nullo modo tamen dicuntur baptismi partes. Ergo cùm actus pœnitentis dicantur partes pœnitentiæ, signum est, quòd sint plusquàm dispositiones ad illud prærequisitæ, nempe sint partes intrinsecè componentes. Porrò quamvis actus pœnitentis sint partes materiales intrinsecè hujus Sacramenti, duo, nempe contritio & confessio sunt partes essentiales, cùm sine illis non possit esse Sacramentum: satisfactio verò est duntaxat pars integralis; nam sine illa ponitur Sacramentum, & ejus effectus primarius, nempe justificatio: sine illa enim valet absolutio data peccatori contrito & confesso. Propositum tamen, seu volitio satisfaciendi, cùm necessariò includatur saltem implicitè in contritione, est pars essentialis Sacramenti.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Quælibet pars intrinseca Sacramenti debet esse signum rei, quæ per Sacramentum efficitur. Sed pœnitentis actus non sunt tale signum. Ergo nec sunt partes intrinsecè.

Resp. Nego min. Nam pœnitentis actus expulsionem peccatorum significant licèt minùs expressè, quàm verba absolutionis. Sunt etiam signum practicum: nam quatenus sunt elevati & applicati à ministro Sacramenti, producunt remissionem peccatorum licèt minùs præcipuè quàm forma.

Obj. 2. Si pœnitentis actus essent partes intrinsecè Sacramenti Pœnitentiæ, pœnitens esset minister partialis hujus Sacramenti. Falsum conseq. Ergo.

Resp.

Resp. Nego sequel. maj. Nam ille solus est minister Sacramenti, qui materiam evehit ad esse sacramentale, & illi materiæ applicat formam, quod solus Sacerdos præstat. Sic non dicitur causa statuæ is, qui lignum, ex quo fit statua, subministrat, sed is solus qui formam debitam in materiam inducit.

Nota. Actus pœnitentis præcisè quatenus procedunt à pœnitente se ipsum ad effectum Sacramenti præparante, non sunt partes Sacramenti nisi aptitudinaliter; sed sunt dispositiones ad effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum. At iidem actus pœnitentis prout à Sacerdote per potestatem clavium mediante absolutione moraliter assumuntur, & evehuntur ad Sacramentum constituendum, ejusque effectum producendum, sunt partes intrinsecè componentes Sacramentum Pœnitentiæ.

Obj. 3. Sine satisfactione potest esse effectus Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo satisfactio non est pars illius.

Resp. Disting. anteced. Sine satisfactione potest esse effectus Sacramenti præcipuus, nempe culpæ remissio, *conc. ant.* Potest esse omnis effectus Sacramenti, *nego ant.* Nam remissio pœnæ temporalis peccato debitæ est etiam effectus Sacramenti Pœnitentiæ, quem ex opere operato producit posita satisfactione. Unde sequitur satisfactionem esse partem materialem, non essentialem, sed integralem. Quare absolutio Sacerdotis cum satisfactionis impositione conjungi debet.

Obj. 4. Si satisfactio sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, est pars essentialis, sicut contritio, & confessio. Nam hoc Sacramentum ex institutione Christi est judicium vindicativum.

Resp. Sacramentum Pœnitentiæ ex institutione Christi est primariò & essentialiter judicium reconciliativum, secundariò verò & integraliter judicium vindicativum. Unde sequitur illud posse esse essentialiter, non autem integraliter sine satisfactione, & satisfactionem esse duntaxat partem integralem hujus Sacramenti.

Inst. 1. Aliqui Patres dicunt pœnitentiam purgare peccata, &c.

Resp. Loquuntur de pœnitentia conjuncta cum contritione perfecta, quæ per modum ultimæ dispositionis justificat.

Inst. 2. In veteri Ecclesia semper satisfactio à Sacerdote injuncta præmittebatur absolutioni: Ergo censebatur esse pars essentialis, &c.

Resp. Nego antec. Nam duobus prioribus sæculis, ideóque ab Apostolis & eorum Discipulis Sacramentum Pœnitentiæ administrabatur eodem modo, quo nunc in Ecclesia administratur. Quamvis autem aliquot posterioribus sæculis in Ecclesia absolutio à gravioribus criminibus publicis non concederetur nisi post expletam satisfactionem, tamen ante illam impletam pœnitentibus in articulo mortis constitutis conferebatur. Ex quo patet in Ecclesia satisfactionem semper habitam fuisse tantùm ut partem integralem. In Ecclesia tamen semper dilata est absolutio ob peccata mortalia etiam secreta, in iis casibus, in quibus nunc differri debet.

Inst. 3. Ex Conc. Trident. Sess. 14. cap. 8. Sacerdotes tenentur satisfactionem imponere. Ergo satisfactio est pars essentialis, &c.

Resp. Nego conseq. Nam ideo tenentur satisfactionem imponere, quia sine illa Sacramentum non potest esse integrum.

Ex dictis collige, Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter sumptum, esse signum efficax remissionis culpæ, & complexum ex contritione, confessione, & forma absolutionis: sumptum verò tùm essentialiter, tùm etiam integraliter, esse signum efficax remissionis

culpæ ac pœnæ temporalis, & complexum ex contritione, confessione, satisfactione, & forma absolutionis cum impositione satisfactionis conjuncta.

ARTICULUS V.

Utrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum simul & informe?

DIco. Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum simul & informe.

Prob. Sacramentum esse validum est illud habere omnia essentialiter requisita ad ejus valorem; & esse informe est illud non producere gratiam sanctificantem, quæ est primarius illius effectus & velut forma extrinseca. Atqui Sacramentum Pœnitentiæ non potest habere omnia ad suum valorem requisita, quin producat gratiam sanctificantem: Ergo non potest esse simul validum & informe. *Prob. min.* Omnia quæ requiruntur & sufficiunt ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, sufficiunt etiam ad gratiam sanctificantem producendam. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non potest habere omnia ad suum valorem requisita, quin producat gratiam. *Prob. ant.* Ea quæ requiruntur & sufficiunt ad valorem hujus Sacramenti, sunt ex parte ministri legitima potestas, & absolutio cum debita intentione prolata: ex parte verò subjecti seu pœnitentis sunt confessio formaliter integra, & contritio debita. Atqui hæc omnia sufficiunt ad producendam gratiam. Ergo omnia quæ requiruntur & sufficiunt ad valorem hujus Sacramenti, sufficiunt etiam ad producendam gratiam *Minor* quoad potestatem, absolutionem ac intentionem ministri, & confessionem constat apud omnes. De contritione, nempe quod contritio sufficiens ad valorem hujus Sacramenti, sufficiat quoque ad gratiam sanctificantem, probatur ex Concil. Trident. quod nihil distinguit inter contritionem necessariam ad valorem hujus Sacramenti, & contritionem necessariam ad illius effectum, imò eandem contritionem ad utrumque requirit; nam, Sess. 14. cap. 3. sic ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Idem Concilium, Can. 1. definit Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse ad reconciliandos fideles cum Deo. Ergo contritio, quæ est ejus pars essentialis, est sufficiens dispositio ex parte sua ad reconciliationem: alioqui non esset proportionata suo fini, nec sufficeret ad essentiam Sacramenti.

Hinc collige, Sacramentum Pœnitentiæ nunquam posse reviviscere, cùm non fuerit validum, si non contulit gratiam.

Obj. 1. Cætera Sacramenta possunt simul esse valida & informia: Ergo & istud.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia in aliis Sacramentis dispositio subjecti non est pars essentialis Sacramenti; ac proinde potest esse tota essentia Sacramenti sine sufficienti dispositione subjecti, & consequenter sine suo effectu primario, nempe gratia sanctificante, quæ non confertur sine sufficienti dispositione subjecti. At in hoc Sacramento contritio sufficiens ad illius effectum, est simul subjecti dispositio & essentialis pars Sacramenti: ac proinde hujus Sacramenti essentia ac valor non potest esse sine contritione sufficienti ad ejus effectum.

Obj. 2. S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 1. ait: *Quamvis tunc non perci-*

percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.

Resp. S. Doctor, in 4. dist. 23. q. 1. art. 4. q. 2. hanc opinionem sufficienter retractavit, asserendo contritionem esse de essentia Sacramenti: nam non potest esse vera contritio in eo, qui fictus accedit.

ARTICULUS VI.

De unitate Sacramenti Pœnitentiæ.

UTrùm possit iterari in eadem persona?

Nota 1. Duplex distinguitur unitas, nempe specifica, & numerica. Sacramentum dicitur unum specie, quando eandem habet specie materiam, formam, & significationem. Dicitur autem unum unitate numerica, quando in eadem persona iterari non potest.

Nota 2. Sacramentum Pœnitentiæ esse unum specie, patet ex eo, quod semper habeat eandem specie materiam, nempe actus pœnitentis; eandem formam, nempe ista verba, *Ego te absolvo, &c.* & eandem significationem, nempe peccatorum remissionem. Idque constat ex sensu & praxi Ecclesiæ, quæ semper unum duntaxat & idem Sacramentum agnovit & adhibuit ad remittenda peccata post baptismum commissa.

§. I.

Dico 1. Sacramentum Pœnitentiæ iterari potest in eadem persona baptizata circa nova peccata in quæ labitur: & sic est numero multiplex. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quæ verba generalia spectant omnia omnino peccata post baptismum commissa.

2. Ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ.

3. Ex Conc. Trident. Sess. 14. Can. 1. definiente, *Pœnitentiam esse verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo institutum.*

Obj. 1. In antiquis canonibus sæpe dicitur Pœnitentiam non esse iterandam, sed semel tantùm concedendam.

Resp. In illis per Pœnitentiam intelligitur, non Sacramentum Pœnitentiæ, sed solùm Pœnitentia publica, quæ erat satisfactio quædam solemnis. Nam saltem in articulo mortis etiam graves & recidivi peccatores semper ad hoc Sacramentum admissi sunt.

Obj. 2. Sanctus Ambrosius, Lib. 2. de pœnitentia, c. 10. arguit eos, qui sæpe Pœnitentiam agendam putant.

Resp. Cum Sancto Thoma, loquitur de Pœnitentia publica & solemni, quæ *semel* tantùm ab Ecclesia permittebatur.

§. II.

Dico 2. Sacramentum Pœnitentiæ iterari etiam potest circa peccata jam ritè declarata, & per absolutionem remissa: ita ut sint semper materia sufficiens Sacramenti, etiam sola.

Prob. 1. Ex universalitate verborum Christi. Joann. c. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quæ verba complectuntur omnia peccata, quæ remitti possunt. Peccata autem jam remissa remitti semper denuò possunt nova remissione priorem confirmante per novæ gratiæ infusionem.

2. Ex usu piorum & eruditorũ fideliũ.

3. Ex communi Doctorum consensu.

4. Ex extravag. *inter cunctas* de privileg. ubi Benedictus XI. ait: *ut eorundem peccatorum* (jam remissorum) *iteretur confessio, reputamus salubre.*

5. Quia

5. Quia hoc fuit conveniens, tùm ut pœnitens de iisdem peccatis magis ac magis doleret, & sic ab iisdem patrandis magis averteretur: tùm ut de iisdem ampliùs & ampliùs ablueretur, juxta illud Psal. 50. *ampliùs lava me ab iniquitate mea.*

Hinc fideles, cùm novam materiam certam confessionis non inveniunt, debent peccatum aliquod certum priùs jam declaratum & remissum, iterùm confiteri, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur.

Obj. 1. Peccata per Baptismum remissa non possunt iterùm remitti per Baptismum iteratum. Ergo à pari, &c.

Resp. Nego cons. Disparitas est, quia Christus noluit Baptismum semel validè collatum iterari posse, idque convenienter, cùm illum instituerit per modum generationis spiritualis respondentis generationi corporali, quæ non iteratur. At voluit Sacramentum Pœnitentiæ, ab eo ad modum judicii, quod sæpius in eadem causa exerceri potest, institutum, posse iterari etiam circa eadem numero peccata; & verò eadem peccata possunt sæpius accusari, in judicio examinari, & condonari.

Obj. 2. Peccatum totaliter remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ semel susceptum. Ergo non potest ampliùs & magis remitti.

Resp. Non potest quidem ampliùs & magis remitti ex parte culpæ, cùm totaliter remittatur quoad reatum culpæ, qui jam omnino abolitus est. At potest ampliùs & magis remitti ex parte causæ remittentis, nempe per plures condonationes primæ condonationi æquivalentes: ita ut ad moralem peccati perseverantiam restituendam unica simplex revocatio veniæ non sufficeret, sed eo majori opus est revocatione, quò plures essent condonationes.

Obj. 3. Pœnitens non potest ampliùs absolvi à peccatis remissis, cùm non sit ampliùs illis ligatus. Ergo.

Resp. Disting. antec. A peccatis jam per Sacramentum remissis absolvi non potest absolutione simplici & prima, qua nempe peccatum moraliter existens tollitur ac deletur, *conc. ant.* absolutione non prima, quæ sit præcisè nova peccati jam remissi & deleti condonatio, *nego ant.* Nam eadem culpa sæpiùs condonari potest nova condonatione priorem confirmante: & in hoc sensu verificatur forma absolutionis, quæ utramvis absolutionem significat pro subjecti capacitate, nam sensus hujus formæ est: confero tibi gratiam ex se peccati remissivam.

Inst. 1. Nova condonatio peccati jam remissi inutilis est. Ergo non datur.

Resp. Nego antec. Nam per eam magis remittitur peccatum jam remissum, infunditur nova gratia sanctificans, acquiritur novum jus ad gratias actuales contra relapsum in quodvis peccatum, & nova fit remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ.

Inst. 2. Sacerdos non habet jus circa peccata per Sacramentum remissa, utpote abolita. Ergo non potest ab illis absolvere.

Resp. Nego conseq. Quia ad ferendam sententiam juridicam prioris jam latæ confirmativam sufficit, quod judex habuerit jus circa rem, de qua ferenda est sententia, & habeat jurisdictionem circa personam petentem, ut prior sententia magis ac magis confirmetur.

Obj. 4. Non potest quis cedere juri indignandi & puniendi, nisi existat. Ergo Deus non potest denuò remittere peccatum jam remissum.

Resp. Disting. antec. Non potest quis primò cedere juri, &c. Nisi existat, *conc. ant.* Non potest secundò cedere juri illi, nempe per secundam cessionem, quæ sit prioris confirmatio, *nego ant. & conseq.* Offensus potest

pluries

pluries eandem offenſam condonare, cedendo magis ac magis juri quod habuit ad indignandum propter illam, novoque titulo obligando ſe ad non indignandum ampliùs propter illam.

ARTICULUS VII.

De neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ.

UTrùm *ſit neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem?*

Dico. Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto neceſſarium eſt neceſſitate medii omnibus, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccarunt.

Prob. 1. Illud eſt homini baptizato mortaliter lapſo ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo obtineri non poteſt remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum: nam ſine remiſſione peccati mortalis, utpote à regno Cœlorum excludentis, obtineri non poteſt ſalus, juxta illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam* (civitatem cœleſtem) *aliquod coinquinatum.* Atqui ſine Sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto obtineri non poteſt remiſſio peccatorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum. Ergo hoc Sacramentum eſt neceſſarium neceſſitate medii, &c. *Prob. min.* Ex verbis quibus Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, Joan. c. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ergo peccata mortalia baptizatorum remitti non poſſunt ſine abſolutione Sacerdotali in re vel in voto obtenta, alioqui non poſſent retineri per Sacerdotes: nam retinere peccata eſt non remittendo facere, ut non ſint remiſſa in Cœlo.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſufficiat S. Auguſtinus, lib. 50. Homiliarum, Hom. 49. ubi ſic ait: *Agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia. Nemo ſibi dicat: occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat?*

3. Ex Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 2. ubi ait: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

Dixi, *in re*, vel *in voto*: Nam peccata mortalia baptizatorum remitti poſſunt extra Sacramentum per contritionem charitate perfectam, ſed non ſine voto Sacramenti, ut conſtat ex Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 4. ubi ait: *Docet* (S. Synodus) *etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Porro votum Sacramenti Pœnitentiæ eſt propoſitum ſuſcipiendi ſuo tempore hoc Sacramentum, virtualiter ſaltem & implicitè incluſum in actu contritionis perfectæ; ita ut peccata extra Sacramentum hoc non remittantur per actum contritionis perfectæ niſi ut Vicarium Sacramenti ſuo tempore ſuſcipiendi pro iisdem peccatis, quæ tunc remittuntur: ac proinde cum obligatione eadem peccata ſubjiciendi ſententiæ abſolutioni Sacerdotis.

Propoſitum autem ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ includitur ſaltem implicitè in actu contritionis; nam actus contritionis includit formaliter propoſitum non peccandi, ideoque ſervandi omnia præcepta, inter quæ eſt præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum, impoſitum omnibus mortaliter lapſis. Idem propoſitum includitur virtualiter in actu perfectæ charitatis: nam hic actus reddit hominem effica-

efficaciter paratum ad servanda omnia præcepta.

CAPUT II.

De Contritione.

ARTICULUS I.

Quid sit Contritio, & in quo consistat?

DIco 1. Contritio generatim, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Ita Concil. Trid. contra hæreticos docentes pœnitentiam esse tantùm novam vitam, & contritionem nihil aliud esse, quàm terrorem quemdam conceptum ex consideratione peccatorum, & suppliciorum per legem divinam intentatorum. Constat etiam ex Scriptura, quæ tres illos actus, nempe dolorem, detestationem, & propositum requirit ad justificationem, ut Deut. c. 4. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum non despicies* Ezech. c. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam, &c.* ut infrà.

Dico 2. Contritio consistit essentialiter in his tribus actibus, scilicet dolore, detestatione, & proposito formali, seu expresso non peccandi in posterum; ita ut si unus ex illis desit, non sit contritio formalis.

Prob. 1. Quia contritio per hos tres actus definitur à Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. his verbis: *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Res enim definitur per partes suas essentiales.

Prob. 2. De singulis. Nam 1. dolor ac detestatio sunt partes essentiales contritionis: nam à Concil. Trident. dicuntur in recto de contritione. Nihil autem dici potest in recto de re aliqua, quod non sit ipsa res. Præterea cùm eodem modo dicantur de contritione, si uterque actus non esset ei essentialis, neuter esset ipsi essentialis, quod absurdum est. 2. Propositum formale non peccandi est etiam pars essentialis contritionis. *Ita Bellarminus, pro hac sententia citans S. Thomam, Scotum, Albertum, & alios plurimos,* contra multos alios docentes sufficere propositum virtuale & implicitum, inclusum in dolore ac detestatione, quatenus illi actus voluntatem per se movent ad vitanda posthac peccata, & efficaciter disponunt ad eliciendum propositum, si illius obligationis memoria animo occurrat, nam fatentur eliciendum esse ex præcepto.

Prob. 3. Ex Scriptura. Ezech. c. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet.* Certè hæc verba (*custodierit omnia præcepta mea*) significant propositum formale efficax servandi omnia præcepta, & sic non peccandi, sive observationem præceptorum in voluntate ac proposito: nam non possunt omnia præcepta actu observari brevissimo illo tempore, quo fit actus contritionis, quem statim sequitur justificatio.

2. Ex Concil. Trident. c. 4. citato, ubi contritio definitur dolor ac detestatio cum proposito non peccandi de cætero, id est, nunquam peccandi, & paulò post addit: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem, non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Ubi eodem modo ac tenore verborum dicit contritionem continere vitæ novæ propositum & veteris odium: unde propositum hìc tam exprimitur

mitur in recto, quàm dolor. Hinc non nisi grammaticaliter in obliquo ponitur superiùs, nam præpositio, *cum*, significant idem quod conjunctio &c.

Ratio est, quia vera contritio est vera conversio. Atqui vera conversio tam est essentialiter amor justitiæ, quàm odium peccati commissi. Ergo contritio tam est essentialiter amor justitiæ, quàm odium peccati. Amor autem justitiæ est efficax voluntas servandi præcepta omnia, ideoque non peccandi.

Obj. 1. Concil. Trident. loco citato, loquitur de proposito virtuali.

Resp. Nego. Nam 1. eodem modo loquitur de proposito ac dolore: sed loquitur de dolore formali, ergo etiam loquitur de proposito formali. 2. Ibi exprimit propositum simpliciter. Propositum autem virtuale non est propositum simpliciter. 3. Alioqui hæc verba (*cum proposito non peccandi*) essent supervacanea: nam dolor ac detestatio efficax, quales requiruntur ad contritionem, sunt propositum virtuale non peccandi.

Obj. 2. Dolor ac detestatio sine proposito formali sufficiunt ad justificationem. Ergo propositum formale non est essentialis pars contritionis, sed duntaxat aliquid per se requisitum.

Resp. Nego antec. Nam postquam Concil. Trident. contritionem definiit dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero hæc immediatè subjicit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et paulò post declarat hanc contritionem esse propositum novæ simul & veteris odium.

Inst. Dolor ac detestatio de peccato includunt virtuale propositum non peccandi. Ergo sufficiunt ad justificationem.

Resp. Nego conseq. Nam pariter propositum non peccandi de cætero includit virtualem dolorem ac detestationem de peccato commisso, & tamen non sufficit ad justificationem in Sacramento sine dolore ac detestatione formali, imò nec extra Sacramentum sine actu charitatis perfectæ & obligatione eliciendæ contritionis formalis.

Obj. 3. Fieri potest, ut quis eliciat verum dolorem, & cætera omnia habeat præter propositum formale, de quo inculpatè non cogitat. At is tamen justificabitur. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam nemo potest verum dolorem ac detestationem de peccato elicere, quin cogitet de proposito emendationis; tùm quia illi actus sunt inter se connexi: tùm quia gratia ad contritionem salutarem necessaria, non solùm ad dolorem, sed etiam ad propositum formale excitat, cùm utrumque ad justificationem necessarium sit. Nec unquam continget, ut quis sine proposito formali emendationis doleat de peccatis propter Deum summè dilectum; quamvis hoc propositum possit esse aliquando imperceptibile, nec advertat expressè defectu reflexionis super illud.

Obj. 4. Interdum absolvi debet pœnitens moribundus, qui signum doloris duntaxat præbuit, quamvis nullum indicium propositi formalis ostenderit. Ergo.

Resp. Nego anteced. Quia signum doloris est etiam sufficiens signum propositi formalis, quod tunc tam prudenter præsumitur, quàm ipse dolor.

Obj. 5. In Scriptura dolor dicitur justificare, nulla mentione facta propositi formalis: Ergo sine illo justificat.

Resp. Neg. conseq. Nam Scriptura in quibusdam locis vim justificandi per modum scilicet dispositionis tribuit fidei, spei, eleemosynæ, &c. nulla do-

loris mentione in illis locis facta, & tamen ista non justificant sine dolore. Ratio est, quia Scriptura variis actibus vim justificandi tribuit, non quod soli illi actus justificare possint, sed quia ad justificationem suo modo conducunt; & semper subintelligitur hæc conditio, si cætera omnia ad justificationem requisita adsint. Et verò, *Ezech. c. 18.* justificatio dolori & proposito formali simul conjunctis promittitur.

ARTICULUS II.

Utrùm contritio sit necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum mortalium personalium?

Nota. Duplex distinguitur contritio; formalis scilicet, & virtualis seu in voto. Contritio formalis, seu in re est complexum ex dolore ac detestatione de peccatis commissis, & emendationis proposito. Contritio virtualis, seu in voto est actus perfectæ charitatis, ita afficiens hominem, ut vi illius actus homo non possit non elicere contritionem formalem, si tunc peccata memoriæ occurrerent. Nam peccator per actum charitatis perfectæ Deum propter se super omnia diligit: ac proinde non potest durante illo actu non dolere de offensis divinis cum proposito non peccandi, si peccata animo obversentur. Agitur autem hìc de contritione generatim sumpta, præscindendo à perfecta, vel imperfecta, & de quolibet tempore sive ante, sive post Baptismum: ita tamen ut necessitas contritionis extra Sacramentum intelligi debeat de contritione perfecta.

Dico. Contritio necessaria est necessitate medii ad remissionem peccati mortalis personalis.

Prob. 1. Ex Scriptura. Luc. c. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Ubi pœnitentia, quæ est contritio ipsa, indicatur ut conditio, sine qua justificationis gratia non obtinetur. Et Act. c. 3. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ubi ad remissionem peccatorum contritio ut conditio necessaria apponitur.

2. Ex Conc. Trident. Sess. 14. c. 1. *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent,* &c. Et c. 4. sic ait: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

3. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Ambrosius, Epist. ad Theodos. ubi ait: *Peccatum non tollitur nisi Lacrymis & Pœnitentia.*

Ratio à priori est voluntas Dei nobis per Scripturam, & Traditionem declarata. Ratio convenientiæ est, quòd dolor ac detestatio de offensa admissa, & emendationis propositum sit medium per se valde aptum tùm ad placandam personam offensam, tùm ad veniam impetrandam, tùm ad vitæ emendationem. Hinc per se loquendo necessaria est contritio formalis, nec virtualis sufficere potest nisi per accidens, nempe cùm quis non habet conscientiam peccati mortalis à se admissi.

Obj. 1. Scriptura & Patres plura alia media ad remissionem peccatorum obtinendam proponunt, nempe eleemosynam, orationem, injuriarum condonationem, &c. Ergo contritio non est ad eam absolutè necessaria.

Resp. Disting. anteced. Hæc media proponunt tanquam aliquid ad remissionem peccatorum conferentia per modum impetrationis vel dispositionis remo-

remotæ, nec se solis proximè sufficientia, *conc. ant.* hæc media proponunt ut sufficientia sine contritione, *neg. ant. & conseq.* Assignantur oratio, eleemosynæ, injuriarum condonatio, & alia ejusmodi tanquam media idonea impetrandis auxiliis ad contritionem eliciendam necessariis.

Obj. 2. Actus charitatis perfectæ ad justificationem sufficit sine contritione formali. Ergo hæc non est necessaria, &c.

Resp. 1. Actus charitatis sine contritione formali existere non potest in homine de suis peccatis cogitante: nam non potest peccator peccatorum suorum memor, Deum super omnia & propter se amare, quin vi illius amoris doleat de peccatis cum proposito non peccandi.

Resp. 2. *Disting. anteced.* Actus charitatis perfectæ ad justificationem sufficit cum voto contritionis formalis & Sacramenti quod includit, *conc. ant.* sine tali voto, *neg. ant.* per actum charitatis perfectæ remittuntur quidem omnia peccata mortalia, sed non sine voto contritionis & Sacramenti vel Baptismi, vel Pœnitentiæ, nec sine obligatione directa eliciendi postea contritionem de iisdem mortalibus jam remissis tanquam medium per se necessarium ex institutione divina ad remissionem illorum mortalium, quæ proinde remittuntur per actum charitatis tanquam vicarium contritionis. Quare in casu oblivionis peccatorum, contritio est necessaria in voto ad illorum remissionem.

Obj. 3. Aliqui Patres docent contritionem necessariam non esse ad justificationem.

Resp. Hoc dicunt tantùm de contritione sensibili.

ARTICULUS III.

Utrùm extet præceptum speciale contritionis, & quandonam obliget?

§. I.

DIco 1. Extat præceptum divinum speciale contritionis, naturale & positivum. *Ita communiter.*

Prob. 1. Ex Scriptura. Ezech. c. 28. *Convertimini & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Matth. c. 3. & Act. c. 2. *Pœnitentiam agite.* Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et verò omnia media ad salutem necessaria, quæ sunt in potestate nostra cum auxilio gratiæ, directè & ratione sui à Deo præcipiuntur: & quidem lege naturali ex hypothesi, quod sint à Deo instituta ut media ad salutem necessaria. Contritio autem est adulto peccatori medium ad remissionem peccatorum, ideoque ad salutem necessarium, ut modò probatum est.

Prob. 2. Quia hoc ipso, quòd contritio à Deo instituta est ut medium ad remissionem peccati & reconciliationem cum Deo necessarium, præcipitur. 1. Lege naturali justitiæ ad Deum, quæ obligat ad compensandam, quantùm in nobis est injuriam Deo illatam. 2. Lege charitatis in Deum, ex qua tenetur homo facere, quod in se est ad divinam amicitiam recuperandam, sicut ex ea tenetur Deum super omnia diligere. Enim verò actus ad divinam charitatem habendam necessarius, lege charitatis præcipitur ratione sui. 3. Lege naturali charitatis propriæ supernaturalis, qua quisque tenetur saluti suæ providere per media ad salutem necessaria.

Hinc omissio contritionis debitæ est speciale peccatum. 1. Contra virtutem pœnitentiæ, quæ est specialis quædam ad

Deum justitia altioris ordinis, & longè diversa ab ea quæ est hominis ad hominem; cùm jus divinum sit altioris ordinis & longè diversum à jure humano. 2. Contra charitatē divinam & propriam.

Porro contritio illa, quæ necessaria est necessitate tùm medii, tùm præcepti, est contritio, quæ peccatorem cum Deo reconciliet: ac proinde est contritio perfecta extra Sacramentum, & saltem attritio conjuncta cum charate inchoata & Sacramento. Quia contritio non præcipitur nisi ad placandum Deum, ad divinam injuriam quantùm fieri potest compensandam, & ad reconciliandum hominem cum Deo.

§. II.

Dico 2. Præceptum contritionis per se obligat ad non multùm differendam contritionem post peccatum mortale admissum, ita ut notabilis dilatio contritionis sit novum peccatum mortale; ita Guillelmus Parisiensis, Alensis, S. Antonin. S. Bonavent. in 4. dist. 16. art. 3. ubi ait: *Ideo dico quod semper tenetur conteri, sed ad non semper; sed pro loco & tempore, videlicet cùm recogitat mala sua, in quibus offendit Deum.* Ita etiam Recentiores plurimi.

Prob. 1. Ex Scriptura. Eccl. c. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quæ verba, non consilium, sed præceptum sonant, ut patet ex illa comminatione vindictæ divinæ. Et Rom. c. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ergo dilatione pœnitentiæ augetur numerus peccatorum, ideoque dilatio illa est per se peccatum.

Prob. 2. Ex Patribus, qui passim longam pœnitentiæ dilationem graviter increpant.

Prob. 3. Ratione. 1. sic. Notabilis dilatio contritionis, quæ ut medium necessarium à Deo statuta est ad compensandam offensam divinam, & ad Dei amicitiam recipiendam, graviter injuriosa est Deo; tum quia est violatio juris divini graviter exigentis compensationem injuriæ Deo illatæ, cùm primùm fieri commodè potest: idem quippe jus divinum obligans ad compensationem injuriæ, simul obligat ad illam non differendam saltem notabiliter, ut patet in injuriis humanis, tùm quia permanentia notabilis in inimicitia Dei, cùm ab eo sollicitaris ad redeundum in gratiam, est secundùm prudentem æstimationem virtualis quidam & interpretativus divinæ amicitiæ contemptus. 2. Quia gravis est inordinatio notabili tempore voluntariè sejungi & habitualiter averti à nostro fine ultimo, ut rem magis morali quodam judicio quàm ex subtili disquisitione expendenti facilè patebit, 3. Quia per notabilem contritionis dilationem peccator exponit se morali periculo labendi in aliud peccatum mortale. Nam secundùm communem Patrum & Theologorum doctrinam peccator non potest diu in peccato mortali versari, quin iterum in novum mortale incidat: *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit*, ait S. Gregor. l. 25. moral. c. 9. *peccator adjiciet ad peccandum.* Eccli. c. 3. & verò (ut ait Delugo) hæc est voluntatis natura, ut quisque operetur juxta id quod amat & intendit, nec diu eligere possit media difficilia ad finem alium, quem minùs amat.

Hinc notabilis dilatio contritionis est peccatum mortale tùm contra virtutem pœnitentiæ; tùm contra charitatem divinam vetantem contemptum quemlibet divinæ amicitiæ, & periculum labendi in mortale; & sæpe etiam contra charitatem propriam. Hoc autem

tem peccatum multiplicatur quavis dilatione notabili moraliter interrupta.

Quænam autem dilatio hìc notabilis censeatur, ut sufficiat ad mortalem culpam, ex morali judicio æstimandum est.

Cæterùm secundùm omnes contritionis præceptum obligat per se in quovis probabili periculo mortis. Quia cùm post mortem observari nequeat, homo se exponeret periculo illud non observandi. Per accidens verò obligat quoties quis Sacramentum aliquod vult ministrare vel suscipere; quia ex virtute religionis tenetur Sancta sanctè tractare, & proinde sibi procurare statum gratiæ. Item sic obligat, quando necessaria putatur ad superandam tentationem, vel avertendam calamitatem publicam.

Obj. 1. Contritionis præceptum per se obligat tantùm, ut aliquando agatur pœnitentia. Ergo non obligat ante mortem, aut morale periculum mortis.

Resp. Disting. anteced. Obligat tantùm, ut aliquando pœnitentia agatur tempore debito, & sine vituperabili ideoque notabili mora, *conc. ant.* secùs, *nego ant. & conseq.* tempus autem debitum æstimari debet ex titulis, quibus nititur illud præceptum; qui tituli exigunt, ut pœnitentia non diu post peccatum admissum differatur, nempe ut fiat statim atque moraliter loquendo, dum peccator recogitat se peccasse, & potest rectè fieri.

Obj. 2. Præceptum contritionis non obligat nisi pro tempore, quo obligat præceptum confessionis, sed præceptum confessionis citra periculum mortis obligat tantùm semel intra annum. Ergo.

Resp. Neg. maj. Disparitas est, quia præceptum confessionis ex vi titulorum quibus nititur, pati potest dilationem majorem, præsertim cùm contritio perfecta ejus vices suppleat. At præceptum contritionis ex vi titulorum quibus nititur, exigit contritionem non diu differri. Nam hi tituli sunt justitia ad Deum obligans ad divinam injuriam compensandam sine notabili, ac vituperabili mora; periculum labendi in aliud mortale; & gravis inordinatio, quæ cernitur, cùm quis notabili tempore voluntariè sejungitur & habitualiter avertitur à fine ultimo. Præterea minor est controversa.

Obj. 3. Obligatio contritionis eliciendæ statim moraliter loquendo post peccatum, sumendo illud *statim* cum aliquo spatio temporis juxta prudens judicium non innotescit fidelibus. Nam neque fideles dilationem contritionis notabilem vulgò confitentur, neque confessarii eos de illa interrogant. Ergo hæc obligatio non extat.

Resp. 1. Nego conseq. Nam præcepta actuum fidei, spei, & charitatis multoties per se certò obligant toto vitæ tempore; tamen non solent vulgò fideles se accusare de omissionibus illorum actuum, nec à multis confessariis ea de re interrogantur. Itaque cùm difficile sit determinare tempus, quo præcisè certa præcepta obligent per se, non mirum est determinationem ejusmodi obligationis, licèt certæ, non omnibus innotescere, præsertim iis, qui res ex nimia subtilitate & argutia magis quàm ex morali judicio expendunt.

Resp. 2. Nego anteced. Nam 1. hæc obligatio innotuit S. Bonaventuræ, Guillelmo Parisiensi, sancto Antonino, & multis aliis Theologis. 2. Concionatores sæpe Pœnitentiæ dilationem acriter reprehendunt: ac proinde ipsi judicant, & simul auditores docent gravem huic dilationi inesse inordinationem.

Ad probationem dico fideles salutis suæ studiosos non differre diu contritionem: confessarios verò, qui nobis assentiuntur, vel interrogare pœnitentes cùm opus est, vel ex circumstan-

tiis eorum quæ narrantur, vel ipsorum pœnitentium habituali dispositione & consuetudine satis intelligere quid circa illam dilationem judicare debeant. Ex aliorum autem confessariorum nobis dissentientium praxi non potest firmum erui contra nostram sententiam argumentum.

Item ex praxi fidelium etsi satis vulgari, præsertim si consistat in omissione, non potest certum peti argumentum. Quia non pauci fideles sæpe ignorant, quæ agenda sunt, & præsertim ea quæ sunt in controversia; & multi suam agendi rationem non instituunt secundùm leges quæ ipsis proponuntur. Quibus adde oblivionem.

ARTICULUS IV.

Qualis debeat esse contritio ad remissionem mortalium requisita?

DIco. Contritio ad remissionem peccatorum mortalium necessaria sive in Sacramento, sive extra illud, debet esse vera ac interior, formalis, supernaturalis, universalis, efficax, & appretiativè summa.

Probatur per partes. 1. Contritio debet esse vera ac interior, juxta illud Joëlis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Nam ex Concil. Trident. est animi dolor ac detestatio cum proposito. Et alioqui non esset contritio, sed merum simulacrum contritionis, quo Deus, qui intuetur cor, decipi non potest. At necesse non est, ut sit sensibilis; nam ex Concil. Trident. est animi dolor: animus autem mentem & voluntatem, non appetitum sensitivum significat. Sæpe tamen est sensibilis, quia sæpe ex ea oritur motus appetitus sensitivi.

2. Requiritur contritio formalis. Nam hæc per se necessaria est necessitate medii, ut probatum est. Hinc tres illos actus formaliter continere debet, nempe dolorem ac detestationem de peccatis comissis, & propositum formale nunquam peccandi saltem mortaliter. Quamvis autem per accidens in casu, quo quis nullius mortalis culpæ sibi sit conscius, ad justificationem sufficiat contritio virtualis in actu charitatis perfectæ consistens, & includens votum contritionis formalis, ac Sacramenti, tamen ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ semper necessariò requiritur contritio formalis, cùm sit illius pars materialis essentialis.

3. Requiritur contritio supernaturalis, hoc est; elicita ex auxilio gratiæ actualis, & ex motivo per fidem proposito. Nam sic definit Concil. Trident. Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Præterea fide constat sine gratia Christi nullum fieri posse actum salutarem, juxta illud Christi, Joann. cap. 15. *sine me nihil potestis facere.* Ratio est, quia medium debet esse fini proportionatum, proindeque ejusdem ordinis. Ergo cùm contritio sit à Deo instituta ut medium justificationis nostræ, & gratiæ sanctificantis obtinendæ, debet esse supernaturalis ordinis sicùt est ipsa justificatio, & gratia sanctificans.

Quare peccator humilibus ac crebris precibus contritionis gratiam à Deo petat per merita Christi his verbis Jeremiæ, cap. 31. *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.*

Ut autem contritio sit supernaturalis, præter auxilium supernaturale debet habere

habere etiam motivum ſupernaturale: nam actio moralis ſpeciem ſuam præſertim ex motivo ſumit.

4. Requiritur contritio univerſalis ſaltem virtualiter hoc ſenſu, quod dolor ac deteſtatio extendere ſe debeat ſaltem confusè ad omnia peccata mortalia commiſſa ſub ratione omnibus communi, qualis eſt ratio offenſæ divinæ, ratio dilectionis Dei, ratio ſuppliciorum æternorum: propoſitum verò ſe extendat ad omnia omnino peccata venialia vitanda.

Prob. Tùm ex Scriptura. Ezech. c. 18. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea.* (efficaci propoſito ſervandi omnia) .... *vita vivet.* Et Jac. 2. *Quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus,* quoad privationem gratiæ ſanctificantis & beatitudinis.

Tùm ex Concilio Generali Lateranenſi II. c. 22. ubi ait: *Falſam pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur: aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio. Unde ſcriptum eſt:* qui totam legem obſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, *ſcilicet quantùm ad vitam æternam: ſicut enim ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantùm maneat, æternæ vitæ januam non intrabit,* &c.

Ratio eſt, quia ut contritio ad remiſſionem peccatorum mortalium valeat, debet valere ad remiſſionem omnium mortalium: nam unum mortale non poteſt remitti ſine omni alio. Contritio autem non poteſt valere ad remiſſionem omnium mortalium, niſi ſaltem virtualiter & implicitè ſe ad omnia extendat. Præterea ex *Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 7.* Contritio includit propoſitum non peccandi de cætero, id eſt, propoſitum nunquam peccandi. Propoſitum autem nunquam peccandi mortaliter, eſt propoſitum vitandi omnia peccata mortalia, quæ committi poſſunt, ſicque eſt univerſale ſaltem virtualiter. Ergo etiam dolor ac deteſtatio debet eſſe univerſalis.

Ex communi tamen ſententia neceſſe non eſt, ut contritio diſtinctè cadat in ſingula peccata mortalia, ſive diverſis actibus, quorum unus unum mortale, alius verò aliud attingat, ſive uno & eodem actu, qui diverſa peccata ſecundùm propriam cujusque rationem ſeu differentiam attingat; quia ejusmodi neceſſitas neque ex Scriptura, neque ex Traditione, aut Conciliis probari poteſt. Nam Scriptura & Concilia ſolùm exigunt contritionem de omnibus mortalibus admiſſis cum propoſito nullum poſthac admittendi: ad quod non requiritur, ut voluntas ſingula mortalia diſtinctè attingat; ſed ſufficit, quod habeat dolorem ac deteſtationem de omnibus admiſſis ex motivo omnibus communi, ſub quo nempe quodvis peccatum mortale eſt ſupra omnia mala & deteſtabilia deteſtabile: nam tunc nullum erit, de quo non verè doleat, & quod non ſummè deteſtetur.

Similiter neceſsè non eſt, ut propoſitum diſtinctè cadat in omnia & ſingula peccata mortalia poſſibilia. Nam ex Conc. Trid. ſufficit propoſitum nunquam peccandi, & excludens affectum omnem ad quodlibet mortale peccatum: ad quod ſatis eſt, ſi voluntas habeat propoſitum unum generale vitandi omnia mortalia poſſibilia propter motivum omnibus commune.

5. Requiritur contritio appretiativè ſumma; ita ut pœnitens de peccato commiſſo longè magis æſtimativè doleat, quàm de quovis alio malo ac damno, & peccata deteſtetur ſuper omnia alia mala deteſtabilia, ſitque paratus

tus omni bono carere, & pati omne malum in quocumque casu possibili secundùm rei veritatem, quàm peccare mortaliter juxta illud Joel. c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro,* totalitate scilicet appretiationis.

Prob. Tum quia peccatum, cùm sit offensa Dei, & privativum summi boni, est summum malum, proindeque super omne aliud malum odio habendum & fugiendum. Tum quia pœnitens ita peccata commissa detestari debet, ut simul habeat propositum nunquam peccandi mortaliter pro quocunque casu possibili secundùm rei veritatem & ordinem à Deo statutum, quod sit incompossibile cum omni affectu erga illa in quocunque casu possibili. Deus enim ad reconciliationem sui cum peccatore exigit, ut is voluntatem à peccatis perfectè avertat.

6. Denique requiritur contritio efficax: ita ut excludat omnem affectum ad quodlibet mortale peccatum, & voluntas sit parata ad adhibenda omnia media ad cujuslibet peccati mortalis fugam, & observationem omnium præceptorum necessaria, cujusmodi sunt occasiones omnes peccandi proximas vitare, cupiditates coercere, malas consuetudines radicitus evellere, crebrò orare, &c. tum quia contritio debet esse appretiativè summa, & ex toto corde quæ totalitas appretiationis summam efficaciam includit. Tum quia contritio est vera conversio ad Deum, quæ non potest esse sine efficaci odio offensæ divinæ, & efficaci amore justitiæ.

ARTICULUS V.

An, & quæ contritio ad remissionem peccatorum mortalium sufficiat extra Sacramentum?

§. I.

Prænotanda.

I. Ex *Conc. Trid. Sess. 14. c. 4.* contritio dividitur in perfectam, & imperfectam, quæ attritio dicitur. Contritio perfecta est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero, ex actu, seu motivo perfectæ charitatis nempe quia peccatum est offensa Dei super omnia dilecti propter se, hoc est, propter suam infinitam amabilitatem, & bonitatem absolutam, quæ est complexio omnium Dei perfectionum, vel (ut aliqui volunt) propter aliquam Dei perfectionem absolutè spectatam, seu spectatam quatenùs est bonum Dei. Hinc perfecta contritio continet formaliter actum perfectæ charitatis, estque complexum ex quatuor actibus, videlicet dolore ac detestatione de peccatis commissis, proposito nunquam peccandi, & actu perfectæ charitatis divinæ. Nam uno & eodem actu contritionis, qui est essentialiter compositus, simul detestor peccatum super omnia detestabilia propter Deum, & Deum ipsum diligo super omnia propter se; quandoquidem per unum & eundem actum contritionis detestor peccatum, quia Deum amo super omnia propter se. Igitur actus charitatis est essentialis pars contritionis perfectæ; qui actus superadditur contritioni genericè sumptæ: unde à Concil. Trid. contritio perfecta dicitur charitas perfecta.

Contritio imperfecta, seu attritio est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi in posterum, ex alio motivo honesto supernaturali quàm charitatis, puta ex metu pœnarum & gehennæ, vel ex peccati turpitudine Theologica, nempe prout opponitur legi divinæ, sanctitati Dei, vel imagini Dei, &c.

II. Contritio perfecta, & attritio essentialiter specie differunt. Nam actus habentes motiva notabiliter diversa sunt essentialiter & specificè diversi, cùm actus speciem suam sumant ab obje-

objecto formali seu motivo. Hinc attritio nunquam fieri potest contritio: nam cùm essentialiter ab ea differat, mutaretur ejus essentia, quod repugnat.

III. Contritio perfecta & attritio in eo conveniunt, quod utraque sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi, ex motivo honesto supernaturali & per fidem proposito, quæ omnia continent genus contritionis, ac proinde speciebus convenire debent: nam quod convenit generi, convenit quoque speciebus, cùm genus sit quid commune omnibus speciebus. Differunt verò præcipuè in eo, quod contritio perfecta contineat actum charitatis perfectæ, & consequenter justificet ante actualem Sacramenti susceptionem: non autem attritio, ut docet *Conc. Trid. Sess. 14. c. 4.*

Porro contritio perfecta dicta est simpliciter contritio, quia omnino & perfectè convertit ac immutat peccatorem, illum à statu peccati & inimicitiæ Dei ad statum justitiæ & amicitiæ Dei perducens; analogia ducta à corporibus duris, quæ cùm perfectè conteruntur, in minutissimas partes dividuntur, sicque omnino immutantur. Quæ verò atteruntur tantum, in majores partes dividuntur, & sic imperfectè tantum immutantur. Hinc contritio imperfecta dicta est attritio, quia peccatorem non perfectè convertit & immutat, nec perducit per se sine Sacramento in statum amicitiæ divinæ, sed tantum ad illum in Sacramento consequendum disponit.

IV. Contritio dupliciter dicitur summa, nempe appretiativè, & intensivè. Contritio appretiativè summa est ea, qua detestamur peccatum super omnia alia detestabilia. Contritio intensivè summa est ea, quæ est summè vehemens, seu quæ fit summo cum animi conatu: sive quæ est summè intensa.

V. Bajus, Jansenius Iprensis, & Estius negant contritionem perfectam justificare extra usum Sacramenti, nisi in certis casibus: puta Martyrii, mortis cùm deest copia confessarii, vel nisi sit summè intensa.

Recentiores verò aliqui duplicem distinguunt charitatem, qua Deus super omnia propter se diligitur, unam scilicet intensam, quam solam vocant perfectam, & alteram remissam, quam imperfectam & inchoatam appellant. Hinc contritionem, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se dilecti, duplicem distinguunt; unam perfectam, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se intensè dilecti: & alteram imperfectam, quæ concipitur propter Deum super omnia propter se remissè dilectum. Perfectam dicunt semper justificare etiam extra Sacramentum: imperfectam verò justificare solùm in Sacramento nisi in casu necessitatis. Quæ opinio non videtur quoad rem differre à sententia Baji, Jansenii, & Estii.

E contra communis veterum & recentiorum sententia docet omnem actum charitatis, qua Deus super omnia propter se diligitur licèt remissè, & omnem contritionem conceptam ex amore Dei super omnia propter se dilecti, justificare etiam extra Sacramentum, non tamen sine voto Sacramenti in illa incluso.

§. II.

Dico. Omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, semper justificat etiam extra Sacramentum, in quocumque gradu intensionis sit, non tamen sine voto Sacramenti quod continet.

Prob. 1. Quia Scriptura, Patres, & Concilium Trident. contritioni omni ex amore Dei super omnia propter se dilecti, & actui charitatis, quo Deus sic diligitur, remissionem peccatorum, vi-

tam animæ, amicitiam divinam, & gratiam sanctificantem tribuunt simpliciter absque ulla distinctione, limitatione, & restrictione ad contritionem & charitatem in summo, aut certo gradu intensam. Ergo omnis contritio ex amore Dei super omnia dilecti, justificat semper, &c.

Prob. ant. 1. Ex Scriptura. Ezech. c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea ... vita vivet ... convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et c. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ubi justificatio promittitur omnibus peccatoribus, qui sincerè pœnitentiam agunt ex amore scilicet Dei super omnia dilecti nulla facta mentione magnæ intensionis. 1. Petri c. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Prov. c. 8. *Ego diligentes me diligo.* Jo. c. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum .... si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, scilicet per gratiam sanctificantem. 1. Joan. c. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quibus locis & aliis similibus justificatio & amicitia divina actui charitatis veræ ac simpliciter dictæ tribuitur sine ulla distinctione & restrictione: omnis autem contritio concepta propter Deum super omnia propter se dilectum continet actum charitatis veræ ac simpliciter dictæ; nam omnis actus, quo Deus super omnia diligitur, est vera ac propriè dicta charitas; habet enim totam essentiam charitatis consistentem in eo, quod Deus super omnia propter se diligatur.

2. Ex Patribus. S. Ambrosius, Apolog. 2. David c. ult. *Remissionem meruit iniquitatis, & texit charitate.* S. Augustinus, tract. 1. in Epist. Jo. c. 1. *Sola ergo charitas extinguit delicta.* Et tract. 9. in eand. Epist. *Diligendo amici facti sumus .... anima nostra fœda est per iniquitatem: amando Deum, pulchra efficitur.* S. Chrysostomus, homil. 7. in 2. Epist. ad Timoth. *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* S. Leo, Epist. 91. *Nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* S. Petrus Chrysol. serm. 94. *Absolvi vis, ama; charitas cooperiet multitudinem peccatorum.*

3. Ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi ait: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, &c. Ergo ex Concilio omnis contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo ante realem Sacramenti susceptionem: nam hæc propositio Conc. Trid. est indefinita, ideoque universalis de contritione charitate perfecta, atqui omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti, est contritio charitate perfecta: nam habet totam essentiam charitatis veræ & simpliciter ac propriè dictæ, consistentem in summa appretiatione, & motivo amoris omnium perfectissimo. Ergo omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti reconciliat hominem Deo ante Sacramenti susceptionem.

Præterea Concilium non dicit contritionem charitate intensa perfectam, sed simpliciter charitate perfectam. Neque eam ab imperfecta distinguit nisi penes motivum, non autem penes majorem intensionem, ut patet ex toto capite.

Prob. 2. Ex damnatione harum Baji propositionum, facta à S. Pio V. & Gregorio XIII. & Urbano VIII. & ab Ecclesia Catholica recepta. 31. *Charitas perfecta*

fecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tàm in catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 70. *Homo existens in peccato mortali potest habere veram charitatem.* 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

In his propositionibus agitur. 1. De charitate actuali, ut patet ex his verbis. 31. *Quæ est ex corde puro.* & istis. 32. *Quæ est plenitudo legis,* scilicet in præparatione animi. Nam charitas habitualis non est, nec producitur ex corde, sed in corde producitur & infunditur per solum Spiritum sanctum; & sola charitas actualis continet propositum efficax saltem virtuale servandi omnia præcepta. Præterea 71. propositio clarè exprimit solam charitatem actualem. 2. Per charitatem intelligitur amor quilibet Dei super omnia propter se. Nam amor Dei super omnia propter se quamvis remissus, est vera charitas; cùm habeat totam ejus essentiam nempe summam appretiationem & motivum perfectæ charitatis, & idem amor, etsi remissus, est plenitudo legis, cùm per illum satisfiat præcepto charitatis, & voluntas reddatur efficaciter disposita ad servandam totam legem. Præterea Bajus docebat charitatem actualem valde intensam justificare, & semper conjunctam esse cum remissione peccatorum. Unde in istis propositionibus loquitur de charitate actuali remissa; & tamen damnatus est. Ergo.

Prob. 3. Ex S. Thoma, in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. *Quantumcunque parvulus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*

Prob. 4. Ratione multiplici 1. Sic. Intensio major vel minor est accidentalis cuilibet actui, proindeque charitati & contritioni; & in aliis virtutibus ut fidei & spei non requiritur certus gradus intensionis, ut sint essentialiter perfectæ virtutes. Præcipua autem vis actus non pendet ab eo, quod ei accidentale est. 2. Si contritio ex amore Dei super omnia propter se, sed remisso justificat aliquando, nempe in casu necessitatis, ut volunt adversarii, certè debent in quovis alio casu justificare. Nam contritio remissa per se non habet majorem vim movendi Deum in casu necessitatis quàm in quolibet alio; nec circumstantia necessitatis auget contritionis æstimabilitatem: neque Deus plus contritioni remissæ promisit in casu necessitatis quàm in quovis alio. 3. Contritio ex amore Dei super omnia propter se dilecti quamvis remisso concepta, est dispositio ad peccatorum remissionem valde proportionata; tum quia efficaciter avertit à peccatis, & totaliter ac integrè ad Deum convertit ex motivo perfectissimo: tum quia est proportionata habitui charitatis incompossibili cum ullo peccato mortali.

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ ab auctoritate.

Obj. 1. Illud Deut. c. 4. *Cùm quæsieris Dominum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et illud Joelis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Ergo ad justificationem requiritur contritio summè vel saltem valde intensa.

Resp. Nego conseq. Quia sicut per hæc verba (*Diliges Dominum Deum*

 tuum

tuum ex toto corde tuo) præcipitur dilectio Dei, non intensivè, sed extensivè seu appretiativè summa: ita verba objecta significant necessitatem contritionis appretiativè summæ, qua scilicet peccata omnia super omnia alia mala detestemur, parati potiùs quolibet bono carere, & quodlibet aliud malum pati quàm Deum mortaliter offendere. Nam voces (*ex toto corde*) significant totalitatem appretiationis, seu appretiationem summam. Dicimur enim velle ex toto corde, quod super alia volibilia volumus, sive illud etiam cum vehementia, sive sine vehementia velimus. Igitur requiritur conversio ex toto corde totalitate appretiationis, non totalitate intensionis.

Obj. 2. Christus, Luc. 7. de Magdalena dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ergo ad remissionem peccatorum requiritur magna aliqua intensio amoris.

Resp. Nego conseq. Quia ibi agitur de remissione peccatorum non solùm quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam. Nam Christus his verbis declarat se Magdalenæ propter ardentissimum ejus amorem remisisse peccata omnia tùm quoad reatum culpæ, tùm etiam quoad reatum omnis pœnæ. Quare (ut ait Bellarminus) Christus his verbis solùm significat magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ.

Dices. Quando Christus verba illa protulit, Magdalena jam erat perfectè contrita, nec tamen justificata. Ergo non omnis contritio perfecta justificat.

Resp. Nego 2. p. ant. itaque Christus illis verbis, & his sequentibus, (*remittuntur tibi peccata tua*) Magdalenam non primò justificavit; sed solùm primam justificationem à se collatam declaravit & confirmavit.

Porro cùm sanctus Augustinus, hom. 23. inter 50. de Magdalena ait: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana:* supponit eam ad Christum accessisse cum imperfecta contritione & charitate; & solùm ad pedes Christi advolutam amasse Deum super omnia propter se.

Obj. 3. Act. c. 22. Paulo quamvis perfectè contrito Ananias dixit: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.*

Resp. Ananias hæc dixit Paulo, quia non certò sciebat eum elicuisse actum charitatis perfectæ, nec proinde jam justificatum esse. Et sciebat eum, etiamsi per charitatem perfectam justificatus fuisset, tamen non fuisse justificatum nisi cum speciali onere & obligatione suscipiendi Baptismi pro iisdem peccatis jam remissis. Præterea certò etiam non noverat contritionem Pauli fuisse sufficientem ad remissionem omnis pœnæ peccatis debitæ. Quare adhuc à reatu omnis pœnæ abluendus erat per Baptismum.

Obj. 4. Sanctum Cyprianum, epistola ad Caldonium.

Resp. Ibi agit de pœnitentibus, quos jam Deo reconciliatos esse putabat, sed quibus dicit impertiendam esse pacem, cujus nomine intelligit reconciliationem cum Ecclesia, & absolutionem ab excommunicatione; quosque dicit solum esse quasi prostratos sub diabolo, quia adhuc quamvis per perfectam contritionem justificati detinebantur excommunicatione.

Obj. 5. S. Chrysostomus, Hom. 7. in 2. epist. ad Tim. ait: *Sicut ignis, ubi Sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit: ita & charitatis fervor, quocumque inciderit, omnia perimit atque perrumpit. Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Ergo ex S. Doctore ad remissionem

nem peccatorum requiritur magnus fervor charitatis.

Resp. Nego conseq. Nam ibi solùm de morum emendatione, non de peccatorum remissione agit; nec adhibet nomen fervoris charitatis ad charitatem intensam præ remissa significandam, sed solùm ad significandam charitatem per modum ignis cujusdam spiritualis omnia vitia perimere. Quod omni actui veræ charitatis convenit, nam quælibet charitas vera, per quam Deus super omnia propter se diligitur, hominem ab omni peccato & vitio lethali avertit, & ad totam legem servandam efficaciter disponit. Quare S. Doctor postea simpliciter dicit: *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Charitas autem remissa, sed appretiativè summa est charitas simpliciter & propriè dicta, cùm totam ejus essentiam habeat.

Obj. 6. Multos textus S. Augustini.

I. S. Doctor, L. 4. de Baptis. c. 21. ait: *Nec ego dubito Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere, sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus ... sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum Regnum Cælorum, sic malo baptizato vera conversio .... namque ne secura esset justitia Catechumenis, dictum est: nisi quis renatus fuerit,* &c.

Resp. 1. Ibi agitur de charitate etiam intensa, ut patet ex voce *flagrantem.*

Resp. 2. Ibi S. Doctor dicit tantum, Catechumeno charitate flagranti deesse baptismum ad capessendum Regnum Cœlorum, non autem ad remissionem peccatorum. Quia Catechumenus ille justificatus non fuit per charitatem nisi cum obligatione suscipiendi suo tempore Baptismi: quem si postea recipere negligit, mortaliter peccat, & in hoc peccato moriens damnabitur.

II. S. August. eod. L. c. 22. dicit cordis ad Deum conversionem non nisi in articulo necessitatis supplere baptismum.

Resp. Ibi loquitur de conversione, qualis fuit in latrone, cui in cruce pendenti Christus Paradisum promisit, ideoque etiam de conversione facta ex charitate intensa. Dicit autem hanc sufficere ad salutem, quando non contemptus religionis, sed necessitas excludit Baptismi susceptionem; quia nempe desiderium efficax Baptismi in perfecta cordis conversione inclusum sufficit, ut non baptizatus per contritionem perfectam justificatus, perseveret & moriatur in statu gratiæ, quando Baptismum suscipere non potest, & sic sine Baptismi susceptione salutem consequatur, quam non consequeretur, si ante mortem baptizari posset & nollet.

III. Tract. 13. in Joann. sic ait: *Quantumcunque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.*

Resp. S. August. loquitur ibi de Catechumeno proficiente in aliqua virtute inferiori seu morali, non autem in charitate: alioqui per intensissimam charitatem nemo justificari posset sine reali susceptione Baptismi. Item loquitur de Catechumeno, qui Baptismi susceptionem negligit, qui proinde caret perfecta contritione & charitate includente votum efficax Sacramenti; ut patet ex verbis præcedentibus, quibus dicit Christum baptizari voluisse baptismo Joannis, *Ne quis arrogans, eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari baptismo Domini. Quantumcunque enim Catechumenus proficiat,* &c.

Cùm

Cùm autem S. Doctor addit: *Pressuris peccatorum nemo caret, nisi ad fontem Baptismi pervenerit:* solùm vult neminem adultum non baptizatum justificari, quamdiu culpabiliter differt Baptismi susceptionem; quia tamdiu Christi Sacramentum dedignatur, & interpretativè contemnit, sicque caret perfecta cordis ad Deum conversione, quæ semper votum Sacramenti includit.

IV. L. 9. Confess. c. 4. dicit: *Gaudens in fide laudavi nomen tuum, & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.*

Resp. Ideo solum S. August. ante Baptismum de peccatorum suorum remissione securus non fuit; quia certò non sciebat se elicuisse contritionem charitate perfectam, nec fecerat id totum, quod Deus ad remissionem peccatorum exigit. Dicit autem peccata sibi nondum remissa fuisse, quia ex humilitate non putabat se perfectam contritionem habere, quamvis tamen revera habuerit, sicque ante Baptismi susceptionem justificatus fuerit.

V. L. 1. de Symbolo ad Catechum. ait: *Deus non dimittit peccata nisi baptizatis. Ipsa peccata, quæ primum dimittit, nisi baptizatis dimittit. Quando? Quando baptizantur .... Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt peccata eorum.*

Resp. Eò loquitur de eo, quod ordinariè fit. Nam cùm ordinariè Catechumeni ante Baptismum Deum super omnia propter se non ament, iis ordinariè peccata ante Baptismum non dimittuntur. Docet quippe fieri aliquando, ut Catechumenus ante baptismum justificatus sit per contritionem scilicet charitate perfectam; si enim L. 4. de Baptismo, c. 24. ait: *in Cornelio præcessit sanctificatio spiritualis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lavacro Baptismi.*

VI. Epistol. 180. ad Honorat. ait: *Magnum exitium sequi eos, qui de hoc sæculo exeunt vel non regenerati, vel ligati.*

Resp. Hoc dicit solùm, quia ordinariè peccatores non habent perfectam contritionem. Nam Concil. Trident. dicit tantum, contritionem aliquando charitatem perfectam esse contingere. Quod autem aliquando tantùm contingit, non contingit ordinariè.

Nota. Textus objecti tam spectant charitatem intensam, quàm remissam.

Obj. 7. Patres requirunt pœnitentiam valde intensam.

Resp. Eorum textus intelligi rectè possunt de pœnitentia appretiativè summa: vel ad summum de necessitate convenientiæ & utilitatis, vel de necessitate ad remissionem reatus omnis pœnæ. Nec ullus textus proferri potest, qui adversariorum sententiam probet. Contra verò Patres magno consensu actui charitatis veræ ac propriè dictæ, sine distinctione majoris aut minoris intensionis, justificationem attribuunt.

Obj. 8. Aliqui Patres docent Petrum negando Christum, retinuisse perfectam Dei charitatem, sed ejus fervorem duntaxat amisisse. Nam S. Leo, serm. de passione, Petrum alloquens ait: *vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam.* Et S. Bernard. L. de diligendo Deo. De Petro, postquam Christum negavit, sic ait: *non fuit charitas extincta, sed sopita.*

Resp. Ad primum. S. Leo solùm vult Petrum non abnegasse Christum ex odio Christi, sed ex metu mortis.

Resp. Ad secundum sensus est: in Petro remansisse aliquem amorem & affectum erga Christum, sed imperfectum & inefficacem.

Obj. 9.

Obj. 9. S. Leo, Epist. 91. ad Theodor. ait: *Divinæ bonitatis præsidio ordinatum est, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Resp. Sensus est, fideles remissionem peccatorum obtinere non posse sine absolutione Sacerdotis in re, vel in voto. Absolutio autem dicitur supplicatio, seu oratio, quia constat verbis sacris Deum efficaciter moventibus ad dandam gratiam sanctificantem, qua remittuntur peccata.

Porro illius effati (sententia Petri præcedit sententiam Pauli) sensus est, quod dum pœnitens in Sacramento absolvitur, non absolvitur à Sacerdote Deum per suam absolutionem efficaciter movente ad condonanda peccata. Vel etiam, quòd nemo baptizatus unquam remissionem peccatorum obtineat sine absolutione Sacerdotis in re vel in voto.

Obj. 10. S. Thomas, in 4. dist. 17. qu. 2. art. 5. ait: *Contritio, ut sæpe dictum est, habet duplicem dolorem: unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; & hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem contritionis, ut si minùs displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine; sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis.*

Resp. In hoc textu dolor parvus, & amor remissus intelliguntur, quantùm ad appretiationem, non quoad intensionem, ut patet ex his verbis; *ut si minùs ei displiceret peccatum, quàm debeat displicere separatio à fine.* Quare ibi S. Doctor ad rationem contritionis & charitatis exigit solùm appretiationem summam, non verò magnam, aut certam intensionem, quod etiam patet ex eo, quod sic concludit: *sic ergo dicendum, quod quantumcumque parvus sit dolor* (intensive scilicet) *dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*

Porro aliqui veteres Theologi, qui contritionem ab attritione distinguebant secundùm gradus intensionis, per contritionem intelligebant dolorem valde intensum, præscindendo à motivo. Unde per contritionem perfectam non intelligebant eam, quæ ex charitate valde intensa concipitur.

Obj. 11. Conc. Trid. multa docet, quæ adversantur nostræ sententiæ, nam I. Seff. 13. Can. 11. ait: *ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* Ergo Concilium censet hominem non justificari per quamlibet contritionem perfectam.

Resp. Nego conf. Nam Concilium id statuit, quia valde difficilis & ardua, ac proinde satis infrequens est contritio perfecta. Ex quo fit, ut multi, qui eam sibi habere videntur, revera tamen non habeant. Quare si ad Eucharistiam non præmissa confessione Sacramentali accederent, tantum Sacramentum indignè, ideoque in suam condemnationem sumerent. Igitur Concil. jure merito declarat, ab iis, qui mortalis peccati conscientiam gerunt, præmittendam esse confessionem, quia nempe periculum est, quantumcumque se contritos existiment, ne non sint contriti ex charitate perfecta, ideoque justificati extra Sacramentum. Dignitas autem Eucharistiæ exigit, ut peccator priùs Pœnitentiæ Sacramentum suscipiat, quo facilius uberiusque gratiam sanctificantem obtineat, & fiat securior de statu gratiæ requisito ad Eucharistiam suscipiendam.

II. Concil. Tridentin. Seſſ. 6. c. 7. dicit Baptiſmum eſſe cauſam inſtrumentalem juſtificationis impii ; & Seſſ. 14. c. 1. idem declarat de Sacramento Pœnitentiæ pro baptizatis mortaliter lapſis.

Reſp. Inde ſolùm ſequitur peccatorem non juſtificari ſine alterutro Sacramento, aut ejus voto, ut docet idem Concilium, Seſſ. 6. c. 4. & Seſſ. 14. c. 4. Proindeque peccatoris juſtificationem contritioni adſcribendam non eſſe ſine Sacramenti voto.

III. Seſſ. 6. c. 8. aſſerit nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, juſtificationis gratiam promereri.

Reſp. Quamvis contritio concepta ex charitate etiam intenſiſſima juſtificationis gratiam non mereatur, ſtrictè ſcilicet & de condigno, tamen illam ſemper & infallibiliter ex pura Dei miſericordia propter merita Chriſti ſtatim obtinet. Nam Deus gratis & miſericorditer intuitu meritorum Chriſti juſtificationem promiſit & confert omni peccatori ex charitate perfecta contrito.

Nota. Hæc omnia æque opponi poſſunt contra contritionem ex charitate vel intenſiſſima conceptam.

Obj. 12. Catechiſmus Romanus, tit. de Sacram. Pœnitentiæ ſic ait : *Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri : quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, ac intenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? At quoniam pauci admodùm ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut à pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit, ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret. Quod quidem admirabili conſilio effecit, cùm claves regni cœleſtis Eccleſiæ tradidit, &c.*

Reſp. Hæc verba manifeſtam exaggerationem continent, ideoque eorum ſenſus juxta mentem & ſcopum auctoris explicandus eſt, qui clementiam Chriſti in inſtituendo Pœnitentiæ Sacramento, quo faciliùs obtinetur peccatorum remiſſio, commendare intendit. Itaque auctor ſolùm vult contritionem, qua peccata delentur extra Sacramentum, debere eſſe appretiativè ſummam, & ex amore Dei ſuper omnia propter ſe conceptam, unde poſſit cum ſcelerum magnitudine aliquo modo conferri : & contritionem illam ſine magno peccatoris conatu eſſe non poſſe appretiativè ſummam ex motivo charitatis, ideoque contritionem charitate perfectam magnis peccatoribus non ineſſe, quin ſit etiam valde vehemens & intenſa. Cùm autem contritio illa charitate perfecta valde ardua ſit, pauci eam habent. Econtra attritio cum charitate inchoata facilior eſt, ſicque peccatores per Sacramentum Pœnitentiæ, ad quam illa ſufficit, faciliùs juſtificantur.

Quamvis autem contritio perfecta elici ſæpe non poſſit ſine magno conatu propter impedimenta, quæ ſuperari debent, ideoque quin valde vehemens & intenſa ſit ; nihilominus verum eſt, contritionem ex charitate etiam remiſſa, ſed appretiativè ſumma conceptam ſemper juſtificare etiam extra Sacramentum. Idque clarè docet idem Catechiſmus : nam poſtquam, num. 36. dixit : *Sit* (contritio) *non ſolùm maxima* (appretiativè) *ſed vehementiſſima atque perfecta* (accidentaliter,) num. ſequenti ſubjicit : *quamquam ſi id minùs conſequi poſſimus, ut perfecta ſit* (perfectione illa accidentali vehementiæ & intenſionis;) *vera tamen & efficax contritio eſſe poteſt.* De qua contritione jam ſic loquitur, num. 42. *Ipſa contritio nunquam Deo grata & accepta eſſe non poteſt . . . . quin etiam ſtatim, ut eam mentibus noſtris con-*

concepimus, peccatorum remiſſionem nobis à Deo tribui. Prophetæ verba illa declarant: dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei . . . . ex quo licet cognoſcere veræ contritionis, de qua ſuprà dictum eſt, eam eſſe vim, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Deo impetremus.

Nota. Hæc objectio pariter ſolvenda eſt iis, qui docent per contritionem remiſſam aliquando, nempe in caſu neceſſitatis, peccata remitti extra Sacramentum. Nam Catechiſmus abſolutè & ſine limitatione dicit, ut contritione peccata deleantur, illam adeò vehementem, acram, ac intenſam eſſe oportere, ut cum ſcelerum magnitudine æquare, conferrique poſſit.

§. IV.

Solvuntur Objectiones petitæ ex ratione.

Obj. 1. Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum baptizatorum, ſicut Baptiſmus ad remiſſionem peccatorum ante Baptiſmum commiſſorum. Ergo peccata non remittuntur per ſolam contritionem perfectam.

Reſp. Utrumque Sacramentum neceſſarium eſt in re vel in voto: unde peccata non remittuntur per ſolam contritionem ſine voto Sacramenti. Contritio autem perfecta continet votum ac propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ: nam includit eſſentialiter propoſitum formale nunquam peccandi ſaltem graviter; ideoque ſervandi omnia præcepta ſaltem graviter obligantia, inter quæ eſt præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum. Item actus charitatis perfectæ idem votum ac propoſitum ſaltem virtualiter continet: nam per ſe reddit hominem efficaciter paratum ad omnia præcepta ſervanda; ita ut ſi de peccatis cogitaret, eliceret de illis contritionem, & propoſitum ſuſcipiendi tempore debito Sacramentum vel Baptiſmi, vel Pœnitentiæ.

Porro actus charitatis perfectæ, & contritio illum continens dicuntur non juſtificare niſi cum voto Sacramenti. Quia per talem actum non confertur juſtificatio niſi intuitu Sacramenti, cujus deſiderium ac propoſitum ſaltem implicitum ac virtuale continet, & niſi cum obligatione ſpeciali ac directa illud ſuſcipiendi pro iisdem peccatis jam remiſſis.

Obj. 2. Si contritio perfecta ſemper juſtificaret extra Sacramentum, realis ſuſceptio Sacramenti non eſſet neceſſaria. Falſum conſequens. Ergo.

Reſp. Neg. ſequel. maj. Quia homo perfectè contritus non juſtificatur extra Sacramentum ſine voto Sacramenti, & ſpeciali obligatione illius poſtea ſuſcipiendi pro iisdem peccatis jam per contritionem remiſſis: cui quidem obligationi ſatisfit per ſolam realem Sacramenti ſuſceptionem.

Obj. 3. Contritio concepta ex charitate remiſſa non eſt ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem. Ergo non juſtificat.

Reſp. Neg. anteced. Intellectum de charitate remiſſa quoad ſolam intenſionem, & ſumma quoad appretiationem. Nam contritio, per quam homo deteſtatur omnia peccata mortalia ſuper omnia alia mala, paratusque eſt efficaciter omni bono carere, & quodlibet malum pati potiùs quàm Deum graviter offendere, idque propter Deum ſuper omnia dilectum propter ſe, eſt ſanè ſufficiens & proxima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ut per ſe patet.

Obj. 4. Si contritio ſola juſtificat extra Sacramentum licèt cum ejus vo-

to, forma absolutionis erit falsa super homine perfectè contrito. Falsum consequens. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia forma absolutionis indifferenter significat primam, vel secundam, vel tertiam remissionem pro subjecti capacitate. Quare cùm homo jam per contritionem perfectam justificatus, à Sacerdote absolvitur; tunc forma absolutionis non primam, sed secundam peccatorum remissionem significat.

Porro offensus potest pluries eandem offensam condonare, cedendo magis ac magis juri quod habet ad indignandum offensori propter illam, novumque condonationis titulum conferre.

Obj. 5. Actus fidei ita requiritur ad justificationem, ut nunquam votum ejus sufficiat, nec suppleri possit. Ergo votum contritionis & Sacramenti contentum in actu charitatis non potest justificare.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia ex Scriptura & Traditione Patrum constat hominem per actum charitatis perfectæ justificari. At neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligi potest votum fidei aliquando supplere vices ipsius fidei: & quia fides est prima radix justificationis, nec datur alius actus supernaturalis prior, qui ejus votum contineat, & propter ejus excellentiam possit ejus vices supplere. At actus charitatis continet saltem virtualiter votum contritionis & Sacramenti, & propter ejus præstantiam potest utriusque vices supplere quoad justificationem, cum obligatione tamen ad utrumque in re habendum.

Obj. 6. Charitas remissa non est charitas perfecta. Ergo contritio ex ea concepta non justificat.

Resp. Nego anteced. Itaque charitas remissa tantùm quoad intensionem, sed summa quoad appretiationem & adhæsionem, qua nempe Deus super omnia propter se diligitur, est charitas perfecta essentialiter & completa in esse charitatis. Nam habet totam essentiam charitatis quæ consistit in eo, quod Deus super omnia propter se diligatur. Essentialis enim perfectio virtutis pendet à perfectione motivi & modi tendendi in suum objectum. Actus autem amoris, quo Deus super omnia propter se diligitur, habet motivum summè perfectum, & modum tendendi in Deum summè excellentem; nam habet pro motivo Deum ipsum absolutè ac in se consideratum, & tendit in eum super omnia. Quare actus perfectæ charitatis remissus quoad intensionem caret tantùm aliqua perfectione accidentali; estque ejusdem speciei cum charitate valde intensa, à qua proinde differt tantùm accidentaliter: sic exiguus ignis non est minùs ignis essentialiter quàm ingens rogus.

Inst. Actus intensus est essentialiter perfectior actu remisso. Ergo charitas remissa non est perfecta essentialiter.

Resp. Nego antec. Nam actus intensio non est de ejus essentia, siquidem duo actus habentes idem objectum, motivum, & eandem appretiationem, sed quorum unus sit intensus, & alter remissus seu longè minùs intensus, sunt ejusdem speciei, ut patet in actibus fidei, spei, &c.

Porro actus charitatis appretiativè summus est actus charitatis summus quoad æstimationem & adhæsionem.

Obj. 7. Charitas inchoata & imperfecta nihil aliud est, quàm charitas remissa. Ergo charitas remissa non justificat extra Sacramentum.

Resp. Nego anteced. Nam charitas inchoata & imperfecta, vel est actus quo Deus propter se amatur, sed nondum super omnia: vel actus quo Deus amatur quidem super omnia, sed præcisè ut nostrum summum bonum, non

autem propter ſuam bonitatem abſolutam. Et verò quis dicat illum inchoatè tantùm & imperfectè eſſentialiter Deum amare, qui eum ſic diligit propter ſuam infinitam amabilitatem, ut eum rebus omnibus abſolutè anteponat in æſtimatione & adhæſione, paratusque ſit efficaciter bono quolibet carere, & malum quodlibet ſecundùm ordinem à Deo ſtatutum pati, quàm Deum offendere graviter?

Obj. 8. Dolor remiſſus quoad intenſionem non poteſt eſſe ſumus quoad appretiationem ſeu æſtimationem. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Nam ſumma appretiatio, ſeu æſtimatio poteſt eſſe ſine maxima intenſione, ſicut maxima intenſio poteſt eſſe ſine maxima appretiatione. Sic dolor naturalis de peccato propter aliquod incommodum temporale poteſt eſſe valde vehemens & intenſus, nec tamen appretiativè ſumus, ſeu ſupra omnia, nec excludit voluntatem peccandi pro quocumque caſu poſſibili; quia concipitur ex motivo, ſub quo peccatum non eſt deteſtabile ſupra omnia alia mala. Contra verò dolor, quo quis ſine magna intenſione abſolutè tamen & efficaciter dolet de peccato propter motivum ſub quo deteſtabilius eſt quolibet alio malo, eſt appretiativè ſummus & parvus intenſivè.

Idem eſt de amore. Sic communiniter matris amor erga filium parvulum ſæpe eſt intenſivè major quàm appretiativè, & è contra ejusdem erga filium grandiorem amor eſt appretiativè major quàm intenſivè: nam hunc præfert alteri, quem tamen intenſiùs amat. Ratio hujus diverſitatis eſt, quòd appretiatio oriatur ex objecti æſtimabilitate, intenſio verò ex applicatione & conatu potentiæ erga objectum: quæ applicatio & conatus poſſunt eſſe vehementiora erga objectum minùs amatum & æſtimatum.

Obj. 9. Si contritio ſummè aut valde intenſa non requireretur ad juſtificationem extra Sacramentum, non deberemus niti, ut pœnitentia noſtra eſſet valde intenſa. Conſequens repugnat exemplis Sanctorum, ut Davidis, Magdalenæ, Petri, &c. & adhortationibus Patrum. Ergo.

Reſp. Nego ſeq. maj. Itaque totis viribus niti debet Pœnitens, ut ejus contritio non ſolùm ſit appretiativè ſumma, ſed etiam valde intenſa. Quia contritio valde intenſa utilis eſt tum ad ampliorem remiſſionem pœnarum peccatis debitarum obtinendam, tum ad noſtrum in Deum amorem ſignificandum, tum ad habendam contritionem appretiativè ſummam. Imò niſi peccator magnum conatum adhibeat, periculum eſt, ne dum parum curat contritionem vehementem elicere, contritione appretiativè ſumma careat.

§. V.

Expediuntur aliquæ quæſtiones circa contritionem extra Sacramentum.

Quæres 1. *Utrùm contritio perfecta, ut juſtificet extra Sacramentum, requirat certam temporis durationem?*

Reſp. Neg. Et dico juſtificare (per modum ſcilicet diſpoſitionis ultimæ) ſtatim atque exiſtit.

Conſtat 1. Ex Scriptura. Ezech. c. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Ubi per quamcumque diem intelligitur quodvis temporis punctum.

2. Ex Patribus; pro omnibus ſint S. Chryſoſtomus, Epiſt. 1. ad Theodorum, ubi ait: *Non ad temporis rationem, ſed juxta affectum animæ ſolet dijudicari Pœnitentia.* Et S. Leo,

Epist. 91. *Nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.*

Ratio est, quia uno temporis momento potest esse perfecta contritio, cui Deus infallibiliter peccatorum remissionem addixit.

Quæres 2. *Quomodo contritio remittat peccata?*

Resp. Contritio perfecta extra Sacramentum justificat per modum dispositionis proximæ à Deo ad hunc effectum requisitæ, & qua posita Deus ex mera misericordia & propter Christi merita infundit gratiam sanctificantem peccati remissivam. At in ipso Sacramento, seu prout est conjuncta cum absolutione Sacerdotali, & est pars materialis Sacramenti, justificat per modum causæ efficientis partialis & instrumentalis; quia tunc contritio est partialis materia Sacramenti. Materia autem Sacramenti est causa efficiens instrumentalis, licèt minùs præcipua effectus Sacramenti. Hinc illud, S. August. Tract. 80. in Joann. *Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*

Quæres 3. *Utrùm contritio perfecta, seu actus charitatis ad justificationem absolutè requiratur extra Sacramentum, saltem secluso martyrio?*

Resp. Affirm. Quia nulla attritio, seu contritio imperfecta etiam cum proposito formali Sacramenti, justificat extra Sacramentum in ullo casu, ut patet ex Concil. Trident. Sess. 14. c. 4. ubi declarat contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem non posse.

Ratio à priori est voluntas Dei, qui soli conversioni perfectæ, seu ex perfecta charitate conceptæ justificationem extra Sacramentum promisit: idque valde convenienter; conveniens est enim, ut qui ex amore alicujus creaturæ avertit se à Deo, divinamque amicitiam contempsit, eandem illam amicitiam non recipiat, secluso Sacramenti privilegio, nisi se ad Deum perfectè convertat per amorem, quo eum super omnia propter se diligat, & propter Deum summè propter se dilectum peccata supra omnia alia mala detestetur, atque vitare statuat.

ARTICULUS VI.

Utrùm attritio ex metu gehennæ concepta bona & utilis sit?

§. I.

Prænotanda.

I. Attritio, seu contritio imperfecta dicitur ea, quæ non ex charitate perfecta; sed ex alio motivo inferiore supernaturali concipitur, & communiter (ut docet Concil. Trid.) ex metu gehennæ & pœnarum, vel ex turpitudine peccati. Hanc asseruit Lutherus esse malam, & reddere hominem hypocritam & magis peccatorem. Non pauci hujus ætatis novatores dolorem ex solo metu gehennæ conceptum vituperant tanquam malum, licèt se Catholicos in speciem profiteantur.

II. Multiplex distinguitur timor, videlicet mundanus, filialis, & servilis. Timor mundanus est timor pœnarum à creaturis infligendarum, inducens in peccatum ut vitentur. Timor filialis est timor peccati, eo quòd sit offensa Dei super omnia propter se dilecti. Timor servilis est timor pœnarum à Deo infligendarum. Dicitur servilis, quia proprium est servorum pœnam timere, & ex illo solo metu agere. Hic timor duplex est, nempe servilis simpliciter & serviliter servilis. Timor servilis simpliciter est timor,

quo timetur pœna propter se, sed non super alia mala, quæ sunt peccatum. Timor serviliter servilis est timor, quo quis pœnam ita timet, ut actu paratus sit peccare, si abesset pœna. Addi potest timor mixtus ex filiali & servili; & est ille, quo quis pœnam ita timet, ut tamen magis adhuc timeat offensionem Dei.

III. Agitur hìc de timore simpliciter servili, quo quis efficaciter timet pœnas propter peccata à Deo infligendas, & per fidem propositas: ita ut illarum vitandarum causa affectum omnem ad peccatum exuat. Et quæritur, utrùm attritio, qua pœnitens dolet de peccatis admissis, & statuit non peccare de cætero ad vitanda æterna supplicia quæ timet, sit bona seu honesta, & utilis dispositio (quamvis remota) ad justificationem.

§. II.

Dico, attritio ex solo metu gehennæ concepta, bona est, & utilis.

Prob. 1. Illa attritio bona & utilis est, quæ concipitur ex metu bono & utili ad salutem. Atqui talis est attritio est solo metu gehennæ concepta: ergo hæc attritio est bona & utilis. *Prob. min.* Ille metus est bonus & utilis ad salutem, ad quem Scriptura & Patres nos adhortantur. Sed Scriptura & Patres nos adhortantur ad metum gehennæ: Ergo hic metus est bonus & utilis. *Prob. min.* Christus, Lucæ c. 12. ait: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Idem docent Patres apud Bellarminum. Pro omnibus sint S. Chrysostomus, Hom. 15. ad populum Antiochenum, ubi ait: *Quid gehenna gravius, sed hujus metu nihil utilius: gehennæ namque timor nobis regni coronam affert; nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantùm continui timoris natura. Nisi bonus esse timor, non multos Christus impendisset sermones, & longos, de illa pœna & supplicio loquens.* S. Augustinus in Psal. 127. *Ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum, Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est.* Et Tract. 9. in Epist. Joann. *Opus est ergo, ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.*

Prob. 2. Ex Concil. Trid. Sess. 14. c. 4. ubi ait: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludit, cum spe veniæ, declarat, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis: quo pænitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, &c.*

Idem definit, Can. 5. unde sic argumentor. Illa attritio est bona, utilis ac supernaturalis, quæ est donum Dei & impulsus Spiritus sancti. Atqui ex Concil. Trident. talis est attritio concepta ex metu gehennæ. Ergo ex Concil. attritio concepta ex metu pœnarum & gehennæ est bona & utilis.

Prob. 3. Ex his propositionibus ab Alexandro VIII. damnatis 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 15. *Attritio quæ gehennæ & pænarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

His

His adde multas alias Quesnelli circa hanc materiam propositiones inter 101. damnatas à Clemente XI. Constitutione *Unigenitus* ab Ecclesia Catholica recepta.

Prob. 4. Ratione, quia rectæ rationi consentaneum est supplicia dirissima & æterna metuere, illaque vitare velle; hicque metus per se à peccato avertit.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, plus detestatur pœnam quàm culpam. At hoc inordinatum est. Ergo.

Resp. Disting. major. Id est, ex vi sui actus pœnam primò & propter se, culpam verò propter pœnam detestatur, *conc. maj.* id est, pluris facit & plus vult positivè vitationem pœnæ quàm vitationem culpæ, *nego major.* nam non plus detestatur ex affectu appretiativo pœnam quàm culpam: non enim unam cum alia comparat, nec alteri præfert; sed præcisè detestatur gehēnam propter se, & culpam propter gehennam, neutram alteri anteponendo sed præscindendo ab appretiatione, in quo nihil inordinatum est. Enim verò quemadmodum majus bonum appeti potest propter minus, putà, Incarnatio verbi propter salutem hominum, ita majus malum odio haberi potest propter minus.

Inst. 1. Valet illud axioma: *propter quod unum quodque tale & illud magis.* Ergo qui detestatur culpam propter pœnam, plus detestatur pœnam quàm culpam.

Resp. Nego conf. Nam ex eo effato sequitur tantùm, quod pœnitens detestans culpam propter gehennam, priùs natura & ratione detestetur gehennam quàm culpam & independenter à culpa: non vicissim. At non sequitur eum magis appretiativè detestari gehennam quàm culpam: non enim comparat unum cum alio, sed solùm unum detestatur propter aliud. Quare effatum illud falsum est saltem universaliter in sensu adversariorum. Nam quando majus malum odio habetur propter minus, non idcirco minus malum pluris fit quàm majus: sicut quando majus bonum propter minus bonum appetitur, non idcirco minus bonum pluris fit quàm majus, eique anteponitur, ut patet in Incarnatione decreta propter salutem hominum.

Inst. 2. Qui peccata ex solo gehennæ metu detestatur, magis movetur à malo gehennæ quàm à malo culpæ. Ergo pluris facit malum gehennæ quàm peccatum.

Resp. Disting. anteced. Id est, ad detestandum peccatum priùs movetur à malo gehennæ, & vi talis actus non detestaretur culpam nisi gehennæ malo moveretur, *conc. antec.* id est, cùm actu detestatur culpam, movetur majore dolore erga gehennam quàm erga culpam *nego ant.* peccator ordinariè quidem priùs movetur malo gehennæ, quàm malo culpæ, & non moveretur malo culpæ, nisi prius malo pœnæ moveretur; quia nempe sum̄a & æterna miseria magis apta & proportionata est ad commovendum animum hominis vitiis ac pravis cupiditatibus obstricti, atque proprii commodi studiosissimi, quàm peccati fœditas aut Dei amor.

Hinc plerumque Deus gehennæ metum incutere incipit ad impium convertendum, ut docet Concil. Trident. Sess. 6. c. 6. & timor ille gehennæ est dispositio ad conversionem & amorem Dei, juxta illud S. Augustini, Tract. 9. in Epist. Joann. *Si nullus* (est) *timor, non est qua intret charitas . . . timor primò occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.*

&

Observa. Qui deteſtatur peccatum propter gehennam timore illo efficaci & ſupernaturali, de quo hìc agitur, vi præcisè hujus actus nec magis peccatum deteſtatur ac refugit quàm gehennam, nec gehennam magis quàm peccatum; ſed ab effectu utrimque magis appretiativo præſcindit; & præcisè unum deteſtatur ac refugit propter aliud, culpam propter gehennam. In quo nihil inordinatum eſt: nam gehenna, utpote ſumma miſeria, eſt motivum legitimum à Chriſto propoſitum fugiendi peccatum. Quod ſi quis plus deteſtetur pœnam quàm culpam, illa deteſtatio non eſt ſupernaturalis nec ordinata, ſed de illa non agitur.

Inſt. 3. Inordinatum eſt ordinare fugam majoris mali ut culpæ ad fugam minoris mali ut pœnæ, tanquam medium ad finem. Sed deteſtari culpam propter pœnam eſt ordinare, &c. Ergo hoc eſt inordinatum.

Reſp. Diſting. maj. Inordinatum eſt, &c. Præferendo poſitivè vitationem minoris mali vitationi majoris mali, *conc. maj.* non præferendo, *nego maj.* neque enim id magis inordinatum eſt, quam ordinare majus bonum ad minus tanquam medium ad finem; puta, Incarnationem Verbi ad ſalutem hominum, ad quam re ipſa ordinata eſt à Deo. Igitur non eſt inordinatum ordinare fugam majoris mali ad vitationem minoris mali tanquam ad finem proximum, non tanquam ultimum.

Inſt. 4. Inordinatum eſt habere vitationem pœnæ pro fine ultimo. At id fit in attritione ex ſolo metu gehennæ concepta. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam non refertur vitatio culpæ ad vitationem pœnæ tanquam ad finem ultimum, ſed duntaxat tanquam ad finem proximum, nec cum excluſione motivi perfectioris, ex quo culpa vitari poſſit, ſed ſolùm à motivo perfectiore præſcinditur & illa attritio ex ſe ordinatur in Deum tanquam in finem ultimum. Nam omnes actus boni ſupernaturales ex ſe ſemper ordinantur in Deum tanquam in finem ultimum, propter ſpecialem connexionem, quam habet cum Deo motivum quodlibet ſupernaturale, quamvis expreſsè ab agente non ordinentur ad Deum. Quare omnis actus ex motivo ſupernaturali elicitus, per ſe tendit ad Deum, & implicitè ſeu ex natura ipſius actus refertur ad Deum.

Obj. 2. Timor ſervilis malus eſt. Ergo attritio ex illo concepta, mala eſt.

Reſp Diſting. anteced. Timor ſerviliter ſervilis malus eſt, *conc. ant.* nam hic timor eſt ille, quo quis pœnam ita timet, ut actu paratus ſit peccare, ſi non eſſet pœna. Timor ſervilis ſimpliciter eſt malus, *nego ant.* nam eſt is, quo quis pœnam præcisè timet propter ſe, ſed non eſt actu paratus, peccare ſi abeſſet pœna. Rationi autem conſentaneum ideoque honeſtum eſt ſummam ac æternam miſeriam timere propter ſe, cùm ſit propter ſe maximè formidabilis.

Inſt. Timor mundanus eſt malus. Ergo & timor ſervilis ſimpliciter.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia timor mundanus eſt is, quo quis plus timet offenſionem hominum, aut pœnas ab iis infligendas quàm offenſionem Dei: unde vi illius timoris homo paratus eſt Deum potiùs offendere quàm offendere homines, aut pœnas ab illis infligendas ſubire. At per timorem gehennæ ſimpliciter ſervilem non plus timetur gehenna quàm offenſa Dei, ſed ſolùm per illum timetur gehenna ſuper omnia mala, quæ non ſunt offenſa Dei; & propter gehennam odio habetur ac vitatur peccatum. Unde à peccato avertit, nedum in illud inducit.

Obj. 3. Timor ſervilis opponitur charitati: nam ab ea expellitur, juxta illud 1. Joann. c. 4. *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.* Ergo timor ſervilis malus eſt.

Reſp. Timor ſervilis anxius & fiduciæ excluſivus opponitur charitati, & ab ea expellitur: de quo timore agitur in textu allato, ut patet ex his verbis: *quoniam timor pœnam habet.* At timor ſimpliciter ſervilis ſumptus præcisè ut eſt timor gehennæ propter ſe, & offenſæ divinæ propter gehennam, nullo modo opponitur charitati, nec ab ea expellitur. Nam honeſtum eſt timere gehennam propter ſe, & offenſam divinam propter gehennam; & viri perfecti vehementer timent gehennam propter ſe, & offenſam divinam propter gehennam, ſed ſimul offenſam divinam magis appretiativè timent ac deteſtantur propter ſe.

Præterea & etiamſi charitas perfecta expelleret omnem timorem ſimpliciter ſervilem, non ſequeretur eum eſſe malum: quia eum excluderet non tanquam contrarium & malum; ſed duntaxat tanquam aliquid minùs perfectum, ſicut magis perfectum expellit minùs perfectum.

Obj. 4. Aliqui Patres reprehendunt timorem.

Reſp. Non reprehendunt niſi timorem mundanum, & ſerviliter ſervilem.

Obj. 5. Attritio ex ſolo metu gehennæ excludit alia motiva perfectiora, ergo inordinatus eſt. *Nego antec.* ſed ſolùm ab iis præſcindit. *Prob. antec.* per attritionem ex ſolo gehennæ metu conceptam, homo deteſtatur peccatum propter gehennam tantùm. Ergo talis attritio excludit alia motiva perfectiora.

Reſp. Diſting. antec. Deteſtatur peccatum tantùm propter gehennam præciſivè, ſeu præſcindendo ab aliis motivis perfectioribus, *conc. ant.* excluſivè, ſeu excludendo, aut poſtponendo alia motiva perfectiora, motivo gehennæ; *neg. ant. & conſeq.* Porro cùm agitur de attritione ex ſolo metu gehennæ concepta, tò *ſolo* ſumitur præciſivè, non excluſivè.

Obj. 6. Qui odit peccatum præciſè propter gehennam, non amat juſtitiam, ſeu virtutem peccato oppoſitam. Ergo is non verè odit, ſed ſemper amat peccatum. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. ant. Non amat juſtitiam propter ſe, ſeu propter ſuam pulchritudinem, *conc. ant.* non amat juſtitiam propter aliud, & tanquam medium vitandæ gehennæ, *nego ant. & conſeq.* non tenemur autem quolibet actu amare virtutem propter ſe, ſeu propter propriam honeſtatem; ſed poſſumus aliquo actu illam amare & velle propter aliud motivum ipſi extrinſecum, rationi tamen conſentaneum ac honeſtum. Neque enim ſemper & quolibet actu tenemur agere modo perfectiſſimo: alioqui non liceret agere propter mercedem æternam à Deo obtinendam.

Inſt. 1. Attritio ex ſolo metu gehennæ nullo modo continet amorem juſtitiæ. Ergo.

Reſp. Nego ant. Nam talis attritio eſt dolor de peccatis admiſſis cum propoſito non peccandi de cætero, ideoque ſervandi omnia præcepta & exercendi ſuo tempore omnem virtutem præceptam, ad vitandam gehennam. Unde præter dolorem de peccatis complectitur adhuc voluntatem ſervandi omnia præcepta, & exercendi omnem virtutem præceptam: quæ voluntas eſt verè amor juſtitiæ & omnis virtutis, non tamen propter ipſius pulchritudinem

tudinem præcisivè, sed ad vitandam gehennam.

Porro non est inordinatio, cùm non amatur propter se, sed propter aliud, id quod est magis amabile propter se, quando illud quod est amabile propter se, est adhuc sub aliquo respectu amabile propter aliud, modò non excludatur amor propter motivum perfectius sed solùm ab eo præscindatur.

Inst. 2. Homo non potest odisse peccatum, quin amet ejus contrarium nempe virtutem propter ipsius pulchritudinem: nam omne odium fundatur in aliquo amore. Ergo.

Resp. Dist. ant. Homo non potest odisse peccatum propter se, seu propter propriam fœditatem, quin amet &c. *Esto antecedens, quod non pauci negant.* Non potest odisse peccatum propter aliud ipsi extrinsecum, nempe pœnam ei debitam, quin amet &c. *nego ant. & conseq.* Esto odium omne fundetur in aliquo amore boni contrarii propter se, quando malum odio habetur propter se. At si malum odio habeatur præcisè propter aliud, sufficit ut diligatur bonum oppositum malo, propter quod odio habetur malum. Sic qui potionem suavem odit non propter se, sed propter aliud, putà sanitatem cui illa nocet, satis est si priùs diligat sanitatem, nec requiritur ut priùs amaram potionem diligat: & sic odium potionis suavis non fundatur in amore potionis amaræ, sed sanitatis. Similiter qui peccatum odit non propter se, seu propter propriam turpitudinem, sed propter gehennam, sufficit quòd amet beatitudinem & immunitatem à summa miseria, ita ut odium peccati propter gehennam fundetur in amore propriæ beatitudinis.

Hinc metus gehennæ ad habitum spei pertinet.

Obj. 7. Dolor ex metu gehennæ non est voluntarius, sed coactus. Ergo.

Resp. Nego anteced. Quod à Conc. Trident. damnatur, *Sess. 14. c. 4. & can. 5.* Nam dolor ille ex propria electione elicitur, ideoque liber est & voluntarius simpliciter.

Inst. Quod fit ex metu, partim involuntarium est. Ergo dolor ex metu gehennæ elicitus, est saltem partim involuntarius.

Resp. Disting. anteced. Si metus ille actionem externam præcisè coerceat, *conc. ant.* sic fur cùm ex solo mortis metu à furto externo se abstinet, ab illo se abstinet partim voluntariè & partim involuntariè. Si metus ille affectum etiam internum coerceat, ut gehennæ timor efficax, *nego ant. & conseq.* qui efficaciter gehennam timet, is nullum servat affectum ad peccatum; quia depositio omnis affectus ad peccatum necessaria est ad gehennam vitandam. Aliud est de metu supplicii humani, ad quod vitandum sufficit omissio actus externi prohibiti.

Obj. 8. Attritio ex solo metu gehennæ fundatur in amore proprio. At amor proprius est malus. Ergo attritio ex solo metu gehennæ est mala.

Resp. Dist. maj. Fundatur in amore proprio ordinato, *conc. maj.* inordinato, *nego maj.* amor proprius, seu amor sui alius est ordinatus & bonus, is nempe, quo quis seipsum ordinatè amat; qualis est ille, quo quis sibi vult bene esse per vitationem gehennæ. Alius verò inordinatus & malus, quo quis se ipsum inordinatè amat, qualis est ille, quo quis sibi vult bonum aliquod à Deo prohibitum, ideóque merè apparens bonum, & verum malum.

Obj. 9. Timor gehennæ potest esse conjunctus cum affectu ad peccatum. Ergo contritio ex eo concepta, mala est.

Resp. Nego conseq. Itaque timor gehennæ quandoque conjunctus est

cum aliquo affectu ad peccatum, nempe quando non timetur gehenna quantùm formidabilis est, non tamen ideo malus est, quia non est causa pravi illius affectus: nam ad illum non inducit, sed potiùs ab eo avertit. Sic actus fidei potest esse cum affectu ad peccatum, & tamen non ideo malus est, nec actus per se bonus ex illo factus erit malus. Quare tunc pravus affectus soli subjecto non satis efficaciter gehennam timenti imputandus est. Itaque attritio, quæ ex metu non satis efficaci nec appretiativè maximo concipitur, quamvis non excludat affectum omnem ad peccatum, non ideo mala est, imò est bona licèt insufficiens, nam peccandi voluntatem excludit pro aliquibus casibus. De hac tamen attritione hìc non agimus, sed de attritione concepta ex metu gehennæ appretiativè maximo: quæ quidem voluntatem peccandi excludit pro omni casu possibili secundùm rei veritatem, quia ejus motivum assumitur secundùm totam suam amplitudinem.

Obj. 10. S. Augustinus, L. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, c. 9. ait: *Quando autem timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere.* Ergo ex S. Doctore attritio concepta ex solo metu pœnarum reddit hominem hypocritam, ac proinde mala est.

Resp. Nego conseq. Quia loquitur de timore serviliter servili, ut patet ex his verbis immediatè subjectis: *Quando mallet homo non facere, si posset impunè.*

Dices. Ex S. Augustino, Lib. contra Adimantum timor ad veterem legem, amor ad novam pertinet.

Resp. In utraque lege timor & amor locum habent: nam in veteri lege fuerunt viri Sancti, ideoque perfecto Dei amore præditi: Sed inter utramque legem hoc discriminis intercedit, quòd in veteri lege prævaluit timor, in nova prævalet amor; & hoc solùm intendit S. Augustinus, idque expressè docet, L. 1. de moribus Ecclesiæ, c. 28. his verbis: *quamquam utrumque in utroque sit, prævalet tamen in veteri timor, amor in novo.*

Præterea timor ad veterem legem, amor ad novam pertinet etiam in hoc sensu, quod non dabatur in veteri lege charitas ex vi ipsius legis, sed solùm ex meritis Christi venturi, charitas verò habitualis & gratiæ actuales ad actus charitatis eliciendos conferuntur copiosè in lege nova ex opere operato vi ipsius legis novæ per Sacramenta ipsi propria propter merita Christi ejus auctoris jam exhibita & per ejus sacrificium ac Sacramenta nobis applicata.

ARTICULUS VII.

Utrùm attritio ex metu gehennæ concepta sufficiat sine ullo Dei amore ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam?

§. I.

Nota. Amor Dei super omnia duplex est, charitatis scilicet, & spei seu concupiscentiæ. Amor charitatis est is, quo Deus super omnia diligitur propter se, seu quia est in se summè bonus & perfectus. Amor spei seu concupiscentiæ est is, quo Deus super omnia diligitur, quatenus est nostrum summum bonum. Unde illi amores differunt penes motiva, ideóque essentialiter: nam actus sumit suam essentiam à motivo.

Amor charitatis dicitur perfectus, quia præter summam appretiationem habet motivum omnium perfectissimum, nempe Deum ut est in se, seu infinitam Dei amabilitatem absolutè sumptam. Amor verò spei dicitur imperfectus ratione scilicet motivi, quia non eli-

elicitur ex motivo omnium perfectissimo, quod est amabilitas, seu bonitas Dei absolutè sumpta, sed ex motivo spei seu concupiscentiæ, quod est bonitas Dei relativa, seu Deus ut nobis bonus, & summum nostrum bonum. *Quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiæ. Magis autem amamus Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiscentiæ: quia majus est in se bonum Dei, quàm bonum quod participare possumus fruendo ipso*, ait S. Thomas, 2. 2. quæst. 26. art. 3. ad 3.

Cæterùm quod hìc dicetur de attritione concepta ex metu gehennæ, intelligi debet de attritione ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex quolibet alio motivo ab amore Dei distincto concepta.

Dico. Ad remissionem peccatorum mortalium in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam non sufficit quælibet attritio, sed requiritur attritio appretiativè summa, quæ præter metum gehennæ includat aliquem Dei amorem.

Prob. 1. Ex Scriptura & Patribus. Ad justificationem omnem requiritur vera conversio ad Deum. Atqui vera conversio ad Deum non est solùm aversio à creatura, in qua constituebatur summum bonum, sed etiam aliquis affectus in Deum seu amor. Ergo aliquis Dei amor requiritur ad omnem justificationem, ideoque etiam in Sacramento. *Major constat* ex Joelis, c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Quæ verba intelligi debent pro subjecta materia, ita ut sonent conversionem ad Deum per aliquem Dei amorem, vel perfectum secluso Sacramenti privilegio, vel saltem imperfectum posito aliquo alio supplente defectum amoris perfecti.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 6. ubi agens de dispositionibus adultorum ad justificationem in Baptismo consequendam requisitis, ait: *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Certè si ad justificationem per Baptismum obtinendam requiritur aliquis amor, quantò magis ad justificationem per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo difficilius quàm in Baptismo remittitur peccatum, & quod à Conc. vocatur laboriosus Baptismus.

Idem Concil. Sess. 14. c. 1. loquens de pœnitentia quovis tempore ad justificationem necessaria, hæc ait: *ut perversitate abjecta & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.* Sanè pius ille animi dolor de tanta Dei offensione aliquem erga Deum affectum & amorem significat.

Prob. 3. Auctoritate Cleri Gallicani in comitiis anni 1700. ita docentis: *& quidem de dilectione Dei, sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo imprimis ex S. Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus: primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Neque verò satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam*

lam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illum exequendum, divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet. Idem Clerus Gallicanus.

Prob. 4. Ratione multiplici.

Prima. Attritio, quæ sit dispositio ad reconciliationem sufficiens, debet esse medium proportionatum huic obtinendæ in Sacramento, à quo non tollat vim reconciliandi. Atqui sola attritio ex aliquo Dei amore imperfecto est tale medium: nam amor ille imperfectus reddit attritionem proportionatam recipiendæ Dei amicitiæ in Sacramento, à quo non tollit vim reconciliandi, cùm non justificet extra Sacramentum. Ergo sola attritio ex aliquo Dei amore concepta, est dispositio ad justificationem in Sacramento sufficiens.

Secunda. Homo per peccatum mortale avertitur à Deo & convertitur ad creaturam, ponendo in ea suam beatitudinem & suum finem ultimum. Ergo ut remissionem peccati obtineat, & se ad Deum verè convertat, debet non solùm averti à creatura, sed etiam converti ad Deum, ipsum saltem amando ut suum summum bonum, & in eo suam beatitudinem statuendo.

Tertia ratio, quæ ad praxim spectat. Ubi agitur de Sacramentorum valore non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore probabili. Nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Atqui sententia asserens necessitatem alicujus amoris non justificativi ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, est tutior, & saltem verè probabilis: altera verò negans non est certa; nam Alexander VII. vetuit utramque opinionem censura notari, & à multis impugnatur argumentis gravibus. Ergo non licet sequi opinionem negantem necessitatem alicujus amoris, &c.

Confirm. adhuc auctoritate Cleri Gallicani, qui in iisdem comitiis anni 1700. hanc propositionem: *Attritio ex gehennæ metu sufficit sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu: quia talis honesta & supernaturalis est:* damnavit his verbis: *hæc propositio, qua à dispositionibus necessariis ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Hæc verba Conc. Trid. Sess. 6. c. 6. (*illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*) non significant amorem Dei, tanquam omnis justitiæ fontis, esse dispositionem necessariam ad Baptismum, sed solùm esse ordinariam dispositionem ad illum. Ergo ex illis verbis non probatur necessitas alicujus amoris. *Nego ant. prob.* Non omnes dispositiones hoc capite relatæ, necessariæ sunt, puta metus gehennæ: Ergo nec amor ibi refertur ut necessarius.

Resp. Nego conf. Nam quamvis Concilium non intendat omnes dispositiones in illo capite expositas, esse necessarias; tamen intendit aliquas esse necessarias, ut fidem, spem, pœnitentiam formalem. Jam verò ex ipso contextu satis liquet saltem amorem Dei tanquam omnis justitiæ fontis, esse dispositionem necessariam; nam postquam Concilium dixit: *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Statim subjicit: *ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem,*

hoc

hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.

Quod confirmatur ex Histor. Conc. Trid. à Palavicino scripta, L. 8. cap. 13. ubi sic legitur: *Quod attinet ad id, quod dicitur de dilectione Dei* (illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt) *advertendum est, per tenorem decreti priùs delineati nullam fieri dilectionis mentionem, sed Claudium Jajum Societatis Jesu & alios admonuisse, ut aliquis charitatis actus insereretur; cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuerit, viginti tres disertè illud comprobasse, ideoque insertum decreto, & per hæc verba retentum: cùm nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.*

Obj. 2. Conc. Trid. Sess. 14. c. 4. definit attritionem ex metu gehennæ voluntatem peccandi excludentem, sed sine ullo amore sufficere ad justificationem in Sacramento. Ergo nullus requiritur amor Dei, &c.

Resp. Nego antec. Nam (ut testatur Palavicinus, L. 12. Hist. Conc. Trid. c. 10.) in decreto, ut primùm ante Patrum judicium delineatum erat, hæc verba, quæ de attritione, c. 4. descripta legebantur: *verùm etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem:* Patrum judicio expuncta fuerunt, & eorum loco ista substituta: *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit.*

Concilium autem circa attritionem ex metu gehennæ conceptam id solùm definivit contra Lutheri errores. 1. Attritionem illam, si voluntatem peccandi excludat, & conjuncta sit cum spe veniæ, non esse malam, nec facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. 2. Donum Dei esse, & impulsum Spiritus sancti, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis. 3. Ad gratiam sanctificantem in Sacramento impetrandam disponere.

Inst. Conc. Trid. docet attritionem illam ad justificationem in Sacramento consequendam disponere, & quidem proximè. Ergo docet eam sufficere.

Resp. Fateor quidem attritionem illam ad justificationem in Sacramento obtinendam disponere etiam proximè, ideóque sufficere, si (ut ait Conc. Trid.) voluntatem peccandi excludat, & sit conjuncta cum spe veniæ. Sed tunc in illa attritione continetur aliquis Dei amor. Nam 1. illa attritio excludit affectum peccandi, ideoque amorem omnis boni creati, in quo pœnitens ultimò conquiescat, & suam beatitudinem ac finem ultimum ponat. Homo autem non potest esse sine amore alicujus boni in quo conquiescat, & beatitudinem suam ponat: nam homo non potest esse sine amore beatitudinis suæ. Ergo si jam non habet amorem alicujus boni creati, in quo ultimò conquiescat, & suam beatitudinem ac finem ultimum ponat; necesse est, ut amet bonum increatum, in eo ultimò conquiescat, & beatitudinem suam ac finem suum ultimum ponat: quod est amare Deum super omnia amore concupiscentiæ seu spei. 2. In illa attritione includitur spes veniæ & remissionis peccatorum, ideoque spes salutis. Spes autem salutis vera & à Deo præcepta continet necessariò desiderium salutis efficax, quando non potest esse sine amore spei seu concupiscentiæ; nam desiderium salutis continet amorem beatitudinis cœlestis consistentis in possessione summi boni, ideoque continet amorem Dei ut summi nostri boni.

Dices. In decreto priùs delineato, de hac attritione expuncta fuere hæc verba:

verba: *verum etiam efficere ad Sacramenti hujus constitutionem.* Ergo debet concedi, quod illa attritio sufficiat in Sacramento.

Resp. Neg. conf. Nam ideo hæc verba expuncta fuere, quia Tudetanus Antistes monuit circa sufficientiam attritionis ex metu gehennæ præcisè conceptæ, variare Theologorum Catholicorum sententias; quia nempe non omnes putant amorem Dei in illo metu contineri aut supponi. Multi tamen putant in metu, de quo Conc. Trid. loquitur, contineri amorem spei, quia loquitur de metu gehennæ & pœnarum, ideoque de metu non solum supplicii ignis, sed etiam amissionis Dei. Metus autem amittendi Deum ut objectum beatitudinis, necessario includit amorem Dei ut nostri summi boni: nam amamus bonum, cujus privationem metuimus.

Obj. 3. Ad justificationem in Sacramento sufficit attritio excludens voluntatem peccandi. Sed attritio ex solo gehennæ metu concepta excludit voluntatem peccandi.

Resp. Nego maj. præcisè sumptam. Nam non sufficit exclusio voluntatis peccandi, nisi quatenus illa exclusio non potest esse sine amore Dei ut summi nostri boni, & nisi conjuncta sit cum spe veniæ ac salutis, quæ simul est desiderium efficax salutis includens amorem beatitudinis cœlestis, ideoque amorem Dei ut summi nostri boni, ut modò dictum est.

Obj. 4. Attritio illa continet propositum servandi omnia præcepta, ideoque diligendi Deum cùm præceptum urgebit. At hoc sufficit. Ergo illa attritio sufficit, &c.

Resp. Nego min. Nam requiritur verus amor actualis, & vera conversio ad Deum. Propositum autem amandi Deum præcisè sumptum, non est amor nec conversio actualis ad Deum, sed propositum amoris & conversionis ad Deum.

Obj. 5. Si ad justificationem in Sacramento requiritur aliquis Dei amor, jam nullum erit privilegium Sacramenti, nec illud erit de se reconciliativum. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego maj. Quia amor Dei, qui in hoc Sacramento requiritur, non justificat per se & extra Sacramentum. Solus enim actus charitatis perfectæ, quo Deus super omnia propter se diligitur, justificat extra Sacramentum.

Obj. 6. Dici non potest quis sit ille amor imperfectus, non per se justificativus, qui requiritur & sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo.

Resp. Nego anteced. Et meam de hac re sententiam, quam sicut omnem aliam sedis Apostolicæ & Ecclesiæ judicio omnino subjicio, expono. Dico itaque amorem illum esse amorem spei seu concupiscentiæ, quo Deus super omnia, sed præcisè ut nostrum summum bonum & nostra beatitudo amatur. Qui amor concupiscentiæ pertinet ad habitum spei, ut docet *S. Thomas*, *2. 2. quæst. 17. art. 8.*

Porro cùm amamus Deum ut nostrum summum bonum, non amamus Deum propter nos, sed nobis, & eum amamus præcisè, quia est summum nostrum bonum, præscindendo à motivo perfectiore, nempe bonitate Dei absoluta, non illum excludendo.

Inst. 1. Nulla ratione probari potest necessitas talis amoris. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam 1. ad justificationem in Sacramento requiritur aliquis amor Dei super omnia, qui nunquam justificet extra Sacramentum: nam requiritur conversio ad Deum ex toto corde totalitate scilicet appretiationis, quæ Dei amorem super omnia necessariò includit. Talis est autem

amor

amor concupiſcentiæ. 2. Quia cùm homo per peccatum mortale conſtituerit finem ſuum ultimum, ſeu ſuam beatitudinem in creatura cum magna Dei injuria, videtur ex natura rei ad tantæ injuriæ compenſationem & veniam requiri, ut talem voluntatem, ſeu affectum retractet per affectum, quo ſaltem finem ſuum ultimum ſeu ſuam beatitudinem in Deo conſtituat, & ei reſtituat in corde ſuo rationem finis ultimi, & ſic Deum ut ſuum ſummum bonum ſuper omnia amet. 3. Homo non poteſt eſſe ita diſpoſitus, ut nullum bonum appetat & amet, in quo ultimo conquieſcat, & ſuam beatitudinem ponat: nam neceſſario expetimus beatitudiem noſtram, in quocumque bono conſiſtat. Ergo ſi jam non amat nec expetit ullum bonum creatum, in quo ultimo conquieſcat, & ſuam beatitudinem ponat, ut exigit vera converſio; certè neceſſe eſt, ut expetat & amet bonum increatum ut ſuam beatitudinem & finem ultimum.

Inſt. 2. Amor ille ſpei non differt ab amore charitatis. Ergo per ſe juſtificat extra Sacramentum, ergo non requiritur, &c.

Reſp. Nego anteced. Nam illi duo amores habent diverſa motiva: ac proinde differunt ſpecificè & eſſentialiter. Nam diſtinctio ſpecifica actuum vel habituum repetitur ex motivis ſpecie diverſis, cùm actus & habitus ſuam ſpeciem ſumant à motivo. Quare hos amores rectè diſtinguit S. Thom. 2. 2. q. 17. a. 8. ubi ait: *Amor quidam eſt perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor eſt, quo aliquis ſecundùm ſe amatur, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundùm ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo ſecundum ſe ipſum. Sed ſpes pertinet ad ſecundum amorem, quia ille ſperans aliquid, ſibi obtinere intendit.*

Inſt. 3. Amor concupiſcentiæ juſtificat ſicut amor charitatis; Ergo non requiritur, &c.

Reſp. Nego antec. Nam Scriptura & Patres vim juſtificandi per modum ultimæ diſpoſitionis tribuunt ſolum charitati & amori Dei ſimpliciter: qui amor eſt amor amicitiæ, non ſpei. Cùm amor ſpei ſit eſſentialiter minùs perfectus, utpote habens motivum minùs perfectum, non debet habere eandem vim, quam habet amor charitatis ex ſui motivi excellentia, quod eſt Deus ſecundùm ſe & abſolutè ſumptus.

Inſt. 4. Concil. Tridentin. requirit amorem, quo Deus diligitur tanquam omnis juſtitiæ fons.

Reſp. Hic amor eſt amor ſpei & concupiſcentiæ, nam eſt amor Dei ut largitoris gratiæ ſanctificantis ad beatitudinem perducentis, & conſequenter ut largitoris gratiæ & gloriæ, & ut eſt fons ac terminus, ſeu objectum beatitudinis.

Inſt. 5. Amor concupiſcentiæ eſt amor mercenarius. Sed amor mercenarius eſt malus & à Patribus vituperatur. Ergo amor ille eſt malus, nec proinde requiritur &c.

Reſp. Amor ſpei licèt à Theologis appelletur mercenarius, tamen non eſt mercenarius in ſenſu Patrum, & à S. Auguſtino vocatur gratuitus & caſtus, quia per illum Deus caſtè concupiſcitur & diligitur nempe tanquam finis noſter ultimus, ſeu noſtrum ſummum bonum, non autem propter bona temporalia. Amor autem mercenarius in ſenſu Patrum, in quo ab illis vituperatur, eſt amor Dei propter bona temporalia.

Obſerva. Amor ſpei neceſſitate quadam naturali conjunctus eſt cum ali-

cum aliquo charitatis, seu benevolentiæ affectu erga Deum propter se, licèt non appretiativè summo ex motivo charitatis. Nam Deus super omnia amari non potest ut summum nostrum bonum, quin etiam aliquatenus ametur propter se, quamvis non super omnia ex hoc motivo, sed solùm ex motivo concupiscentiæ.

ARTICULUS VIII.

Utrùm ad justificationem in Sacramento Pænitentiæ sufficiat attritio concepta ex metu gehennæ & amore imperfecto?

Nota. ALiqui veteres Theologi ante Concil. Trident. existimarunt, contritionem charitate perfectam, quæ semper justificaret, requiri in Sacramento Pœnitentiæ, eo quod sentirent absolutionem Sacerdotis esse merè declaratoriam remissionis peccatorum. Qui error à Conc. damnatus est, & post illud ab Abbate San Cyrano Duverger appellato renovatus.

Aliqui Recentiores duplicem distinguunt contritionem ex amore Dei super omnia propter se conceptam, unam intensam, quæ est ex amore Dei super omnia propter se intensè dilecti: & alteram remissam, quæ ex amore Dei super omnia propter se, sed remisè dilecti concipitur. Intensam contritionem dicunt semper extra Sacramentum justificare: remissam verò volunt non justificare extra Sacramentum nisi in certis casibus. Unde hanc, non illam, in Sacramento Pœnitentiæ ut necessariam exigunt.

§. I.

Dico. In Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum mortalium non requiritur contritio elicita ex amore Dei super omnia propter se, sive intenso, sive remisso; sed sufficit attritio ex metu gehennæ efficaci & ex amore concupiscentiæ erga Deum concepta.

Prob. 1. Ex his Christi verbis, quibus, hoc Sacramentum instituit, Joann. c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Juxta quæ sensu proprio intellecta, ut Concil. Trident. declarat esse intelligenda, Sacerdotes veram habent potestatem remittendi peccata. At si Sacramentum hoc requirit contritionem ex charitate vera ac propriè dicta conceptam, ideoque semper justificantem, Sacerdotes nunquam potuerint peccata remittere: nam semper necessariò ante illorum absolutionem jam remissa esse debebunt: ac proinde Sacerdotis absolutio nunquam peccata remittere poterit. Item alioqui Sacramentum Pœnitentiæ jam non erit Sacramentum mortuorum, sed vivorum: quod repugnat sensui Ecclesiæ.

Prob. 2. Si ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ non sufficit attritio supra explicata, sed requiritur contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se licèt in gradu intensionis remisso, Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum nunquam fideles lapsos reconciliat, imò nec reconciliare potest, sed reconciliatos semper exigit. Absurdum consequens. Ergo. *Major constat,* siquidem omnis amor Dei super omnia propter se licèt in gradu remisso, & contritio ex illo concepta, statim semper justificat etiam extra Sacramentum ut supra art. 5. ostensum est, *& adhuc sic probatur.* Ex Concil. Trident. Sess. 14. cap. 4. contritio charitate perfecta semper reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur. Atqui omnis contritio concepta ex amore Dei super omnia propter se dilecti etiam in gradu remisso, est contritio charitate perfecta.

cta. Ergo omnis contritio ex amore Dei ſuper omnia propter ſe concepta, ſtatim ſemper juſtificat etiam extra Sacramentum. *Prob. min.* Nam eſt contritio concepta ex charitate vera & perfecta eſſentialiter. Omnis enim amor Dei, ſuper omnia propter ſe habet totam eſſentiam charitatis, poſitam in appretiatione ſumma & motivo amoris omnium perfectiſſimo: & intenſio eſt quid accidentale omni actui; nam duo actus habentes idem objectum materiale & idem motivum, quorum tamen unus ſit remiſſus & alter intenſus, ſunt ejuſdem ſpeciei, ideoque ejuſdem eſſentiæ. Sic duo actus fidei, vel actus ſpei diverſæ intentionis, ſunt tamen ejuſdem eſſentiæ & ſpeciei.

Minor primi ſillogiſmi patet; nam ex Concil. Tridentin. Seſſ. 14. Can. 1. Sacramentum Pœnitentiæ eſt *Sacramentum pro fidelibus quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis à Chriſto inſtitutum.* At evidenter abſurdum eſt Sacramentum in re à Chriſto ad fideles Deo reconciliandos inſtitutum, nunquam reconciliare, imò nec reconciliare poſſe; ſed ſemper ſupponere & exigere jam reconciliatos, exigendo aliquid quod ante ejus formam & priusquam perficiatur, ſemper juſtificet.

Prob. 3. Si in Sacramento Pœnitentiæ requiritur contritio concepta ex amore Dei ſuper omnia propter ſe ſaltem in gradu remiſſo, nunquam moribundi damnari poterunt ob defectum abſolutionis. Falſum conſeq. Ergo. *Sequela majoris patet;* nam ſi moribundus talem contritionem habet, ſalvabitur ſine abſolutione, ut fatentur adverſarii, qui docent illam in caſu neceſſitatis juſtificare extra Sacramentum; ſi illam non habet, damnabitur etiam cum abſolutione Sacerdotis.

Minor conſtat 1. ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ in articulo mortis omnium peccatorum reſervationem tollit, *ne*, ut ait Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 7. *hac occaſione aliquis pereat.* 2. Ex praxi fidelium, qui ſibi & ſuis maxima ſollicitudine, Sacerdotis abſolutionem in mortis periculo exquirunt. 3. Ex Can. *Si Presbyter* 26. qu. 6. *ſi Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* 4. Ex Cœleſtino, 1. Epiſt. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, c. 2. ubi ait: *Agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubvenire . . . quid hoc rogo, aliud eſt quàm morienti mortem addere, ejusque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? . . . Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore ſperatam Pœnitentiam denegarit.* 5. Ex S. Auguſtino, Epiſt. 180. ad Honorat. *Si Miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?*

Certè Cœleſtinus, Auguſtinus, & Concil. Trident. evidenter ſupponunt contingere poſſe, ut pœnitentes habeant contritionem, quæ ad juſtificationem nunquam ſufficiat niſi in Sacramento. Nam manifeſtè ſupponunt fieri poſſe, ut morientes pereant ob ſolam carentiam abſolutionis, quacum potuiſſent ſalvari elicita aliqua contritione: nam ſecluſa omni contritione abſolutio Sacerdotis nihil efficit. Talis autem contritio non eſt contritio concepta ex amore Dei ſuper omnia propter ſe etiam in gradu remiſſo, qui ſemper juſtificat, & juxta adverſarios ſemper juſtificat in caſu neceſſitatis, ut cùm deeſt copia confeſſarii; ſed contritio quæ cum abſolutione juſtificat, & ſine illa non juſtificat, eſt ea quæ à nobis requiritur.

Porrò falſum eſt, quod aſſerit Recentior quidam, nempe pleroſque aucto-

res dubitare, utrùm contritio concepta propter Deum super omnia propter se dilectum, sed in gradu remisso justificet in articulo mortis extra Sacramentum. Nam nullus alicujus nominis Auctor catholicus proferri potest, qui se de hoc dubitare asserat.

Prob. 4. Ex Concil. Trident. nam 1. Sess. c. 3. docet contritionem generatim sumptam, esse partem materialem Sacramenti; & c. 4. illam dividit in contritionem charitate perfectam, & in imperfectam quæ attritio dicitur. Ergo utraque illa contritio potest esse materialis pars Sacramenti: quod enim convenit generi, convenit etiam speciebus. Ergo attritio cum exclusione voluntatis peccandi & cum spe veniæ, ideoque amore spei in ratione contritionis, sufficit ad Sacramentum. 2. Concil. Trident. c. 4. dicit contritionem aliquando esse charitate perfectam, & tunc reconciliare ante Sacramentum. Ergo contritio, quæ in Sacramento reconciliat, non est charitate perfecta. Ergo contritio ex amore imperfecto reconciliat in Sacramento. Contritio autem ex amore Dei super omnia proper se dilecti, quamvis non valde intensè, est contritio charitate perfecta: nam hic amor est vera charitas, cùm habeat totam essentiam charitatis perfectæ, nempe summam appretiationem, seu adhæsionem & motivum omnium possibilium perfectissimum, quod est Deus secundùm se absolutè sumptus. 3. Ex Conc. Trident. Sess. 7. in procemio per Sacramenta Ecclesiæ: *Omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta auget, vel amissa reparatur.* Et Can. 6. & 8. Sacramenta continent gratiam, quam significant, illamque ex opere operato conferunt. At hæc omnia falsa essent, si ad Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ requiritur contritio ex amore Dei super omnia propter se, qui semper justificat extra Sacramentum, ut ostensum est.

Dices. Concil. Trident. non definivit sufficientiam attritionis ex amore imperfecto conceptæ.

Resp. Id quidem non definivit expressè seu explicitè; sed implicitè & virtualiter docet: nam expresè definit ea, ex quibus certò infertur sufficientia talis attritionis, ut patet ex locis Concilii adductis contra necessitatem contritionis perfectæ in Sacramento: quæ quidem ita clara sunt, ut Cardinalis de Laurea, Tract. de Pœnitent. Disp. 8. asserere non dubitarit esse de fide ad justificationem in Sacramento consequendam sufficere attritionem, quæ scilicet opponitur contritioni perfectæ semper ante Sacramentum justificativæ, seu non requiri contritionem perfectam.

Dices. Ex Palavicino, in sua Conc. Trident. Historia, Patribus Tridentinis id fuit in proposito, ut ea tantùm definirent, quæ erroribus hæreticorum adversarentur: illa verò, quæ inter Catholicos Doctores controversa esse sciebant, intacta relinquerent. Aliqui autem Catholici necessitatem contritionis perfectæ etiam in Sacramento propugnarunt, qualis fuit Tudetanus Episcopus, eodem Palavicino teste. Præterea verbum *sufficere*, quod de attritione in decreto priùs appositum fuerat, Patrum judicio deletum fuit, & ipsius loco substitutum est verbum *disponere*. Ergo sufficientia contritionis, quæ non sit charitate perfecta, non fuit definita à Concilio.

Resp. Disting. conseq. Non fuit definita expresè, *conc. cons.* implicitè, *nego cons.* Concil. Trident. ita primariò fuit propositum hæreticorum errores damnare, ut simul intenderit doctrinam Catholicam circa materias, in quibus versabantur illi errores, exponere atque illustrare; ut patet ex multis capitibus, quæ præmisit Canonibus, in quibus

quibus directè & expressè hæreticorum errores damnantur; & in expositione doctrinæ catholicæ multa docet præter illa, quæ hæreticorum erroribus directè adversantur, ut penitus errores & errorum occasiones in posterum tollerentur, veritasque Catholica clariùs innotesceret. Præterea sensus Concilii ex ipsius textibus expendendus est.

Quod spectat ad deletionem verbi *sufficere*.

Resp. Ideo hoc verbum deletum fuit, ne daretur occasio existimandi nullum amorem Dei imperfectum requiri.

Cæterum quamvis sententia nostra de sufficientia attritionis ex amore spei videatur certa; tamen in praxi pœnitens ex attritione adducendus est ad eliciendum contritionem charitate perfectam; tùm quia per hunc actum supplebit defectus, qui possent esse ex parte ministri, & etiam defectum Baptismi ex parte sui, si fortè non esset validè baptizatus: tùm quia per illum actum justificatus ad novam & majorem gratiam in Sacramento obtinendam disponitur: tùm quia sæpissimè in decursu vitæ tenemur actum charitatis perfectæ elicere.

§. II.

Solvuntur Objectiones petitæ ex auctoritate.

Obj. 1. Aliquos textus Scripturæ, 1. Corinth. cap. ult. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema.* 1. Joann. cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et 1. Cor. c. 13. *Si habuero omnem fidem . . . charitatem autem non habuero, nihil sum . . . . nihil mihi prodest.*

Resp. Ad 1. & 2. Duo illi textus intellecti de actu charitatis, significant eum, qui non diligit actu charitatis Deum vel proximum, quando urget præceptum charitatis, esse Anathema, manere in morte, quia peccat mortaliter. Sed non tenemur in quavis circumstantia elicere actum charitatis.

Resp. Ad 3. Ibi agitur de charitate habituali, sine qua homo non est amicus Dei nec filius adoptivus, nec hæres Dei, & nihil est meritorium vitæ æternæ, nec salus comparari potest.

Obj. 2. Scriptura ad justificationem requirit conversionem ad Deum ex toto corde juxta illud Joëlis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Sed conversio ad Deum ex toto corde includit amorem perfectum. Ergo.

Resp. Disting. maj. Scriptura requirit conversionem ex toto corde elicitam ex amore sive perfecto, sive minùs perfecto, *conc. maj.* elicitam ex amore semper perfecto nempe charitatis, *subdist.* si nihil adhibeatur, quod suppleat defectum amoris perfecti, *conc. iterum maj.* si adhibeatur aliquid supplens defectus amoris perfecti, quale est Sacramentum mortuorum, *nego maj.* ad justificationem per Sacramentum mortuorum obtinendam non requiritur conversio ex amore perfecto, qualis requiritur extra Sacramentum: nam Sacramentum mortuorum institutum est ut medium facilius obtinendæ remissionis peccatorum ex meritis Christi.

Obj. 3. Concil. Trident. Sess. 14. c. 3. requirit in Sacramento Pœnitentiæ contritionem, quam c. 4. dicit quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum. Atqui contritio, quæ quovis tempore necessaria fuit ad impetrandam veniam peccatorum, includit amorem Dei super omnia propter se: nam sine hoc amore nemo unquam in lege naturæ & in lege Mosaica justificatus fuit. Ergo Conc. requirit in Sacramento contritionem includentem amorem Dei super omnia propter se.

Resp. Disting. maj. Concil. requirit in Sacramento contritionem, quam dicit quovis tempore fuisse necessariam, sumptam genericè, seu secundùm prædicata communia tantùm, *conc. maj.* sumptam specificè & adæquatè; seu sumptam secundùm prædicata tum generica tum specifica, *nego maj.* contritio quam Concil. dicit esse partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ, & quovis tempore ad impetrandam veniam necessariam fuisse, est contritio genericè sumpta, quæ est præcisè animi dolor ac detestatio super omnia mala de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero, præscindendo à motivo. Nam postquam Conc. c. 3. dixit actus Pœnitentis, nempe contritionem, confessionem & satisfactionem esse materiam Sacramenti, sic initio capitis quarti ait: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Ubi patet contritionem in his locis sumi genericè, abstrahendo à motivo. Hanc autem sic definitam dividit in contritionem charitate perfectam, & in imperfectam, quæ attritio dicitur.

Inst. 1. Pœnitentia seu contritio, quam Concil. Trident. dicit fuisse quovis tempore necessariam ad justificationem, est pœnitentia, quam Prophetæ prædicabant. Sed pœnitentia, quam Prophetæ prædicabant, includebat amorem Dei super omnia propter se. Ergo contritio quam Conc. Trid. &c. includit hunc amorem.

Resp. Disting. maj. Est pœnitentia genericè sumpta, quam prædicabant Prophetæ, *conc. maj.* est pœnitentia specificè sumpta, quam prædicabant Prophetæ, *neg. major.* pœnitentia & conversio, seu contritio genericè sumpta, est dolor ac detestatio de peccatis commissis cum proposito nunquam peccandi mortaliter. Duplex est specie diversa: alia perfecta, quæ ex amore Dei perfecto concipitur: alia imperfecta, quæ ex amore imperfecto elicitur. Conc. autem contritionem & pœnitentiam à Prophetis prædicatam sumit genericè, *ut patet ex cap. 4. cit.*

Inst. 2. Genus simpliciter prolatum sumitur pro præcipua specie. Sic panis simplicitur dictus sumitur pro pane triticeo. Ergo Conc. Trident. loquitur de contritione perfecta.

Resp. Nego anteced. universaliter sumptum. Nam cùm dicitur, v. g. animal est sensitivum, nomen *animal* profertur simpliciter, & tamen non accipitur pro præcipua specie, exclusis aliis imperfectioribus, sed sumitur genericè. Ad exemplum dico non valere à particulari ad universale consecutionem.

Inst. 3. Concil. Trident. postquam c. 4. explicuit attritionem, quam dicit disponere ad gratiam in Sacramento obtinendam, adducit in exemplum pœnitentiam Ninivitarum, per quam à Deo misericordiam impetrarunt. Atqui hæc pœnitentia includebat amorem Dei super omnia propter se. Ergo.

Resp. Disting. maj. Adducit pœnitentiam Ninivitarum ad probandam præcisè bonitatem timoris pœnarum, per quem Ninivitæ paulatim dispositi sunt ad contritionẽ perfectiorem, *conc. maj.* ad probandam necessitatem contritionis conceptæ propter Deum super omnia propter se dilectum, quæ disponat tantum ad justificationem in Sacramento consequendam, *nego maj. & consequens.*

Obj. 4. Conc. Trident. Sess. 6. c. 6. ad justificationem in Baptismo requirit amorem Dei tamquam omnis justitiæ fontis:

fontis : nam ſic ait : *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* At hæc dilectio eſt amor Dei ſuper omnia proper ſe in gradu remiſſo. Ergo Concil. Trident. hunc amorem requirit in Baptiſmo. Ergo à fortiori requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.

Reſp. Nego min. Sed hæc dilectio eſt amor imperfectus, quo Deus ſuper omnia ut nobis bonus præcisè & ut ſummum noſtrum bonum diligitur. Nam diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, eſt diligere Deum tanquam auctorem & largitorem omnis ſanctitatis, quæ èſt maximum bonum hominis, ac proinde etiam beatitudinis, quæ eſt terminus & merces ſanctitatis.

Quæres : *Cur amor ille imperfectus dicitur charitas initialis ſeu inchoata.*

Reſp. Quia non eſt charitas ſimpliciter, ſed eſt initium ſeu inchoatio charitatis, cùm ſit diſpoſitio proxima ad actum charitatis perfectæ : nam ex S. Thoma diſpoſitio próxima ad aliquid eſt initium ſeu inchoatio illius. Qui autem Deum ut ſuum ſummum bonum ſuper omnia amat, proximè diſpoſitus eſt ad eum etiam propter ſe ſuper omnia amandum.

Obj. 5. S. Auguſtin. variis locis ad converſionem veram requirit amorem juſtitiæ. At amor juſtitiæ eſt charitas perfecta. Ergo ad converſionem veram requirit charitatem perfectam.

Reſp. Nego min. Nam amor juſtitiæ ſecundùm S. Doctorem nihil aliud eſt, quàm amor virtutis, rectitudinis, & ordinis, cui peccatum opponatur, aut ad ſummum amor Dei ut ſummi noſtri boni. Ad converſionem autem revera requiritur amor juſtitiæ ex aliquo motivo honeſto ſupernaturali, imò ex motivo amoris Dei ut noſtri ſummi boni, non tamen ex motivo omnium perfectiſſimo. Jam verò attritio concepta ex metu gehennæ & ex amore ſpei, neceſſariò includit voluntatem ſervandi omnia mandata, ac proinde exercendi omnem virtutem præceptam, ſeu faciendi omnem juſtitiam præceptam : & conſequenter continet amorem juſtitiæ præcipuè ex motivo amoris ſpei.

Inſt. 1. S. Auguſtinus opponit timori pœnæ amorem juſtitiæ.

Reſp. Quando ſic opponit, per timorem gehennæ intelligit timorem merè naturalem, ſerviliter ſervilem, & includentem affectum ad peccatum : qualem ſupponit fuiſſe in multis ſub veteri lege. At non intelligit timorem gehennæ ortum ex gratia, efficacem, & conjunctum cum aliquo Dei amore, aut ad hunc diſponentem.

Inſt. 2. S. Auguſtinus, Epiſt. 144. ait : *Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat . . . . nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, ſed ardere.*

Reſp. Ibi loquitur de timore naturali & ſerviliter ſervili : non autem de timore gehennæ ſupernaturali & efficaci. Nam qui efficaciter gehennam metuit, verè peccatum gehennæ inductivum timet propter gehennam ; & diligit juſtitiam, ſeu virtutem propter odium gehennæ. Unde S. Doctor, Serm. 13. de verbis Apoſtoli ait : *Fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ* propter ipſam.

Inſt. 3. S. Auguſtinus, L. contra adverſarium legis, c. 7. ait : *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur :* & L. de ſpiritu & littera, c. 14. *Non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Ergo non eſt vera converſio ſine dilectione.

Reſp.

Resp. 1. Nulla eſt vera converſio ſine dilectione aliqua Dei, ſive perfecta, ſive imperfecta.

Resp. 2. S. Doctor in his & ſimilibus locis per charitatem, & dilectionem, intelligit gratiam actualem, quæ conſiſtit tùm in ſupernaturali cognitione boni, tùm etiam & maximè in ſupernaturali motione & affectione indeliberata ad bonum. Hinc dicit Deum infundere charitatem, dùm confert gratiam actualem.

Quandoque etiam charitas & dilectio apud S. Auguſtin. ſignificat amorem boni, ſeu virtutis ſupernaturalem & liberum quocumque motivo honeſto & ſupernaturali, ut nemo ejus doctrinæ peritus dubitare poteſt. Unus hic locus ex multis ſufficiat, l. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 9. ubi ait: *Quid eſt enim boni cupiditas, niſi charitas?* & initium fidei, ſeu voluntatem credendi à Deo eſſe probat ex hoc Scripturæ Textu: *Charitas ex Deo eſt.* Ubi per charitatem manifeſtè intelligit quamlibet piam affectionem & volitionem ſupernaturalem actus virtutis diſtinctæ à charitate propriè dicta.

Quare poſterioris loci ſenſus eſt: non eſt bonum, ſalutare ſeu utile ad ſalutem, quid non fit ex gratia Spiritus ſancti. Poteſt etiam ſic intelligi, non eſt fructus bonus, id eſt, meritorius vitæ æternæ, niſi fiat in charitate habituali & gratia ſanctificante.

Inſt. 4. S. Auguſtinus nullum Dei amorem bonum ac ſalutarem agnovit præter charitatem propriè dictam.

Resp. Neg. Nam quàm bonum ac ſalutarem eſſe ſenſerit amorem concupiſcentiæ, patet ex Serm. 178. de verbis Apoſtoli, ubi ait: *Aliud eſt timere pœnam, aliud eſt amare juſtitiam. Amor caſtus in te eſſe debet, quo amore deſideres videre, non cœlum & terram . . . . ſed deſidera videre Deum tuum, amare Deum tuum: quia dictum eſt, filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus autem, quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Ecce propter quam viſionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, ſi in hac peregrinatione illo amore ſuſpiras; ecce probat te Dominus Deus tuus . . . . ſi . . . . in non videndo Deum tuum magnam pœnam putaſti, gratis amaſti.*

Obj. 6. Aliqui alii Patres docent neceſſitatem amoris Dei ad juſtificationem.

Resp. Textus, qui ex aliis Patribus objiciuntur, vel continent meram exhortationem ad contritionem perfectam tamquam optimam & utiliorem: vel ſignificant id, quod requiritur veluti per ſe & ſecluſo privilegio Sacramenti: vel probant neceſſitatem alicujus amoris ſive perfecti extra Sacramentum, ſive imperfecti in Sacramento: vel agunt de charitate habituali neceſſaria ad meritum, & ſalutem.

Obj. 7. S. Thomas, 3. part. qu. 86. art. 3. ait: *Non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim diſpliceret ei illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ,) ſequeretur, quod de omnibus peccatis pœniteret.*

Resp. 1. Revera ſecundùm nos requiritur pœnitentia propter Deum ſuper omnia dilectum, ſed ut ſummum noſtrum bonum.

Resp. 2. (Et meliùs ad mentem S. Thomæ) S. Doctor per veram pœnitentiam intelligit Pœnitentiam perfectam & de ſe juſtificativam. Nam 1. juxta modum loquendi ei proprium eas virtutes veras appellat, quæ

quæ informantur charitate: per quod significat tantùm illas solas esse in statu perfecto virtutis & meritorias finis ultimi. 2. Eadem *p. 3. q. 85. a. 2.* agnoscit pœnitentiam, quæ sit virtus specialis, & à charitate distincta. 3. Multis locis asserit attritionem sufficere, ut in 4. dist. 22. p. 2. a. 1. ad q. 3. ubi ait: *Remissio peccatorum aliquando tempore præcedit Sacramentum,* (quando scilicet præmittitur perfecta contritio:) *aliquando autem in ipso Sacramento efficitur; quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus, & non plenè contritus, si obicem non ponat in ipsa confessione & absolutione, sibi gratia & remissio peccatorum datur.*

Porro quando S. Doctor, *in 4. dist. 17. q. 3. a. 4* dicit confessionem non valere sine charitate, loquitur de confessione seorsim sumpta à Sacramento, prout est actus virtutis. Sic autem sumpta non valet sine charitate ad remissionem peccatorum mortalium.

Obj. 8. Catechismus Romanus, *p. 2. de Sacram pœnit. n. 4.* dicit pœnitentiam, qua unius Dei causa in mœrore sumus, pertinere ad virtutem & constitutionem Sacramenti.

Resp. Hæ voces (unius Dei causa) hic significant ex solo aliquo motivo supernaturali, & aliquam ad Deum relationem habente, non autem ex sola charitate perfecta. Quod patet ex tota doctrina ibi tradita, ex qua confirmatur nostra assertio; nam p. 2. n. 47. sic habet: *Ex fidei Catholicæ Doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat; etsi ejusmodi dolore non afficitur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit; ei tamen cùm peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti & condonari.*

Obj. 9. Ex aliquibus Patribus absolutio supponit pœnitentem viventem.

Resp. Absolutio supponit pœnitentem viventem vita gratiæ inchoata & imperfecta per fidem, spem, & contritionem imperfectam: non verò viventem vita perfecta per gratiam sanctificantem; ut patet ex S. Augustino, concione 2. in Ps. 101. ubi exemplo Lazari usus, sic ait: *Fit hoc in corde pœnitentis: cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit* (inchoatè:) *cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? à quibus solvitur? quæ solveritis,* inquit, *in terra, erunt soluta in cœlo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, &c.*

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ ex ratione.

Obj. 1. Ut doctrina Ecclesiæ de Sacramenti efficacia sit vera, sufficit quòd peccata non remittantur per actum contritionis perfectæ, nisi in voto Sacramenti, quod in ea includitur. Ergo necessitas contritionis perfectæ non adversatur efficaciæ Sacramenti.

Resp. Nego ant. Quia 1. Ex *Conc. Trid.* Sacramentum Pœnitentiæ in re institutum est ad reconciliandos fideles lapsos; ergo ipsum Sacramentum in re habet vim conferendi gratiam reconciliationis: ergo non exigit gratiam reconciliationis, nec proinde aliquid hanc conferens antequam ipsum perficiatur. Votum autem Sacramenti non est ipsum Sacramentum. 2. Ex *Conc. Trid.* Sacramenta omnia Ecclesiæ ex opere operato, seu in re gratiam suam continent ac conferunt. Ergo

go Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato, seu in re confert gratiam reconciliationis. Illam autem nunquam conferret, nec conferre posset, si exigeret contritionem perfectam, quæ statim ante Sacramentum collatum justificet. 3. Ex *Conc. Trid.* vis Sacramenti præcipuè posita est in absolutione Sacerdotis. Et *Sess. 14. c. 4. & 6.* expresse distinguit justificationem, quam confert Sacramentum in voto ab ea, quam confert in re.

Obj. 2. Sententia asserens necessitatem contritionis ex amore Dei super omnia propter se conceptæ est tam probabilis, quàm negans: nam Alexander VII. in decreto edito 5. Maji anno 1667. vetat eam censura notari. Ergo necessariò tenenda est, cùm sit tutior.

Resp. Nego ant. Nam Alexander VII. in hoc decreto loquitur tantùm de sententia asserente *necessitatem aliqualis dilectionis*, ideoque amoris imperfecti ratione vel motivi vel appretiationis. Nam amor Dei super omnia propter se nec est, nec dici potest aliqualis dilectio Dei, cùm sit actus charitatis simpliciter & propriè dictæ. Hæc sunt autem verba decreti: *Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. . . . auditis votis eminentiss. ac Reverendiss. DD. Cardinalium Generalium inquisitorum, nec non Dom. consultorum & qualificatorum Sacræ Congregationis, hoc præsenti decreto in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, huic sanctæ Sedi reservatæ . . . . præcipit cunctis & singulis fidelibus quocunque gradu ac dignitate, etiam Episcopali, & majori, imò & Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares; cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur: sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

Obj. 3. Ad justificationem in Sacramento requiritur propositum non peccandi de cætero. At hoc propositum est propositum servandi omnia præcepta, ideoque præceptum charitatis. Velle autem diligere Deum actu charitatis est eum hoc actu diligere.

Resp. Propositum non peccandi de cætero est dumtaxat propositum virtuale & implicitum amandi Deum super omnia propter se, quando urgebit præceptum charitatis. At ex metu pœnarum vel ex amore beatitudinis æternæ proponere amare Deum super omnia propter se, quando urgebit præceptum charitatis, non est actu diligere Deum super omnia propter se.

Obj. 4. Contritio requisita in Sacramento debet includere odium peccati. At odium peccati non est sine amore Dei super omnia propter se. Ergo nec contritio, &c.

Resp. Nego min. Nam odium peccati concipi potest propter metum gehennæ vel amorem beatitudinis æternæ.

Obj. 5. Ad justificationem per Martyrium requiritur in adulto charitas perfecta. Ergo & in Sacramento.

Resp. Omisso antecedente, quod negatur à multis requirentibus tantùm amorem imperfectum, *nego conseq.* disparitas est, quia Martyrium non est aliquid institutum ad conferendam primam gratiam, & in illa sententia eam non confert adulto, sed supponit in eo.

At

At Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentum mortuorum, à Chriſto inſtitutum ad gratiam reconciliationis fidelibus lapſis conferendam, ideoque illam ex ſua inſtitutione aliquando ſaltem confert, nec unquam illam jam collatam per actum charitatis neceſſariò exigit.

Obj. 6. Ex natura rei videtur requiri, ut qui Deum contempſit, & odio habuit ſaltem interpretativè, non recipiatur in amicitiam divinam niſi elicuerit actum charitatis perfectæ. Item habitus charitatis infundi non debet ſine prævio actu charitatis.

Reſp. Hoc verum eſt, ſecluſo privilegio Sacramenti, & ſpectata præcisè connaturali quadam rerum exigentia ac convenientia. At actus charitatis non requiritur ſuppoſito Sacramenti privilegio habentis vim reconciliandi, ideoque ſupplendi defectum perfectæ charitatis alioquin requiſitæ.

Præterea per attritionem ſufficientem pœnitens amat Deum ſuper omnia ut ſuum ſummum bonum, & animo præparatus eſt ad eum ſuper omnia propter ſe amandum, cùm urgebit præceptum charitatis.

Inſt. Ad recuperandum habitum fidei requiritur actus fidei. Ergo à pari ad recuperandum habitum charitatis, requiritur actus charitatis etiam in Sacramento.

Reſp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt ipſa voluntas Dei hanc vel illam diſpoſitionem ad ſua dona requirentis: quæ voluntas per Scripturam, Traditionem & Eccleſiæ ſenſum nobis certò innoteſcit.

Obj. 7. In veteri lege nunquam peccator adultus juſtificari poterat ſine actu charitatis perfectæ. Ergo idem dicendum eſt in lege gratiæ.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia in nova lege ex meritis Chriſti ejus auctoris jam exhibitis, inſtitutum eſt Sacramentum reconciliationis, per quod facilior eſt via recuperandæ juſtificationis, quàm erat in lege veteri ante merita Chriſti exhibita, & inſtitutionem Sacramentorum illa merita applicantium.

Inſt. Præceptum charitatis divinæ non minùs ſæpe obligat in lege gratiæ & amoris, quàm in lege timoris. Ergo ſi in veteri lege nemo, &c. à fortiori in nova lege, &c.

Reſp. Diſting. ant. Non minùs ſæpe obligat per ſe, *conc. ant.* per accidens, *ſubdiſting.* & non in iisdem omnibus omnino circumſtantiis, *conc. iterum ant.* & in iisdē omnibus circumſtantiis, *nego ant. & conſeq.* præceptum charitatis perfectæ, quamvis nunc non obliget in eadem omni circumſtantia juſtificationis obtinendæ, in qua obligabat judæos, ut juſtificarentur; tamen chriſtianos non minùs ſæpe, imò ſæpius & in pluribus aliis circumſtantiis obligat. Præterea ex antecedente non ſequitur actum charitatis perfectæ eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti.

Obj. 8. Ex noſtra doctrina ſequitur adultum, qui poſt Baptiſmum diu vixit in peccatis, poſſe ſalvari, quamvis nullum unquam actum charitatis elicuerit, *nego ſeq. maj. Prob.* In noſtra doctrina fieri poteſt, ut homo; qui nunquam elicuit actum charitatis, & per 40. annos in peccatis vixit, eliciat attritionem ex metu gehennæ & amore ſpei conceptam, abſolvatur, & ſtatim moriatur. At is ſalvabitur, cùm moriatur juſtificatus, quamvis nunquam amaverit Deum ſuper omnia propter ſe. Ergo.

Reſp. Nego maj. Nam cùm attritio includat propoſitum efficax ſervandi omnia præcepta pro tempore quo urgent, & præceptum charitatis perfectæ nondum per tam longum tem-

pus observatum, certò urgeat, non potest esse tunc attritio vera ac sufficiens, quin statim eliciatur actus charitatis perfectæ tum præceptus, quemadmodum si quis attritionem elicuerit domi, & cùm templum peteret, Sacramentum suscepturus, aliquis ab eo exigeret debiti solutionem, quia tunc sine dilatione egeret; certè ipse debitor, si verè attritus esset, hoc debitum solveret statim ante Sacramenti susceptionem. Præterea Deus (ut ex Scriptura & Patribus constat) neminem adultum decrevit efficaciter salvare nisi mediante sua cooperatione per actus fidei, spei, & charitatis: ac proinde nunquam permittet, nec permittere potest consequenter ad hoc decretum, ut adultus in gratia moriatur, quin priùs hos actus saltem aliquando elicuerit.

Obj. 9. Attritio concepta ex metu gehennæ non excludit voluntatem peccandi. Ergo ad justificationem requiritur contritio perfecta, quæ sola illam excludit.

Resp. 1. Attritio, quam dicimus sufficere in Sacramento, præter metum gehennæ includit amorem Dei super omnia ut nostri summi boni.

Resp. 2. Nego ant. Et dico attritionem ex metu gehennæ efficaci, absoluto & supernaturali conceptam, de qua hic agitur, excludere voluntatem peccandi pro quocumque casu possibili secundùm rei veritatem & ordinem à Deo statutum, ex v. 16. *in timore Domini declinatur à malo.* Nam efficax & absolutus metus gehennæ excludit omnem voluntatem peccandi mortaliter, cùm illa exclusio sit medium necessarium ad vitandam gehennam. Non enim potest, quis efficaciter & absolutè timere gehennam, quin velit illam efficaciter vitare, nec potest velle efficaciter gehennam vitare: quin velit adhibere omnia media ad illam vitandam necessaria, inter quæ est exclusio affectus ad peccatum. Nam qui vult efficaciter finem, vult etiam media ad illum assequendum necessaria, idque manifestè supponit Conc. Trid. Sess. 14. cap. 4. definiendo contritionem ex metu gehennæ & pœnarum conceptam, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ .... donum Dei esse, &c.* quod certè non definit sub conditione impossibili.

Idem docet S. Augustinus, in Psal. 127. ubi vermis eorum non moritur. *Audiunt hæc homines; & quia verè futura sunt impiis, timent, continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ.* Ergo ex S. Doctore timor gehennæ excludit voluntatem peccandi, Et S. Basilius, in Psal. 33. ibi: *Hæc* (supplicia æterna) *time, & hoc timore correptus animam à peccatorum concupiscentia tanquam fræno quodam reprime.*

Inst. 1. Qui atteritur ex metu gehennæ, non detestaretur peccatum, si metus gehennæ abesset; imò ita est habitualiter affectus, ùt peccare vellet, si metus gehennæ abesset. Ergo sic attritus habet saltem virtualiter hunc actum: peccare vellem, si non esset gehenna; ac proinde retinet affectum ad peccatum. Ergo, &c.

Resp. 1. Retorquendo. Qui dolet de peccatis ex amore Dei perfecto, non detestaretur peccata, si amor ille abesset; imò ita est habitualiter affectus, ut peccare vellet, si amor abesset. Ergo, &c.

Resp. 2. Omissò antecedente, nego conseq. Nam quemadmodum is, qui peccata detestatur propter Deum super omnia propter se dilectum, quamvis esset ita habitualiter affectus; ut peccare vellet si non diligeret, non pro-

propterea habet ne virtualiter quidem hunc actum: peccare vellem, si non amarem Deum; ita quamvis aliquis sic esset habitualiter affectus, ut peccare vellet, si metus gehennæ abesset, non idcirco habet vel formaliter, vel virtualiter hunc actum; vellem peccare, si gehennæ metus abesset. Ratio est, quia quod esset reipsa, sed non est, non idcirco est in affectu ejus, qui apud se non statuit, quid ageret vel non ageret in illa hypothesi. Hinc Deus non imputat peccatum quod esset, sed non est; at rationem tantùm habet eorum, quæ reverà sunt, quamvis non essent in aliqua hypothesi.

Inst. 2. Vi attritionis ex metu gehennæ & privationis Dei, homo non est paratus potiùs pati gehennam & privationem Dei, quàm peccare. Ergo hæc attritio non excludit omnem voluntatem peccandi.

Resp. Disting. ant. Et electio gehennæ ac privationis Dei non est medium ad non peccandum necessarium secundùm rei veritatem & ordinem à Deo statutum, *conc. antec.* & electio gehennæ est hujusmodi medium necessarium, *nego antec. & disting. conf.* ergo hæc attritio non excludit omnem voluntatem peccandi pro aliquo casu impossibili ac chimerico, circa quem voluntas se habet merè præcisivè, *conc. conseq.* pro quocumque casu verè possibili secundùm ordinem à Deo statutum, *nego conseq.* ut attritio ad justificationem disponat, satis est, si excludat omnem voluntatem peccandi pro quocumque casu possibili secundùm rei veritatem ac ordinem à Deo statutum, & circa alios casus se habeat præcisivè, nihil circa eos statuendo. Quemadmodum ut contritio perfecta ad justificationem valeat, non requiritur ut vi illius homo sit paratus potiùs Deum non amare.

Inst. 3. Vi talis attritionis homo est paratus ad peccandum in casu, quo ex conscientia erronea judicaret peccatum esse necessarium ad vitandam gehennam. Ergo talis attritio non excludit voluntatem peccandi pro quovis casu.

Resp. Nego ant. Nam cùm metus ille gehennæ efficax, sit ex instinctu Spiritus sancti, & supernaturalis ac prudens, non potest extendi ad casus falsos, ineptos, & chimericos. Præterea ex vi hujus metus homo tam appretiativè detestatur peccatum, quàm gehennam: unde in hoc casu neutrum vi suæ attritionis eligeret.

Inst. 4. Si quis elicuisset hunc actum mortaliter malum: mallem mortaliter peccare quàm gehennam subire; certè non doleret de isto peccato per attritionem ex metu gehennæ conceptam. Ergo talis attritio non se extendit ad omnia mortalia possibilia. Ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam cùm hæc attritio ex metu gehennæ secundùm totam amplitudinem hujus motivi concipiatur, attritus per illam detestaretur omne peccatum à se admissum, gehennæ inductivum, proindeque malam illam voluntatem, qua maluisset peccare mortaliter, quàm gehennam subire; cùm hæc voluntas non sit medium vitandi gehennam, sed sit potiùs illius inductiva. Ad hanc autem detestationem non requiritur, ut eliciat hunc actum: mallem subire gehennam, quàm mortaliter peccare; sed sufficit, ut eliciat dolorem de illo malo actu ex motivo gehennæ vitandæ, propter quod absolutè & efficaciter detestatur omnia peccata à se admissa, cum proposito non peccandi pro omni casu possibili secundùm rei veritatem.

Inst. 5. Mercator, qui merces ex solo naufragii metu projicit in mare, retinet affectum aliquem in merces. Ergo

go à pari, qui atteritur de peccato ex metu gehennæ, semper aliquem affectum ad peccatum servat.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia depositio omnis affectus in merces non est medium necessarium ad vitandum naufragium: & sic efficax naufragii metus non excludit omnem affectum in merces. At exclusio omnis voluntatis peccandi & affectus in peccatum est medium necessarium ad vitandam gehennam: ac proinde efficax metus gehennæ excludit omnem affectum in peccatum, utpote gehennæ inductivum.

Similiter qui ex solo metu mortis abstinet à furto, retinet affectum in furtum, quia mors temporalis vitari potest retento affectu ad furtum. At gehenna vitari nequit sine depositione omnis affectus ad mortale peccatum: unde efficax gehennæ metus tollit omnem affectum in peccatum mortale.

Observa. Sufficit attritio ex solo amore spei quo Deus super omnia præcisè ut nostrum summum bonum amatur, secluso aut saltem præciso gehennæ metu, & à fortiori cum hoc amore sufficit attritio concepta, vel ex turpitudine peccati, ut scilicet repugnantis legi & sanctitati Dei, vel quia est contra jus Dei ut legislatoris, vel contra reverentiam Deo ut supremo Domino debitam, vel ex motivo placandi Deum.

ARTICULUS IX.

Expediuntur aliquæ quæstiones circa contritionem in Sacramento.

Quæres 1. *Ex qua intentione, & quo tempore elici debeat contritio?*

Resp. 1. Contritio necessariò elici debet ex intentione confitendi & absolutionis recipiendæ. Nam alioqui non esset actio sacramentalis, sicuti ablutio facta sine intentione baptizandi. Et quia pars referri debet ad compartem, ut totum cum ea constituat. Hinc si quis nihil cogitans de confessione, contritionem elicuerit, debet aliam elicere.

Resp. 2. Contritio necessariò elici debet ante absolutionem. Nam alioqui absolutio, quæ est forma Sacramenti, non applicaretur materiæ proximæ essentiali, quæ sunt contritio & confessio: & sic Sacramentum nullum esset, defectu partis essentialis.

Quare monendi sunt pœnitentes, ut contritionem confessioni semper præmittant. Quia alioqui periculum esset, ne ante absolutionem non eliceretur: nam confessarius potest supponere jam illam elicitam esse, & sic post pœnitentiam injunctam & aliqua monita, statim dare absolutionem, non relinquendo tempus sufficiens ad eliciendam contritionem ante absolutionem. Et reverà hoc non raro accidit.

Quæres 2. *Utrùm quoties datur nova absolutio, requiratur nova contritio?*

Resp. In praxi requiritur; tùm quia oppositum non est certum. Tùm quia fit novum Sacramentum numero distinctum à priori. Ergo præter novam formam requiritur nova materia proxima, nempa contritio & confessio. Unde si quis statim post absolutionem acceptam, recordans mortalem culpam, illam (ut tenetur) confiteatur, tenetur ante novam absolutionem renovare contritionem.

Quæres 3. *Utrùm contritio debeat moraliter perdurare in se vel in effectu suo, dùm absolutio datur?*

Resp. Affirm. Alioqui contritio non faceret unum moraliter cum absolutione. Hinc si quis post elicitam contritionem, aliud negotium aggrediatur; vel si hæc diu præteriit, in praxi renovanda est contritio, saltem in fine confessionis.

CA-

CAPUT III.

De Confessione.

ARTICULUS I.

Utrùm confessio omnium peccatorum mortalium à Christo instituta sit & præcepta?

Nota. Confessio, seu accusatio peccati duplex est; altera interna, quæ fit soli Deo, à quo venia petitur, de qua, Psalm. 31. *Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino:* altera externa, quæ fit homini ut Dei Vicario ac Ministro, à quo absolutio sacramentalis petitur, & dicitur confessio sacramentalis. De hac sola hìc agitur, quæ quidem sic rectè describitur: legitima & sacramentalis accusatio peccatorum propriorum, facta Sacerdoti legitimo judici, ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam.

§. I.

Ex Scriptura & Traditione probatur divinum præceptum ac institutio confessionis sacramentalis.

Dico. Sacramentalis confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium post Baptismum commissorum instituta & præcepta est à Christo ad eorum remissionem obtinendam. Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas.

Prob. 1. Christus Sacerdotibus judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata, solvendi & ligandi concessit, qua eos tanquam judices in causis peccatorum constituit. Ergo sacramentalis confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium à Christo instituta & præcepta est ad eorum remissionem consequendam.

Consequentia ab ipsis hæreticis expressè admittitur, & constat. Nam si Christus Sacerdotibus judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata, solvendi & ligandi reum dedit, voluit talem potestatem ab illis prudenter, justè & cum discretione exerceri. Ergo etiam voluit, ut omnia & singula peccata & peccantium causæ ipsis innotescerent per confessionem reorum, sine qua non possunt innotescere: nam per se patet judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata, & ligandi seu pœnas pro criminum merito imponendi exerceri prudenter, rectè, & cum discretione non posse, causa non cognita, & sine cognitione omnium & singulorum peccatorum mortalium, de quibus omnibus ferendum est judicium.

Antecedens patet ex Joan. c. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hoc est, quorum non remiseritis peccata, non eis remittentur: vel si remittantur per actum aliquem votum absolutionis vestræ includentem, hoc non fiet per actum illum nisi ut Vicarium absolutionis suo tempore recipiendæ pro iisdem peccatis, quæ tunc remittentur: ac proinde cum obligatione se sistendi ad tribunal vestrum, & à vobis obtinendi absolutionem. Item ex Matth. c. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quæ verba clarè significant Apostolos & eorum in Sacerdotio successores à Christo constitutos fuisse judices, quorum sententia remitterentur, & sine quorum sententia non remitterentur peccata mortalia fidelium: ac proinde ad quorum tribunal omnia mortalia peccata baptizatorum deferrentur,

Hos

Hos textus in hoc ſenſu proprio intellexere Patres, ut videre eſt apud Bellarminum & alios. Pro omnibus hic ſufficiant S. Chryſoſt. L. 3. de Sacerdotio, ubi de Sacerdotibus ait: *Iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt: quæcumque alligaveritis in terra, &c. habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit usque adeo, ut quorumcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet: quæcumque enim, ait, peccata remiſeritis, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quænam quæſo poteſtas hac una major eſſe queat? pater omne judicium filio dedit. Cæterùm video ipſum omne judicium à Deo filio illis traditum.* S. Auguſt. Hom. 49. & 50. *Nemo ſibi dicat: occultè ago* (pœnitentiam,) *apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei.* Et S. Greg. M. Hom. 26. in Ev. verba iſta Chriſti (*quorum remiſeritis peccata, &c.*) exponens, ſic ait: *principatum ſuperni judicii* (Sacerdotes) *ſortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... ecce animarum judices fiunt; & alios damnant vel liberant, &c.*

Prob. 2. Ex perpetuo uſu Eccleſiæ. Chriſtus ſacramentalem omnium & ſingulorum peccatorum mortalium confeſſionem inſtituit & præcipit, ſi hæc confeſſio ſemper in uſu ab initio fuit, & à Patribus ut neceſſaria commendata: nam tam grave onus omnes cujusque ætatis fideles nullo reclamante, minimè ſubiiſſent, niſi ipſis perſuaſum fuiſſet à Chriſto ipſo inſtitutum & præceptum eſſe. Atqui ſacramentalis confeſſio omnium & ſingulorum peccatorum mortalium ſemper fuit in uſu ab initio Eccleſiæ, & à Patribus ut neceſſaria commendata. Ergo hæc confeſſio à Chriſto inſtituta & præcepta eſt.

Prob. min. Et 1. quidem pro primo ſæculo. Act. c. 19. dicitur: *Multi credentium veniebant* (ad Paulum) *confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Paulo. Ubi agitur de baptizatis: nam ii propriè dici ſolent credentes, ut patet ex *Act. c. 3. 4. & 5.* & dicuntur ſimpliciter confiteri actus ſuos, id eſt, peccata, ut patet ex contextu. Ac proinde omnia & ſingula peccata gravia confeſſi ſunt: nam qui generaliter tantùm confitetur ſe eſſe peccatorem, aut ſe multa peccata admiſiſſe, aut aliqua ſolùm peccata declarat, dici non poteſt ſimpliciter confiteri peccata ſua, præſertim in ſenſu Scripturæ, quæ cùm de peccatis ſimpliciter & abſolutè loquitur, de omnibus loquitur, ut Matth. c. 9. ubi Chriſtus dixit paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

2. Pro ſecundo ſæculo. S. Irenæus, qui in ipſo primo ſæculo poſt mortem Apoſtolorum floruit, & ſecundo ſæculo ſcripſit, ſic de quibusdam fœminis à Marco hæretico ſeductis, Lib. 1. cap. 9. ait: *Ipſæmet ſæpe, cùm ad Dei Eccleſiam rediiſſent, confeſſæ ſunt, ſeque corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe.* Ibi agitur de peccatis occultis luxuriæ, tùm externo, tùm merè interno. Tertullianus de Pœnitentia. *Plerique publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumunt, pudoris magis memores quàm ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexa-*

vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt . . . . grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? &c.

3. Pro tertio atque etiam secundo sæculo Origenes; nam utroque sæculo vixit. Is, Hom. 2. in Psal. 37. sic ait: *Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quid oportet peccatum non celare intrinsecùs: fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter & molestè imminentia; si vomuerint, relevantur, etiam hi qui peccaverint, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodò circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere: qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam; ita ut demum, si quid ille dixerit . . . . si quid consilii dederit, facias & sequaris si intellexerit & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari: multa hac deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Ex quo loco patet confessionem peccatorum occultorum esse necessariam, & tempore Origenis usitatam fuisse, & ex peccatis privatim Sacerdoti declaratis ea tantùm publicè manifestata fuisse, quæ Sacerdos ad majorem pœnitentium utilitatem, & cæterorum fidelium ædificationem publicè declaranda censebat.

Idem Origenes, Homil. 17. in Lucam ait: *Si revelaverimus peccata nostra non solùm Deo, sed & iis, qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra.* Certè hoc Origenis testimonium sufficit etiam pro duobus primis sæculis. Nam sic argumentor. Teste Origene confessio omnium & singulorum peccatorum erat in usu initio tertii sæculi. Ergo eadem fuit etiam usitata duobus prioribus sæculis; nam à tempore Apostolorum usque ad initium tertii sæculi proferri non potest ullum Concilium generale, aut ullus Pontifex, à quo instituta & præcepta fuerit ejusmodi confessio. Item ex Origene hæc confessio necessaria est ad remissionem peccatorum: ergo à solo Christo institui potest.

S. Cyprian. Serm. de lapsis. *Quanto & fide majore & timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non irridetur.* Ibi agitur de confessione privata & secreta, ut necessaria ad Deum, qui omnia occulta novit nec decipi potest, placandum. Nam nunquam peccatorum occultorum præsertim merè internorum confessio publica necessaria fuit in Ecclesia.

4. Pro quarto sæculo. S. Athanasius, Serm. in illa verba: *Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum, &c.* Sic loquitur, *nos ipsos examinemus, num soluta sunt nostra vincula, ut in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sunt*

ſunt vincula, tradas te ipſum diſcipulis Jeſu; adſunt enim qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam à ſalvatore acceperunt. Quæcumque enim ligaveritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis: & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ubi loquitur de confeſſione privata: nam adhortatur ad confitendum, non coram plebe, ſed ſacerdotibus, qui poteſtatem remittendi peccata à Chriſto acceperunt.

S. Baſilius in Regulis brevioribus, Reg. 288. *neceſſariò iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Loquitur autem de peccatis in ſpecie: nam Regula ſequenti dicit peccata declaranda eſſe, quemadmodum morbi corporis aperiuntur medico, ut curentur. At morbi curari à medico non poſſunt, niſi omnes in ſpecie ei detegantur. Paulinus, in vita S. Ambroſiii, de illo ſic ſcribit: *Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut illum flere compelleret; videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur nulli niſi Domino ſoli; apud quem intercedebat, loquebatur.* Ergo fiebat apud Ambroſium confeſſio privata peccatorum omnium gravium, quæ nulli prodebantur. Ipſe S. Ambroſius, l. 2. de pœnitent. cap. 6. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.*

S. Chryſoſtomus, Homil. 33. in Joann. *In peccatis, quæ commiſimus, confitendis, neminem vereamur: Deum dumtaxat, ut decet, formidemus, qui & nunc opera noſtra videt . . . vos hortor, dilectiſſimi, ut etſi nemo opera noſtra videat, ſinguli ſuam conſcientiam ingrediantur, & judicem ſibi rationem conſtituant, errata ſua in medium adducant, niſi velint in die illa horrenda univerſo orbi ea manifeſtè patere.* Ubi S. Doctor hortatur ad confeſſionem omnium & ſingulorum mortalium etiam occultorum: nam dicit ſimpliciter confitenda eſſe peccata quæ commiſimus, & diligens conſcientiæ examen exigit, in medium adducantur, Sacerdoti ſcilicet privatim declarando. Hortatur autem ad hanc confeſſionem tamquam præceptam & neceſſariam, ut patet ex poſtremis textus verbis; eamque confeſſionem ſecretam intelligit; nam publicam non probavit, ut apud omnes conſtat, & illa jam jam fuerat à Nectario prædeceſſore ſuo abrogata. Præterea ad hanc confeſſionem exigit diligens examen, vultque, ut confiteamur omnia quæ comiſimus, & quæ ſoli Deo innoteſcunt.

Idem S. Doctor, Homil. de muliere Samaritana ait: *Qui homini detegere peccata erubeſcit . . . . neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa, non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante, traducetur.*

S. Hieronymus, in cap. 16. Matth. *Alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel noxii; ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

5. Pro quinto ſeculo. S. Auguſtinus, in Pſal. 66. *Si non confeſſus lates, non confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non potes occultus (Deo?) damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus . . . . ergo triſtis eſto antequam confitearis: confeſſus exulta, jam ſanaberis. Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non timebat: adhibet medicus fomenta verborum; & aliquando ſecat . . . . tu agnoſce medici*

medici manum: confitere, exeat in in confessione, & defluat omnis sanies, &c. Ibi S. Doctor loquitur de confessione omnium & singulorum mortalium, ut patet ex his verbis, *exeat in confessione & defluat omnis sanies,* ideoque etiam occultorum, ut patet etiam ex his verbis, *si non confessus lates.* Item loquitur de confessione Sacerdoti facienda, ut patet ex istis verbis, *adhibet medicus fomenta verborum.*

S. Leo M. Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi vetat, ne Sacerdotes cogant pœnitentes ad peccata occulta, quæ iis privatim confessi fuerant, publicè declaranda. *Cùm,* inquit, *reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta:* & paulò infrà: *sufficit illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, à quo pro delictis pœnitentiam peccator accipit.*

Sozomenus, L. 7. Hist. cap. 16. *Cùm .... pœnitentibus, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præcepit, cumque in petenda venia peccatum necessariò confiteri oporteat, &c.* & quidem omnia & singula mortalia Sacerdoti, ut constat ex toto contextu.

6. Pro sexto seculo. S. Gregorius M. Homil. 26. in Evangelia. *Omnis peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foràs, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foràs; ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates: veniat itaque foràs mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foràs solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Omitto S. Cæsarium Arelatensem, Hom. 17. & aliis, & S. Joannem Climacum.

7. Pro septimo sæculo. Isidorus, l. de contemptu mundi. *Dum datur tibi licentia, pœnite .... priusquam mors præveniat, priusquam infernus te recipiat .... ubi nulla datur licentia correctionis, ubi nullus est recursus ad confessionem .... habeas confessionem, habeto fiduciam; confessio sanat.* Et infrà. *Vitia cordis tui revela, pravas cogitationes, illico manifesta .... peccatum enim proditum citò curatur.*

8. Pro octavo sæculo. Beda, in c. 5. Epist. Jacobi. *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti.* Et infrà. *Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus; atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.*

9. Pro nono sæculo. Præter Nicephorum Cartophil. & Rabanum Moguntinum, tria Concilia, nimirum Turonense III. anno 813. Can. 22. ait: *Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati abstinentia indicatur, &c.* Cabilonense II. eodem anno celebratum, Can. 32. *Quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non planè id faciunt .... Solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio; scilicet ut ea confitentur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in*

ſola cogitatione delinquitur, &c. Et Wormatienſe anno 868. Can. 25. *Pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, &c.*

10. Pro decimo ſæculo. Radulphus Flaviacenſis, lib. 3. in Levitic. cap. 7. *Quod in poteſtate habet* (peccator,) *faciat: Similam offerat, & malam quæ apud ſe celabat, per confeſſionem Sacerdoti prodat.*

11. Pro undecimo ſæculo. Petrus Damian. in Serm. de S. Andrea. *Quartus gradus eſt confeſſio oris; hæc purè facienda eſt, quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda: neque levia confitenda, & gravia diffitenda.* S. Anſelmus, enarrat. in c. 17. Luc. *Per humilem oris confeſſionem, Sacerdotibus veraciter manifeſtate omnes interioris lepræ veſtræ maculas, ut mundari poſſitis . . . . peccatores licèt gravi criminum lepra ſint fœdati, euntes tamen ad confitendum purgantur in ipſa confeſſione propter pœnitentiam quam acturi ſunt.*

Denique pro duodecimo ſæculo. S. Bernardus, in Serm. ad milites Templi, c. 12. *Verbum in corde peccatoris operatur ſalutiferam contritionem: verbum verò in ore noxiam tollit confuſionem, ne impediat neceſſariam confeſſionem.* Et infrà. *Quamobrem Miniſtros verbi Sacerdotes cautè neceſſe eſt ad utrumque vigilare ſollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confeſſionis exterreant; ſic corda aperiant, ut ora non obſtruant. Sed nec abſolvant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum.* Priùs dixerat: *Quid de Bethphage dicam, ubi & confeſſionis Sacramentum, & Sacerdotalis miniſterii myſterium continetur?* Et Serm. 16. in Cantica ait: *Omne quod remordet conſcientiam, confitere humiliter, purè, fideliter.* Ubi manifeſtè loquitur de omnibus & ſingulis peccatis etiam occultis Sacerdoti facienda, ut patet ex his verbis, *omne, purè, fideliter.*

Prob. 3. Ex Conc. Trident. Seſſ. 14. Can. 6. *Si quis negaverit, confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit: modum ſecretò confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; Anathema ſit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, &c. Anathema ſit.*

His adde magna præter peccatorum remiſſionem commoda, quæ ex confeſſione percipiuntur. Nam in foro conſcientiæ à Sacerdotibus multa emendantur, quæ in externo foro nunquam emendari potuiſſent; damna reſarciuntur; injuræ acceptæ condonantur; illatæ reparantur; pax reconciliatur, diſſolvuntur contractus iniqui, ſcandala removentur; conſilium & ſolatium recipitur; remedia contra malas conſuetudines & relapſus præſcribuntur; aliaque id genus multa privatim perficiuntur, ex quibus pax & tranquillitas publica reſtituitur ac ſervatur. Certè tam utilis inſtitutio Deo authori adſcribenda eſt, & ab eo præcipi conveniebat: alioqui nec præſules Eccle-

ſiæ tantum onus fidelibus imponere auſi fuiſſent, nec fideles omnes illi ſe ſubjeciſſent cum ea ſaltem univerſalitate ac perpetuitate, quam Eccleſiæ bonum poſtulabat.

§. II.

Refelluntur Reſponſiones hæreticorum.

Dices 1. Hæc Chriſti verba (*quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*) & iſta (*quæcumque alligaveritis, &c.*) ſignificant ſolùm poteſtatem prædicandi verbum Dei, & annuntiandi remiſſionem peccatorum. Ergo non ſignificant judiciariam poteſtatem, &c.

Reſp. Nego antecedens, cujus falſitas tùm ex Patrum interpretatione, & perpetuo Eccleſiæ uſu ac ſenſu, tùm etiam ex ſola verborum ſingulorum ſignificatione patet.

Nam 1. aliud eſt remittere peccata, & aliud declarare peccata eſſe remiſſa, vel prædicare Evangelium. Et in omnibus aliis Evangeliorum locis verbum remittere, veram peccatorum remiſſionem ſignificat; ut cùm Chriſtus paralitico & mulieri dixit: *remittuntur tibi peccata tua*; retineri autem peccata à Sacerdotibus, verè ſignificat, ſine illorum abſolutione peccata in cœlis non poſſe remitti, alioqui non retinerentur. Præterea Chriſtus per hæc verba Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus conferebat poteſtatem, quàm ipſe à Patre acceperat, ut oſtendunt hæc verba præcedentia: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos .... accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Chriſtus autem à patre acceperat poteſtatem, verè remittendi peccata.

2. Ligare & ſolvere ſignificant reipſa vincula injicere & demere: non autem præciſè vinculorum injectionem & ſolutionem annuntiare.

3. Suprà dicta verba veram & judiciariam poteſtatem remittendi peccata Sacerdotibus conceſſam præmiſſa confeſſione, ſignificare, conſtat ex Traditione Patrum, qui ea ſic intellexerunt. Quare Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 1. ſic ait: *Verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Novatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit atque condemnavit.*

Dices 2. Quamvis Chriſtus per verba ſuprà dicta Sacerdotes judices inſtituiſſet, tamen non ſequitur confeſſionem peccatorum ab eo præceptam eſſe. Ergo. *Nego antec. prob.* Quando Rex publicos judices inſtituit, nemini præcepit, ut ad illorum judicium ſuas cauſas deferant; ſed poſſunt lites ſuas vel per arbitros vel per ſe ipſos componere. Ergo quamvis Chriſtus, &c.

Reſp. Diſting. anteced. Nemini præcipit, &c. Si ipſi ſubditi cauſas non habeant cum ipſo Rege, *conc. ant* ſi cauſas habeant cum ipſo Rege, *nego ant. & conſeq.* Sicut igitur quando Rex publicos judices inſtituit in cauſis, quas cum illo habent ſubditi, vult ut ſubditi ejusmodi cauſas ad illorum tribunal deferant, aliter non finiendas: ita Chriſtus Sacerdotes conſtituendo ſui ipſius Vicarios ac Judices in cauſis, quas fideles cum ipſo habent, ſcilicet in cauſis peccatorum, præcipit fidelibus, ut peccata ad Sacerdotum tribunal deferant, illorum remiſſionis obtinendæ cauſa. Hoc etiam patet ex poteſtate retinendi peccata & ligandi peccatores Sacerdotibus à Chriſto conceſſa: quomodo enim Sacerdotes peccata retinerent, & peccatores ligarent, ſi

extra illorum judicium, aut citra illius ſubeundi obligationem remitterentur peccata?

Dices 3. Fideles non tenentur peccata venialia Sacerdotibus deferre, & tamen hæc verba (*quorum retinueritis, retenta ſunt*) tam intelligi debent de venialibus, quàm de mortalibus. Ergo ex illis verbis inferri non poteſt obligatio confitendi peccata mortalia.

Reſp. Neg. 2. pars antec. Quia verba Scripturæ pro capacitate materiæ accommodatè intelligi debent. Peccata autem venialia, utpote leves offenſæ Dei, cujus amicitiam non diſſolvunt, non ſunt capacia retentionis abſolutæ & in perpetuum; ſicut ſunt mortalia, quæ ſunt graves injuriæ Dei, ejusque amicitiam diſſolvunt, ac proinde ex ſe in perpetuum à ſalute excludunt. His adde Traditionis & Eccleſiæ ſenſum, verba iſta ſic exponentis.

Inſt. 1. Hæc verba (*quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*) intelliguntur de peccatis venialibus perinde ac de mortalibus. Ergo iſta quæ ſequuntur (*quorum retinueritis, retenta ſunt*) intelligi debent de utrisque, vel de nullis.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia utraque peccata æquè capacia ſunt remiſſionis, imò venialia magis quàm mortalia. At utraque non ſunt capacia retentionis abſolutæ, cùm venialia Dei amicitiam non diſcindant ac proinde priora verba remiſſionem ſignificantia de utrisque peccatis intelligi debent, non poſteriora, quæ retentionem ſonant.

Inſt. 2. Peccata venialia poſſunt non remitti à Sacerdote. Ergo eodem modo utraque peccata retineri poſſunt.

Reſp. Diſting. anteced. Venialia poſſunt non remitti à Sacerdote, ita ut tamen poſſunt remitti citra ejus abſolutionem, tùm in re, tùm in voto ſpectatam. *conc. ant.* ſecùs *nego ant.* *& conſeq.* igitur non eodem modo peccata mortalia & venialia à Sacerdote retinentur. Nam mortalia à Sacerdote retinentur ſtrictè & abſolutè, ita ut remitti non poſſint niſi per abſolutionem Sacerdotis in re vel in voto habitam; & per contritionem perfectam ſine abſolutione nunquam remittantur, niſi quatenus illa votum abſolutionis continet, & cum obligatione ſpeciali, ac directa abſolutionis recipiendæ pro iisdem peccatis ſic remiſſis. Quod de peccatis venialibus dici non poteſt.

Obſerva. Hæc verba (*quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*) quibus Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, primario & per ſe prolata ſunt propter peccata mortalia; quia hoc Sacramentum primario & per ſe inſtitutum eſt ad reconciliandos Fideles lapſos, ideoque ad remittenda peccata mortalia. Tamen cùm non conveniret Sacramentum inſtitui, quod gravia peccata remittere poſſet, non autem levia; hinc ſecundariò per quamdam extenſionem verba illa ſpectant etiam venialia, in quantum continent favorem & gratiam remiſſionis.

Dices 4. Chriſtus per hæc verba (*quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*) Sacerdotes in cauſis venialium judices inſtituit, tamen eorum confeſſionem non præcepit. Ergo idem eſt de mortalibus.

Reſp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia Chriſtus non eodem modo Sacerdotes circa peccata mortalia & venialia judices conſtituit. Nam circa mortalia ſic illos judices conſtituit, ut noluerit illa remitti poſſe citra illorum ſententiam in re, vel ſaltem in voto habitam cum obligatione illius recipiendæ in re. At circa venialia ſic illos judices inſtituit, ut voluerit illa peccata extra illorum judicium remitti poſſe; & quidem valde convenienter, cùm peccata venialia, utpote leves culpæ, debeant poſſe

posse facilius remitti, quàm mortalia, quæ sunt Dei offensæ.

Dices 5. Patres cùm loquuntur de confessione peccatorum, non intelligunt confessionem peccatorum in specie Sacerdoti faciendam, sed confessionem Deo soli faciendam, vel generatim tantùm hominibus.

Resp. Nego. Nam ex textibus Patrum allatis & ex aliis manifestum est, eos loqui de confessione omnium & singulorum peccatorum etiam occultorum Sacerdoti facienda. Et sæpe Patres dicunt peccata declaranda esse Sacerdoti ad eum modum, quo morbi ab ægrotis aperiuntur medico ut sanentur. At morbi omnes & singuli necessariò detegi medico debent, ut sanentur. Ergo ex Patribus omnia & singula mortalia peccata declarari debent Sacerdotibus, ut remittantur.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Apostoli non administrarunt Sacramentum Pœnitentiæ per confessionem Fidelium: Ergo. *Neg. ant. prob.* id nullibi in Scriptura legitur. Ergo. —

Resp. 1. Esto anteced. neg. conseq. Nam non omnia Apostolorum facta & dicta in Libris Sacris scripta sunt; sed multa per solam Traditionem nobis innotescunt, & verò ubi in Scriptura legitur Apostolos baptizasse infantes, & in Baptismo pronunciasse hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* & tamen juxta adversarios utrumque jure divino præscriptam præstiterunt Apostoli. Cùm autem Christus omnium & singulorum peccatorum mortalium confessionem præceperit, quis Apostolos hujus præcepti observationem exegisse negare queat?

Resp. 2. Nego antec. Nam, Act. c. 19. sic legitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Paulo scilicet.

Obj. 2. Innocentius III. primus instituit confessionem peccatorum in specie. Ergo hæc non est præcepta jure divino.

Resp. Hoc Calvini mendacium manifestè confutatum manet ex Scriptura, & Patrum, qui ante Innocentium vixerunt, testimoniis supra adductis. Igitur Innocentius III. seu potius Concilium Lateranense IV. solùm jussit, ut divinum de confessione præceptum saltem semel in anno observaretur.

Obj. 3. Ambrosius, lib. 10. in Lucam ait: *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo . . . . lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri.*

Resp. Ibi loquitur de remissione peccati Petri facta, cùm nondum institutum erat Pœnitentiæ Sacramentum; & dicit tunc contritione perfecta deletum fuisse Petri peccatum. Sed alibi necessitatem confessionis disertè astruit.

Obj. 3. S. Chrysostomus passim carpit & dehortatur confessionem, quæ fit hominibus.

Resp. Solam confessionem publicam à Nectario prædecessore suo abrogatam dehortatur. Nam eam solam confessionem dehortatur, quæ fiebat coram testibus, in theatro, in publico, coram conservis qui exprobrarent, irriderent: quæ omnia soli publicæ confessioni, non privatæ conveniunt. Imò, Hom. 4. de Lazaro ad privatam confessionem Sacerdoti faciendam hortatur: *Non cogo te*, inquit, *in medium prodire theatrum ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatum, &c.*

Inst. 1. S. Chrysostomus confessioni, quæ fit hominibus, opponit eam, quæ fit soli Deo in anima, cogitatione, non lingua, ut patet ex Hom. 2. in Ps. 50. ubi ait: *Peccata tua dicito, ut deleas illa.*

Si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea. Et Homil. 31. in Epist. ad Hebr. *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses; sed obedire te volo Prophetæ dicenti: revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria.* Ergo excludit confessionem omnem homini factam.

Resp. Dist. ant. Confessioni publicæ, quæ fit hominibus, opponit confessionem soli Deo factam, *conc. ant.* confessioni privatæ, quæ fit Sacerdoti ut Ministro Dei, opponit, &c. *nego ant. & conseq.* S. Doctor confessionem soli Deo factam in anima opponit, non confessioni privatæ, quæ fit Sacerdoti tanquam Dei Vicario ad absolutionem sacramentalem obtinendam, & quæ est pars essentialis Sacramenti, quæque moraliter fieri Deo censetur, sed confessioni publicæ, quæ fiebat in cœtu fidelium ad confusionem publicam, & erat tantùm pars quædam satisfactionis, nec necessaria nisi cùm ab Ecclesia præciperetur. Quod patet ex textibus objectis; nam in primo confessionem, quæ soli Deo fit in anima opponit confessioni, ex qua exprobratio sequeretur: hæc autem erat sola confessio publica, non privata, quæ fit sine testibus soli Sacerdoti Dei locum tenenti sub arctissima silentii obligatione. In secundo verò textu confessionem Deo factam opponit confessioni, qua quis se prodit in publicum, & se accusat apud alios, ideoque plures.

Inst. 2. S. Chrysostomus, Hom. 21. ad populum Antiochenum ait: *nec cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus, enumerare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.*

Resp. Ibi Catechumenos alloquitur, ut patet tum ex contextu Homiliæ: *prius dixi,* inquit, *& nunc dico, & dicere non desinam, si quis morum vitia non correxit . . . . ne baptizetur.* Tùm ex ipso titulo Homiliæ, qui hic est, *Catechesis ad illuminandos.*

Porrò in quibusdam locis, ubi Sanctus Chrysostomus loquitur de confessione, ut Psal. 50. agit de peccatis quotidianis seu venialibus, & hortatur ad quotidianum examen & contritionem ad illorum remissionem sufficientem. Quod si quandoque agit de mortalibus, intendit tantùm ad delendam pœnam temporalem, quæ remanet solvenda pro peccatis mortalibus jam per Sacerdotis absolutionem remissis, non necesse esse illa peccata aliis detegere, sed sufficere, ut ea sæpius cum dolore ac gemitu confiteamur Deo, adjunctis jejuniis, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus. Vel ad summum vult solùm peccata à Deo quoad reatum culpæ ante actualem confessionem remitti per contritionem perfectam, sed non sine voto saltem implicito confessionis & absolutionis. Præterea per confessionem, quæ soli Deo fit, intelligunt sæpe Patres etiam confessionem privatam, quæ fit Sacerdoti tanquam Dei locum tenenti & ejus Ministro.

Confirmatur harum responsionum veritas ex eo, quod S. Chrysostomus pluribus locis necessitatem confessionis omnium & singulorum mortalium Sacerdoti faciendæ doceat. Præter jam laudatos, duos alios profero. Hom. 30. in Genes. sic ait: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confessio.* Per diligentem & puram peccatorum confessionem manifestè intelligit confessionem omnium & singulorum mortalium Sacerdoti facien-

ciendam, & quidem secretam, nam publicam multis locis dehortatur. Et Hom. 20. in. Gen. *Attamen qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia: facilè peccata sua emundabit: confessio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum.* Certè omnia peccata dicere soli Sacerdoti cum diligentia, est omnia & singula, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, confiteri secretò.

Obj. 5. Ex Scriptura ad remissionem peccatorum sufficit vera ac sincera cordis conversio: Ergo non requiritur peccatorum confessio.

Resp. Dist. ant. Sufficit vera conversio secundùm leges à Deo constitutas, *conc. ant.* secùs, *nego ant. & conseq.* ad peccatorum remissionem præter pœnitentiam internam & cordis conversionem varia pro varietate temporum Deus præscripsit, quorum præstandorum propositum efficax semper includit vera conversio ac contritio. Sic in lege veteri præter cordis conversionem Deus pro certis peccatis præceperat sacrificia, quæ in nova lege desierunt. Sic etiam in nova lege ad justificationem infidelium præter cordis conversionem necessarius est baptismus. Quid ergo mirum, si ad fidelium lapsorum reconciliationem, ex Christi institutione præter contritionem requiratur confessio, cujus quidem necessitas ex Scriptura & Traditione certò innotescit?

Obj. 6. In actis SS. Patrum nunquam fit mentio confessionis sacramentalis ab illis factæ. Ergo hæc non est necessaria, &c.

Resp. 1. Nego conseq. Quia 1. in Sanctorum actis plerumque non referuntur, nisi quæ sunt magis singularia: Qualis non est confessio, quæ omnibus communis est, & peccatorum magis propria. Imò quot sunt vitæ Sanctorum scriptæ à tempore, quo hæretici fatentur privatam confessionem viguisse, in quibus non fit illius mentio? 2. Quia sola confessio peccatorum mortalium, quibus immunes erant viri sancti, necessaria est jure divino. Confessio autem venialium primis Ecclesiæ temporibus ob Sacerdotum penuriam minus frequens erat, quàm nunc est.

Resp. 2. Interdum fit mentio confessionis secretæ in vitis SS. Patrum. Sic Paulinus, in vita S. Ambrosii narrat illum solitum esse privatas confessiones audire, & crimina sibi declarata soli Deo detegere. Nec fas est dubitare, quin alii Episcopi & Sacerdotes idem præstarent. Præterea ex libris Patrum patet confessionem omnium & singulorum mortalium peccatorum usitatam fuisse in Ecclesia priscis illis temporibus, quibus sanè Christiani divina præcepta diligenter observabant: Nam ex libris Patrum patet confessionem omnium & singulorum mortalium à Deo præceptam esse.

Obj. 7. Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, confessionem abrogavit, nemine reclamante. Ergo confessio non est juris divini, quod à nemine abrogari potest.

Resp. Dist. ant. Nectarius abrogavit confessionem publicam, *conc. ant.* secretam seu privatam, *nego ant. & conseq.* Nectarius, ut tumultum populi ex occasione pœnitentiæ & confessionis publicæ excitatum sedaret, abrogavit confessionem publicam, & simul Pœnitentiarium Constantinopolitanum, qui pœnitentiæ publicæ præsidebat. At non abrogavit confessionem privatam, quippe quæ post Nectarii tempora semper viguit etiam in Ecclesia Græca, ut con-

constat ex Chrysostomo & aliis Patribus, & etiam nunc apud Græcos schismaticos viget; & tamen nullibi legitur confessionis privatæ usum ab aliquo Episcopo vel Concilio restitutum esse. Præterea id solum sustulit Nectarius, quod satis erat ad sedandum populi tumultum ex occasione confessionis publicæ excitatum. Ad hoc autem satis superque erat, si confessio publica abrogaretur.

Dices. Socrates asserit Nectarium permisisse, ut unusquisque secundùm conscientiæ suæ judicium ad sacram Eucharistiam accederet. Ergo abrogavit omnem confessionem sacramentalem.

Resp. Nego cons. Nam sensus est, quod Nectarius permiserit fidelibus, ut pro sua quisque conscientia ad Eucharistiam accederet sine authentico Pœnitentiarii, vel publico Fidelium judicio, quo comprobaretur eum pœnitentiæ legibus satisfecisse, & debitè comparatum esse ad sacra Mysteria percipienda, modò peccati mortalis conscientiam non haberet, aut illud per confessionem privatam uni è Presbyteris factam expurgasset. Sic nunc pro sua quisque conscientia ad Eucharistiam accedit, non tamen sine prævia peccatorum mortalium confessione. Sed ut ista meliùs intelligantur, observanda sunt sequentia.

I. Ex occasione hæresis Novatianorum, qui cum lapsis in persecutione Decii communicare recusabant, & Ecclesiam nimia erga graves peccatores indulgentia arguebant; Episcopi catholici statuerunt, ut Fideles, qui in graviora crimina publicè lapsi essent, ad Eucharistiam non admitterentur, nisi priùs peccata illa in cœtu Ecclesiæ confessi essent, & publicam pœnitentiam egissent. Propterea ab Episcopis constitutus fuit Presbyter Pœnitentiarius, qui pœnitentiæ publicæ præesset, ad quem accedere tenerentur omnes & soli Fideles, qui graviora peccata publicè admisissent, pro quibus proinde publica pœnitentia agenda esset.

Quamvis autem alii Fideles solorum occultorum peccatorum rei non tenerentur ad hunc Pœnitentiarium accedere, tamen ipsi ultrò ex ejus consilio ad sui humiliationem poterant palam in cœtu Ecclesiæ detegere ea, quorum manifestatio nullum scandalum, aut damnum sive sibi, sive aliis procreare poterat.

II. Presbyter Pœnitentiarius publicè lapsorum peccata omnia privatim audiebat, & quæ occulta erant, secreta manebant: publica verò pro arbitrio jubebat palam in cœtu Ecclesiæ à pœnitente declarari, & pro his publicam pœnitentiam imponebat. Quare à publicis peccatoribus & pœnitentibus duplex fiebat confessio, una privata, & altera publica. Confessio privata ordinabatur ad absolutionem sacramentalem, & erat essentialis pars Sacramenti pœnitentiæ: publica verò ordinabatur ad confusionem ac pœnam, eratque pars quædam satisfactionis, ac proinde erat integralis tantùm pars Sacramenti. Nam publica illa confessio instituta non erat, ut per eam Sacerdos peccata pœnitentis cognosceret, sed solùm ut pœnitens publica illa confusione accepta partem pœnæ temporalis peccatis debitæ lueret, & aliis esset ad terrorem, & scandalum datum tolleret.

III. Factum Nectarii & ejus caussam sic refert Socrates, *L. 5. hist. c. 19.* Quamvis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum, tamen temporibus Nectarii Episcopi immutarunt propter ejusmodi facinus, quod tum fortè fortuna in Ecclesia admissum fuit. Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedit; peccata, quæ post baptismum commiserat, particulatim confitetur. Presbyter

byter mulieri mandatum dat, ut jejuniis & continuis precibus se dederet, quò unà cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentia ostenderet. Mulier longiùs in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse .... ex quo cùm magna populi offensio, & Clericalis ordinis infamia secuta fuisset .... Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter genere Alexandrinus, Episcopo Nectario dedit consilium, ut Presbyterum Pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet.

Idem Socrates testatur se id ab ipso Eudæmone resciviſſe: ex hac narratione patet 1. duplicem fuisse confessionem, de qua suprà, unam privatam, in qua peccata particulatim, seu singillatim aperiebantur: & alteram publicam, quæ conjungitur satisfactioni tanquam illius pars. 2. Causam offensionis populi fuisse publicam confessionem flagitii cum Diacono perpetrati, quod mulier longiùs progressa, id est, absque Presbyteri Pœnitentiarii mandato, sed ex indiscreta humilitate palam declararat.

ARTICULUS II.

Utrùm ad valorem confessionis sacramentalis, jure Divino præceptæ requiratur confessio omnium peccatorum mortalium quoad numerum, species, & circumstantias?

§. I.

Prænotanda.

I. SPecies peccatorum possunt esse diversæ vel physicè, vel moraliter. Species diversæ physicè sunt eæ, quæ diversæ sunt secundùm entitatem. Sic furtum centum nummorum, & furtum equi centum nummos valentis sunt duæ species peccati diversæ tantùm physicè, nam sunt duo peccata ejusdem speciei moralis. Species diversæ moraliter sunt eæ, quæ habent malitiam, seu difformitatem notabiliter inter se diversam. Sic percussio injusta Clerici, & injusta percussio Laici sunt diversa specie morali peccata.

II. Circumstantia moralis est affectio seu conditio actus humani, ad ejus bonitatem vel malitiam conducens. Circumstantiæ aliæ mutant speciem, hoc est, dant actui novam speciem malitiæ: ut cùm homicidium factum est in templo, circumstantia loci addit injustitiæ peccato malitiam sacrilegii ob oppositionem cum religione. Unde hoc facinus duas habet malitias specie diversas, unam contra justitiam, & alteram contra religionem. Huc etiam pertinent circumstantiæ, quæ efficiunt peccatum mortale, quod alioqui esset veniale, ut circumstantia patris in contumelia, quæ altari illata censeretur levis injuria: nam mortale peccatum specie morali diversum est à veniali.

Aliæ verò circumstantiæ non mutant speciem, sed peccatum intra eandem speciem notabiliter aggravant vel minuunt, ut major vel minor quantitas moralis, duratio, intensio, &c. Aliæ demum multiplicant peccatum intra eandem speciem, ut numerus personarum quas læseris, quibus detraxeris, &c. Porro circumstantia specie mutat, cùm actus propter illam habet disconvenientiam cum natura rationali & lege divina notabiliter diversam, vel oppositionem cum diversis specie præceptis aut virtutibus, vel modum oppositionis cum eadem virtute notabiliter diversum.

III. Hìc agitur solùm 1. de circumstantiis, quæ mutant speciem moralem peccatorum, non physicam tantùm:

nam peccata in confessione non nisi in ordine ad mores ac malitiam considerantur. Quare mutationes mere physicæ non sunt in confessione exprimendæ, v. gr. utrùm sclopo an gladio occideris. 2. De circumstantiis aggravantibus graviter seu mortaliter, hoc est, addentibus malitiam mortalem intra eandem speciem. Nam de illis, quæ leviter tantùm & venialiter aggravant, idem est judicium quod de peccatis venialibus. 3. De circumstantiis liberè admissis. Nam circumstantiæ, quæ speciem mutant, vel peccatum graviter aggravant, sed sine ulla libertate & cum ignorantia invincibili, non sunt culpabiles.

§. II.

Dico 1. Ad remissionem peccatorum mortalium, & valorem confessionis Sacramentalis jure Divino præceptæ, necesse est, ut pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia, eorum numerum, species, & circumstantias, peccati speciem mutantes, quæ post diligens examen occurrunt animo, nisi tamen causa legitima confessioni extrinseca excuset. Est de fide, & jam constat ex dictis, adhuc tamen

Prob. 1. Ex his Christi verbis, quibus Sacramentum pœnitentiæ instituit, Joann. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Matth. c. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Ex quibus sic argumentor. Christus per hæc verba Apostolis eorumque successoribus dedit judiciariam potestatem remittendi & retinendi peccata, ligandi & solvendi peccatores; & dando voluit hanc potestatem prudenter, justè, ideoque cum cognitione causæ, & discretione peccatorum remittendorum vel retinendorum & pœnarum injungendarum exerceri, ut per se patet. Ergo Christus voluit, ut pœnitens ad remissionem peccatorum obtinendam, Sacerdoti confiteretur omnia & singula peccata mortalia quoad numerum, species, & circumstantias peccati speciem mutantes; siquidem sine tali confessione Sacerdos suam potestatem judiciariam exercere non potest prudenter, justè, cum discretione, & æquitate in pœnis injungendis, ut etiam per se notum est.

Prob. 2. Ex Conc. Trident. Sess. 14. Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta & circumstantias, quæ peccati speciem mutant .... Anathema sit.* Et c. 5. sic ait: *Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint ... qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere; quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut*

de

de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.

Ratio à priori est voluntas Christi instituentis remedium peccatorum per modum judicii primariò reconciliativi, & secundariò punitivi, cujus rectum exercitium ejusmodi confessionem exigit.

Obj. Cùm hæreticis. Ejusmodi confessio est impossibilis, & carnificina conscientiarum: Ergo non est à Christo præcepta, &c.

Resp. Nego antec. Constat enim (inquit Concil. Trident Sess. 14. c. 5.) *nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit .... ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur.* Nam ii ex integra confessione cum debita contritione facta remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem, & auxilia gratiæ, quibus facilius præcaventur peccata, consilium, instructionem, solatium, animi quietem circa peccata præterita, remedium contra futura percipiunt. Illa verò ipsa confusio privata, quam pœnitens in accusatione sui experitur, pars est quædam satisfactionis pœnæ temporalis peccatis debitæ, ideoque ipsi valde utilis.

§. III.

Dico 2. Ad valorem confessionis Sacramentalis jure Divino præceptæ, necesse est, ut declarentur etiam circumstantiæ notabiliter, seu mortaliter aggravantes intra eandem speciem. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, Sylvius, & alii multi Doctores.*

Prob. 1. Ex Can. *consideret* de Pœnit. dist. 1. ex Catechismo Romano, & ex Sancto Carolo, in Instruct. Confessariorum.

2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem, ut constat ex multis Pœnitentialibus & Ritualibus tùm antiquis, tùm recentioribus. Non reservantur autem nisi ea, quæ sunt de necessitate confessionis.

3. Ex Concil. Lateranens. IV. Can. *Omnis utriusque sexus*, quo dicitur: *Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat illi præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.* Ergo ex hoc. Conc. Sacerdos in Sacram. Pœnitentiæ constitutus est non solùm Judex, sed etiam Medicus, cui ex officio incumbit solùm pœnas imponere pro criminum gravitate, sed etjam remedia morborumgravitati proportionata præscribere. Ad hoc autem munus obeundum requiritur cognitio gravitatis peccatorum, quæ haberi nequit sine declaratione circumstantiarum moraliter aggravantium.

4. Ex Conc. Trid. Sess. 14. Can. 7. omnia & singula peccata mortalia etiam intra eandem speciem declaranda sunt. Atqui circumstantiæ moraliter agravantes sunt multa peccata mortalia virtualiter & æquivalenter: sive actus cum sua circumstantia moraliter aggravante est multiplex virtualiter peccatum intra eandem speciem; nam circumstantia moraliter aggravans addit actui gradum malitiæ moralis. In moribus

autem multiplicatis virtualis & physica perinde ſe habent.

5. Denique, quia rationes, quas Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 5. affert pro obligatione confitendi circumſtantias ſpeciem mutantes, nimirum: *quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere:* hæ, inquam, rationes valent etiam pro circumſtantiis moraliter aggravantibus, & ſic Concilium implicitè & virtualiter docet illas aperiri debere: nam ſine illis neque peccatum integrè exponitur nec innoteſcit Sacerdoti, cum ſupprimatur malitia mortalis, quam illæ circumſtantiæ addunt, & per quam peccatum fit virtualiter ac æquivalenter duplex numero: neque etiam Sacerdos ſine illarum declaratione poteſt rectè cenſere peccatorum gravitate, & pœnam proportionatam imponere; cùm ignoret gravitatem malitiæ mortalem, quam habet peccatum ex circumſtantia, ob quam multo graviore pœna dignum eſt, & quæ notabiliter variat confeſſoris judicium.

Conf. Nam alioquin, qui alterum modo valde crudeli occidiſſet, puta vivum lento igne comburendo, ſatisfaceret dicendo ſe homicidium perpetraſſe. Item qui diu ſine ulla interruptione in voluntate occidendi vel mæchandi perſeveraſſet, ſatisfaceret dicendo ſe voluiſſe occidere, mæchari, quod ſanè abſurdum eſt & falſum.

Obj. 1. Concil. Trident. definiens quænam circumſtantiæ declarandæ ſint, ſolùm mentionem facit circumſtantiarum ſpeciem mutantium. Ergo aliæ non ſunt neceſſario aperiendæ, alioqui Concilii doctrina non eſſet accurata.

Reſp. Diſting. anteced. Et ſimul implicitè ac virtualiter exigit confeſſionem circumſtantiarum peccatum mortale mortaliter aggravantium, *conc. ant.* ſecùs, *nego ant. & conſeq.* Conc. noluit definire expreſsè quæſtiones inter Catholicos controverſas; tamen implicitè virtualiter & ſufficienter requirit confeſſionem circumſtantiarum moraliter aggravantium. Nam ratio, quam affert, cur circumſtantiæ ſpeciem mutantes declarandæ ſint, (nempe ut Sacerdos de criminum gravitate rectè judicare poſſit, & pœnas illis proportionatas imponere,) probat etiam circumſtantias moraliter aggravantes intra eandem ſpeciem aperiendas eſſe.

Porro quamvis Concil. primariò & principaliter intenderit damnare hæreticorum errores: tamen in illorum damnatione multa docet, ex quibus colligitur quid ſentiendum ſit circa varias quæſtiones inter Catholicos controverſas.

Inſt. 1. Concil. Trident. Seſſ. 14. c. 5. poſtquam docuit declarandas eſſe circumſtantias ſpeciem mutantes, paucis interjectis, addit nihil aliud exigi à pœnitentibus, quàm ut peccata omnia mortalia, quæ per diligens examen meminerint, confiteantur. Ergo.

Reſp. Diſt. antec. Quàm ut peccata mortalia confiteantur modo requiſito, ut Sacerdos rectè cenſere poſſit de gravitate criminum & de pœnis proportionatis imponendis, quod ibidem exigit, *conc. ant.* ſecùs, *neg. ant. & conſeq.* ad judicium Sacramentale rectè exercendum neceſſe eſt, ut Sacerdos rectè cenſere poſſit de gravitate criminum & pœnarum imponendarum: ad quod requiritur declaratio circumſtantiarum moraliter aggravantium, quæ peccatum virtualiter duplex, aut multiplex malitia morali efficiunt.

Obj. 2. Ex inſtitutione Chriſti peccata mortalia declaranda ſunt tantùm quoad numerum & ſpeciem: nam hoc ſufficit ad remittendum & retinendum pec-

peccata, ad solvendum & ligandum. Ergo declarari non debent circumstantiæ aggravantes.

Resp. Nego anteced. & ejus probationem. Nam Pœnitentiæ Sacramentum à Christo institutum est per modum judicii non solùm reconciliativi, sed etiam punitivi: cujus quidem rectitudo & æquitas exigit in judice cognitionem gravitatis criminum, ac proinde in pœnitente declarationem circumstantiarum moraliter aggravantium, quæ graviores pœnas exigunt, & confessarii judicium notabiliter immutant.

Obj. 3. S. Thomam.

Respondet. Natalis Alexander Dominicanus S. Doctorem nostram doctrinam secuturum fuisse, si post Tridentinam Synodum, & ejus Catechismum ab Ecclesia approbatum & Pastoribus traditum scripsisset. Nec religionis esse ab ejus sententia discedere, quam junior propugnavit, in 4. dist. 16. q. 3 art. 2. Alii volunt S. Thomam loqui solùm de circumstantiis speciem non mutantibus, quæ novum morale peccatum nec formaliter, nec æquivalenter constituunt. Eodem sensu loqui censent S. Bonaventuram, aliosque veteres, maximè è plerisque eorum aliter accipiantur voces illæ, *speciem mutantes*, quàm à Recentioribus sumantur; dicebant enim circumstantias illas mutare speciem, quæ malitiam moralem addunt.

Obj. 4. Circumstantiæ aggravantes constituunt unicum mortale peccatum. Ergo non necessariò declarari debent.

Resp. Disting. anteced. Constituunt unicum peccatum physicè, sed æquivalenter numero multiplex, *conc. ant.* non æquivalenter numero multiplex, *nego anteced. & conseq.* circumstantia moraliter aggravans tribuit actui malitiam mortalem, quam sine illa actus non haberet: ac proinde actus malus per illam habet saltem malitiam tantam, quantam habent duo peccata mortalia numero distincta. Ergo circumstantia moraliter aggravans constituit æquivalenter plura peccata mortalia numero distincta. Plura autem moralia æquivalenter numero distincta non minùs declarari debent, quàm plura mortalia realiter numero distincta: nam in moribus multiplicitas virtualis & physica perinde se habent. Et consequenter circumstantiæ peccata æquivalenter plura constituentes debent quoque declarari, cùm sine illis circumstantiis ejusmodi peccata non possint cognosci: quemadmodum sine circumstantiis speciem mutantibus explicari nequeunt peccata æquivalenter plura specie diversa.

Obj. 5. Lex confessionis est odiosa. At lex odiosa non obligat nisi ad ea, quæ clarè continet. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam lex confessionis est favorabilis, ordinatur enim ad remissionem peccatorum & ad bonum ipsius confitentis. Et quamvis difficilis sit, fructuum tamen & commodorum multitudine ac præstantia difficultatem abundè compensat: ac proinde odiosum non est, quidquid ad fructus illos certiùs percipiendos requiritur. Præterea obligatio confitendi circumstantias aggravantes satis clarè continetur in lege confessionis à Concil. Trident. explicata.

Obj. 6. Declaratio circumstantiarum aggravantium est moraliter impossibilis saltem rudibus, qui illas discernere nequeant.

Resp. Nego. Nam circumstantiæ moraliter aggravantes saltem præcipuæ sunt hæ quatuor, scilicet actus intensio, duratio, modus quo peccatum admissum est, & extensio, seu quantitas damni illati. Facilè autem discernere quisque potest, an

an actus fuerit valde intensus, v. gr. odium valde vehemens, an diu perseveraverit in mala voluntate, an modo valde perverso illam perfecit aut perficere intenderit, an quantitatem notabilem surripuerit, aut damnum aliud in bonis, fama, honore, &c. valde notabile intulerit. Imò quantatis damni magis pertinet ad objectum peccati quàm ad ejus circumstantiam, unde certiùs adhuc declarari debet. Certè difficile est etiam rudioribus discernere, quandonam circumstantiæ speciem mutant, & tamen necessariò declarandæ sunt.

Obj. 7. Si circumstantiæ notabiliter aggravantes aperiendæ sunt, declarari etiam debent circumstantiæ notabiliter imminuentes gravitatem peccati. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Neg. minor. Itaque circumstantiæ notabiliter imminuentes malitiam peccati, sive efficiant, ne peccatum sit mortale, sive ne mortale sit mortaliter gravius quàm alioqui esset, exprimi debent in confessione. Quia alioquin confessarius non posset rectè judicare de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ, & deciperetur in re gravi.

ARTICULUS III.

Utrùm pœnitens teneatur aliquando detegere confessario complicem, seu socium peccati, & personam quæ fuit objectum peccati?

DIco 1. Certum est id non licere, si pœnitens possit aliter peccatum suum sufficienter exprimere: vel si sine gravi incommodo possit adire confessarium, cui complex sit ignotus: vel si peccatum jam aliàs sit ritè confessus & ab eo absolutus, & tunc faciat confessionem generalem. Quia in his casibus sine justa causa proximum infamaret, quod nunquam licet.

Dico 2. Quando pœnitens confitetur Sacerdoti, cui complex ignotus est, tenetur manifestare complicem, si non possit aliter peccatum suum integrè explicare. Quia tunc nulla est infamatio proximi, & urget præceptum integritatis confessionis.

Dico 3. pœnitens tenetur declarare peccatum complicis, cùm aliter non potest peccati proprii speciem, vel gravitatem moralem aperire, nec potest sine gravi damno vel incommodo differre confessionem, nec adire confessarium, cui complex ignotus sit. *Ita S. Bernardus, de forma honestæ vitæ; S. Thomas; S. Bonaventura; S. Antoninus; Suarez, Vasquez; & alii communiùs.*

Prob. Quia ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5. Christus integram peccatorum confessionem secundùm suas species, & totam suam gravitatem moralem universaliter præcipit. Ergo ad eam tenetur pœnitens, non obstante infamia sive propria, sive alterius, quæ per se apud eundem confessarium oritur ex confessione necessaria. Nam qui vult aliquid efficaciter, illud vult etiam non obstante incommodo, quod per se ex eo sequitur, & ei conjunctum est. Et verò pœnitens ad integritatem illam tenetur cum propria infamia: Ergo etiam cum infamia alterius, cujus peccati declaratio necessaria est ad proprium peccatum integrè confitendum. Nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem ut se ipsum infamet, quàm ad eum obligandum, ut alterius crimen declaret. Aliquando enim possum crimen alterius detegere ad vitandum aliquod malum meum etiam temporale grave & injustum, quamvis non ideo obliget ad crimen meum manifestandum.

Præterea ratio propter quam ex Concil. Trident. l. cit. Christus integram peccatorum confessionem præcepit, videlicet

videlicet ut Sacerdos possit prudenter judicare, punire, curare: non minùs probat integritatem confessionis fieri debere cum notitia complicis ad hos fines necessaria, quàm cum propria infamia pœnitentis.

Hinc pœnitens, qui cum unica sorore sua confessario nota commisit incestum, tenetur confiteri incestum in tali gradu, positis supradictis limitationibus ac circumstantiis.

Obj. Non licet infamare proximum. Ergo non licet declarare peccatum complicis.

Resp. Non licet infamare proximum sine justa causa, vel cum intentione eum infamandi. At licet infamare proximum sine intentione eum infamandi, declarando ejus crimen, cùm adest justa causa. In hoc autem casu adest justa causa, nempe satisfieri præcepto divino integritatis confessionis.

Præterea complex non habet jus, ut in judicio suum peccatum, quod est alterius circumstantia vel objectum occultetur, quando aliter judicium rectè exerceri non potest: quare complicis diffamatio apud solum confessarium ex tam justa causa non est detractio, nec diffamatio injusta.

Observa. Ipsa infamatio apud solum confessarium per se sequitur ex integra confessione: alia verò damna ex ea sequuntur tantùm per accidens. Incommoda autem, quæ per se ex integritate confessionis sequuntur, illam impedire non debent, quia illis non obstantibus præcepta est, alioqui præceptum non esset efficax, nam qui aliquid efficaciter præcipit, illud præcipit cum omnibus incommodis ac damnis, quæ per se sequuntur ex re præcepta. Incommoda verò, quæ sequentur per accidens, præcepti efficaciam non impediunt, cùm ordinariè non occurrant.

Dico 4. Pœnitens in hypothesi supradicta detegere tenetur personam, quæ fuit objectum peccati quamvis inculpabiliter, ex quo tamen in illam redundat aliqua infamia apud confessarium; ut si quis sorori quamvis omnino invitæ & reluctanti stuprum intulisset. Nam hìc eadem ratio valet. Præceptum enim integritatis confessionis pœnitentem obligat ad detegendum defectum aliquem occultum proprium infamem quamvis inculpabilem, si hoc necessarium sit ad exprimendum sufficienter suum peccatum, ut si occultè illegitimus sit, & ordines sine dispensatione susceperit.

ARTICULUS IV.

Utrùm peccata dubia declarari debeant in confessione?

Nota. QUi post diligens examen judicat probabiliùs se peccasse mortaliter, tenetur confiteri. Quia non potest nisi imprudenter judicare se non peccasse, cùm habeat graviora motiva judicandi se peccasse, quàm sint motiva judicandi se non peccasse mortaliter. Econtra qui judicat cum probabilitate longè & notabiliter majore se non peccasse mortaliter, non tenetur confiteri; quia prudenter judicat se non peccasse mortaliter.

Dico. Pœnitens tenetur omnia peccata dubia confiteri.

Prob. 1. Quia tunc pœnitens non potest prudenter judicare se non teneri ea confiteri; & non confitendo exponit se periculo non faciendi confessionem integram, qualis à Christo præcepta est.

2. Quia hic est sensus communis, & praxis fidelium, qui peccata dubia confitentur, existimantes se ad id teneri.

Hinc 1. qui certò judicat se peccasse mortaliter, sed dubitat an peccatum illud confessus fuerit nec ne, tenetur illud confiteri. *Ita communiter.* Quia non potest prudenter judicare se certæ obliga-

obligationi confitendi omnia peccata mortalia satisfecisse.

Hinc 2. qui scit se commisisse peccatum aliquod, sed dubitat, sitne mortale an veniale, tenetur hoc peccatum confiteri. *Ita communiter.* Quia non potest prudenter judicare se non peccasse mortaliter: ac proinde omittens confessionem illius peccati, exponit se periculo non faciendi confessionem integram.

Hinc 3. qui post diligens examen an aliquod peccatum, quod scit esse mortale, admiserit, tenetur illud confiteri. *Ita communiùs contra paucos aliquos.* Quia is non potest prudenter judicare se non admisisse tale peccatum: ac proinde si illud non confiteatur, exponit se imprudenter periculo non faciendi confessionem integram. Idem is non vult sufficienter & quantùm est in se, satisfacere obligationi confitendi omnia peccata mortalia.

Obj. 1. Concil. Tridentin. tradens materiam confessionis, nullam facit mentionem peccatorum dubiorum. Ergo non est obligatio illa confitendi.

Resp. Disting. antec. Nullam mentionem facit expressè, *conc. ant.* nullam mentionem facit implicitè & virtualiter, *nego anteced. & conseq.* Concil. Trid. implicitè & sufficienter docet obligationem confitendi peccata dubia, cùm declarat necessariam esse confessionem omnium & singulorum peccatorum mortalium, quorum pœnitens conscientiam habet post diligens examen. At pœnitens habet conscientiam peccati mortalis dubii: ergo tenetur illud confiteri secundùm conscientiam quam de illo habet, ac proinde tenetur confiteri illud peccatum ut dubium.

Præterea non confitens peccatum dubium, exponit se periculo non confitendi omnia peccata mortalia, quæ Concil. docet esse declaranda.

Obj. 2. Delictum non debet præsumi in dubio.

Resp. In foro interno potest & debet præsumi ut dubium in dubio rationabili. Est autem discrimen inter forum internum & externum. Nam forum externum ordinatur tantùm ad puniendum reum: internum verò forum ordinatur primariò ad illum liberandum & absolvendum, secundariò autem ad pœnam ei imponendam, quæ semper illi salutaris est, & longè minor ea, quam alioqui subire deberet.

Obj. 3. In dubio melior est conditio possidentis.

Resp. 1. Hoc effatum valet tantùm in materia justitiæ, quæ hominis dominio subjacet.

Resp. 2. Cùm quis dubitat an peccaverit mortaliter, nec ne, est tantùm in dubia possessione suæ innocentiæ: tunc enim nec est nec potest esse certus de sua innocentia. Qui autem est in dubia possessione suæ innocentiæ, tenetur non solùm conteri, sed etiam confiteri, ne se exponat periculo violandi præceptum confitendi integrè omnia peccata, prout sunt in conscientia.

Obj. 4. Qui dubitat, an mortaliter peccarit, non habet motivum sufficiens judicandi se peccasse.

Resp. Neque etiam habet sufficiens motivum judicandi prudenter se non peccasse mortaliter: ac proinde non est nisi in dubia possessione suæ innocentiæ; & si non confiteatur, exponit se periculo non confitendi peccatum mortale.

Præterea juxta omnes is in tali dubio tenetur ad actum contritionis: Ergo etiam tenetur ad confessionem, cujus votum includit contritio. Denique in tali dubio pœnitens non tenetur judicare se peccasse; sed solùm confiteri peccatum illud ut dubium.

Obj. 5. Sine causa nemo potest obligari ad se condemnandum in dubio peccati, tanquam si certò illud admisisset.

ſiſſet. Ergo nemo tenetur confiteri peccatum dubium.

Reſp. Nego conſeq. Nam pœnitens non obligatur ad ſe ipſum certò judicandum reum peccati, de quo prudenter dubitat; ſed ſolùm obligatur ad confitendum peccatum ut dubium, quod novit ut dubium, ut Sacerdos de illo peccato tanquam dubio ſententiam ferat.

Inſt. Non eſt ſufficiens cauſa obligandi pœnitentem ad confitendum mortale peccatum dubium. Ergo ad hoc non obligatur.

Reſp. Neg. antec. Nam ſufficiens cauſa hæc eſt, quia niſi illud confiteatur, ſe exponit imprudenter periculo non confitendi omnia peccata ſua mortalia. Si enim illud peccatum pubium ſit verè commiſſum, ut fieri poteſt, ſpectata conſcientia pœnitentis, cùm illi ſit æquè probabile commiſſum eſſe quàm oppoſitum; certè illud tacendo non confitebitur verum peccatum mortale.

Obj. 6. Qui dubitat, an votum emiſerit, non tenetur illud implere. Ergo à pari, qui dubitat an peccatum commiſerit, non tenetur illud confiteri.

Reſp. Nego anteced. Nam is in tali dubio non poteſt prudenter judicare ſe non voviſſe: ac proinde non implendo votum, ſe exponeret imprudenter periculo violandi promiſſionem Deo factam, etiam ſpectato ſuo conceptu. Poterit tamen ei faciliùs diſpenſatio concedi, quàm ſi votum certum eſſet.

Obſerv. Pœnitens tenetur peccata dubia confiteri ut dubia, ſicut certa tenetur confiteri ut certa: alioqui confeſſarium in re gravi deciperet, & judicii rectitudinem ac æquitatem impediret; longè enim aliter ſtatuendum eſt de peccato dubio atque de certo. Qui tamen confeſſus eſt aliquod peccatum ut dubium, ſi poſtea cognoſcit eſſe certum, tenetur illud iterum confiteri ut certum. Nam ex inſtitutione Chriſti pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri eo modo, quo Sacerdos rectè cenſere poſſit de eorum gravitate, & pœna convenienti imponenda, ad quod requiritur confeſſio peccati ut certi.

ARTICULUS V.

Qualis integritas confeſſionis ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur?

Nota 1. Integritas confeſſionis duplex diſtinguitur, nempe materialis & formalis. Confeſſio integra materialiter, eſt confeſſio omnium omnino peccatorum mortalium quoad numerum & ſpeciem cum circumſtantiis omnibus tum mutantibus ſpeciem, tum moraliter aggravantibus, atque etiam dubiorum. Confeſſio integra formaliter eſt confeſſio omnium & ſingulorum mortalium peccatorum cum circumſtantiis ſupradictis, quorum pœnitens memoriam habet poſt diligentem ſui diſcuſſionem: vel ſaltem omnium, quæ hìc & nunc pœnitens confiteri tenetur, ita ut nullum ſine legitima excuſatione reticeat.

Nota 2. Integritas confeſſionis poteſt dupliciter ſpectari, nempe loquendo per ſe, & loquendo per accidens. Spectatur loquendo per ſe, quando citra omnem caſum legitimæ excuſationis, puta oblivionis, vel impotentiæ conſideratur: ſpectatur verò per accidens, quando in caſu aliquo legitimæ excuſationis conſideratur.

Dico 1. Integritas materialis confeſſionis ſeu confeſſio materialiter integra, per ſe loquendo, ſeu ſecluſa legitima excuſatione, requiritur ad valorem Sacramenti.

Prob. Quia ad valorem Sacramenti requiritur ea confeſſio, quæ à Chriſto inſtituta & præcepta eſt: nam talis con-

confeſſio eſt eſſentialis pars Sacramenti. Atqui confeſſio materialiter integra quæ ſcilicet complectatur omnia & ſingula peccata mortalia quoad numerum & ſpeciem, cum circumſtantiis peccati ſpeciem mutantibus & mortaliter aggravantibus, à Chriſto inſtituta & præcepta eſt, quando fieri poteſt moraliter, ſeu ſecluſa legitima excuſatione, ut ex dictis conſtat. Et verò peccatum mortale in una confeſſione inculpatè omiſſum, ceſſante impedimento, in alia confeſſione neceſſariò declarari debet. Ergo ad valorem Sacramenti requiritur confeſſio materialiter integra, quando moraliter haberi poteſt, ideoque per ſe requiritur.

Dico 2. Integritas formalis confeſſionis ſeu confeſſio integra formaliter ſufficit ad valorem Sacramenti, ex parte confeſſionis. Ac proinde integritas materialis per accidens, nempe propter caſum legitimæ excuſationis non requiritur.

Prob. Confeſſio integra formaliter tantum eſt ea, qua inculpabiliter omittitur aliquid, quod ſecluſa legitima excuſatione declarari debet. Atqui talis confeſſio ſufficit ad valorem Sacramenti. Ergo ad hunc valorem ſufficit confeſſio integra formaliter. *Prob. min.* Nam confeſſio, in qua ex oblivione inculpabili & impotentia omittuntur peccata aliqua mortalia, eſt valida & ſufficiens, ut conſtat ea Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 5. ubi ait: *Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut poſtquam quisque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.*

Ex quo patet confeſſionem diminutam ex oblivione inculpabili validam eſſe. Quæ autem ratio eſt de oblivione, eadem eſt de quavis alia impotentia phyſica. Imò juxta communem Doctorum conſenſum etiam impotentia moralis, conſiſtens in graviſſimo damno confeſſioni extrinſeco excuſat ab integritate materiali, quia Chriſtus noluit, ut præceptum confeſſionis omnes obligaret non obſtante morali impoſſibilitate.

Dico 3. Ad valorem Sacramenti requiritur confeſſionis integritas reſpectu ejusdem Sacerdotis & ejusdem abſolutionis: ita ut omnia peccata mortalia cum ſuis circumſtantiis neceſſariò declaranda ſint eidem Sacerdoti, & in ordine ad eandem abſolutionem. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nunc cernitur, & cujus initium cùm ignoretur nec oſtendi poſſit, ab ipſius Chriſti præcepto repetendum eſt.

2. Ex Conc. Lateran. IV. c. *Omnis*, ubi docet omnia peccata eidem Sacerdoti declaranda eſſe. Idem docet Concil. Florentin. in decreto pro Armenis. In hoc autem jus divinum duntaxat explicant.

3. Ex Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 5. declarante, confeſſionem, in qua pœnitens aliquod peccatum Sacerdoti reticet, eſſe nullam: *Qui ſcienter*, inquit, *aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Non dicit *Sacerdotes.*

Ratio eſt voluntas Chriſti, qui omnia peccata ſubjecit judiciali ſententiæ Sacerdotis. Sententiæ autem æquitas ac rectitudo exigit cognitionem adæquatam cauſæ, in quam fertur. Unde cùm ſententia abſolutionis feratur in omnia peccata mortalia (nam unum ſine alio remitti non poteſt) prærequi-

rit quantùm fieri potest cognitionem omnium peccatorum.

ARTICULUS VI.

Utrùm confessio necessariò facienda sit voce, seu verbis ore prolatis?

Nota. Certum est 1. confessionem aliquo signo sensibili factam requiri ad valorem Sacramenti; quia confessio est materia hujus Sacramenti, & fieri debet Sacerdoti, ab eoque intelligi. 2. Vocem seu oris locutionem esse signum sensible faciendæ confessioni accommodatissimum; tùm quia est signum magis usitatum ac notum: tùm quia certiùs & distinctius significat quàm cætera.

Dico 1. Non est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, ut confessio fiat voce; sed validè fieri potest scripto, gestu aut nutu, si desit facultas loquendi.

Prob. 1. Ex usu Ecclesiæ, quæ mutos & moribundos vocis usu destitutos, per nutus vel alia signa confitentes absolvit.

2. Ex Rituali Romano, ubi dicitur moribundum, qui per solos nutus absque voce confitetur, absolvendum esse.

3. Quia ex institutione hujus Sacramenti sufficit accusatio, ex qua Sacerdos de peccatis & statu pœnitentis rectè judicare possit: talis autem accusatio fieri potest alio signo quàm voce, putà scripto. Hinc qui non potest loqui, tenetur scripto vel nutibus confiteri, cùm urget præceptum confessionis.

Obj. Ex Conc. Florent. materia hujus Sacramenti est oris confessio.

Resp. Sic loquitur, quia confessio regulariter & citra necessitatem oris locutione facienda est: non autem quòd confessio per oris locutionem essentialis sit Sacramento, ut constat ex Ecclesiæ praxi ita interpretante. Concilia autem sicut scriptura intelligi debent secundùm perpetuam Ecclesiæ sensum & usum.

Dico 2. Confessio sub mortali culpa fieri debet voce, quando sic moraliter fieri potest: ita ut aliis signis tunc facta confessio sit illicita, & consequenter invalida.

Prob. 1. Quia ita communiter sentiunt Theologi post S. Thomam; quamvis ex illis aliqui nullum in hoc agnoscant præceptum expressum neque divinum, neque ecclesiasticum, sed solùm obligationem ex consuetudine ortam.

2. Ex consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente: quæ cùm spectet ad modum convenientiorem perficiendi Sacramentum, obligat graviter.

ARTICULUS VII.

Utrùm confessio secreta ad valorem Sacramenti sufficiat, aut requiratur?

Nota. Confessio secreta, quæ etiam auricularis dicitur, est ea, quæ sine ullo teste fit à pœnitente soli Sacerdoti. Publica verò est ea, quæ fit coram multis.

§. I.

Dico 1. Confessio publica ad essentiam hujus Sacramenti non requiritur, sed sufficit secreta. Est de fide.

Prob. 1. Ex Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5. ubi ait: *Cæterum, quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda Unde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimi-*

que consensu, secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata; manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateran. Congregatis initium habuisse, docere non verentur.

2. Ex perpetua Ecclesiæ traditione & consuetudine, quam Concil. Trid. loco citato, expressit.

Hinc Leo Magnus, Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ quosdam reprehendit, qui peccatores compellebant ad publicè confitendum.

3. Ex Conc. Lateran. IV. c. *Omnis*, ubi præcipit, ut omnis utriusque sexus fidelis soli Sacerdoti sua peccata confiteatur.

4. Quia ex institutione hujus Sacramenti sufficit ea confessio, ex qua Sacerdos rectè judicare possit de pœnitentis peccatis, statu, & dispositione. Atqui ex confessione secreta rectè potest de his omnibus rectè judicare. Ergo confessio secreta sufficit, &c.

5. Quia confessio publica institutioni hujus Sacramenti non semper convenit. Nam hoc Sacramentum ex sua institutione exigit integram peccatorum confessionem, quam non semper convenit fieri publicè: sæpe enim integra omnium peccatorum confessio publicè facta scandalum fidelibus, & gravia damna, tùm pœnitenti, tùm aliis pareret. Unde sæpe esset moraliter impossibilis.

Obj. 1. Sacramentum hoc per modum judicii institutum est. At judicium ex natura sua testes requirit. Ergo.

Resp. Disting. maj. Institutum est per modum judicii voluntarii, in quo idem homo est reus & accusator, *conc. maj.* per modum judicii coacti, & spectantis ad forum externum, in quo reus & accusator sunt homines distincti, *nego maj.* hoc Sacramentum institutum est per modum judicii primariò reconciliativi; & ad salutem peccatoris ordinati, ideoque voluntarii. Unde multum differt à judicio spectante ad forum externum, quod primariò ordinatur ad punitionem rei, nec ipsi voluntarium est.

Obj. 2. Olim confessio publica præcepta erat: Ergo requiritur ad essentiam Sacramenti.

Resp. Disting. anteced. Olim præcepta erat confessio publica aliquorum peccatorum publicorum, & solùm ut pars quædam satisfactionis pro peccatis, *conc. ant.* præcepta erat confessio publica omnium peccatorum etiam occultorum, aut aliquorum duntaxat, seu ut pars essentialis Sacramenti, *nego ant.* nam confessioni publicæ semper præmittebatur confessio secreta & Sacramentalis, qua Sacerdos judicaret, quænam peccata publicè declaranda essent, aut occultanda. Equidem aliqui etiam publicè confitebantur interdum peccata occulta, sed solùm ex devotione, vel consilio, atque ad sui humiliationem, & in voluntariam vindictam scelerum: non autem ex præcepto Sacerdotis.

§. II.

Dico 2. Confessio secreta non est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Est contra quosdam Catholicos.

Prob. 1. Ex Concil. Trid. Seff. 14. cap. 5. suprà citato, ubi agens de confessione Sacramentali, dicit Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pœnitens propria sponte velit eam facere. At si Christus confessionem secretam instituisset ut essentialem Sacramento, prohibuisset confessionem publicam, utpote secretæ oppositam. Ergo.

2. Ex usu Ecclesiæ, quo fideles, qui per interpretes, vel qui in periculo naufra-

naufragii simul peccata aliqua publicè confitentur Sacerdoti, ab eo absolvuntur.

3. Quia ex institutione Christi sufficit confessio, quæ sufficientem notitiam peccatorum & pœnitentis Sacerdoti præbet, ut possit de illis rectè judicare, satisfactiones convenientes, & remedia apta præscribere. Confessio autem publica hanc notitiam præbere potest.

Obj. 1. Ex Concil. Trident. c. cit confessio secreta non est aliena à mandato divino, nec est inventum humanum: Ergo sola est de jure Divino.

Resp. Neg. consequens. Quia sensus Concilii est, confessionem secretam non esse præcepto divino contrariam, imò esse ipsi præcepto divino valde consentaneam, & aptiorem ad tollendas difficultates, & impedienda scandala: atque ita aliquo modo ab institutione divina procedere.

Obj. 2. Concil. Lateranens. IV. c. *Omnis,* statuit, ut quilibet fidelis adultus semel in anno solus confiteatur Sacerdoti. Ergo sola confessio secreta potest esse Sacramentalis.

Resp. Nego cons. Quia Conc. hanc vocem (*solus*) addidit, ut significaret Sacerdotem non posse compellere pœnitentem ad confitendum publicè peccata, & sufficere confessionem secretam.

Observa. Quamvis, juxta Suarem, nullum detur expressum præceptum faciendi secretò confessionem, tamen propter universalem consuetudinem, quæ ubique invaluit, non potest licitè fieri confessio Sacramentalis publica absque gravi causa & legitima facultate.

ARTICULUS VIII.

Utrùm confessio Sacerdoti præsenti necessariò facienda sit?

Dico 1. Per se loquendo & citra casum articuli mortis & impotentiæ, confessio facta Sacerdoti absenti est illicita, ideoque invalida.

Prob. 1. Ex variis Canonibus, in Decreto de Pœnit. & in primis ex Can. *quem Pœnitet* excerpto ex libro de vera & falsa pœnitentia, qui est Authoris antiqui, & inter opera S. Augustini insertus, ubi dicitur: *Præcipit Dominus mundandis, ut ostenderet ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda.*

2. Ex Clemente VIII. qui hanc propositionem: (*licet per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere:*) damnavit ut falsam, scandalosam, & temerariam, & quidem quoad utramque partem, & non solùm conjunctim, sed etiam divisim, ut ipse Clemens, & postea Paulus V. declaravit.

3. Quia debita hujus Sacramenti administratio per se loquendo id exigit. Nam ut Sacerdos pœnitentem absolvat, per se loquendo debet habere certitudinem moralem de integritate confessionis, & debita dispositione, seu contritione pœnitentis: quam certitudinem habere moraliter non potest, nisi pœnitentem confitentem audiat.

Dico 2. Per accidens seu in articulo mortis, confessio facta Sacerdoti absenti est licita & valida, quando aliter fieri nequit. Nam Sacerdos potest & debet absolvere moribundum sensibus destitutum, qui ipso absente absolutionem petiit, ut mox probabitur.

ARTICULUS IX.

Utrùm confessio generica & confusa aliquando ad valorem Sacramenti sufficiat?

Dico 1. Confessio illa generica ac confusa, consistens in petitione absolutionis, vel in signis doloris, valida est in articulo seu periculo mortis, quam-

quamvis facta sit Sacerdoti absenti, quando alia haberi non potest, saltem si per testimonium alicujus innotescat ipsi Sacerdoti.

Prob. Moribundus, qui absente Sacerdote absolutionem petiit, vel signa doloris aut voluntatis confitendi dedit, & postea adveniente Sacerdote, omni sensuum usu destituitur, potest & debet absolvi, saltem si hoc per aliquem innotescat Sacerdoti. Atqui talis moribundus absolvi non posset, nisi confessio illa generica & confusa facta Sacerdoti absenti valeret: siquidem confessio valida, est essentialis materia Sacramenti, sine qua proinde forma esset irrita, & moribundus ille nullam aliam confessionem facere potest. Ergo in articulo mortis valida est confessio generica, &c.

Prob. major. 1. Ex S. Leone, qui epist. 91. de peccatoribus conversionem usque ad mortem differentibus, & voce destitutis, sic statuit: *Quòd si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati; ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.*

2. Ex Conc. Carthagin. IV. Can. 76. ubi de graviorum criminum reis ait: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Et Arausicano I. Can. 12. ibi: *subito obmutescens, prout status ejus est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis aut præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

3. Ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, & ab eo toti Ecclesiæ proposito tanquam continente *receptos & approbatos Ecclesiæ ritus, & Romanæ Ecclesiæ omnium matris & magistræ auctoritate constituto,* ubi, in tit. de Sacram. Pœnitentiæ dicitur: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur* (Sacerdos) *quoad ejus poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.*

4. Ex praxi universalis Ecclesiæ, quæ nunquam errare potest in administratione Sacramentorum, sicut nec in aliis rebus ad fidem, mores, & cultum Dei pertinentibus.

Ratio est voluntas Christi, qui noluit hoc Sacramentum ad salutem necessarium, sæpe impossibile esse tùm, cùm est maximè necessarium, scilicet in periculo mortis.

Obj. 1. Petitio ac desiderium confessionis vel absolutionis non est confessio: Ergo nunquam valet, &c.

Resp. Nego anteced. Nam qui in his circumstantiis petit vel optat absolutionem aut confessionem, hoc ipso declarat se habere peccata, de illis dolere, velleque absolvi: idque Sacerdoti vel per se, vel quantùm in se est, per astantes in ordine ad absolutionem manifestat. Unde petitio, seu desiderium confessionis vel absolutionis est in actu exercito vera confessio generica & confusa, quæ sufficit in necessitate, quando perfectior ac distinctior fieri nequit.

Obj. 2. Per confessionem illam confusam Sacerdos nil cognoscit, quod antea non noverat, nempe moribundum esse peccatorem. Ergo hæc non sufficit.

Resp.

Resp. Nego antec. Nam per hanc confessionem confusam Sacerdos accipit cognitionem novam specialem, & Sacramentalem, quæ ex accusatione pœnitentis ad absolutionem ordinata cognoscit ipsum peccasse, de peccatis dolere, velle absolvi, & peccata clavibus Ecclesiæ subjicere. Quod sufficit ad ferendum judicium prudens in hac necessitate, ubi distinctior cognitio haberi nequit, quæ prudentius judicium fundet.

Obj. 3. Ex Concil. Trident. requiritur distincta peccatorum confessio quoad numerum & species. Ergo non sufficit illa generica.

Resp. Disting. anteced. Requiritur per se loquendo, quando haberi potest, & extra casum necessitatis & impotentiæ, *conc. antec.* requiritur etiam in casu necessitatis, ubi haberi nequit, *nego ant.* & verò ex Concil. oblivio inculpabilis excusat à confessione distincta omnium peccatorum sive quoad numerum, sive quoad speciem. Ergo & alia impotentia physica in extrema necessitate ab eadem excusat.

Obj. 4. Absolutio utpote actio quædam non potest cadere nisi super aliquid singulare: nam actio non est nisi singulorum. At illa generica confessio non est aliquid singulare. Ergo absolutio non potest super illam cadere. Ergo hæc confessio non valet.

Resp. Neg. min. Nam confessio illa confusa est actio singularis ratione sui & personæ, à qua proficiscitur, quamvis ratione objecti nempe peccati in genere sit aliquid generale.

Obj. 5. Per illam confessionem confusam peccata non remittuntur neque directè, neque indirectè: Ergo non valet.

Resp. Nego anteced. Nam omnia peccata ejusmodi pœnitentis verè contriti æquè primò remittuntur, & quidem directè, sed in sensu minùs stricto, & cum obligatione illa omnia distinctè postea confitendi.

Obj. 6. Clemens VIII. prohibuit sub excommunicatione, ne confessio Sacerdoti absenti fieret & admitteretur. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Extra articulum, seu periculum mortis, *conc. ant.* in articulo, seu probabili periculo mortis, *nego antec. & conseq.* Nam ipsemet Clemens, testibus Bellarmino & Petro Lombardo Archiepiscopo Armacano, declaravit viva voce se in suo decreto casum mortis non comprehendisse.

Præterea hoc decretum juxta Rituale Romanum & universalis Ecclesiæ praxim intelligendum est, ideoque cum exceptione extremæ necessitatis & impotentiæ.

Inst. Eodem verborum tenore Clemens VIII. damnat confessionem absenti factam, & absolutionem absenti datam. Ergo utramque æqualiter prohibet etiam in articulo mortis.

Resp. Nego conf. Quia ejus verba debent pro subjecta materia & juxta Ecclesiæ sensum ac praxim intelligi.

Obj. 7. Absolutio Sacramentalis necessariò dari debet pœnitenti præsenti. Ergo confessio fieri debet Sacerdoti præsenti etiam in mortis periculo.

Resp. Nego conf. Ratio disparitatis maximè petitur à voluntate Christi, nobis per Ecclesiæ sensum & praxim nota. Ecclesia autem semper judicavit absolutionem datam absenti invalidam esse: nunquam enim in Ecclesia absolutio pœnitenti absenti etiam in articulo mortis constituto collata est. Confessionem verò Sacerdoti absenti in casu proposito factam admisit ut validam; absolutionem præbendo pœnitenti, qui in absentia Sacerdotis confessionem vel absolutionem petiit, & postea omni sensuum usu caruit.

Præterea absolutionis forma, quæ subjectum per pronomen *te* designat, non verificatur, ideoque nihil efficit, si subjectum non sit moraliter præsens: at verificari potest; etiamsi confessio fit in absentia Sacerdotis.

Porrò absolutio, quæ legitur concessa absentibus, est solùm absolutio à censuris vel pœnis Canonicis, aut indulgentiarum concessio: non autem Sacramentalis absolutio, qua peccata etiam quoad culpam remittuntur.

§. II.

Dico 1. Non est absolutè necessarium, ut testimonium doloris, aut petionis absolutionis detur Sacerdoti coram ipso moribundo.

Prob. 1. Quia Rituale Romanum id non exigit; sed dicit simpliciter moribundum absolvendum esse, *si confitendi desiderium sive per se, sive per alium ostenderit.*

2. Quia Conc. Carthagin. & Arausicanum supra relata hanc conditionem non requirunt; sed solùm exigunt testimonium aliorum, nec addunt illud dari debere præsente ipso ægro.

3. Ex communi & quotidiano Ecclesiæ usu: nam quis absolutionem infirmo, qui eam absente Sacerdote petiit, deneget, si is qui ejus petitionem retulit, abierit?

4. Quia nulla ratio talis conditionis necessitatem evincit, ut objectionum solutione patebit.

Obj. 1. S. Leo, Epist. 91. dicit: *Si quod paulò ante poscebant* (moribundi) *sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt.*

Resp. Per hanc vocem (*circumstantium*) significat tantùm id quod fieri solet, non verò conditionem absolutè necessariam: siquidem Canones & Rituale Romanum hanc non meminere. Præterea S. Leo sic locutus est, quia (ut ex ipso contextu patet) supponit Sacerdoti, antequàm ad moribundum pervenisset; non innotuisse signa ipsius pœnitentiæ: unde merito exigit, ut petatur testimonium circumstantium. Denique S. Leo non dicit testimonia circumstantium danda esse coram ægro, sed tantùm quòd ipsi prodesse debeant.

Obj. 2. Ex Conc. Trident. Christus voluit peccatores ante tribunal Sacerdotis sisti. At nisi testimonium detur coram moribundo, ipse non sistitur ante tribunal Sacerdotis. Ergo.

Resp. Nego min. Nam moraliter loquendo, & spectato statu moribundi, ipsi se æquivalenter ac sufficienter sistit per relationem suæ prioris voluntatis ab alio factam Sacerdoti, absente ipso ægro.

Obj. 3. Testimonium datum coram ægro necessarium est, ut confessio ægri dicatur facta in præsentia Sacerdotis. Ergo.

Resp. Nego anteced. Quia æger, utpote omni sensuum usu destitutus, confessionem illam nullo prorsus nutu potest Sacerdoti præsenti confirmare: unde testimonium voluntatis præteritæ moribundi, sive Sacerdoti detur præsente ipso ægro, sive absente, idem se habet moraliter. Neque testificatio ab alio facta, præsente infirmo nihil audiente, nec valente præteritam confessionem confirmare, dici potest confessio infirmi, neque facit, ut confessio illa generica & confusa priùs facta absente Sacerdote, facta sit aut jam fiat Sacerdoti præsenti.

Observa. In praxi tamen propter probabilitatem sententiæ oppositæ, & ad majorem securitatem, Sacerdos curare debet, ut coram moribundo habeat testimonium aliquod à circumstantibus de ejus dolore vel petitione absolutionis. Quòd si id fieri non potest, tenetur absolvere moribundum, etiam

juxta adversarios. Quia ex charitate tenemur proximo in necessitate constituto optimo modo quo fieri potest. Remedium autem probabile vel etiam dubium melius est nullo. Et cùm Sacramenta propter homines instituta sint, satius est Sacramentum exponere periculo nullitatis, quàm hominem periculo æternæ damnationis.

ARTICULUS X.

Utrùm ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ in articulo mortis sufficiat confessio quædam interpretativa, quæ repetitur ex vita christianè exteriùs transacta.

Sensus quæstionis est, utrùm validè absolvi possit moribundus, omni sensuum usu destitutus, qui nulla signa externa pœnitentiæ, vel desiderii absolutionis dedit neque coram Sacerdote: neque coram aliis, quamvis Christianè exteriùs vixerit, & Sacramenta frequentarit.

Circa hanc quæstionem magna est inter Doctores controversia.

Plurimi docent moribundum illum absolvi non posse validè, ideoque nec licitè, etsi constet ipsum Christianè vixisse.

Prob. 1. Quia S. Leo, Conc. Carthaginens. IV. & Arausicanum I. suprà laudata, Rituale Romanum, dum statuunt moribundum omni sensuum usu destitutum, absolvendum esse, expressè addunt hanc conditionem, si aliqua pœnitentiæ signa dederit. Ergo eo ipso significant eum non esse absolvendum, deficiente omni signo pœnitentiæ.

2. Quia sine confessione Sacramentali nullum est Pœnitentiæ Sacramentum: nam hæc confessio est essentialis pars Sacramenti. Atqui in casu proposito nulla est confessio sacramentalis: nam sacramentalis confessio est sensibilis accusatio proprii peccati admissi ordinata ad absolutionem Sacerdotis. Nec dici potest, quod vita Christianè acta sit moribundo hìc & nunc ejusmodi accusatio, ad absolutionem ordinata post peccatum commissum. Ergo, &c.

Alii verò non pauci, & tota Universitas Lovaniensis, teste Havermanno, contendunt talem moribundum absolvi posse sub conditione, ideoque debere.

Prob. 1. Ex Sacerdotali Romano, Venetiis an. 1560. typis impresso, ubi dicitur talem moribundum absolvendum esse, *Si bene vivebat, & frequentabat confessionem & communionem.* Item ex statutis Synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis, & ex memoriali confessorum edito Bononiæ jussu Archi-Episcopi Bononiensis, qui postea factus summus Pontifex Gregorius XV. opinionem non mutavit, sed eam in suo quondam Archiepiscopatu in praxim redigi permisit.

3. Quia quoties est materia dubia, vel probabiliter præsumpta in moribundo sensuum usu destituto, hic absolvi potest: nam tunc nulla infertur irreverentia Sacramento ob necessitatem proximi. In tali autem moribundo non deest ejusmodi materia, nempe contritio, & confessio generica ac confusa probabiliter ex aliquo signo externo præsumpta, vel dubia. Nam vita Christianè acta est signum externum probabile vel saltem dubium contritionis & voluntatis confitendi, nunc vel paulò ante privationem usus sensuum elicitæ, & ad absolutionem sufficienter directum in tali necessitate. Vita enim christianè acta, non est quidem confessio, sed est ratio præsumendi moribundum illum reverà dedisse in hoc morbo aliquod signum externum doloris in ordine ad absolutionem, v. gr. pectus tutundisse, oculos

in cœlum ſuſtuliſſe, Deum oraſſe, &c. Imò eſt etiam ratio præſumendi moribundum iſtum etiamnum contritionem & voluntatem confitendi elicere, & conari manifeſtare omnibus quibus poteſt ſignis externis, omnibus videlicet motibus corporis ſui: aut certè oppoſitum non conſtat. Unde inferunt tunc haberi ſignum externum contritionis & expetitæ confeſſionis ſaltem probabiliter præſumptum aut dubium, ideoque ſufficiens ad abſolutionem conditionatam in tali neceſſitate.

Ad id quod objicitur, nempe duo Concilia ſuprà citata, & Rituale Romanum exigere ſignum aliquod externum pœnitentiæ; reſpondent loqui de eo, quod certum erat, & haberi debet quantùm fieri poteſt. Præterea in hoc caſu præſumitur ſignum externum pœnitentiæ.

Jam verò ſi talis moribundus abſolvi poteſt, ad hoc tenetur Sacerdos: nam quisque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo ſubvenire meliori modo quo poteſt, afferendo ſaltem opem dubiam, quæ melior eſt nulla, ſi certam afferre nequit.

Rituale Tullenſe de hoc caſu ſic ait: *Donec Eccleſia de hac difficultate deciderit, poterunt confeſſarii in praxi ſequi id, quod favorabilius eſt ſaluti ejusmodi moribundorum, & eos abſolvere, ſi ſemper Chriſtianè vixerint.*

CAPUT IV.

De ſatisfactione.

Nota 1. Satisfactio tripliciter ſumitur 1. latè, nempe pro quacumque ſolutione rei debitæ. 2. Strictè, nempe pro actione, qua is, qui alterum læſit, tantùm facit quantùm ſatis eſt ad injuriam compenſandam, vel ſaltem quantùm perſona læſa juſtè exigit. 2. Strictiùs pro actione, per quam Deo pro peccatis ſatisfacimus; eſtque voluntaria ſui ipſius punitio ad compenſandam, quantum fieri poteſt, injuriam Deo per peccatum illatam.

Nota 2. In peccato duo diſtinguenda ſunt, nempe reatus culpæ, & reatus pœnæ. Reatus culpæ in peccato mortali eſt dignitas ad odium Dei, quæ dat Deo jus odio habendi peccatorem.

Reatus pœnæ eſt dignitas ad pœnam, quæ dat Deo jus puniendi peccatorem ſupplicio æterno & pœnis temporalibus propter peccatum præteritum. Ac proinde duplex eſt ſatisfactio, altera pro culpa, altera pro pœna. Satisfactio pro culpa, quam Deus exigit, eſt contritio & confeſſio, de quibus jam actum eſt. De ſola igitur ſatisfactione pro pœna hìc agitur.

Nota 3. Pœna peccati duplex eſt, nempe æterna, & temporalis: unde duplex quoque eſt ſatisfactio, altera pro pœna æterna, altera pro pœna temporali. De hac poſteriore hìc tantùm agitur; nam ſatisfactio pro pœna æterna eadem eſt, quæ pro culpa, ſiquidem per eandem pœnitentiam ſimul remittitur culpa & pœna æterna.

Nota 4. Satisfactio pro pœna temporali peccatis debita, duplex eſt: altera ſacramentalis, quæ eſt actio laborioſa, ſeu pœnalis in Sacramento Pœnitentiæ à Sacerdote tanquam judice injuncta, & à pœnitente acceptata ad injuriam Deo illatam compenſandam; & altera non ſacramentalis, quæ eſt actio pœnalis ultrò ſuſcepta vel acceptata ad injuriam Dei compenſandam, ſed non impoſita à miniſtro Sacramenti.

ARTICULUS I.

Utrùm remiſſa culpa maneat debitum luendæ pœnæ temporalis?

Nota. Certum eſt Deum poſſe totam pœnam tum æternam, tum temporalem una cum culpa condonare,

donare, & reipsa condonat Baptismum dignè suscipientibus vel martyrium subeuntibus. Quare hìc solùm quæritur, an reipsa Deus semper totam pœnam etiam temporalem cum culpa remittat: an verò fidelibus post justificationem peccantibus remissa culpa, remaneat reatus seu debitum pœnæ temporalis luendæ. Negant Lutherus & Calvinus, docentes pœnas, quibus Deus justificatos afficit, esse tantum ad eorum emendationem & profectum, nullatenus verò ad vindictam & punitionem.

Dico. Remissa culpa, non semper remittitur tota pœna temporalis, sed plerumque remanet reatus, seu debitum pœnæ temporalis luendæ. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi varia referuntur exempla, quæ id certò evincunt.

Primum est primi parentis, qui licèt per sapientiam eductus fuerit ex delicto suo, ut dicitur, *Sap. cap. 10.* pœnam tamen temporalem sustinuit, obnoxius miseriis ac ærumnis hujus vitæ, & morti; idque in vindictam peccati remissi, ut passim Scriptura testatur.

Secundum exemplum est Israëlitarum, qui in vindictam peccati obmurmurationis jam remissi, in deserto perierunt, & Terra promissa exclusi sunt, Numer. cap. 14. ubi Deus sic loquitur: *Dimisi juxta verbum tuum* (scilicet peccatum illud murmurationis.) *Attamen omnes homines, qui viderunt Majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me, &c. non videbunt Terram, pro qua juravi Patribus eorum.* Ejusdem Terræ tantopere expetitæ ingressu Moyses & Aaron ob priùs diffidentiæ peccatum prohibiti sunt.

Tertium est Davidis, qui post veniam adulterii & homicidii impetratam punitus est morte filii, & variis ac gravibus calamitatibus domesticis in vindictam peccati illius jam remissi. Nam 2. Regum, cap. 12. cum dixisset Nathan Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum:* statim subjecit: *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur.* Priùs dixerat: *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.* Quod contigit David licèt justificato.

Quartum est omnium infantium Baptizatorum, & adultorum Sanctorum, qui in pœnam peccati originalis ipsis remissi morte puniuntur, certè in vindictam, non in profectum: quis enim morte punitur, ut meliùs vivat in terra?

Quintum est eorum Christianorum, qua Apostolus asserit esse ob peccatum indignæ communionis remissum, morbis & ipsa morte punitos ante legitimum tempus; nam 1. Cor. c. 11. sic ait: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quos tamen ante mortem Deo reconciliatos fuisse testatur, cùm addit: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur,* scilicet in æternum.

Prob. 2. Ex Patribus, qui sæpe hortantur justificatos ad opera satisfactoria, unus hìc sufficiat S. Augustin. qui, in Psal. 50. sic ait: *Veritatem dilexisti, id est, impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non reliquisti.*

Prob. 3. Ex perpetuo usu Ecclesiæ, quæ semper satisfactiones aliquas pœnitentibus in Sacramento Pœnitentiæ imposuit, ut constat ex Patribus, Conciliis, libris Pœnitentialibus, & Ritualibus.

Prob. 4. Ex Concil. Trid. Sess. 14. Can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper*

à Deo . . . . Anathema sit. Et Seff. 6. Can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit Anathema sit.*

Ratio à priori est voluntas Dei, qui id statuit justissimè & convenientissimè. Nam id convenit tum justitiæ, quæ postulat, ut peccata cum majore ingratitudine & cognitione commissa, difficiliùs remittantur, quàm peccata cum ignorantia aliqua & ante accepta tot beneficia admissa: tum etiam bonitati, quæ exigendo pœnas pro peccatis remissis, coercet licentiam peccandi, quæ sanè major esset, si tam facilè omnis pœna remitteretur, ut significat Conc. Trident. Seff. 14. c. 8.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ezech. cap. 18. & 33. dicitur: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor. Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit. Omnia peccata ejus non imputabuntur ei.*

Resp. Explico hos textus. Peccata per Pœnitentiam remissa Deus non recordatur; illa non nocebunt, non imputabuntur, quantum ad odium Dei, & damnationem ac pœnam æternam: non verò quantùm ad aliquam pœnam temporalem, si pœnitens per debitos Pœnitentiæ labores divinæ justitiæ non plenè satisfecerit. Nam ipsa Scriptura in iisdem his locis explicat sensum, in quo peccata remissa dicuntur non nocitura, nec imputanda, dum addit de impio illo justificato: *Vita vivet, & non morietur:* nempe vivet vita supernaturali & æterna, & non morietur morte æterna. Igitur Deus iniquitatum remissarum non recordatur in eo sensu, quod propter illas hominem justificatum non oderit, nec puniat pœna æterna.

Obj. 2. Illud Rom. c. 8. *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

Resp. Sensus est, justificati per Christi merita jam non sunt obnoxii damnationi æternæ. Et verò pœna temporalis propter peccatum quoad culpam remissum luenda, dici non potest propriè ac simpliciter damnatio, cùm relicta sit non solùm ad vindictam, sed etiam ad frænandam peccati licentiam, & ad merendum per actus patientiæ, humilitatis, aliarumve virtutum, quarum materiam suppeditat.

Obj. 3. Christus dum remittebat peccata Magdalenæ & Paralitico, nullam iis pœnam injunxit. Ergo nulla pœna remanet luenda justificatis.

Resp. Neg. conf. Quia 1. inde non sequitur, quod nulla pœna temporalis ab iis luenda remanserit. 2. Quamvis Christus per se ipsum immediate peccata remittens, omnem quoque pœnam ad majorem excellentiæ suæ ac clementiæ commendationem remiserit; noluit tamen ex justa & sapienti ordinatione hoc privilegium ad omnem peccatorum remissionem extendi.

Obj. 4. S. Augustinus, lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap. 34. dicit miserias hujus vitæ *ante remissionem esse supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina exercitationesque justorum.*

Resp. Solùm vult hujus vitæ miserias ante remissionem peccatorum esse tantùm supplicia; post remissionem verò esse etiam exercitationes justorum ad meritum.

Cùm autem alibi dicit Deum operire peccata, ut non vindicet, intellige vindicta damnationis æternæ. Sic dilues alias objectiones ex Patribus petitas.

Obj.

Obj. 5. S. Ambrosius, lib. 10. in Lucam, n. 88. dicit: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.*

Resp. Per satisfactionem intelligit excusationem.

Obj. 6. S. Chrysostomus, homil. de Pœnitentia ait: *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.*

Resp. Sensus est, quod Deus nobis non imponat pœnas tantùm ad vindictam & punitionem, sed etiam & præcipuè ad nostram emendationem: ita ut in hujus vitæ pœnis plus Deus nostram utilitatem quàm peccati vindictam intendat, ut patet ex verbis, quæ antecedunt, nam ibi sic ait: *Ne peccantes & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit in hoc manifestè, quod peccatoribus ipsis non minùs damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* Ponderanda sunt hæc verba: *Ne inulti manentes, & non puniri.*

Obj. 7. Christus abundè satisfecit pro nobis, & ejus merita sunt infinita. Ergo non debemus satisfacere pro peccatis nostris remissis propter ejus merita.

Resp. Disting. anteced. Et meritum ejus satisfactionis non semper nobis applicatur, quantùm satis est ad omnis pœnæ remissionem, *conc. ant.* & meritum ejus satisfactionis semper nobis applicatur, quantùm satis est ad remissionem omnis pœnæ etiam temporalis *nego ant.* nam hanc applicationem noluit Christus semper fieri in justificatione, quia non semper expedit.

Inst. Si satisfactiones nostræ necessariæ sunt, satisfactiones Christi non sufficiunt. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia satisfactiones nostræ necessariæ sunt, non ad supplendam insufficientiam satisfactionis Christi, sed ut pretium satisfactionis Christi nobis applicetur ad remittendam omnem pœnam temporalem peccatis quoad culpam remissis debitam.

Obj. 8. Opera Dei semper perfecta sunt: Ergo Deus semper perfectè remittit peccata, ideoque etiam quoad omnium pœnam.

Resp. Neg. conseq. Quia Deum operari perfectè est Deum opus suum non statim ad omnem perfectionem, quam habere potest, perducere; sed est Deus secundùm perfectam suæ providentiæ rationem & accommodatè ad finem intentum operari. Perfecta autem & sapiens divinæ providentiæ ratio non exigit semper, ut statim tota pœna peccatis debita remittatur. Igitur cùm dicitur: perfecta sunt Dei opera; sensus est, quòd opera Dei nullum habeant vituperabilem imperfectionem, quatenus sunt à Deo, & habeant omnem perfectionem sibi debitam, spectato fine à Deo intento.

Inst. Illa remissio peccati remanente reatu pœnæ temporalis est imperfecta.

Resp. Non est imperfecta positivè, sed est duntaxat minùs plena & minus perfecta in ratione remissionis, non autem ex parte remittentis: nam perfectius est non semper remittere omnem pœnam cum culpa, quia hoc divinam justitiam & providentiam magis decet.

Obj. 9. Sublata causa tollitur effectus. At culpa est causa pœnæ. Ergo sublata culpa tollitur omnis pœna.

Resp. Nego maj. Universaliter sumptam & intellectam de effectu jam posito. Sic sublata causa vulneris, non ideo tollitur vulnus. Igitur peccato quoad culpam & pœnam æternam remisso, remanet obligatio ad pœnam temporalem subeundam; quia Deus pro jure suo noluit cum pœna æterna remittere omnem pœnam temporalem, quæ etiam nobis ad profectum & meritum prodest.

Porro

Porro peccatum mortale meretur pœnam æternam & temporalem. Et verò hoc ipso quod commissum est, Deus potest peccatorem mulctare pœnis inferni & igne tartareo: à fortiori potest conservando peccatorem, loco suppliciorum alterius vitæ interea illum mulctare pœnis temporalibus.

Præterea Deus justè potest pœnam æternam non remittere, nisi cum commutatione in pœnam temporalem.

Obj. 10. Sacramentum pœnitentiæ remittit semper pœnam æternam. Ergo etiam remittit omnem pœnam temporalem.

Resp. Nego conseq. Quia virtus Sacramenti pendet ex institutione & ordinatione Christi. Christus autem voluit, ut regulariter, seu ordinariè non remittatur pœna æterna, sine commutatione in pœnam temporalem.

Quæres, *utrùm aliquando contingat, ut per Sacramentum pœnitentiæ tota pœna temporalis cum culpa remittatur?*

Resp. Id interdum contingere potest, quando nempe contritio perfecta adeò est vehemens ac intensa, ut valeat ad omnem pœnam remittendam: qui contritionis fervor ordinariè in pœnitentibus non reperitur. Plus tamen aut minùs de pœna illa temporali minuitur pro majore aut minore contritionis fervore. Item plus de illa pœna detrahitur per satisfactionem à Ministro Sacramenti impositam, & virtute clavium operantem, quàm imminueretur cæteris paribus per idem satisfactionis opus spontè assumptum.

ARTICULUS II.

Utrùm homo possit satisfacere Deo pro pœna temporali, peccatis quoad culpam remissis debita, & quidem de condigno?

Nota 1. Sicut duplex est meritum, ita etiam duplex satisfactio distinguitur, nempe de congruo, & de condigno. Satisfactio de congruo caret æqualitate, & fundatur duntaxat in titulo cujusdam convenientiæ. Satisfactio de condigno consistit in æqualitate quadam satisfactionis cum pœna cui satisfit, & fundatur in titulo justitiæ alicujus, nempe fidelitate Dei in promissis, quibus Deus promisit remissionem pœnæ temporalis, si exhiberetur talis satisfactio.

Nota 2. Agitur hic de satisfactione sive Sacramentali, sive non Sacramentali, & quidem solius justi. Nam constat hominem in peccato mortali existentem non posse satisfacere de condigno pro pœna temporali; cùm careat gratia sanctificante, quæ est principium tribuens operibus nostris dignitatem & æqualitatem cum eorum fructibus.

Dico 1. Homo potest satisfacere Deo pro pœna temporali, quæ reatu culpæ remisso persolvenda remanet. Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ docet peccata bonis operibus redimi. Daniel cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Prov. c. 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, & Luc. c. 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ.*

2. Ex Patribus, qui ad laboriosa pœnitentiæ opera tanquam satisfactoria sæpe adhortantur apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sit S. Augustinus, in Ps. 50. ubi ait: *Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam: non impunitum erit; sed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio . . . . ignoscis, sed se ipsum punienti: ita servatur misericordia & veritas.*

3. Ex perpetuo Ecclesiæ usu imponendi opera satisfactoria pœnitentibus.

4. Ex Concil. Trident. seff. 14. can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis, ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam Pœnitentiam esse tantùm novam vitam; anathema sit.*

Dico 2. Homo justus potest satisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ condonato reatu culpæ, luenda superest. Est contra Bajum.

Prob. 1. Ex Scriptura, Luc. 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ.*

2. Ex Concil. Trident. homo satisfacit simpliciter pro pœna temporali per pia & laboriosa opera. Ergo satisfacit de condigno. *Prob. conseq.* Quia satisfacere de congruo non est satisfacere simpliciter, sed tantùm secundùm quid; sicut mereri de congruo non est mereri simpliciter & propriè. Unde Concil. seff. 6. c. 8. Negat simpliciter pœnitentem mereri gratiam justificationis per actus fidei, spei, & contritionis etiam perfectæ, quamvis non neget illam mereri de congruo per contritionem perfectam, ut reipsa mereri sentiunt communiter Theologi post S. Augustinum. Ergo ex Conc. mereri simpliciter & sine addito est mereri de condigno. Ergo etiam satisfacere simpliciter est satisfacere de condigno.

3. Ex summis Pontificibus, Pio V. & Gregorio XIII. qui hanc Baji propositionem damnarunt: *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.*

4. Ratione. Homo justus per bona sua opera meretur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Ergo à fortiori per eadem opera satisfacit de condigno pro pœna temporali: nam hæc pœna temporalis longè minorem habet æstimabilitatem quàm gratia sanctificans & beatitudo æterna.

Præterea satisfactio justorum est de condigno respectu pœnæ temporalis; quia est inter satisfactionem justorum & pœnam temporalem moralis quædam æqualitas, in eo posita, quòd sit dignum apud justum & clementem judicem Deum, ut propter actionem pœnalem ab homine justo Dei Filio adoptivo & amico susceptam, ipsi Deo gratam, & ab eo acceptatam, non infligatur alia pœna.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Opera justorum, quæ sint satisfactoria, derogant satisfactioni Christi. Ergo non extant ejusmodi opera.

Resp. Nego antec. Quia bona opera justorum totam vim merendi & satisfaciendi habent ex meritis Christi: nam non merentur, nec satisfaciunt, nisi quatenus fiunt à vivo membro Christi, ex gratia Christi, & à Deo propter merita Christi acceptantur. Quare Conc. Trid. seff. 14. c. 8. ait: *Ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.*

Nota. Justus per idem opus bonum propter Deum ex gratia factum, simul meretur augmentum gratiæ ac gloriæ, & satisfacit pro pœna temporali. Quia opus bonum justi habet vim merendi de condigno gloriam, & satisfaciendi pro pœna temporali: neutra enim vis alterius activitatem impedit aut minuit.

Obj. 2. Illud 1. Petri c. 2. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Ergo homo non potest satis-

ſatisfacere pro peccatis ſuis, cùm Chriſtus plenè ſatisfecerit pro peccatis omnium.

Reſp. Neg. conſeq. Quamvis enim Chriſtus plenè & infinitè ſatisfecerit ex parte ſua pro peccatis omnium hominum; tamen Chriſti ſatisfactio ac meritum non prodeſt ad remiſſionem culpæ & pœnæ niſi iis, quibus applicatur: pro qua applicatione multa à Deo requiruntur, inter quæ eſt opus ſatisfactorium ad remiſſionem pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remiſſis debitæ obtinendam.

Obj 3. Homo juſtus per bona opera non poteſt ſatisfacere pro morte propria temporali vel aliena redimenda. Ergo non poteſt ſatisfacere pro pœnis hujus vitæ, & à fortiori pro pœnis purgatorii.

Reſp. Diſting. conſeq. Non poteſt ſatisfacere pro aliquibus pœnis hujus vitæ, *conc. conſ.* Pro nullis pœnis hujus vitæ, *nego conſeq.* Homo juſtus non poteſt quidem re ipſa ſatisfacere pro certis pœnis hujus vitæ, non defectu proportionis ac æqualitatis in bonis operibus ad condignam ſatisfactionem pro ejuſmodi pœnis, ſed defectu acceptationis ex parte Dei. Nam Deus in compenſatione pœnarum, quas in hac vita abſolutè infligere ſtatuit, non acceptat bona opera juſtorum, quamvis habeant ſufficientem proportionem ad condignam pro illis pœnis ſatisfactionem. Juſtus tamen per bona opera ſua ſemper ſatisfacit pro pœnis Purgatorii, quia Deus ſemper illa opera acceptat in compenſationem pœnarum temporalium alterius vitæ: item ſatisfacit etiam quandoque pro pœnis hujus vitæ, quas Deus non abſolutè ſtatuit infligere.

Obj. 4. Remiſſio peccatorum eſt gratuita. Ergo nemo poteſt ſatisfacere de condigno.

Reſp. Nego conſeq. Nam remiſſio peccatorum quoad reatum pœnæ temporalis, quæ poſt remiſſionem culpæ luenda ſupereſt, eſt ſimul gratuita, & debita: eſt gratuita, quia ſine gratia Dei non poſſumus ſatisfacere, & quia ſupponit gratiam ſanctificantem omnino gratuitam: eſt debita bonis operibus juſti, quia illis promiſſa eſt à Deo propter merita Chriſti. Et ſic illa remiſſio pœnæ temporalis ad miſericordiam, & juſtitiam pertinet, quia debetur ſatisfactioni ſi fiat; ſed gratia, quæ non debetur: præcedit ut fiat.

Obj. 5. Pœnæ Purgatorii ſunt longè graviores pœnis hujus vitæ. Ergo juſtus non poteſt per actiones laborioſas hujus vitæ ſatisfacere de condigno pro illis.

Reſp. Neg. conſeq. Quia pœnæ hujus vitæ licèt longè leviores pœnis Purgatorii, habent in juſtis dignitatem & æſtimabilitatem moralem, quæ cum illis pœnis gravioribus conſtituit æqualitatem moralem, & ſufficientem proportionem ad condignam ſatisfactionem; quatenus dignum eſt, ut propter pœnam ab homine Dei amico & Filio adoptivo voluntariè propterDeum ſuſceptam ex gratia Chriſti, Deus juſtus & clemens judex non infligat alteram pœnam temporalem.

Obj. 6. Opus bonum juſti non habet ſufficientem proportionem cum graviſſimis pœnis Purgatorii. Ergo juſtus non poteſt ſatisfacere de condigno.

Reſp. Nego anteced. Itaque opus bonum ac pœnale Juſti ſufficientem habent proportionem, & æqualitatem moralem cum remiſſione pœnæ temporalis etiam Purgatorii, tum ex qualitate ipſius operis, quod eſt ſupernaturale, tùm maximè ex dignitate perſonæ operantis, qui eſt Filius Dei adoptivus, & dignitate Chriſti propter quem acceptatur hoc opus ſatisfactorium.

rium. Nam æqualitas illa proportionis non est ex æqualitate pœnarum, sed ex proportione operis supernaturalis, & ex dignitate operantis, atque etiam ex dignitate Christi, propter quem Deus acceptat bona & laboriosa opera Justi in compensationem pro pœna temporali ejus peccatis debita.

ARTICULUS III.

Quænam conditiones requirantur ad satisfaciendum de condigno?

DIco. Ad satisfactionem de condigno necesse est, ut opus sit liberum, honestum, supernaturale, pœnale, & fiat in statu gratiæ.

Prob. Per partes.

I. Opus satisfactorium debet esse liberum, seu liberè assumptum vel acceptatum. Quia opus satisfactorium remittit pœnam temporalem per modum meriti, ad quod requiritur libertas actus.

II. Debet esse honestum. Quia solum opus honestum potest esse dignum, ut propter illud ex quadam justitia non infligatur pœna debita. Nam opus malum aut indifferens nihil tale mereri potest.

III. Illud opus debet esse supernaturale, id est, fieri ex auxilio gratiæ, & ex motivo supernaturali seu per fidem proposito. Quia opus satisfactorium debet habere proportionem cum remissione pœnæ temporalis, in cujus compensationem datur: ac proinde debet esse ejusdem ordinis atque ipsa remissio pœnæ, quæ est supernaturalis & indebita naturæ.

IV. Debet esse pœnale. Nam opus satisfactorium est actus justitiæ vindicativæ, qua pœnitens in se vindicat & punit injuriam Deo illatam. Porro omne opus honestum supernaturale est etiam per se pœnale ac laboriosum homini mortali per peccatum originale vitiato, & ad vitia propenso. Nam quodlibet opus honestum adversatur alicui bono naturali delectabili vel utili, aut aliquod malum sensibile parit, aut aliquam difficultatem & molestiam adjunctam habet. Quod si qui viri sancti in operibus bonis exercendis nullam aut exiguam difficultatem experiantur; id fit per accidens, nec oritur ex ipsis operibus, sed ex charitate & virtutibus acquisitis. Quare illorum bona opera non ideo minorem vim satisfactoriam, imo regulariter majorem habent, eo quòd illa opera de se pœnalia & laboriosa ab illis faciliùs, promptiùs, alacriùs, intensiùs exerceantur: ac proinde sint perfectiora, & majoris valoris & æstimabilitatis.

V. Denique opus satisfactorium de condigno fieri debet in statu gratiæ.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 8. ubi ait: *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ.* Ergo ex Conc. prius est nos vivere in Christo quàm mereri & satisfacere. Ergo, &c.

2. Quia opus quantumvis pium & pœnale, sine gratia sanctificante non habet dignitatem illam ac æstimabilitatem moralem necessariam ad constituendam æqualitatem cum remissione pœnæ temporalis luendæ.

Quæres, *utrùm ad satisfaciendum de condigno requiratur ex parte Dei acceptatio, seu promissio remittendi pœnam temporalem intuitu operis boni?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 8. ubi ait: *in quo* (Christo) *satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, & ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.*

2. Quia quantumcumque bona justi opera proportionem habeant ad merendum

rendum & ſatisfaciendum, tamen multis aliis titulis debentur Deo, & exigi ab eo poſſunt pro ſummo ſuo dominio, illaque pro jure ſuo poteſt ſibi vindicare tanquam ſua, & ſibi debita abſque ulla remuneratione: ac proinde reipſa non merentur gloriam æternam, nec ſatisfaciunt condignè pœna temporali, niſi accedat acceptatio & promiſſio divina. Hinc animæ juſtorum in Purgatorio pœnis graviſſimis patienter toleratis non ſatisfaciunt, ſed ſolùm ſatis patiuntur, maximè quia eorum opera ad ſatisfaciendum non acceptantur, ſicut nec ad merendum, quamvis actus de ſe tum ad merendum tum ad ſatisfaciendum aptos exerceant.

ARTICULUS IV.

Utrùm detur præceptum ſatisfaciendi Deo in hac vita pro pœna temporali remanente poſt remiſſionem culpæ?

Nota. NOn agitur hìc de obligatione implendi ſatisfactionem à Sacerdote injunctam. Sed quæritur, utrùm, quando opera pœnalia in Sacramento Pœnitentiæ impoſita longè diſtant ab operibus ſatisfactoriis, quæ neceſſaria ſunt ad extinguendam totam pœnam temporalem peccatis debitam, teneamur in hac vita, quantum in nobis eſt, moraliter loquendo, per opera laborioſa ſponte aſſumpta, aut per pœnas patienter toleratas niti ad extinguendam pœnam illam temporalem; ita ut non liceat nobis talem pœnam remittere in Purgatorio perſolvendam.

Dico. Homo tenetur lege divina naturali niti ad ſatisfaciendum Deo in hac vita pro pœna temporali peccatis, quoad culpam remiſſis debita. Ita Valentia, Martinonius, & alii multi. Ita etiam ſentire videtur S. Thomas, cùm doceat Pœnitentiam internam & externam eſſe de jure naturali.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joël. cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Ubi præcipitur non ſolùm Pœnitentia interna ſeu contritio, ſed etiam externa, ſeu opera pœnalia, quæ nomine jejunii ſignificantur, eam in Scriptura ſpecies pro genere ſæpe ponitur. Item Luc. 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ:* quem locum Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. exponit non ſolùm de contritione, ſed etiam de ſatisfactione per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia pro pœna temporali.

2. Ex Patribus, qui paſſim exigunt, ut peccata piis ac bonis operibus expiantur. Pro omnibus ſint S. Ambroſius, l. ad Virginem lapſam: *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* Et S. Hieronymus in cap. 2. Jerem. *Peccata graviora gravioribus tormentis indigent.*

3. Ex præcepto virtutis Pœnitentiæ ſive juſtitiæ ad Deum, tenemur plenè Deo ſatisfacere in hac vita, quantùm poſſumus pro injuriis ipſi illatis. Nam ipſa ratio dictat Deo non minùs quàm hominibus plenè ſatisfaciendum eſſe ſine mora vituperabili, ſeu non nimis longa pro injuriis ei illatis.

Confirm. Ex communi Doctorum ſententia præceptum eccleſiaſticum pluries per annum jejunandi continet tantùm determinationem præcepti illius divini naturalis obligantis ad Pœnitentiam pro peccatis ſubeundam, quamvis hæc determinatio non ſit adæquata reſpectu omnium.

Obj. 1. Ratio juſtitiæ ad Deum non obligat reum, ut ipſemet in ſe ipſo puniat delictum, ſed ſolùm ut patienter ferat pœnam à judice inflictam. Ergo homo non tenetur ipſemet ſatisfacere in hac vita, &c.

Reſp. Nego antec. Nam juſtitia ad Deum exigit, ut nos ipſi ultro pro offenſis plenè ſatisfaciamus, ſine mora vitu-

vituperabili per opera pœnalia humanæ infirmitati accommodata. Et verò justitiæ lex nos obligat ad satisfaciendum plenè hominibus etiam ante sententiam judicis per satisfactiones æquales offensæ.

Obj.2. Hinc sequitur unumquemque teneri satisfacere in hac vita pro peccatis venialibus. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego min. Nam sicut extat obligatio pœnitentiam agendi pro peccatis omnibus: illa etiam est obligatio satisfaciendi pro peccatis omnibus non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. Sed hæc obligatio est proportionata peccatis: unde est sub mortali pro peccatis mortalibus, & sub veniali pro venialibus.

Obj.3. Hinc sequitur homines obligari ad vitam in continuis gravibusque pœnitentiæ laboribus transigendam. Falsum conseq. Ergo.

Resp.1. Juxta Conc. Trid. vita Christiana debet esse continua pœnitentia.

Resp.2. Nego sequel. maj. Nam hæc obligatio moraliter intelligenda est; & pœna illa temporalis peccatis quoad reatum culpæ condonatis debita, remitti potest multis mediis, videlicet malis ac miseriis hujus vitæ patienter toleratis, jejuniis ab Ecclesia præceptis, frequenti usu Sacramenti Pœnitentiæ, ipso Missæ sacrificio, Eleemosynis, jejuniis, orationibus pro sua cujusque facultate assumptis, & quibuslibet bonis operibus; denique indulgentiis, propter quas tamen homo non debet se negligentem præbere in operibus satisfactoriis præstandis.

ARTICULUS V.

Utrùm teneatur Sacerdos imponere satisfactionem pœnitenti, & pœnitens hanc acceptare, acceptatamque implere?

DIco 1. Confessarius tenetur satisfactionem convenientem imponere pœnitenti valenti illam exequi.

Prob. 1. Ex perpetuo usu Ecclesiæ. Nam semper in Sacramento Pœnitentiæ imposita fuit aliqua satisfactio tanquam necessaria: & quidem gravior pro gravioribus peccatis.

2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 8. ibi: *Debent Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Idem docent vetera Conc.

3. Ratione. Quia Sacerdos à Christo institutus est minister Sacramenti, & judex ac medicus pœnitentis. Ergo tenetur ut minister hujus Sacramenti ipsum convenienter integrum efficere; ut judex, divinam injuriam vindicare & servare æquitatem in pœnis injungendis; & ut medicus, pœnitentis vulnera curare, morborum causas tollere, & præscribere remedia morbis proportionata. Hinc patet hanc obligationem esse ex genere suo gravem, cui ut satisfiat, *vide dicenda in Theologia morali, Tract. de Pœnit.*

Dico 2. Pœnitens tenetur acceptare & implere satisfactionem convenienter injunctam.

Prob. 1. Ex Conc. Lateran. IV. c. *Omnis* ibi: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.*

2. Quia Sacerdotes à Christo acceperunt judicialem potestatem non solùm solvendi, sed etiam ligandi, hoc est, imponendi satisfactionem pro peccatis, sive obligandi pœnitentem per injunctionem pœnitentiæ, ut explicat Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. ubi postquam declaravit Sacerdotes debere salutares & convenientes satisfa-

 ctiones

ctiones injungere, & habere præ oculis: *Ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem;* hanc subjicit rationem: *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Imò Sacerdotes ad hoc obligantur. Non potest autem esse in Sacerdote potestas & obligatio injungendi satisfactionem convenientem sine obligatione in reo eam acceptandi & implendi: nam hæc duo sunt correlativa, quorum unum non potest esse sine alio.

3. Quilibet subditus tenetur obedire judici & superiori justam sententiam ferenti. Sacerdos autem, cui pœnitens per confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut Superior & judex, & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine ac auctoritate ligat sicut absolvit. Ergo pænitens tenetur ei parere, acceptando & implendo satisfactionem convenientem ei à Sacerdote injunctam. *Vide plura circa hoc in sequenti Tractatu Theologiæ moralis.*

ARTICULUS VI.

Utrùm necesse sit, ut satisfactio ante absolutionem impleatur.

DIco. Neque ex necessitate Sacramenti, neque ex præcepto Christi necesse est, per se loquendo, ut satisfactio à pœnitente ante absolutionem impleatur.

Prob. 1. Ex usu nunc in Ecclesia à pluribus sæculis recepto absolvendi pœnitentes ante peractam satisfactionem. Ecclesia autem præsens non minùs quàm antiqua à Spiritu sancto regitur, nec unquam errare potest in rebus ad fidem, mores, disciplinam generalem, & administrationem Sacramentorum pertinentibus, juxta illud Christi, Matth. c. 18. *Docete .... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationom sæculi.*

2. Ex usu duorum fere priorum sæculorum Ecclesiæ ab Apostolis ipsis usurpato, secundùm quem pœnitentes ante impletam satisfactionem absolvebantur sicut nunc. Quod etiam patet ex facto Joannis Apostoli, qui adolelescentem gravissimis criminibus infamem ad pœnitentiam adduxit & post paucos menses fidelium communioni restituit, ut testatur Eusebius, lib. 3. Hist. c. 23. ideoque ad Sacramenta admisit. Imò sæculis sequentibus, quibus viguit pœnitentia publica, sæpe pœnitentes ante pœnitentiam impletam absolvebantur, ut quando imminebat persecutio, aut aliud mortis periculum erat. Item cùm periculum, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad hæreticos vel schismaticos deficerent; ex S. Cypriano, epist. 52. aut cùm affulgebat spes hæc indulgentia hæreticos vel schismaticos plures ad Ecclesiam reversuros, ut fecit S. Cornelius Papa erga multos Novatianos. Vide ejus Epistolam inter Cyprianicas.

3. Ex Sixto IV. qui ut falsam & erroneam damnavit hanc Petri de Osma propositionem: *Quòd non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta priùs pœnitentia eis injuncta.* Et ex Alexandro VIII. qui tres has propositiones inter alias plures damnavit 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pænitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas,*

tas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

4. Ratione. Quia satisfactio est duntaxat integralis pars Sacramenti pœnitentiæ. Pars autem integralis non debet necessariò præmitti parti essentiali ejusdem rei; & sine illa stat tota essentia conpositi.

Confir. Quia erroneum est fundamentum doctrinæ adversariorum, nempe quòd Sacerdotalis absolutio non sit verè remissiva peccatorum, sed duntaxat authentica declaratio remissionis peccatorum. Nam hoc damnavit Concil. Trident. Sess. 14. c. 6. & Can. 9. ubi anathematizat, qui dicit: *Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti.* Et c. 3. declarat in forma Sacramenti Pœnitentiæ in verbis ministri posita, præcipuè ipsius vim sitam esse.

Confirm. Iterum Facultas Parisiensis, anno 1644. hanc propos. *Mos Ecclesiæ absolutionem concedendi ante satisfactionem expletam, abusivus est atque intolerabilis:* damnavit, & pronuntiavit non solùm *temerarium esse atque erroneum, sed & hæreticum damnare disciplinam & consuetudinem Ecclesiasticam ab omnibus catholicæ communionis receptam.* Et merito; nam est de fide Ecclesiam errare non posse circa disciplinam suam generalem & usus ubique receptos; cùm semper regatur à Spiritu sancto.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Innocentius I. epist. 1. ad Decent. cap. 7. *Cæterùm de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti; cùm viderit congruam satisfactionem.*

Resp. Sic loquitur; non propter institutionem seu legem Christi, sed propter ritum tunc temporis ab Ecclesia præscriptum non absolvendi publicè pœnitentes nisi post peractam pœnitentiam publicam. Nam non dicit id faciendum esse ex institutione Christi; imò docet absolutionem ante peractam satisfactionem aliquando concedendam esse, sic enim post verba objecta prosequitur: *Sanè si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.*

Obj. 2. Sanctus Leo, epist. 91. ait: *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Resp. S. Leo ibi solùm asserit Sacerdotes à Christo accepisse potestatem imponendi satisfactionem pœnitentibus, & eosdem post impletam pœnitentiam absolvendi. Sed non dicit ex lege Christi satisfactionem absolutioni præmittendam esse; imò oppositum ibidem docet his verbis: *His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire.*

Obj. 3. S. Augustinus, Serm. 57. de tempore ait: *Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit: ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit; nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur. Datur quidem in extremis pœnitentia, qui non potest denegari; sed auctores*

ctores tamen esse non possumus; quòd qui sic petierit, mereatur absolvi .... pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipsa moriatur. Ergo S. Doctor dubitabat de validitate absolutionis moribundis datæ ante impletam satisfactionem.

Resp. Disting. conseq. Dubitabat de validitate absolutionis moribundis datæ, ex eo quòd valde sit vera conversio in ejusmodi moribundis, *conc. seq.* nam rarò veram ac sufficientem contritionem habent illi peccatores, qui conversionem ad mortem usque differunt. Dubitabat de validitate absolutionis moribundis datæ ante impletam satisfactionem, præcisè ex eo quòd absolutioni præmissa non sit satisfactio, *neg. cons.* nam, Serm. 66. de tempore sic ait: *pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi .... pœnitentia, quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat: non enim longitudinem temporis tantùm requirit Deus, quantùm affectum sinceritatis pœnitentis pensat.*

Obj. 4. Ecclesiæ per trecentos annos & ampliùs ad Sacramentum Pœnitentiæ non admittebat peccatores, qui illud peterent tantùm in articulo mortis, post vitam in peccatis transactam, ut testatur S. Cyprianus, epist. 52. ad Antonian. non nisi quia sentiebat nullam esse absolutionem datam ante peractam satisfactionem. Ergo.

Resp. Nego major. Nam Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium, c. 2. testatur ejusmodi peccatoribus concessam fuisse absolutionem, non tamen Eucharistiam. *De his,* inquit, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior fuit. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.*

Ad Epist. Cypriani dico sequi tantùm, in aliqua Ecclesia particulari fallibili, ut Carthaginensi, apostatis conversionem usque ad mortem differentibus, non concessam fuisse absolutionem. Idque sic statuit Cyprianus cum suis Collegis, non quòd putaret invalidam esse absolutionem ante peractam satisfactionem, sed quia sentiebat rectè præsumi talium conversionem sinceram non esse: *Quia,* inquit: *rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.* Ex quo patet falsitas *minoris.* Et verò ipsemet Cyprianus, Epist. 54. testatur peccatoribus absolutionem ante impletam satisfactionem concessam fuisse, tum urgente mortis periculo, tum instante persecutione; & Lib. contra Demetrianum sic ait: *In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est, patet ad indulgentiam Dei aditus ... ut sub ipso licèt exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges, & Deum, qui unus & verus est, confessione & fide agnitionis ejus implores; venia confitenti datur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.*

Inst. Concil. Arelatense I. Can. 22. dicit apostatis in mortis periculo denegandam esse absolutionem.

Resp. Nego. Sed dicit tantùm apostatis, communionem solùm in mortis periculo petentibus, denegandam esse Eucharistiam. *De his,* inquit, *qui apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & posteà infirmitate correpti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.*

Imò in Ecclesia Orientali ne Eucharistia quidem privabantur in articulo mortis graves illi peccatores, ut constat ex

ex Can. 13. Conc. Nicœni I. ubi dicitur: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur: ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & maximè necessario viatico minimè privetur.* Ergo initio quarti sæculi jam erat antiqua consuetudo concedendi Eucharistiam cuilibet peccatori pœnitenti in articulo mortis ante peractam convenientem satisfactionem. Ergo erat etiam antiqua consuetudo impertiendi absolutionem ante peractam satisfactionem: nunquam enim in Ecclesia data est peccatoribus Eucharistia sine prævia absolutione, ut observaretur præceptum illud Apostoli: *Probet autem se ipsum homo.* 1. Corinth. c. 11.

Quòd si quis velit per Viaticum necessarium intelligi Sacramentalem absolutionem, hoc nobis jam sufficit. Sed ex aliis verbis ejusdem Canonis patet Episcopum dare debuisse Eucharistiam cuilibet peccatori pœnitenti in mortis articulo eam petenti, si prudenter judicaret eum esse sufficienter dispositum, nam ibidem dicitur: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis Eucharistiæ gratiam tribui, Episcopus postquam probaverit, ex oblatione dare debebit,* per se scilicet vel per alium.

Obj. 5. In Ecclesia per plura sæcula peccatores, qui à gravi morbo, in quo fuerant absoluti, convalescebant, cogebantur ad pœnitentiam publicam implendam; & Eucharistia privabantur, donec peracta satisfactione congrua, in facie Ecclesiæ cum aliis pœnitentibus absolverentur ab Episcopo. Ergo Ecclesia sentiebat absolutionem infirmis datam absque prævia satisfactione nullam fuisse.

Resp. Nego conseq. Nam Ecclesia à peccatoribus illis licèt absolutis satisfactionem exigebat duntaxat tum ob disciplinæ vigorem, ut scilicet tollere-tur occasio pœnitentiam negligendi, dum commodè fieri potest: tum quia illis supererat satisfaciendum pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita. Et verò si Ecclesia sensisset absolutionem peccatori in articulo mortis datam ante satisfactionem, non valere, gravissimum sacrilegium admisisset, ejusmodi peccatoribus absolutionem, imò communionem impertiendo.

Obj. 6. In quibusdam Ecclesiis particularibus, ut in Carthaginensi, tempore S. Cypriani denegata fuit absolutio gravibus peccatoribus eam petentibus, qui satisfactionem non peregissent. Ergo illæ Ecclesiæ sentiebant nullam esse absolutionem ante impletam satisfactionem.

Resp. 1. Id abusus fuit, nec ullatenus servatum, aut unquam approbatum in Ecclesia Romana, & in pluribus aliis Ecclesiis. Nam Sacerdotes, qui absolutionem moribundis eam petentibus denegant, rectè dicuntur à S. Cœlestino I. & Leone Magno alienæ damnationis rei.

Resp. 2. *Nego conseq.* Nam ideo solùm in aliqua Ecclesia particulari, ut Carthaginensi denegata fuit absolutio apostatis, quia præsumebantur carere vera & sufficienti contritione. Quæ tamen ratio non valet in moribundis absolutionem petentibus, & volentibus præstare quidquid ad reconciliationem cum Deo requiritur.

Obj. 7. Per plura sæcula peccatores, qui in periculo mortis ante impletam satisfactionem absoluti fuerant, si convalescerent, iterum ab Episcopo cum aliis pœnitentibus post peractam satisfactionem absolvebantur. Ergo prior absolutio censebatur nulla.

Resp. Nego conseq. Nam hæc Episcopi absolutio non erat Sacramentalis, sed merè cœremonialis. Duplex quippe erat absolutio in veteri Ecclesia, cùm vigeret

vigeret ritus & obligatio pœnitentiæ publicæ: alia Sacramentalis, quæ erat pars essentialis Sacramenti, & qua peccata verè remittebantur: & altera merè Cæremonialis, qua pœnitentes peracta publica pœnitentia, participationis Eucharistiæ, & integræ fidelium communioni in publicis precibus, sacrificio Missæ, & aliis communibus pietatis officiis solemniter restituebantur, eratque similis absolutioni ab excommunicatione, quæ nunc viget.

Obj. 8. Ipsa rei natura exigit, ut reus satisfaciat, antequam absolvatur. Ergo ex institutione Christi satisfactio præmitti debet absolutioni.

Resp. Disting. anteced. Ut reus satisfaciat pro culpa & pœna, *conc. ant.* pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, *nego ant.* nam sufficit propositum satisfaciendi in contritione contentum. Quæ contritio cum confessione est satisfactio pro culpa & necessariò absolutioni præmittenda.

Obj. 9. Pars materialis præmitti debet formæ. Ergo satisfactio absolutioni.

Resp. Pars materialis essentialis præmitti debet formæ, non autem pars integralis tantùm. Sic dentes sunt pars materialis integralis animalis, & tamen introductionem animæ & totam essentiam illius sequuntur.

ARTICULUS VII.

De pœnitentia publica, seu satisfactione olim publicè peracta.

§. I.

Prænotanda.

POenitentia, seu satisfactio dividitur in privatam, & publicam. Privata est ea, quæ occultè ac privatim: publica verò, quæ publicè coram cœtu Ecclesiæ, vel coram multis peragitur. Pœnitentia publica subdividitur in solemnem, & non solemnem. Pœnitentia publica solemnis, de qua hìc potissimùm agitur, dicitur ea, quæ certo ritu solemni, & certo quodam graduum ac stationum sibi succedentium ordine perficiebatur. Pœnitentia publica non solemnis est ea, quæ publicè in conspectu populi fit, sed absque prædicta solemnitate, seu sine determinato singularum stationum ordine & apparatu.

Pœnitentia publica solemnis, quæ à Sancto Augustino humillima vocatur, & ab aliis Patribus publica simpliciter, à scholasticis verò solemnis appellari solet, præter ritum illum solemnem in multis aliis differt à publica non solemni, præsertim quòd iterari non posset, à solo Episcopo indiceretur, ab eodem pax & reconciliatio cum Ecclesia concederetur pœnitentibus, & quòd non posset Clericis saltem majoribus imponi.

Porrò per pœnitentiam simpliciter dictam intelligi solebat pœnitentia publica solemnis. Item pœnitentium nomine simpliciter & absolutè prolato, intelligi solebant in antiqua Ecclesia ii soli, qui publicam & solemnem pœnitentiam agebant.

§. II.

Quisnam fuerit ritus pœnitentiæ publicæ solemnis?

Dico 1. Ritus publicæ ac solemnis pœnitentiæ tertio & quarto sæculo, quibus præcipuè viguit, quatuor gradus, seu stationes complectebatur, quæ fletus, auditio, substratio, & consistentia vocabantur: unde qui in illis versabantur, flentes, audientes, substrati, consistentes dicebantur.

Fletus seu gradus flentium is erat, in quo pœnitentes ab ingressu Ecclesiæ prohibiti, pro foribus manebant prostrati, & sacco induti ac cinere conspersi, cum lacrymis & gemitibus se

reos

reos palam confitebantur, advoluti pedibus templum ingredientium, eos orabant, ut apud Deum & Ecclesiam pro ipsis intercederent.

Auditio, seu audientium statio collocata erat in porticu seu vestibulo templi foribus interiùs adjacente, sed à reliqua interiore parte templi tabulatis vel cancellis distincta. Pœnitentes in eo gradu positi debebant Scripturæ lectionem & conciones audire cum Ethnicis, Judæis, Hæreticis & Catechumenis, ut præscribit Concil. Carthaginens. IV. Can. 84. nec jam advoluti ante fores Ecclesiæ, alios fideles ingredientes rogabant.

Substratio, seu substratorum gradus erat gradus pœnitentium, qui intra templi ambitum ad usque ambonem positi, post ejectionem audientium in templo manebant; & cum fletibus, suspiriis ac aliis doloris interni indiciis se prosternebant coram Episcopo & Clero, qui manus illis imponebat, pro illis orabat, eisque benedicebat. Post concionem verò & manuum impositionem ante Missæ offertorium expellebantur. In eo præsertim gradu pœnitentibus jejunia, & alia pœnitentiæ opera injungebantur, quibus peccata expiarent. Tertius autem ille gradus pœnitentiæ solemnis specialiter pœnitentis appellabatur; & qui in illo versabantur, ii potissimum pœnitentes dicebantur; quia nempe quamvis pœnitentibus omnibus toto tempore pœnitentiæ & in singulis ejus gradibus edenda essent magna doloris interni indicia, multæque humiliationes, & corporis afflictationes subeundæ, his tamen pœnitentiæ operibus & jejuniis præcipuè exercebantur in hoc tertio gradu.

Consistentia erat gradus pœnitentium, qui ad Missæ sacrificium & orationes communes admittebantur, sed ab Eucharistiæ participatione, & oblatione panis & vini more fidelium illius temporis excludebantur. Unde consistentes omnia cum fidelibus præter Eucharistiæ communionem & oblationem panis & vini habebant communia. Ii autem ab ambone templi versùs sanctuarium ad fideles usque, eos scilicet qui Eucharistiæ percipiendæ jus habebant, collocabantur.

Omnes graves peccatores publici publicam pœnitentiam agentes, hos quatuor pœnitentiæ gradus perficere debebant, ut tandem Ecclesiæ reconciliarentur, & ad Eucharistiæ communionem admitterentur, ut constat ex Sancto Basilio, in epist. 2. ad Amphilochium, Can. 22. ubi pœnitentiam publicam fornicatoribus impositam exponens, sic ait: *Ei autem, qui mulierem vel vi vel clam à se vitiatam habet necesse est fornicationis pœnas imponere. Est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipsos deflere ad fores Ecclesiæ; secundo autem ad auditionem admitti; tertio admitti ad pœnitentiam; quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione; deinde eis permitti boni* (id est Eucharistiæ) *communionem.*

Dico 2. Toto tempore pœnitentiæ solemnis præter publicam suorum criminum confessionem, humiliationes, jejunia, & alias corporis afflictationes atque orationes, variis aliis pœnis afficiebantur pœnitentes. Prima & præcipua, erat privatio Eucharistiæ, ex SS. Basilio, Cypriano, & Sozomeno. Secunda, ferre certum vestitum, quo ab aliis distinguerentur, nempe pullam vestem ac cilicium, & habere detonsum caput, exceptis fœminis; ut constat ex Patribus & variis Conciliis. Tertia, abstinere à conviviis & balneis, ex S. Paciano. Quarta, innupti à ma-

trimonio contrahendo prohibebantur, conjugati verò ab usu matrimonii. Quinta, non poterant esse susceptores in Baptismo & Confirmatione toto Pœnitentiæ tempore, ex Conc. Parisiensi. Sexta, erat irregularitas; ita ut à Clero & ab Ordinibus in perpetuum excluderentur publicè pœnitentes, ex epist. Siricii ad Himer. in casu tamen necessitatis fieri poterant ostiarii vel lectores. Septima, ut militiæ sæculari operam non ampliùs darent, sed soli Deo deinceps servire satagerent, ex S. Leone, Epist. 92. Octava, tenebantur mortuos sepelire, ex Concil. Carthaginens. 4. Can. 81. Nona, substrati tenebantur omnibus jejunii diebus in Ecclesiam venire, & capita submittere Sacerdotibus, qui eis manus imponebant, & pro eis orabant. Item tenebantur Dominicis diebus, & tempore Paschali genua flectere, quando alii stantes orabant, ex Conc. Carthaginens. 4. Can. 81.

Dico 3. In pœnitentia publica solemni triplex fuit manuum impositio. Prima, per quam publicorum criminum rei ad pœnitentiam publicam admittebantur. De hac loquitur Conc. Agathense, Can. 15. his verbis: *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput à Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur.* Secunda sæpissimè fiebat super pœnitentes tertii gradus, seu substratos, ut dictum est. Tertia denique ea fuit, in qua pœnitentes, tota pœnitentia ritè & integrè peracta, reconciliabantur Ecclesiæ, & ad Eucharistiæ communionem admittebantur: unde reconciliatoria manuum impositio dicebatur, ut patet ex Canon. 3. Concil. Arausican I.

Dico 4. Tempus pœnitentiæ publicæ solemnis non erat idem pro omnibus; sed aliis brevius, aliis longius præscribebatur pro gravitate criminum, ut quatuor, septem, decem ann. ex Concil. Carthaginens. III. Canon. 31. ubi statuit: *Ut pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur.* Tempus tamen præscriptum imminui poterat ab Episcopo ob fervorem pœnitentium, aut vehementiam doloris, vel ob alias justas causas, ob quas id consentaneum judicabat.

§. III.

A quo & quandonam imponebatur pœnitentia publica, & reconciliabantur pœnitentes?

Dico. Pœnitentia publica solemnis à solo Episcopo imponebatur in capite jejunii, hoc est, Feria quarta Cinerum. Unde profluxisse videtur cæremonia hucusque servata, Cineres eo die accipiendi, ex Concil. Carthag. 3. Canon. 31.

Item à solo Episcopo pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ, pacem & communionem accipiebant, post impletam pœnitentiam. Neque Sacerdotibus id licebat nisi urgente necessitate, seu in articulo mortis, absente Episcopo. Ex eodem Conc. Can. 32.

Præcipui reconciliationis solemnis ritus fuere multiplices manuum impositiones ac preces. Feria autem quinta majoris hebdomadæ pœnitentes publici reconciliabantur Romæ, ut patet ex Epist. Innocentii I. ad Decentium. Tunc tamen non omnes absolvebantur, sed ii soli, qui satisfecisse videbantur, cæteris dilatis, ut satis constat ex eadem Epistola Innocentii. Nam postquam Pontifex, c. 7. dixit *De pœnitentibus verò, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si*

si nulla interveniat ægritudo, quinta Feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat: sic prosequitur: *Cæterùm de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.*

Hæc consuetudo reconciliandi publicè pœnitentes die cœnæ Domini, etiam in Gallia servabatur, ut constat ex Conc. Cabilonensi, can. 47. non tamen ubique recepta erat. Nam Mediolani, (ut docet S. Ambrosius, Epist. 33. & in Hispania ut tradit Conc. Tole tanum IV. can. 70.) ejusmodi reconciliatio fiebat in parasceve Sabbati sancti.

§. IV.

Utrùm pœnitentia publica solemnis iteraretur?

Dico. Iterari non poterat, sed semel in vita eidem concedebatur, ut testantur Origenes, Homil. 15. in Levit. Ambrosius, lib. 2. de Pœnit. cap. 10. & Augustinus, Epist. 54. Hanc rationem affert S. Thomas, quia nempe pœnitentia solemnis erat professio quædam solemnis nunquam ampliùs committendi gravia illa & scandalosa crimina, sicut Baptismus est solemnis professio fidem perpetuò retinendi, & abstinendi ab infidelitate: ideopue unica erat solemnis pœnitentia, sicut unicum est baptisma; nam iteratio solemnitati repugnasset.

Unde qui post peractam semel pœnitentiam solemnem, iterum in aliquod grave crimen publicum laberentur, iis quamvis indignis permittebatur interesse orationi & sacrificio cum aliis fidelibus; sed non ampliùs ad communionem Eucharistiæ, nisi in articulo mortis admittebantur, ut hac saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua peccata castigarent, & alios suo exemplo terrerent, ut constat ex Siricio Papa, Ep. 1. c. 5. ubi de iis, *Qui acta pœnitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeunt*, sic statuit: *Quia jam suffragium non habent pœnitendi*, (hoc est, quia non possunt ampliùs ad solemnem pœnitentiam admitti,) *id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, sacræ Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur. .... quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, Viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari.*

§. V.

Utrùm pœnitentia publica imponeretur Clericis?

Dico. Pœnitentia publica solemnis imponi non poterat Clericis majoribus: Episcopis scilicet, Presbyteris & Diaconis, saltem post tertium sæculum. Constat ex Siricio Ep. 1. ad Himer. cit. c. 14. ubi ait: *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum.* Et ex S. Leone, Ep. 92. c. 2. ubi ait: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi . . . unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

Pœnitentiam tamen publicam non solemnem agebant Sacerdotes in gravia & publica crimina lapsi, quæ licèt coram populo & cum solemnitate prædicta

dicta non ageretur, tamen suo quodam modo publica erat. Nam & excommunicari poterant, & in Monasteria ad agendam pœnitentiam amandari: quam secessionem privatam S. Leo appellat, quia in privato loco agebatur, quamvis alioqui publicè notum esse posset, talem Sacerdotem ob sua crimina in Monasterio inclusum esse. Enim verò extant multi Canones, quibus Sacerdotes, aliique Clerici jubentur detrudi in Monasterium, ut ibi vitam in severa pœnitentia perpetuò degant.

Dixi, *saltem post tertium sæculum.* Nam sunt, qui probabiliter existimant, Clericos etiam majores ob idololatriæ crimen depositos, & in ordinem Laicalem in perpetuum redactos, pœnitentiam solemnem subiisse, qua perfuncti, Laicalem tantùm communionem consequebantur. Quod probant pro Episcopis ex S. Cypriani Epist. 35. & pro Presbyteris ex ejusdem Epist. 36.

§. VI.

Utrùm idem fuerit semper in Ecclesia rigor?

Dico. Non semper idem fuit in Ecclesia rigor erga peccatores, nec ritus solemnis pœnitentiæ. Nam primis duobus fere sæculis usque ad Montani hæresim, minùs graves ac diuturnæ, & nulli certo tempori definitæ, & certo ritui alligatæ, satisfactiones pro peccatis etiam gravioribus impositæ fuerunt, & quibuslibet peccatoribus pœnitentibus etiam extra mortis articulum concessa fuit Eucharistia; ut patet tùm ex facto Pauli Apostoli erga incestuosum illum Corinthium, quem excommunicaverat, & pœnitentiæ addixerat, 1. Cor. c. 5. & postea emendatum reconciliavit, & Ecclesiæ ac communioni restituit anno vix elapso, ut constat ex 2. *ad Cor.* Epistola, post annum à priore elapsum scripta: tum ex facto Joannis Evangelistæ erga adolescentem latrociniis & homicidiis famosum, quem inter rupes & sylvas conquisitum, & lacrymis ac precibus suis cum auxilio gratiæ conversum, post paucos menses, in continuis jejuniis cum illo transactos, fidelium communioni restituit, ut refert Eusebius, l. 3. Hist. c. 23. id etiam patet in Cerdone hæresiarcha, qui pluries à sua apostasia absolutionem obtinuit, ut testatur S. Irenæus, l. 3. c. 4. item ex Marcione & Valentino, quibus bis veniam concessit Ecclesia, ut narrat Tertullianus, lib. de præscript. c. 3. ubi etiam testatur Marcionem tertiò ad pœnitentiam admissum esse, eique, modò quos seduxerat, secum reduceret, Ecclesiæ communionem promissam esse, sed antequam id perficeret, morte præventum esse.

Post exortam hæresim Montani, negantis Ecclesiam habere potestatem absolvendi baptizatos à peccatis saltem gravioribus, hoc est, paulò post medium secundi sæculi, Ecclesia severiùs agere cœpit cum gravibus & publicis peccatoribus, & ob tria criminum genera publica, nempe idololatriam, homicidium & adulterium, privabat communione in perpetuum, nec veniam nisi in articulo mortis concedebat. Hunc rigorem Romæ relaxavit non multò post, nempè circa initium tertii sæculi Zephirinus Papa erga adulteros, hos ad communionem peracta pœnitentia admittens, ut constat ex Tertulliano, qui in Montani hæresim lapsus Zephirino exprobrat, lib. de Pudicitia, quòd idololatris & homicidis in perpetuum rejectis, mœchis veniam concederet.

Posteà, nempe circa medium tertii sæculi, reconciliatio & communio idololatris post peractam prolixam pœnitentiam concedi cœpit. De homicidiis verò incertum est, quandonam ad communionem ante mortis articulum

admissi

admissi sint. Certè saltem ab an. 314. Eucharistiam ante mortis articulum accepisse constat ex Concil. Ancyrano, can. 21.

Porro horum trium criminum reos nunquam in articulo mortis, Sacramentali absolutione privatos fuisse saltem in Ecclesia Romana & plerisque aliis, constat ex Innocentio I. Epist. 3. ad Exuper. c. 2. ubi de gravissimis peccatoribus publicis loquens, ait: *De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior fuit. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pænitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò communio est; concessa pænitentia, ne totum penitus negaretur; & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso, communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis .... tribuitur ergo cum pænitentia extrema communio, &c.*

Præter idololatriam, homicidium, & adulterium, erant etiam alia crimina, ob quæ posteà extra mortis articulum denegata fuit absolutio & communio.

Tertio tantùm sæculo post conflatum Novatianorum schisma ritus pœnitentiæ publicæ solemnis suprà explicatus, institutus est, leges præscriptæ, tempora definita, gradus ac ordines distincti sunt, ut constat ex Epistola canonica Sancti Gregorii Neocæsariensis, ex Epist. Sancti Basilii ad Amphilochium, & ex multis Conciliis. Et hæc quidem omnia varia fuerunt pro variis locis; temporibus, rerum circumstantiis, Ecclesiarum necessitatibus, & pro varia Episcoporum severitate vel indulgentia. Ex hac diversitate fit, ut variè loquantur antiqui de solemni pœnitentia; & quæ ab illis dicuntur, non possint omnia de omni loco & tempore intelligi.

ARTICULUS VII.

Quandonam pænitentia publica solemnis sublata fuerit?

Dico. Pœnitentia publica solemnis Constantinopoli sublata est à Nectario sub finem quarti sæculi; & paulò post in plerisque Orientalibus Ecclesiis desiit. In Occidente verò circa septimum duntaxat sæculum abrogata est. Adhuc tamen in utraque Ecclésia, Latina scilicet & Græca remansit aliqua pœnitentia publica, quæ nempe publicis criminibus imponeretur absque prædicta solemnitate. Quin etiam diu adhuc post sublatam solemnem illam & artificialem pœnitentiam viguerunt pœnæ canonicæ; & circa pœnitentiam delictis imponendam retenta adhuc ex parte est severitas priorum canonum pœnitentialium, ad quos respiciebatur in injungendis satisfactionibus. In Ecclesia Occidentali sæculo tantùm undecimo antiqua severitas relaxari cœpit: in Ecclesia Orientali diutiùs adhuc viguit.

§. VIII.

Quænam peccata fuerit olim pænitentiæ publicæ solemni subjecta?

Dico 1. Pœnitentia publica solemnis nunquam ex præcepto imposita fuit pro quolibet peccato mortali, sed solùm pro gravioribus criminibus. *Ita Communiter.*

Prob. 1. Quia nulli proferri possunt canones, quibus indiscriminatim pro peccatis omnibus mortalibus pœnitentia

tia publica statuatur. Imò omnes canones agentes, de pœnitentia solemni peragenda, eam imponunt certis duntaxat criminibus gravissimis.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint: S. Augustinus, Lib. de fide & operibus c. 26. ubi tria genera peccatorum distinguit, unum mortalium graviorum excommunicatione plectendorum, ac proinde obnoxiorum Pœnitentiæ publicæ; alterum mortalium non ita gravium, ut pœnitentia publica punienda sint, tertium denique levium seu venialium: sic enim ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis & meo Spiritu, tradere ejusmodi homini satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini Jesu . . . Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: corripe eum inter te & ipsum solum . . . postremò nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus: dimitte nobis debita nostra.*

S. Leo, Epist. 92. c. 17. ubi asserit peccata aliqua mortalia non expiari per pœnitentiam publicam, sed per privatam: gravissima verò publica subjicit pœnitentiæ publicæ; nam sic habet: *Qui convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt, jejuniis & manus impositione purgari ut deinceps ab idolothitis abstinentes, Sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoravere, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.*

Prob. 3. Ex Conc. Toletano I. can. 2. ubi Patres sic ajunt: *Pœnitentem verò dicimus eum, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.*

Prob. 4. Ratione. Quia pœnitentiæ solemni hæ pœnæ annexæ erant; nempe, qui eam agebant, irregulares erant, non poterant matrimonium contrahere aut contracto uti, nec ad militiam sæcularem accedere. Certè tam graves pœnæ non erant annexæ omnibus omnino peccatis mortalibus.

Præterea solemnis pœnitentia semel tantùm in vita eidem permittebatur, ut testatur S. Augustinus, Epist. 54. ubi ait: *Quamvis cautè salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur.* Ac proinde qui eam egerant, si iterum semel graviter peccassent, ad Eucharistiam, nisi in articulo mortis, non admittebantur. At quis dicat Ecclesiam pro quolibet mortali peccato etiam merè interno fideles Eucharistia privasse toto vitæ tempore, uno excepto mortis articulo?

Dico 2. Pœnitentia publica solemnis non imponebatur nisi pro peccatis gravioribus publicis & scandalosis: ac proinde ei ex præcepto non subjiciebantur peccata occulta etiam graviora.

Prob. 1. Ex Innocentio I. Epist. ad Exuper. ubi ait: *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam* (publicam.)

2. Ex S. Aug. Serm. 16. de verbis Domini, ubi ait; *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius, illum nemo novit . . . prorsus nec prodo, nec negligo, corripio in secreto, pono*

ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam, secretam scilicet. Est paulò inferiùs: *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando meritorum salutem quærentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus; ut ubi contigit malum, ibi moriatur malum*, id est secretò. Et Homil. ult. inter 50. describens eum, qui pœnitentiæ publicæ solemni addiceretur, dicit illum esse, qui non solùm est in gravi malo, sed etiam in scandalo aliorum; ibi enim fidelem mortaliter lapsum monet, ut diligenter conscientiam excutiat, *& cùm in se protulerit severissimæ medicinæ sententiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur . . . . à propositis sacrorum accipiat satisfactionis modum . . . ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.* Ergo ad obligationem pœnitentiæ publicæ solemnis requiritur peccatum publicum & scandalosum.

3. Et ex S. Leone, Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi quosdam Episcopos reprehendit, quòd obligarent ad publicam peccatorum occultorum confessionem, eorumque factum appellat præsumptionem contra Apostolicam regulam illicita usurpatione commissam, sic enim ait: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.* Ergo ex S. Leone nemo potest obligari ad publicam confessionem peccatorum occultorum: Ergo nec ad peragendam pro illis pœnitentiam publicam solemnem, quæ necessariò publicam peccatorum, pro quibus agebatur, confessionem præter alias pœnas complectebatur, ut constat ex Tertulliano, L. de Pœnit.

Obj. 1. Sanct. Ambrosius, L. 1. de Pœnit. c. 16. ait: *Si quis igitur occulta crimina habens propter Christum tamen studiosè pœnitentiam egerit . . . volo veniam reus speret; petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus . . . teneat pedes brachiis, osculetur osculis. &c.*

Resp. Sanctus Doctor ibi solùm hortatur ad agendam pœnitentiam publicam pro occultis criminibus; sed non dicit eam pro illis præceptam esse. Itaque in prisca Ecclesia ex voluntaria devotione & humilitatis studio fiebat interdum pœnitentia publica pro peccatis occultis etsi non gravioribus. Et hæc aliquando ex confessarii consilio in cœtu totius Ecclesiæ à pœnitente declarabantur, quando nempe ejus bono & cæterorum fidelium ædificationi id expedire censebat confessarius, auditis privatim omnibus ejus peccatis.

Obj. 2. S. Cyprianus, Epist. 47. dicit, pro minoribus delictis pœnitentiam publicam agendam fuisse.

Resp. Per minora delicta intelligit ea, quæ non in Deum directè committuntur, & quæ licèt in se gravia, minora tamen sunt aliis gravissimis. Unde non sunt minora inter mortalia simpliciter, sed inter mortalia gravissima.

Obj. 3. Multi Patres dicunt pro peccatis agendam esse pœnitentiam publicam.

Resp. Loquuntur de peccatis gravioribus publicis. Porro præter pœnitentiam publicam, alia erat privata & secreta pro peccatis occultis.

Obj. 4. Sanct. Augustinus, L. 1. De Symbolo ad Catechumenos ait: *Tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia: in baptismate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.* Et Hom. 27. inter 50. non aliam meminit pœnitentiam pro peccatis quàm publicam & solemnem.

Resp. S. Doctor his & similibus locis non intendit strictam & adæquatam pœnitentiæ divisionem afferre; & cùm pro tertio pœnitentiæ genere assignat solam pœnitentiam solemnem, hoc ipso significat se loqui de pœnitentia, quæ pro gravioribus peccatis agebatur. Nam alibi admittit pœnitentiam secretam pro criminibus occultis.

Ad solutionem aliarum objectionum observa 1. aliqui Patres interdum loquuntur solùm consulendo & hortando. 2. Interdum à Patribus adhibetur ea figura, qua species & quidem præcipua sumitur pro genere. 3. Dilatio Eucharistiæ privatim à Sacerdote præcepta simul cum pœnitentia peragenda, dici non debet genus quoddam pœnitentiæ publicæ.

§. IX.

Utrùm nunc sit aliqua obligatio ad pœnitentiam solemnem aut publicam?

Dico 1. obligatio, quæ fuit in antiqua Ecclesia ad solemnem pœnitentiam jam diu cessavit per contrariam consuetudinem seu desuetudinem, & indulgentiam Ecclesiæ, quæ Sacerdotibus legitimis pœnitentiæ Ministris potestatem reliquit, ut quas magis expedire judicarent, habita ratione gravitatis ac multitudinis peccatorum & facultatis pœnitentium, salutares & convenientes injungerent satisfactiones, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, *habendo præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Ex Conc. Trident. sess. 14. c. 8. Sicut autem Ecclesia potuit sua auctoritate rigorem illum pœnitentiæ solemnis introducere, ita & minuere, tollere, vel in alium ritum mutare potest.

Dico 2. possunt & debent interdum publici & scandalosi peccatores obligari ad aliquam pœnitentiam publicam prudenti arbitrio Episcopi imponendam. Ita Conc. Trident. sess. 24. c. 8. ubi ait: *Apostolus monet publicè peccantes, palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, &c.* Enimverò æquitas exigit, ut publicè satisfaciant, qui communitati scandalo nocuerunt.

Dico 3. Pro peccatis occultis imponi non potest pœnitentia publica. Hoc enim vetat Rituale Romanum his verbis: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant.* Nam per pœnitentiam illam publicam proderetur occultum pœnitentis peccatum cum ejus infamia.

Appendix de Purgatorio.

Purgatorium est locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ justorum in statu gratiæ decedentium, patiendo pœnas peccatis quoad reatum culpæ remissis debitas, quæ supersunt persolvendæ; ut nimirum sic purgatæ in Cœlum admittantur, in quod non intrabit aliquod coinquinatum. *Apoc. c. 21.*

Circa Purgatorium duo tantùm nunc fide catholica definita sunt. Primum, animas justorum nondum solutas à to-

to reatu pœnæ, justitiæ divinæ ob peccata venialia vel mortalia quoad culpam remissa debitæ, post hanc vitam pœnis purgari, donec omnino expiatæ in Cœlum admittantur. Alterum, easdem animas juvari posse vivorum suffragiis quoad pœnæ diminutionem aut liberationem. In his duobus consistit tota fidei Catholicæ doctrina de purgatorio, ab Ecclesia expresse definita. Quam quidem doctrinam impugnarunt multi hæretici, nimirum Apostolici, tempore S. Bernardi, Waldenses, Lutherus, & Calvinus.

§. I.

Probatur veritas fidei circa purgatorium, nempe purgatorium esse, id est, justorum animas à corpore separatas, quæ nondum integrè justitiæ divinæ satisfecerunt, pœnis purgatoriis purgari, & fidelium vivorum suffragiis juvari.

Prob. 1. Ex Scriptura. 2. Machab. c. 12. postquam Scriptura narravit Judam Machabæum, *facta collatione*, misisse Hierosolymam duodecim millia drachmarum argenti in sacrificia *pro peccatis mortuorum* expendenda, subjicit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ex quo patet, & posse mortuos post hanc vitam à peccatis solvi, proindeque esse purgatorium in sensu explicato, & sacrificia ac orationes vivorum prodesse defunctis.

Hunc autem Librum esse canonicum seu continere verum Dei verbum, contra Hæreticos eadem auctoritate constat, qua nobis constat infallibiliter aliquos Libros esse canonicos seu divinos, nempe infallibili judicio Ecclesiæ, illum à Deo inspiratum esse agnoscentis. *Machabæorum Libros non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*, inquit S. Aug. L. 18. de Civ. Dei, c. 36. vide dicta de scriptura, in tractatu de fide.

Matth. c. 12. *qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum; non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo aliqua peccata remittuntur in futuro sæculo: nam si nulla peccata in altera vita remittuntur, superfluè & ineptè Christus addidisset *neque in futuro*; dicendo quippe solùm, *non remittetur in hoc sæculo*, perinde esset ac si dixisset, numquam remittetur. Sic ineptè loqueretur, qui diceret; Rex Galliæ non te morte damnabit neque in aula sua, neque in aula imperatoris. Si autem remittuntur peccata in futuro sæculo, certe in purgatorio nempe venialia, & mortalia quoad reatum pœnæ temporalis, condonato jam reatu culpæ. Nam in inferno nulla fit remissio, cùm pœnæ sint æternæ, & in altera vita nullum mortale peccatum quoad reatum culpæ condonetur, sed omnis reatus culpæ mortalis statim damnationem æternam inducat. Igitur ex hoc modo loquendi Christi rectè colligitur peccata aliqua remitti & expiari post hanc vitam, ideoque in Purgatorio. Ita exponunt S. Augus. l. 21. de Civit. c. 24. & l. 6. in Julian. c. 5. S. Gregorius, l. 4. dialog. c. 39. & alii Patres.

1. Cor. c. 3. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* His vobis (*per ignem*) ex Patribus significatur pœna aliqua Purgatoria & temporalis, quam post mortem patientur, qui in judicio particulari invenientur rei culparum venialium.

1. Cor. c. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt; ut quid & baptizantur pro illis?* Ubi nomine *baptismi* intelliguntur afflictiones & opera pœnalia, quæ hac voce in Scriptura non raro significantur, ut, Marc. 10. *potestis bibere Calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Luc. 12. Ps. 68. & 123. & 143.

hunc

hunc autem baptismum pro mortuis susceptum non improbat Paulus tamquam superstitiosum & inutilem, sed potiùs tamquam bonum & receptum supponit, si quidem ex illo deducit argumentum resurrectionis. Hìc porro Paulus pro eodem sumit resurrectionem mortuorum, & immortalitatem animarum: alioqui ejus argumentum non esset efficax, & quia hæc duo inter se connexa sunt; nec negabatur resurrectio mortuorum ab hæreticis contra quos agit, nisi quia immortalitatem animæ rejiciebant.

Prob. 2. Ex Patribus tùm Græcis, tùm Latinis apud Bellarminum & alios. Pro omnibus sint, Tertullianus, l. de Coron. militis. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Et l. de Monogamia hortatur viduam ut *pro anima ejus* (viri) *oret, & refrigerium adpostulet ei.* S. Chrysost. homil. 41. in 1. ad Cor. *Oportet ei* (mortuo) *succurrere, non lacrymis, sed precibus & supplicationibus, & eleemosynis & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccata tollit, &c. eis ergo opem feramus, &c.* Et hom. 3. in c. 1. ad Philipp. *Non frustra ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis; defunctorum agatur commemoratio; noverunt enim inde illis multum emolumenti fieri, multum utilitatis.*

S. Ambrosius, epist. ad Faustinum. *Itaque non tam deplorandam* (sororem mortuam) *quam prosequendam orationibus reor, nec mæstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam.*

S. Cyrillus Hierosol. catechesi 5. *Pro omnibus oramus, qui interea vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi sacrificii.* S. Aug. l. de cura pro mortuis, c. 1. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et l. de hæresibus, hær. 53. inter hæreses Aerii recenset, quod pro mortuis offerendum esse sacrificium negaret. Idem facit S. Epiphanius, hæres. 75. item S. August. Enchirid. c. 110. ait: *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum relevari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt, &c.* Ex quibus textibus Patrum patet, animas defunctorum in statu gratiæ juvari precibus, sacrificiis & piis operibus vivorum, ideoque pati pœnas, à quibus per ista juvantur.

Præterea Patres pœnas Purgatorias disertè commemorant apud Bellarminum. Hìc sufficiant

S. Gregorius Nissen. in orat. pro mortuis. *Non poterit à corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.*

S. Basilius, in c. 9. Isaiæ. *Si igitur per confessionem detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum plane quod depascatur ac devoret purgatorius ignis.* Et infra. *Non omnimodam internecionem & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam, ipse autem salvus erit quasi per ignem.*

S. August. l. 21. de Civitate Dei, c. 24. *Facta resurrectione mortuorum non deerunt quibus post pœnas, quas patiuntur*

tur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum, &c. & homil. 16. ex 50. *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quemdam Purgatorium transibunt; de quo Apostolus inquit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus, scilicet Lateranensi IV. c. 66. Florentino in decreto unionis, ubi consentientibus Græcis definit: *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut à pœnis hujusmodi revelentur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia. Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta.* Et Trid. sess. 25. ubi declarat *Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio juvari.*

His adde plurima Concilia particularia in Italia, Gallia, Germania, Hispania, & Oriente celebrata, item omnes Liturgias, in quibus omnibus fit oratio pro defunctis.

Prob. 4. Ratione duplici. 1. Quando peccata à Deo remittuntur, non semper cum reatu culpæ dimittitur tota pœna temporalis. At sæpe fit, ut peccatores reconciliati, non satisfecerint plenè toto vitæ suæ tempore pro pœna temporali peccatis suis debita: Ergo debent pro illa satisfacere post hanc vitam, nempe pœnas purgatorias patiendo. 2. Peccata venialia, sola pœna tempotali digna sunt; & fieri potest, ac sæpe fit, ut aliqui justi cum talibus peccatis decedant ex hac vita. Ergo necesse est, ut in alia vita his purgentur.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Eccles. c. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem: in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

Resp. Litteralis sensus hujus loci est, quod sicut arbor, postquam ceciderit, ibi manet, ubi cecidit, nec potest vi propria resurgere: sic homo mortuus per se ac vi propria numquam resurrecturus est. Allegoricus verò sensus est, hominem perpetuò manere in statu damnationis, vel salutis æternæ, in quo moritur, ita ut post mortem ab uno statu ad alium transire non possit; quamvis ad tempus fruitio beatitudinis quibusdam justis differatur, ut de electis veteris Testamenti fatentur hæretici.

Obj. 2. Matth. c. 25. duo tantùm commemorantur status futuri animarum, nempe beatitudinis, & damnationis æternæ: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Resp. Hoc loco & aliis agitur de locis futuris in perpetuum post extremum judicium; tunc enim Purgatorium finem accipiet, & deinceps duo tantùm loca remanebunt, Paradisus, & Infernus.

Inst. Marc. c. ult. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ergo duo solùm sunt loca post hanc vitam.

Resp. Neg. conseq. Quia hæc verba (*salvus erit*) intelligi debent cum hac tacita conditione alibi expressa, nempe modò etiam faciat cætera, quæ requiruntur, & nullum impedimentum aliunde opponat.

Præterea non dicitur: salvus erit sine mora post mortem, & sine Purgatorio; multi enim salvantur *sic tamen quasi per ignem*, ut ait Apostolus.

Obj. 2. Illud Apoc. c. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo*

jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.

Reſp. Ibi agitur de juſtis perfectis, ſeu iis qui perfectè & abſolutè digni ſunt illa requie: vel de juſtis conſideratis quantùm eſt ex parte Sanctitatis, modò aliunde nullum habeant impedimentum retardans. Eodem ſenſu explicabis S. Auguſtin. Tract. 39. in Joann.

Obj. 4. S. Cyprian. lib. contra Demetr. ait: *Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus.* Et S. Chryſoſt. Hom. 2. de Lazaro. *Cùm hinc diſceſſerimus, non eſt in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere . . . . neque enim qui in præſenti vita peccata non abluerunt, poſt ea conſolationem aliquam inventuri ſunt.*

Reſp. Loquuntur de pœnitentia pro peccatis mortalibus nondum quoad reatum culpæ condonatis. Similiter S. Ambroſius, l. de bono mortis loquitur de remiſſione mortalium quoad culpam, quæ locum non habet poſt hanc vitam.

Obj. 5. S. Auguſt. lib. 21. de Civit. c. 26. & Enchird. c. 69. & alibi dicit poſſe dubitari de Purgatorio.

Reſp. Nego. Nam multis locis dicit conſtare animas poſt hanc vitam purgari, & orationes & ſacrificia vivorum eis prodeſſe; ſed dubitat tantùm de modo & qualitate pœnarum purgatorii: nempe dubitat an ignis purgatorius ſit idem in ſubſtantia cum igne gehennæ; item an poſt hanc vitam comburendæ ſint animæ igne illo doloris de jactura temporalium, quo hic uti ſolent, cùm rebus valde dilectis privantur.

Itaque S. Doctor ſolùm dicit quæri poſſe, & numquam fortè inveniri, utrùm ſicut in hac vita immoderatus erga creaturas amor purgatur à Deo variis afflictionibus, ut morte uxoris, liberorum, amicorum, jactura bonorum temporalium, &c. Ita etiam poſt hanc vitam adhuc remaneat in anima ſeparata aliqua ejusmodi affectio, quæ purgari debeat tribulationibus, & moleſtiis ex rerum dilectarum privatione vel aliunde partis.

Igitur S. Auguſtinus numquam dubitavit de veritate Purgatorii, quæ ab Eccleſia definita eſt, ſed ſolùm de modo, qualitate, & circumſtantiis pœnarum Purgatorii, quæ necdum ſunt ab Eccleſia definita. *Orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, non eſt dubium mortuos adjuvari,* inquit, S. Auguſtin. Serm. 32. de verbis Apoſtoli.

Obj. 6. Eccleſia Græca ante Conc. Florentin. non credebat Purgatorium. Ergo non eſt veritas Catholica.

Reſp. Nego anteced. Cujus falſitas patet ex PP. Græcis à Bellarmino cit. ſcilicet Dionyſ. Areopagita, Origene, Athanaſio, Baſilio, Gregor. Nazianz, Gregor. Niſſeno, Chryſoſtomo, Epiphanio, Cyrillo, Theodoreto, Damaſceno, & aliis. Imò Græci, in prima & ultimo ſeſſione Conc. Florent. aſſerunt ſe perpetuò Purgatorium credidiſſe, & orationem pro defunctis prodeſſe; ſed ſolùm dubitare de qualitate pœnæ, an ſit videlicet, ignis, an aliquid aliud.

Obj. 7. Omnes animæ à corpore ſeparatæ, hoc ipſo ſunt in termino: Ergo ſunt vel in Cœlo, vel in inferno, ergo nullæ ſunt in Purgatorio.

Reſp. Nego anteced. Nam animæ, quæ in Purgatorio degunt, non ſunt omnino in via, neque omnino termino; ſed mediæ ſunt quoad ſtatum inter viatores, & beatos ac damnatos; nam ſunt confirmatæ in bono, & tamen adhuc retardantur à conſecutione beatitudinis. Quare poſſunt ſatisfacere, ſed non mereri, ſicut nec peccare, cùm jam non ſint in via.

Porro

Porro ex S. Thom. in 4. dist. 21. qu. 1. art. 2. peccata venialia quoad culpam remittuntur in Purgatorio per actum charitatis, & patientiæ, qua acceptantur pœnæ Purgatorii. Hæc autem acceptatio pœnæ ex charitate manans est virtualis quædam pœniten tiæ, quæ est remissoria peccati, quamvis non sit meritoria gratiæ & gloriæ.

§. III.

Expediuntur aliæ Quæstiones de Purgatorio.

Quæres 1. *Qualis & quanta sit pœna Purgatorii?*

Resp. 1. De pœna Purgatorii hæc certa sunt.

I. Certum est animas in Purgatorio detentas non torqueri metu Inferni, aut anxietate & incertitudine de sua salute; nam hic Lutheri articulus inter multos à Leone X. damnatus est: *Animæ in Purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes.* Enim verò certò sciunt se esse in statu longè diverso à statu damnatorum, seque Deum amare, & per sententiam à Christo latam pœnis tantùm tempo ralibus addictas esse, quas quidem æquo animo propter Deum ferunt.

II. Certum est etiam, unam Purgatorii pœnam esse carentiam visionis intuitivæ Dei, ejusque fruitionis. Nam animæ illæ Sanctæ non possunt non dolere, (inquit Bellarmin.) quod videant se propter suas culpas impediri à fruitione summi boni: quæ carentia vocatur pœna damni, estque acerbissima.

III. Certum est, inquit Bellarmin. præter hanc pœnam damni esse etiam aliquam aliam pœnam, quam Theo logi vocant pœnam sensus, quæ consistit in aliquo dolore aliunde proveniente quàm ex carentia visionis Dei. Ut enim qui peccat, avertit se à summo bono, & convertit se inordinatè ad creaturas; ita postea puniri debet non solùm carentia summi boni, sed etiam afflictione inflicta ab aliqua creatura.

IV. Certum est, in Purgatorio esse pœnam ignis, sive iste ignis accipitur proprie, sive metaphoricè. Nam aliquem ignem in Purgatorio esse, constat tum ex 1. Cor. cap. 3. *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem*: tum ex Patribus Latinis & Græcis apud Bellarminum, l. 1. c. 6. post medium.

Resp. 2. Animæ in Purgatorio detentæ præter dolorem ex privatione fruitionis Dei perceptum, verè cruciantur igne corporeo & propriè dicto.

Hæc assertio non est de fide. Nam nondum ab Ecclesia definita est; & in Conc. Florent. Græci in hoc ab omnibus Latinis dissidentes, damnati non fuerunt, quia fatebantur Purgatorium esse, & in eo animas pati pœnas aliquas. Imò quamvis Græci profiterentur se non ponere ignem verum ac propriè dictum in Purgatorio, nihilominus reconciliati sunt Ecclesiæ Romanæ.

Est tamen hæc nostra assertio certa propter consensum Ecclesiæ Latinæ, quæ sola est pars longè maxima universalis Ecclesiæ.

Prob. 1. Quia Apostolus dicit simpliciter, *salvus erit quasi per ignem*; & Patres tum Latini, tum Græci apud Bellarminum Purgatorii pœnam appellant ignem simpliciter. Verba autem Scripturæ & Patrum accipi debent propriè seu in sensu proprio, quando ex eo nil absurdi sequitur.

2. Quia ex Sapient. c. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Atqui homines peccant per affectum inordinatum erga objecta sensibilia: Ergo puniri debent sensibilibus objectis; proindeque ignis, quo puniuntur, sensibilis est.

3. Ex unanimi Scholasticorum consensu,

ſenſu, qui non poteſt niſi temerè contemni, inquit, Bellarminus. Imò ex conſenſu totius Eccleſiæ Latinæ, quæ eſt maxima pars Eccleſiæ Univerſalis, & habet totius Eccleſiæ caput: quæ tamen hoc non tenet ut fide certum, alioqui eſſet revera de fide, cùm maxima pars univerſalis Eccleſiæ ſuo capiti conſentiens ſit abſolutè infallibilis in rebus fidei & morum.

Reſp. 3. Pœnæ Purgatorii ſunt graviſſimæ, & graviores omnibus pœnis, quæ in hac vita tolerari poſſunt. *Ita omnes.*

Prob. 1. Ex Patribus. S. Auguſtin. in Pſal. 37. ait: *Dicitur enim, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, ſalvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* S. Gregor. in Pſal. 3. Pœnit. *Illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorem.* Beda, in eundem Pſ. S. Anſelmus, in *1. Cor. c. 3.* & S. Bernardus: Serm. de obitu Humberti aſſerunt nulla eſſe ſupplicia martyrum cum pœnis Purgatorii conferenda.

2. Ex S. Thom. in 4. diſt. 20. qu. 1. art 2. ubi docet minimam pœnam Purgatorii eſſe majorem maxima pœna hujus vitæ. Et ex S. Bonavent in 4. diſt. 20. a. 1. q. 2. ubi aſſerit Purgatorii pœnas eſſe majores pœnis hujus vitæ. Et ex omnibus Scholaſticis, qui teſte Bellarmino idem docent, ita ut controverſia ſit tantum de modo quo id intelligi debeat, utrùm ſcilicet minima purgatorii pœna ſit major maxima pœna hujus vitæ, ut ſentit S. Thomas, an vero tantum hoc intelligatur de pœna purgatorii maxima, vel de omnibus ſimul ſumptis.

3. Ratione: Nam pœna damni per ſe graviſſima eſt in altera vita: & ignis purgatorius eſt omnino acerrimus, cùm ad hoc ſolùm ſit factus, ut ſit inſtrumentum juſtitiæ divinæ, & ſit ignis vindictæ. Qui ſi non ſit ignis verus, eſt aliquid multo horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam ſuam in hoc oſtendere voluit, inquit Bellarminus.

Quæres 2. *Quam diuturno tempore torqueantur animæ in Purgatorio?*

Reſp. Tempus illud incertum nobis eſt, & varium pro varietate pœnarum, quæ luendæ ſuperſunt. Tamen ex Eccleſiæ ſenſu conſtat aliquas diu torqueri poſſe: nam Eccleſia anniverſaria ſacra celebrat pro animabus hominum ante centum, vel ducentos, & plures annos mortuorum. Quod certè non fieret, ſi Eccleſia crederet non puniri omnes animas niſi breviſſimo tempore. Certum eſt autem nullam ultra diem extremi judicii cruciatum iri. Nam tunc ex omnibus adultis duo tantùm conſtituentur ordines: unus eorum, quibus Chriſtus dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum &c.* Alter eorum, quibus dicet: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Qui autem ultimi hominum electorum moriuntur die ipſo extremi judicii, vel paulo ante, graviſſimis pœnis & morte violenta acceptata, vel aliis operibus pro peccatis ſuis ſaltem magna ex parte ante mortem ſatisfacient. Et qui plenè non ſatisfecerint, eorum animæ tanto intenſiùs torquebuntur brevi illo tempore, quod uſque ad reſurrectionem ſupererit, quantum neceſſarium erit, ut pœnæ intenſio durationis defectum ſuppleat.

Quæres 3. *In quo loco animæ pœnis purgatorii purgantur?*

Reſp. Certum eſt animas, quæ pœnis purgantur, alicubi purgari; nam ſunt alicubi, & purgantur ubi ſunt. Non tamen apud omnes conſtat animas

animas in uno eodemque loco omnibus communi purgari. Nam aliqui Catholici putant variis in locis animas torqueri ex divina voluntate juxta occurrentes circumstantias. Communior tamen sententia est certum aliquem locum subterraneum inferno damnatorum vicinum, animabus purgandis, communiter saltem, destinatum esse.

Prob. Quia Ecclesia in missa pro defunctis dicit: *Libera animas omnium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Favent etiam historiæ relatæ à S. Gregorio, lib. 4. Dialog. pluribus locis; & à Beda lib. 5. hist. c. 13. idem etiam sentit S. Augustinus in hunc sensum, Epist. 99. exponens hæc verba Act. c. *solutis inferni doloribus.*

Quæres 4. *Utrùm animæ in Purgatorio torqueantur à dæmonibus.*

Resp. Negant Doctores Scholastici cum S. Thoma. Quia non convenit animas illas Sanctas subjici diabolo, quem finaliter superarunt: in contrarium tamen sunt quædam apparitiones apud Bedam, Surium & alios. Verùm non probant id communiter fieri, sed tantum extraordinariè.

CAPUT V.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm forma Sacramenti Pœnitentiæ verbis essentialiter constet?

DIco. Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter exprimi debet verbis propriè dictis, & humana voce prolatis, ita ut nulla sit absolutio nutibus vel scripto data. *Est communis & certa sententia.*

Prob. 1. Ex Concil. Florentin. in decreto pro Armenis. Ibi: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit: Ego te absolvo, &c.* Certè istæ voces (*verba profert, dicit*) apertè significant formam Sacramenti essentialiter verbis propriè dictis.

2. Ex Concil. Trident. Sess. 14. c. 3. *docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illius ministri verbis positum esse*: Ego te absolvo &c.

3. Ex praxi Ecclesiæ, in qua numquam absolutio Sacramentalis scripto, aut nutu data est.

Ratio à priori est voluntas & institutio Christi nobis per Ecclesiam certo declarata, significata his verbis Christi, Joann. c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Ratio convenientiæ est, quod verba habeant significationem perfectiorem, magis expressam ac determinatam, quam quodlibet aliud signum.

Obj. 1. Concil. Florentin. in eodem decreto dicit oris confessionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non fit essentialiter verbis, sed tantum regulariter. Ergo idem est de forma absolutionis.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia ex Traditione & praxi Ecclesiæ constat confessionem, non formam absolutionis nutibus fieri posse. Est autem saltem temerarium afferre explicationes essentiæ Sacramentorum, quas Ecclesia nondum agnovit & approbavit.

Porro Christus convenienter voluit absolutionem semper verbis, non confessionem fieri. Tùm quia forma debet esse magis expressa ac determinata quàm materia. Tùm quia raró absolutio verbis exprimi nequit: confessio verò sæpe verbis fieri non potest, & quidem in extrema necessitate hujus Sacramenti. Christus autem incommodo valde raro providere non debuit.

Obj. 2. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii. At judi-

judicium non exigit essentialiter, ut sententia verbis proferatur. Ergo.

Resp. Disting. maj. Institutum per modum judicii cujusdam spiritualis; *conc. maj.* per modum judicii communis & omnimode humano similis, *nego maj.* Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii cujusdam specialis, & ab humano ac civili in multis discrepantis. Nam judicium, quod in Sacramento exercetur, est in salutem & favorem rei institutum, est voluntarium, in eo idem est reus & accusator, reo ipsi se accusanti vel excusanti creditur. Quæ omnia judicio civili & humano conveniunt.

Obj. 3. Matrimonium regulariter tantum non essentialiter verbis contrahi debet, & valet scripto vel nutu contractum. Ergo similiter, &c.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia Christus instituendo Matrimonii Sacramentum, noluit peculiarem ritum Matrimonio addere, sed duntaxat contractum civilem legitimum evexit ad dignitatem Sacramenti, ne muti privarentur jure naturali contrahendi Matrimonium. Cùm autem contractus civilis verba propriè dicta non exigat, noluit etiam Christus, ut idem contractus ad rationem Sacramenti evectus, talia verba essentialiter requireret. At verò Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituendo, peculiarem & novum ritum instituit, sicut cùm alia Sacramenta instituit, in quibus verba propriè dicta ad perfectiorem Sacramenti significationem essentialiter exegit.

ARTICULUS II.

Utrùm forma absolutionis essentialiter ex institutione Christi exprimi debeat modo indicativo?

Nota. Morinus, in Comment. Hist. de Disciplina in administratione Pœnitentiæ, l. 8. docet formam Sacramenti Pœnitentiæ olim fuisse, & etiam nunc esse deprecativam. Nonnulli alii Recentiores fatentur eam quidem nunc esse indicativam, sed ex determinatione Ecclesiæ posse exprimi modo vel indicativo, vel deprecativo, & sic contra torrentem Doctorum contendunt posse esse deprecativam: imò volunt reipsa duodecim prioribus sæculis deprecativam fuisse. Quæ quidem nova opinio multis videtur periculosa; & reipsa hæretici inde inferunt formam absolutionis non esse actum judicialem, nec Sacerdotem verè remittere peccata.

§. I.

Dico. Forma Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter & ex institutione Christi exprimi debet modo indicativo: ita ut nec umquam fuerit, nec possit esse deprecativa.

Prob. 1. Ex verbis Christi, quibus ex Conc. Trident. Sess. 14. c. 1. hoc Sacramentum instituit, nempe his Joann. c. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Nam Christus non dixit, quibus deprecati fueritis remissionem peccatorum, eam impetrabitis; sed quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Aliud autem est petere alicui veniam peccati: aliud verò illi remittere peccatum; ut patet. Ergo non orando, sed remittendo proferri debet absolutio: alioqui non ponitur id cui promissa est peccati remissio.

Prob. 2. Ex Concil. Florentin. & Tridentin. docentibus formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in his verbis: *Ego te absolvo &c.* quæ verba modo planè indicativo exprimuntur.

Prob. 3. Ex Concil. Trident. pluribus locis.

I. Sess. 14. c. 3. ait: *docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipua ipsius vis sita,*

sita est, in illius Ministri verbis positam esse. Ego te absolvo, *&c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Ex quo sic *argumentor.* Cùm Concilium dicit simpliciter formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in his verbis: *Ego te absolvo, &c.* & dicit preces, quæ illi adjunguntur, de more Ecclesiæ illis adjungi, nec esse essentiales Sacramento, clarè significat verba illa absolutionis formam constituentia, non esse institutionis ecclesiasticæ, sed divinæ, siquidem illa verba distinguit ab eo, quod dicit esse ab Ecclesia institutum. Ergo ex Christi institutione forma hujus Sacramenti est indicativa, non deprecativa. Ergo etiam duodecim prioribus sæculis & semper forma hujus Sacramenti posita fuit, sicut nunc consistit in his verbis: *Ego te absolvo, &c.* non in precibus: nam Ecclesia institutionem Christi in administratione Sacramentorum semper retinuit.

Item ex Concil. preces, quæ adjunguntur his verbis: *Ego te absolvo, &c.* sunt tantùm de institutione ecclesiastica, nec sunt Sacramento essentiales aut necessariæ. Ergo etiam preces, quæ in antiquis Liturgiis, Sacramentariis Ritualibus extant, & quas adversarii volunt duodecim prioribus sæculis constituisse formam Sacramenti Pœnitentiæ, sunt de institutione ecclesiastica tantùm, nec ad formæ essentiam pertinuerunt. Nam eædem omnino sunt saltem quoad sensum, atque preces quæ in Rituali Romano continentur, de quibus loquitur Concil.

Præterea cùm Concil. dicit, *de more Ecclesiæ*, loquitur de perpetua & constanti Ecclesiæ consuetudine.

II. Eadem Sess. 14. c. 1. ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens:* accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. *Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

Secundùm Concilium ex institutione Christi Sacerdos per Sacramentum Pœnitentiæ verè remittit peccata. Atqui per illud non remittit verè peccata, nisi per illud significet se illa remittere: nam Minister per Sacramentum non efficit nisi quod per illud significat. Ergo Minister ut remittat peccata debet ex institutione Christi, ideoque ex Sacramenti natura, quæ tota ab institutione Christi pendet, debet inquam significare se verè peccata remittere, non autem præcisè illa à Deo remitti. Verba autem quæ significant Sacerdotem verè remittere peccata, non sunt sanè deprecativa, sed indicativa, ut patet.

III. Ex Concil. absolutio Sacerdotis est essentialiter sententia judicialis; nam Sess. 14. c. 6. sic ait: *Absolutio Sacerdotis . . . . non est solùm nudum Ministerium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis,* quo ab ipso velut à judice sententia pronuntiatur. Atqui sententia judicialis verbis indicativis, non deprecativis proferri debet. Ergo & absolutio.

Item ex Conc. ea est institutio Sacramenti Pœnitentiæ, ut administretur à Sacerdote tanquam judicium exercente & sententiam pronunciante: ideoque ut administretur per verba quibus Sacerdos

cerdos significet se judicium exercere & sententiam proferre: nam Sacramenta eo modo & tantùm efficiunt, quomodo & quantùm significant. Atqui verba, quibus Sacerdos significat se judicium exercere & sententiam pronunciare, sunt indicativa, non deprecativa. Ergo ea est institutio Sacramenti, ut administretur per verba indicativa, non deprecativa. Ecclesia autem nihil potest mutare in Sacramentis, quoad institutionem, ideoque ad essentiam illorum pertinet: sicque semper debuit in hoc Sacramento uti forma indicativa, non deprecativa.

Confirmatur auctoritate S. Thomæ, qui Opusculo 22. c. 1. contra Neotericum quemdam, opinionem adversariorum tuentem, disputans sic ait: *Perlecto libello à vobis exhibito, inveni assertionem cujusdam valde temerariam dicentis, quòd Sacerdos absolvendo uti non debeat hac forma* ego te absolvo: *quod quidem præsumptuosum judico. Quia repugnat Evangelicis dictis.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud Jacobi 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.*

Resp. Quamvis Apostolus prioribus verbis loquatur de confessione Sacramentali; tamen verbis istis, *& orate pro invicem*, non loquitur de oratione, quæ sit forma Sacramentalis: nam loquitur de oratione impetrante, non ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, ut patet ex subsequentibus: *Multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias . . . . oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit, &c.* De eadem etiam oratione impetrante tantùm ex opere operantis loquitur S. Ambrosius, l. 1. de Pœnitent. c. 8.

Obj. 2. S. Ambrosius, l. 3. de Spiritu sancto, c. 19. ait: *Homines in remissione peccatorum Ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, divinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis.*

Resp. S. Doctor solùm vult, Deum esse causam principalem, Sacerdotem verò causam instrumentalem tantùm remissionis peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ; & Sacerdotem peccata remittere non virtute propria & auctoritate humana, sed auctoritate à Deo accepta & virtute Dei ut causæ principalis. Et verbis istis (*neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine, &c.*) Indicat indicativam hanc formam: *absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Sicut indicativam formam Baptismi indicat his verbis subsequentibus: *In Baptismo quoque peccata donari non est ambiguum. In Baptismo autem operatio Patris & Spiritus sancti est.*

Cùm autem dicit: *Isti rogant, divinitas donat*; non excludit formam indicativam. Nam etiam tunc rectè dici potest: isti rogant, divinitas donat; nempe eo instanti, quo isti postquam rogarunt, absolutionis verba proferunt, dicendo: *ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, &c.* Præterea Patres orationem vocant quælibet verba sacra etiam indicativa, quæ Deum movent ad dandam gratiam. Quo sensu forma Baptismi & Eucharistiæ est oratio quædam.

Obj. 3. S. Aug. lib. 15. de Trinitate, c. 26. de Discipulis Christi dicit: *Orabant quippe ut veniret* (Spiritus sanctus) *in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

sia. Et infrà. *Effundere* (Spiritum sanctum) *super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum à quo hoc efficitur, super eos invocamus.* Similia habet Hieronymus. Et S. Leo, Epist. 80. sic ait: *Sufficit illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.*

Resp. Sic locuti sunt Patres antiquiores, & deinceps Concilia & Scriptores Ecclesiastici, non ut formam deprecativam significarent, sed 1.° quia confectioni omnium Sacramentorum, & absolutioni præmittuntur preces, quibus à Deo petitur gratia sanctificans & remissio peccatorum suscipientibus Sacramenta. 2. Ut significarent Sacramentorum Ministros esse tantùm causam instrumentalem, Deum verò solam causam principalem gratiæ, remissionis peccatorum, & aliorum donorum supernaturalium. 3. Quia per orationes & supplicationes intelligunt quælibet verba sacra, habentia vim impetrandi à Deo gratiam, & quæ proferuntur, ad effectum Sacramentalem à Deo obtinendum; sicque sunt implicita invocatio divinæ virtutis.

Dices. S. Leo, Epist. 91. dicit Deum voluisse, *ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Ergo absolutionis forma est deprecativa.

Resp. Neg. conseq. Quia (ut jam dixi Patres per orationem, & supplicationem intelligunt quælibet verba etiam indicativa, habentia vim infallibilem movendi Deum ad dandam gratiam, cujusmodi sunt omnes formæ Sacramentorum; ut patet ex S. Augustino, qui lib. 5. de Baptismo, cap. 20. dicit hominem baptizare & conficere Eucharistiam deprecando; nam ibi sic ait: *Si ergo ad hoc vales, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen fiunt, & valent etiam per homicidas.* Igitur ex S. Augustino homo baptizat, consecrat Eucharistiam per orationem, quia verba formæ baptismi & Eucharistiæ sunt virtualiter & æquivalenter, deprecativa, quatenus habent vim impetrandi à Deo, id quod significant. Et verò verba à Christo instituta, à Ministro Christi nomine prolata, & infallibiliter moventia Deum ad efficiendum id, quod significant, & ad dandam gratiam, num rectè dicuntur orationes quædam, qnamvis modo indicativo exprimantur nec sint formaliter preces?

Obj. 4. Olim Sacramentum Pœnitentiæ administrabatur per manuum impositionem, quæ nunquam fiebat sine precibus. Ergo ejus forma erat deprecativa.

Resp. Nego conseq. Quia preces illæ, quibus olim administratum fuit hoc Sacramentum, non erant forma, qua pœnitens absolvebatur. Enim verò nunc etiam non administratur sine precibus; & tamen preces illæ ad ipsius formæ essentiam nequaquam spectant, nempe ad validam ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ, ut docet Conc. Trident.

Obj. 5. In Ordine Romano, in quo describitur ritus reconciliandi pœnitentes Feria quinta Majoris Hebdomadæ, leguntur tantùm orationes, quibus pœnitentes reconciliabantur.

Resp. Reconciliatio illa pœnitentium publicorum, cujus ritus describitur in Ordine Romano, fuit tantùm publica & solemnis absolutio ab excommunicatione pro foro externo, qua pœnitentes post peractam pœnitentiam publicam, & privatim acceptam ab aliquo Sacer-

Sacerdote absolutionem Sacramentalem, restituebantur communioni fidelium, & ad Eucharistiam admittebantur: quare præsupponebat absolutionem Sacramentalem jam privatim acceptam. Quod patet ex ipso Ordine Romano, ubi dicitur: *Tunc egreditur pœnitens è loco, ubi pœnitentiam gessit, ut gremio præsentetur Ecclesiæ,* (non ut à peccatis absolvatur.) Et infra. *Ab Archidiacono reddantur Episcopo* (pœnitentes;) *& ab Episcopo restituantur Ecclesiæ gremio.* Quare Episcopus, in oratione 9. dicebat: *Ecclesiæ tuæ purificatos restitue, ac tuo altari repræsenta, ut ad Sacramentum reconciliationis admissi, unà nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereantur.*

Præterea omnes orationes, quæ in Ordine Romano ad publicam illam pœnitentium reconciliationem continentur, fiunt in plurali numero: ideoque omnes simul & communiter ritu illo fuere ab Episcopo reconciliati. Non est autem credibile, omnes pœnitentes, qui sæpe magno numero erant, fuisse simul & communiter absoluti Sacramentaliter à peccatis; & integram eorum omnium confessionem ab Episcopo solo priùs auditam fuisse.

Inst. In penultima oratione sic orat Pontifex: *Dominus Jesus Christus, qui dignatus est Discipulis suis dicere: quæcumque ligaveritis .... ipse vos largifluo pietatis suæ dono, ac mea simul parvitatis Ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis vestræ excessibus interiùs exteriùsque humanitùs contractis, amen.*

Resp. Sic orat pro peccatis venialibus, quæ mortalibus jam per Sacramentum Pœnitentiæ remissis, supererant, remittendis extra Sacramentum & ex opere operantis Ecclesiæ; ut explicat S. Thomas, 3. p. q. 84. a. 3. ubi cùm sibi objecisset: *In quibusdam absolutionibus, quæ in Ecclesia publicè fiunt, sicut in Prima & Completorio & Cœna Domini, absolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat,* ego vos absolvo; *sed oratione deprecativa, cùm dicit:* misereatur vestri, &c. sic respondet: *Hujusmodi autem absolutiones in publico factæ non sunt Sacramentales, sed sunt orationes quædam ordinatæ ad remissionem venialium peccatorum.* Dici etiam possunt orationes illæ valere pro peccatis mortalibus nempe ad obtinendam remissionem reatus pœnæ temporalis mortalibus quoad culpam remissis debitæ.

Obj. 6. Ecclesia duodecim prioribus sæculis adhibuit formam absolutionis deprecativam: quam postea Ecclesia Latina mutavit in indicativam. Nec in hoc quidquam circa substantiam Sacramentorum mutavit, quia Christus hanc formam in specie infima non designavit, sed reliquit determinationi Ecclesiæ. Christus enim nihil aliud circa illam instituit, nisi ut exprimeretur iis verbis, quæ Ecclesia determinaret ut idonea ad exprimendam remissionem peccatorum. Ecclesia autem pro variis temporibus nunc deprecativam, nunc indicativam formam ut aptiorem determinavit.

Resp. Christus, ut ex ejus verbis & ex Concil. Trident. constat, pro forma Sacramenti Pœnitentiæ instituit verba significantia remissionem peccatorum ut à Sacerdote tanquam judice factam: ideoque instituit, ut Sacerdos verbis exprimeret se remittere peccata, non verò præcisè peccata à Deo remitti. Ecclesia autem semper institutionem Christi observavit: ideoque nunquam adhibuit formam Sacramentalem deprecativam, sed indicativam.

Inst. Antiqua Sacramentaria, Pœnitentialia, & Ritualia manuscripta nil conti-

continent nisi orationes, cùm agitur de reconciliatione pœnitentis post confessionem privatam, & de reconciliatione pœnitentis ad mortem; exceptis tantùm aliquibus post annum millesimum exaratis, in quibus reperitur aliquid indicativum adjunctum orationibus illis. Ergo Ecclesia prioribus sæculis usa est forma Sacramentali deprecativa.

Resp. Nego conseq. Quia omnes illæ orationes ante vel post absolutionem Sacramentalem recitandæ erant, nec per illas Sacramentaliter absolvebatur pœnitens. Forma autem Sacramentalis indicativa in illis antiquis Sacramentariis & Ritualibus manuscriptis præmissa est; tum quia utpote brevissima, facillimè ex auditu disci & retineri poterat, tum quia justas ob causas prætermissa fuerat: nam prioribus Ecclesiæ sæculis formæ Sacramentorum, & alia mysteria non scripto, sed viva voce tradebantur, ne Ethnicis aut impiis hæreticis facilè innotescerent, & ab iis contemnerentur aut irriderentur. Imò prioribus Ecclesiæ sæculis Symbolum fidei non scripto, sed viva voce tradebatur, ut testantur SS. Hieronymus & Augustinus.

Porro illud indicativum aut imperativum indicativo æquivalens, quod in aliquibus Pœnitentialibus manu scriptis invenitur, est ipsamet forma Sacramentalis absolutionis. Hæ autem formulæ: *Sis absolutus à me: absolvo te;* Non differunt quoad sensum, sed grammaticaliter tantùm: nam imperativum æquivalet indicativo quo ad sensum.

Obj. 7. In Ecclesia græca forma absolutionis prioribus sæculis fuit deprecativa. Nam in Euchologio Græcorum edito, & aliis vetustissimis Manuscriptis, cùm agitur de absolutione pœnitentis nihil traditur præter orationes, quibus Sacerdos Deum rogat, ut peccata pœnitenti remittat. Ergo.

Resp. Nego antec. Nam in Orientali Ecclesia perinde ac in Occidentali forma Sacramentalis semper fuit indicativa. In Græcorum quidem Euchologiis traduntur orationes, sed ut adjungerentur formæ Sacramentali indicativæ, non ut per eas pœnitens absolveretur. Forma autem absolutionis in antiquis Græcorum Pœnitentialibus & Ritualibus prætermissa est easdem ob causas, propter quas in antiquis Latinorum Ritualibus & libris prætermissa est.

Inst. 1. Euchologia Græcorum continent formas aliorum Sacramentorum, de quibus agunt. Ergo continent etiam formam Sacramenti Pœnitentiæ, quæ proinde consistit in aliqua oratione, cùm nihil præter orationes ibi habeant.

Resp. Nego conseq. Itaque Euchologia quæ extant, non continent formam Sacramenti Pœnitentiæ, quia eam non continebant prima, quæ fuerunt edita, sicut nec eam continebant antiqua Ritualia Latina, quæ tamen formas sacramentorum Baptismi, Confirmationis & Extremæ-Unctionis continebant, sicut Euchologia Græcorum. Ratio est, quia prima Euchologia Græcorum & antiqua Ritualia Latinorum condita sunt eo tempore, quo Sacramentorum formæ non mandabantur scripto sine urgente necessitate, sed solùm viva voce solis ministris tradebantur. Nulla autem fuit necessitas scripto mandandi formam Sacramenti Pœnitentiæ, cùm utpote brevissima, facillimè ex auditu disci, memoriaque retineri posset, & in utraque Ecclesia Latina & Græca eadem omnino esset, nempe hæc, *absolvo te, &c.* quare necesse tantùm fuit, ut in Euchologiis Græcorum & Ritualibus Latinorum exscriberentur orationes formæ illi indi-

cativæ præmittendæ: quæ cùm prolixæ & multæ essent, non poterant nisi ex scripto memoriter disci, nec nisi difficillimè memoria retineri.

Formæ verò aliorum quatuor Sacramentorum, cùm non sint eædem in Ecclesia Latina & Græca, sed diversæ accidentaliter, ut utriusque Ecclesiæ Ministri ritus suæ Ecclesiæ in administrandis illis Sacramentis constanter servarent, formæ propriæ utriusque Ecclesiæ exscribi debuerunt.

Inst. 2. Græci moderni non utuntur nisi forma deprecativa in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo hæc forma fuit semper usitata in Ecclesia Græca.

Resp. 1. *Nego conseq.* Quia Græci moderni plerique sunt Schismatici & imperiti.

Resp. 2. *Nego anteced.* Quoad omnes. Nam multi moderni Græci formam indicativam adhibent, nempe Presbyteri hanc: *Habeo te venia donatum*: Episcopi verò istam: *mea mediocritas habet te venia donatum*; quod in eorum praxi idem est, ac *absolvo te à peccatis*. Aliæ autem formæ, quæ ab aliis Græcis usurpatæ referuntur, non differunt ab istis quoad sensum. Major tamen pars Græcorum formam tantùm deprecativam ex ignorantia adhibent. *Ita Arcudius Græcus peritissimus.*

Inst. 3. Clemens VIII. in instructione super ritus Græcorum sic ait: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Conc. Florent. præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantùm consueverunt.* Ergo Græci validè absolvunt Græcos per solam formam suam deprecativam. Ergo, &c.

Resp. *Nego conseq.* Nam Clemens jubet simpliciter & absolutè, ideoque pro omni casu, quo audiunt confessiones sive Latinorum, sive Græcorum, ut Græci adhibeant formam indicativam; dicit enim simpliciter & absolutè: *Utantur forma absolutionis in generali Concil. Florent. præscripta.* Non autem dicit: cùm absolvunt Latinos, utantur forma Conc. Florent.

Quare ex hoc textu validè confirmatur nostra sententia. Nam si forma deprecativa valeret, Clemens Presbyteris Græcis non jussisset simpliciter & absolutè, ut adhiberent formam indicativam; ideoque sic jubendo non prohibuisset simpliciter & absolutè, ne sine illa Sacramentum Pœnitentiæ administrarent. Equidem ibi dicit Græcos consuevisse uti tantùm forma deprecativa; quia, ut dictum est, major Græcorum pars ex ignorantia illam solam adhibebat; sed hoc illis in posterum prohibet.

Nota. Preces, quæ olim in Missa à Sacerdote pro pœnitentibus à se priùs Sacramentaliter absolutis fundebantur, ad hoc dirigebantur, ut pro eis obtineretur remissio reatus pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remissis debitæ, & eis congrua gratiæ auxilia ad perseverandum in statu gratiæ impetrarentur.

Obj. 8. Auctoritatem aliquorum Theologornm.

Resp. Plerique, quos citat Morinus, nobis consentiunt, & perperam nobis opponuntur. Quod si nobis adversarentur, his opponeremus Conc. Trident. S. Thomam, & veteres Scholasticos.

Obj. 9. Bellarminus, l. 1. de Sacramentis, c. 19. ait: *Verba à Domino præscripta in Baptismo, non habent formam instructionis, sed invocationis & benedictionis ... non enim ait: docete omnes gentes nomen Patris*

Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, sed baptizantes eos in nomine Patris, &c. ubi verba illa, in nomine Patris, &c. respiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde sonant invocationem Trinitatis super aquæ inspersionem, non declarationem Mysterii ad auditores.

Resp. Bellarminus hìc solùm intendit, verba quibus perficiuntur Sacramenta non esse concionalia, sed consecratoria. Et cùm dicit: *Sonant invocationem Trinitatis*, solùm vult baptizantem invocare Trinitatem virtualiter tantùm & implicitè: non autem expressè & formaliter, quatenus dicendo *in nomine Patris, &c.* significat se baptizare auctoritate SS. Trinitatis, non autem propria; seque esse instrumentum Dei tanquam causæ principalis omnis gratiæ. Hæc verba à Bellarmino, sic intelligi, patet ex l. 4. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 14. ubi ait: *Ipsa etiam verba Domini (Hoc est Corpus meum) ut omnium aliorum Sacramentorum formæ, ut proferuntur à Sacerdote cum intentione Sacramentum faciendi, continent implicitè invocationem divinæ virtutis, quæ est causa primaria effectus Sacramentalis: intendit enim Sacerdos per illa verba ut instrumenta Dei, consecrationem efficere.* Hoc autem textu respondet Bellarminus iis, qui objiciebant Patres dicere precibus & invocatione Dei consecrari Eucharistiam. Quæ responsio valet etiam pro aliis Sacramentis habentibus formam indicativam.

Præterea Bellarminus, l. 1. de Pœnit. c 16. sic ait: *Si de sententia verborum sermo sit: nemo catholicorum negat, verba esse determinata, atque ex divinis Litteris deprompta. Quod idem cernimus in baptismo . . . quare quemadmodum ex eo, quod Dominus ait,* Matth. ult. docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, *colligit Ecclesia formam illam*, ego te baptizo in nomine Patris *&c. . . . . sic etiam ex eo, quòd idem Dominus ait, Matth. 28.* quodcumque solveris, erit solutum, & *Joann. 20.* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, *colligit Ecclesia formam illam*, ego absolvo à peccatis tuis.

Obj. 10. Forma Extremæ Unctionis est deprecativa. Ergo & Pœnitentiæ.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia ex institutione Christi minister Sacramenti Pœnitentiæ agit ut judex, non ut deprecator sicut in Extrema unctione: nam Christus Pœnitentiæ Sacramentum instituit per modum judicii, & voluit ut ejus forma nempe absolutio esset actus judicialis, ut docet Conc. Trident.

Obj. 11. Valeret absolutio ab excommunicatione, quæ daretur verbis deprecativis. Ergo etiam valeret absolutio à peccatis sic data.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia absolutio ab excommunicatione, & à quavis censura validè potest dari quibuslibet verbis, imo signis & nutibus consensum internum sufficienter exprimentibus; cùm Christus circa hoc nihil determinaverit; & si daretur verbis indicativis, jam non fieret ad modum actus judicialis, sed per modum concessionis. At absolutio à peccatis debet essentialiter dari verbis propriè dictis, & per modum actus judicialis.

ARTICULUS III.

Quænam verba sint essentialia formæ Sacramenti pœnitentiæ?

Nota. Ex Rituali Romano verba formæ hujus Sacramenti sunt hæc:

hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Certum est autem omnia verba, quæ ista antecedunt & subsequuntur, non esse de essentia absolutionis, ex Conc. Trid. sess. 14. c. 3. suprà relato. Agitur itaque hìc solùm de verbis in absolutionis forma contentis. Apud omnes autem constat, has voces (*ego, tuis*) non esse essentiales formæ; quia vox *ego* sufficienter continetur in verbo *absolvo*, & vox *tuis* in pronomine *te*. Quare sola quæstio est de cæteris.

Dico 1. Hæc verba *absolvo te*, aut alia æquivalentia eundem planè sensum æquè distinctum exprimentia, sunt essentialis forma Sacramenti Pœnitentiæ. *Ita omnes.*

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 3. ubi ait: *Docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam in illius ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c.* ibi Conc. loquitur de eis, quæ essentiam formæ constituunt: nam addit, preces, quæ his verbis laudabiliter adjungi solent, non spectare ad essentiam formæ.

2. Quia verba essentialia formæ debent exprimere actionem, & effectum Sacramenti, personam absolventem, & personam absolvendam.

Dico 2. Tota forma essentialis hujus Sacramenti consistit in his verbis: *absolvo te.*

Prob. 1. Quia hæc verba exprimunt ministrum, & effectum primarium Sacramenti, nempe condonationem & reconciliationem, & subjectum. Ergo sufficiunt.

2. Valida habetur hæc Græcorum forma: *Habeo te venia donatum:* quæ nihil ampliùs exprimit.

3. Catechismus Romanus, p. 2. c. 2. §. 19. docet *planum esse hæc verba (ego te absolvo) esse pœnitentiæ perfectam formam.*

Sensus autem hujus formæ realiter hic est: confero tibi gratiam peccati remissivam. Nam gratiæ infusio est prior natura quàm peccatorum remissio, cùm hæc sit formalis effectus gratiæ sanctificantis.

Obj. Hæ voces (*à peccatis*) sunt etiam essentiales formæ; nam 1. Christus eas adhibuit in institutione hujus Sacramenti, cùm dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2. Forma debet exprimere primarium effectum Sacramenti, qui est remissio peccatorum. Sed hæc verba (*absolvo te*) non significant determinatè & expressè remissionem peccatorum: hæc enim verba sunt indifferentia ad significandam remissionem reatus pœnæ tantùm, vel culpæ, & absolutionem à censura.

3. Conc. Trident. exponens formam pœnitentiæ, dicit in his verbis positam esse: *Ego te absolvo, &c.* hæc autem particula, *&c.* significat aliquid præter verba (*absolvo te*) nempe saltem ista *à peccatis.* Ergo.

Resp. Nego antec. Quia ex confessione pœnitentis, quæ præcessit, verbum *absolvo* sufficienter determinatur ad significandam absolutionem à peccatis. Unde patet solutio ad 1. & 2. Conc. verò addidit particulam, *&c.* ut significaret alia verba pertinere ad formam, sive essentialiter, sive accidentaliter & ex præcepto Ecclesiæ, quod definire noluit, cùm esset quæstio inter Catholicos controversa.

Dico 3. Sacerdos tenetur sub peccato mortali proferre etiam hæc verba *à peccatis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*, quamvis non sint de essentia formæ. Quia ex præcepto, & usu Ecclesiæ vim legis habente, omnia verba, quæ in formis Sacramentorum præscribuntur, adhiberi debent; & prædicta verba sunt gra-

vis momenti; ideoque materia præcepti gravis eſt: ac proinde præceptum graviter obligat.

CAPUT VI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm ſolus Sacerdos ſit miniſter Sacramenti Pœnitentiæ?

Nota. MIniſter hujus Sacramenti ſuſtinet reſpectu Chriſti perſonam Delegati ac Vicarii, reſpectu verò pœnitentis perſonam Judicis ac Medici. Quare neceſſe eſt, ut ſit à Chriſto inſtitutus, ac deputatus per primos Eccleſiæ Paſtores.

Dico. Solus Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ: ita ut ſolus poſſit illud validè adminiſtrare. Eſt de fide contra Waldenſes, Wicleffiſtas, & Lutheranos.

Prob. 1. Ex Script. Joann. c. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* At hæc verba, quibus continetur inſtitutio hujus Sacramenti, & confertur poteſtas remittendi peccata, dicta ſunt ſolis Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ſecundùm Eccleſiæ Traditionem & Patrum interpretationem. Ergo.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſufficiant S. Ambroſius, l. 1. de pœnit. c. 2. ubi ait: *jus hoc ſolis permiſſum Sacerdotibus eſt.* Et S. Chryſoſtomus, l. 3. de Sacerdotio, c. 5. ubi aſſerit Sacerdotes Evangelicos habere poteſtatem animas judicandi, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes; quia ad hos dictum non eſt, *quæcumque alligaveritis, &c.* unde concludit Chriſtianos omnes curationi Sacerdotum debere ſe ſubmittere.

3. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, in qua ſemper à ſolis Sacerdotibus adminiſtratum fuit hoc Sacramentum, ut patet ex Sacramentariis & Ritualibus etiam antiquioribus.

4. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, & Trident. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 10. ubi ait: *Si quis dixerit.... non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictum:* quæcumque ligaveritis, *&c.* & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: *quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata... Anathema ſit.*

Confirm. Ex Bulla Martini V. in Conc. Conſtantienſi edita de erroribus Joannis Wicleff, in qua quemlibet de Wicleffiſmo ſuſpectum interrogari jubet, utrùm credat, *quòd chriſtianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non Laico, ſeu Laicis quantumcumque bonis & devotis.*

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti.

Ratio convenientiæ eſt, quia convenit, ut judicium ſacrum & graviſſimum, quale eſt hoc Sacramentum, non omnibus indiſcriminatim committatur, ſed iis ſolis, qui ad hoc munus ſpecialiter conſecrati ſunt. Item conveniens fuit, ut illi ſoli poteſtatem haberent in Corpus Chriſti myſticum, qui ſoli habent in Corpus Chriſti verum ſeu phyſicum, ut ſunt Sacerdotes.

Obj. 1. Hæc verba Chriſti (*quorum remiſeritis peccata, &c.*) vel dicta ſunt ſolis Epiſcopis, vel in eorum perſona ſolis Epiſcopis vel omnibus Fidelibus.

Reſp. Neg. Nam 1. non ſunt dicta ſolis Apoſtolis: nam per illa verba inſtitutum eſt Sacramentum ſemper duraturum,

rum, quandiu nempe erant peccata remittenda, & maximè necessarium, ac frequenter & omnibus peccatoribus administrandum. Ergo hæc verba non dirigebantur ad solos Apostolos, quia non semper in terra remansuri erant: neque ad solos Episcopos, quia soli non possunt omnibus hoc Sacramentum conferre. 3. Non omnibus Fidelibus dicta sunt, quia per illa verba sacrum & gravissimum judicium instituebatur, quod non omnibus Fidelibus promiscuè committendum erat, sed solis ad hoc specialiter consecratis & deputatis.

Obj. 2. Illud Jacobi c. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo Fideles omnes, &c.

Resp. Nego conseq. Nam vel hic textus intelligitur de confessione Sacramentali; & tunc sensus est, confessionem faciendam esse non soli Deo, sed hominibus ad hoc deputatis, & absolvendi potestate instructis. Vel si intelligitur de confessione non Sacramentali, sensus est confessionem prudenter faciendam esse aliis ad sui humiliationem, aut ad poscendum consilium vel orationem.

Obj. 1. S. Cyprianus, epist. 48. Diacono in absentia Episcopi & Sacerdotis committit reconciliationem pœnitentium in articulo mortis. *Vel si Presbyter*, inquit, *repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exhomologes facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.*

Resp. Ibi loquitur, non de confessione & reconciliatione Sacramentali, sed de altera confessione ordinata ad reconciliationem ecclesiasticam & cæremonialem, qua publici pœnitentes altari & Ecclesiæ reconciliabantur, & ad communionem Eucharistiæ admittebantur: quod urgente mortis periculo, & absente Episcopo & Sacerdote à Diacono fieri poterat.

Obj. 4. Cap. *fures* de furtis. Dicitur de furibus: *Si comprehensi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.*

Resp. Ibi in necessitate datur Diacono potestas, non absolvendi Sacramentaliter, sed solùm dandi Eucharistiam furibus inter furandum vulneratis vel statim morte mulctandis, modò sufficientia contritionis signa dederint, cujusmodi est confessio peccatorum, etsi non facta Sacerdoti, nec in specie.

Præterea ille canon videtur mendosus: nam in Concilio Triburiensi, ex quo desumptus est, non legitur, *Diacono*, sed *Deo & Sacerdoti.*

Obj. 5. S. Thomas, in 4. dist. 17. q. 3. a. 2. ad 2. q. ait: *Minister pœnitentiæ, cui confessio est facienda ex officio, est Sacerdos; sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.*

Resp. Solùm vult in defectum Sacerdotis confessionem faciendam esse Laico, quia valet ad humiliationem confitentis & ad significandum desiderium Sacramenti, quamvis non valeat ad Sacramentalem absolutionem, nam nunquam sensit confessionem Laico etiam in necessitate factam, esse Sacramentalem, & confessum posse tunc à Laico absolvi, ut patet ex responsione ad 1. & ex dist. 20. q. un. a. 1. q. 2. ad 3. ubi S. Doctor sic ait: *Ille qui Laico confitetur, quamvis impleat, quod ex parte sua est de Sacramentali confessione, tamen Sacramentalem absolutionem non consequitur.*

Obj. 6. Quilibet in necessitate potest baptizare. Ergo & absolvere.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis

tis est, quia Christus voluit, ut quilibet validè possit baptizare, non absolvere: & quidem valde convenienter, quia baptismus in re est necessitatis universalioris quàm Sacramentum Pœnitentiæ; nam extra Martyrium est absolutè necessarius ad salutem infantibus, in quibus nullatenus suppleri potest. At Sacramentum Pœnitentiæ in re non est absolutè necessarium nisi adultis in peccato mortali existentibus & contritione perfecta carentibus, & semper per contritionem perfectam suppleri potest ab omnibus, qui sunt illius capaces.

ARTICULUS II.

Utrùm ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiratur jurisdictio?

Nota. 1. Jurisdictio est potestas regendi seu ferendi sententiam in subditos. Duplex est, nempe in foro interno & externo. Jurisdictio in foro interno seu pœnitentiæ, de qua hic agitur, est potestas absolvendi, ligandi & obligandi subditos in tribunali pœnitentiæ Sacramentalis. Jurisdictio in foro externo est potestas ferendi leges, censuras, imponendi pœnas ecclesiasticas etiam publicas, vel ab iis dispensandi ac liberandi & regendi subditos quoad politiam externam.

Nota. 2. Jurisdictio dividitur in ordinariam, & delegatam. Ordinaria est illa, quæ alicui competit ratione officii annexam habentis animarum curam. Delegata est ea, quam quis habet ex concessione habentis ordinariam.

Dico. Ad Sacramentum Pœnitentiæ validè administrandum, præter potestatem ordinis Sacerdotalis requiritur Jurisdictio.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 14. c. 7. ubi ait: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Idem constat ex Concil. Lateran. IV. c. *Omnis*, & Florent. in decreto.

2. Ratione, quam ibidem Conc. Trident. affert. Quia nempe Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter est judicium. Atqui ad judicii valorem requiritur essentialiter jurisdictio in eo qui judicat, & subjectio in eo qui judicatur. Ergo ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem essentialiter requiritur jurisdictio in Sacerdote, qui judicat & fert sententiam.

Hæc autem jurisdictio sive ordinaria sive delegata non est necessariò connexa cum potestate ordinis Sacerdotalis, sed ab illa distincta est. Nam ordinaria alicui competit solùm ratione officii curam animarum annexam habentis, quo officio carere potest Sacerdos. Delegata verò accipitur tantùm ab habentibus ordinariam, nempe animarum Pastoribus, qui possunt eam delegare.

Obj. 1. Sacerdotes in ordinatione sua accipiunt potestatem remittendi peccata significatam per illa verba Episcopi ordinantis: *Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Ergo ad remittenda peccata non requiritur nisi potestas ordinis.

Resp. Disting. anteced. Accipiunt potestatem remittendi peccata subditorum quos habuerint, seu posita jurisdictione, *conc. ant.* remittendi peccata non subditorum, & sine ulla jurisdictione, *nego ant.* vel si vis. Accipiunt potestatem remittendi peccata incom-

incompletam, *con. ant.* completam, *nego ant. & conseq.* potestas totalis & completa remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ constat ex duplici potestate partiali: una, quæ est potestas ordinis, & altera quæ est potestas jurisdictionis. Utraque simul sumpta, est potestas completa remittendi peccata. Utraque verò seorsim sumpta est partialis tantùm potestas remittendi peccata, ita ut alterutra sola ad hunc effectum non sufficiat.

Ratio est, quia potestas completa remittendi peccata, est potestas ferendi sententiam absolutionis & retentionis ac punitionis in eos, qui sunt subditi, in quos proinde habetur jurisdictio: & sic hæc potestas completitur simul cùm potestatem ordinis Sacerdotalis, qua homo à Deo deputetur ut judex: tum potestatem jurisdictionis, qua conferuntur subditi, qui judicentur.

Inst. 1. Sacerdos in sua ordinatione accipit jurisdictionem. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam in sua ordinatione nullos accipit subditos, sine quibus tamen non potest esse jurisdictio.

Inst. 2. Sacerdos per formam suæ ordinationis constituitur judex. Ergo per illam accipit jurisdictionem.

Resp. Disting. ant. Sacerdos per suam ordinationem constituitur judex apditudine & incompletè, *conc. ant.* nam per suam ordinationem accipit potestatem ordinis, qua deputatur & fit aptus ad judicandum, ubi ab Ecclesiæ Prælatis subditos & jurisdictionem acceperit. Constituitur judex actu & completè, *nego ant.* nam non potest actu judicare, cum vi ordinationis suæ subditos non accipiat, nec possit sententiam ferre nisi in subditos. Sic si quis à Rege institutus esset judex, non assignatis ei subditis, sed Provinciæ gubernatori hanc potestatem ei subditus assignandi committeret, is accepisset potestatem judicandi incompletam, quæ completa non esset nisi cùm subditi ei assignati essent.

Inst. 3. Potestas absolvendi, quæ datur per ordinationem, est potestas jus dicendi circa peccata, absolvendo ab illis judicialiter. Ergo est potestas jurisdictionis. Ergo, &c.

Resp. Potestas absolvendi, quæ per ordinationem datur, est potestas jus dicendi circa peccata subditorum, & absolvendi ab illis subditos, posita jurisdictione. Unde non est jurisdictio strictè & propriè sumpta, cùm per illam potestatem non accipiantur subditi: nulla enim est jurisdictio strictè & propriè sumpta sine subditis.

Inst. 4. Apostoli immediatè à Christo acceperunt completam potestatem remittendi peccata per hæc verba: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo eandem accipiunt Sacerdotes vi eorundem verborum.

Resp. Neg. antec. Nam Apostoli jurisdictionis potestatem à Christo acceperunt etiam in foro pœnitentiæ per hæc verba præcedentia, Joann. c. 20. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Quibus verbis juxta specialem Christi intentionem Apostoli acceperunt jurisdictionem universalem in omnes Christianos, Petro tamen subordinatam. Potestatem verò ordinis ad absolvendum acceperunt, cùm Christus subjunxit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Præterea verba nihil efficiunt nisi juxta intentionem Christi, qui ea proferendo potuit specialem intentionem habere erga Apostolos, quam non habet erga omnes Sacerdotes. De qua intentione nobis constat ex sensu & praxi Ecclesiæ.

Inst. 5.

Inst. 5. Apostoli jurisdictionem à Christo immeditatè acceperunt: Ergo etiam omnes Sacerdotes vi ordinationis eam accipiunt.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est voluntas Christi, qui jurisdictionem & quidem universalem dare voluit apostolis, id postulante necessitate, dignitate Apostolica, & bono Ecclesiæ. At voluit, ut Sacerdotes ab Ecclesiæ Prælatis jurisdictionem acciperent, id postulante recta Ecclesiæ gubernatione, animarum bono, & ecclesiasticæ Hierarchiæ subordinatione.

Obj. 2. Si Sacerdotes non haberent jurisdictionem vi ordinationis suæ, ab Ecclesia acciperent potestatem remittendi peccata. Falsum conseq. nam solus Christus hanc dare potest. Ergo.

Resp. 1. *Nego maj.* Nam Sacerdotes vi ordinationis suæ habent potestatem remittendi peccata, sed sine subditis. Ab Ecclesia autem accipiunt subditos, in quos suam potestatem remittendi peccata exercere possint.

Resp. 2. *Neg. min.* Nam Ecclesia ex commissione Christi dare potest partialem potestatem remittendi peccata, positam in jurisdictione, quam totam ei Christus commisit.

Inst. 1. Sacerdotes falsò dicuntur accipere ab Ecclesia jurisdictionem. Ergo.

Resp. Neg. ant. Nam alioqui Ecclesia non posset impedire, ne Sacerdos validè absolveret, quod est contra Conc. Trident. & Ecclesiæ sensum ac praxim. Item nulla foret in Ecclesia jurisdictio nisi ordinaria; nam omnes illam haberent vi muneris Sacerdotalis, quod repugnat Conc. Florent. & Trident.

Inst. 2. Si ita est, summus Pontifex absolvi non potest: nam non potest dare alteri jurisdictionem in se ipsum, cùm sit jure divino caput & supremus Pastor Ecclesiæ. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam summus Pontifex aliquem Sacerdotem eligendo in confessarium, hoc ipso ei dat jurisdictionem in se ipsum in foro interno, & ut peccator tali jurisdictioni subjicitur. Nam potestati absolvendi in foro interno, quæ divina est, omnes omnino baptizati mortaliter lapsi subjiciuntur.

Obj. 3. Potestas ordinis & potestas jurisdictionis inter se non differunt: Ergo sunt eadem potestas, quæ per ordinationem omnibus confertur.

Resp. Neg. antec. Itaque hæ potestates inter de differunt in multis. Nam potestas ordinis quoad absolutionem à peccatis eadem est in omnibus Sacerdotibus; non potest minui, augeri, adimi, delegari; confertur per solam sacram ordinationem, & potest esse sine subjecta materia, nempe subditis. At jurisdictio non est æqualis in omnibus; minui, augeri, adimi, delegari potest; confertur per concessionem aliquam externam, ut per beneficii collationem; conferri potest Clerico nondum ordinato; denique non potest esse sine materia certa & determinata, nempe subditis: repugnat enim potestas regendi subditos & ferendi sententiam in illos sine subditis.

Quæres 1. *Quinam possint dare jurisdictionem delegatam?*

Resp. Ii omnes, qui ordinariam habent.

Constat 1. ex cap. 7. de Officio Ordinarii, in 6. ubi Bonifacius VIII. sic ait: *Cùm Episcopus in tota sua Diæcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere; dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius Diæcesis non exempto, per se vel per alium possit pro tribunali sedere.... nec non & cætera, quæ ad ipsius spectant officium liberè exercere.*

2. Quia habens ordinariam jurisdictionem, habet illam ratione officii & ut

ut propriam: ac proinde eam exercere potest omni modo, quo officium convenienter exerceri potest. Convenienter autem exercetur officium etiam per alios; & sæpe ita exerceri necesse est, cùm unus omnia erga omnes præstare per se non possit saltem sæpissimè.

Hinc summus Pontifex in omnes fideles, Episcopus in omnes Diœcesanos, Parochus in omnes parochianos jurisdictionem delegare potest: nisi tamen Episcopi id Parochis prohibeant: nam inferiores jurisdictionem suam delegare non possunt invito suo Superiore, cùm inferioris jurisdictio pendeat à suo Superiore.

Porrò jurisdictio variis modis delegari potest. 1. Jure communi. 2. Per privilegia, sive generatim alicui ordini, sive particulari alicui personæ concessa. 3. Per concessionem particularem. Non potest autem delegari ab excommunicato aut suspenso non tolerato: nam delegatio est actus jurisdictionis, quam ille jam non potest etiam validè exercere.

Quæres 2. *Utrùm delegatus possit delegare?*

Resp. Qui delegatam tantùm jurisdictionem habet, non potest eam subdelegare, nisi sit Legatus Papæ, vel Episcopus eum deleget, ei committendo Vicarium aliquod Officium, cui jurisdictio annexa sit. Quia delegatus, cùm non habeat jurisdictionem ratione officii, eam tantùm habet, quæ ei ab habente officium conceditur. At ei tantùm conceditur jurisdictio pro se & ut ab illo per se exercenda: non autem committitur ipsum officium, aut potestas concedendi jurisdictionem alteri.

Excipe 1. Legatum Papæ, qui propter excellentiam dignitatis delegantis subdelegare potest, ex c. 62. de appellat.

2. Eum, qui ab Ordinario delegatus est ad exercendum Vicarium aliquod Officium, cui jurisdictio annexa est, v. gr. Officium Parochi absentis aut ægroti. Quia tunc is habet jurisdictionem annexam Officio quasi ordinariam, & huic Officio commensuratam, quandiu Officium sibi commissum retinet. Sed tunc est potiùs commissio quàm delegatio. Idem dic, si delegans expressè concedat delegato potestatem conferendi jurisdictionem alteri, quem ad eam exercendam idoneum judicarit. Nam tunc accipit aliam potestatem distinctam à jurisdictione delegata, & ei superadditam.

ARTICULUS III.

Utrùm præter potestatem ordinis & jurisdictionis requiratur in Confessario approbatio Episcopi?

DIco. Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, præter potestatem ordinis & jurisdictionis, requiritur in confessario tum sæculari, tùm regulari, non habente beneficium Parochiale, approbatio Episcopi.

Prob. Quia ita statuit Concil. Trident. Sess. 23. c. 15. his verbis: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per Examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus.*

Obj. 1. Ecclesia non potuit inducere necessitatem hujus approbationis, cujus defectus invalidum redderet Sacramentum. Ergo non requiritur approbatio, &c.

Resp. Nego anteced. Nam cùm jurisdictio ad valorem absolutionis necessaria

ſaria conferatur ab Eccleſia, & ab illa pendeat; potuit ipſa varias conditiones apponere ut neceſſarias ad jurisdictionem accipiendam & valide exercendam. Ergo inter has conditiones potuit apponere approbationem, maximè utilem, ne in adminiſtratione hujus Sacramenti irruerent miniſtri minus idonei.

Obj. 2. Regulares habent à ſummis Pontificibus poteſtatem abſolvendi omnes fideles à peccatis ſine neceſſitate approbationis. Ergo non egent approbatione Epiſcopi.

Reſp. Nego anteced. Nam privilegia omnia Regularibus ante Conc. Trident. quoad hoc conceſſa, revocata ſunt à Conc. ideoque etiam à ſummo Pontifice, à quo confirmatum eſt, & cui per legatos ſuos præcedit. A tempore autem Conc. nulla ejusmodi conceſſa ſunt.

Inſt. Saltem in Gallia, ubi Conc. Trid. non fuit promulgatum, Regulares poſſunt validè abſolvere ſine approbatione Epiſcopi, ſicut ante Conc. poterant.

Reſp. Nego. Quia 1. ab Alexandro VII. in Brevi ad Epiſcopum Andegavenſem, dato ann. 1659. ut falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim & ſchiſma inducens, S. Conc. Trident. & Sedi Apoſtolicæ injurioſa damnata eſt hæc propoſitio: *Conc. Trid. non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint: neque ex illius Conc. auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm id in Gallia receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei.* 2. Hanc neceſſitatem approbationis pro omni loco declaravit Clemens X. Conſtit. *Superna.* 3. Privilegia omnia Regularium, eis conceſſa ſunt à ſummis Pontificibus, qui proinde poſſunt ea revocare, cùm juſtas ob cauſas voluerint.

Obj. 3. Approbatio Epiſcopi non requiritur, ut abſolutio ſit valida, ſed tantùm ut ſit licita: nam Conc. Trid. non dicit eam nullam fore ſine approbatione. Ergo.

Reſp. Nego ant. Nam hic eſt ſenſus Concilii, ut nullus etiam Regularis carens beneficio Parochiali poſſit etiam validè abſolvere ſine approbatione Epiſcopi, ut expreſsè declaravit ſacra Congregatio Cardinalium à ſummo Pontifice inſtituta ad explicandum Con. Trid. & ut conſtat ex ſenſu ac praxi Eccleſiæ, ex Conſtitutione Clementis X. *Superna*, atque ex Scopo Concilii, & ex his ejus verbis: *Nullum poſſe confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari*; nam verbum *poſſe* ſimpliciter & abſolutè ibi dictum intelligitur tum validè, tum licitè; & qui non reputatur idoneus ſimpliciter ad adminiſtrandum Sacramentum, is ſanè non poteſt illud validè adminiſtrare.

Obj. 4. Sacerdotalis poteſtas & jurisdictio ſunt poteſtas completa remittendi peccata. Ergo ad hoc non requiritur præterea approbatio.

Reſp. Diſt. ant. Et jurisdictio abſoluta ac expedita ſeu independens ab ulla conditione *conc. ant.* & jurisdictio conditionata, ſeu dependens à conditione neceſſaria quæ non ſit poſita, *nego ant. & conſ.* approbatio autem eſt conditio neceſſaria ad accipiendam vel ſaltem ad validè exercendam jurisdictionem in quovis Sacerdote carente beneficio Parochiali.

Obſerva 1. Approbatio vulgò definitur, authenticum Epiſcopi teſtimonium de idoneitate & capacitate Sacerdotis ad audiendas confeſſiones. Videtur tamen in illa definitione ſubintelligi vel addi debere, & ejusdem Epiſcopi conſenſus, ſeu facultas exercendi munus confeſſarii. Nam Conc. Trid. præter hoc judicium requirit approbationem his verbis: *Niſi idoneus judi-*

judicetur, & approbationem obtineat. Hæc autem approbatio nihil aliud esse potest, quàm consensus & facultas Episcopi, ut confessarii munus exerceat is, quem ad id idoneum judicat. Igitur approbatio est Episcopi judicium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones, & confessio facultatis illas audiendi. Sic enim melius explicatur, quomodo approbatio pendeat à voluntate Episcopi, ut illam pro arbitrio validè limitet, revocet, vel deneget. Non est autem necesse, ut illa approbatio scripto detur, id enim Conc. non exigit; sed sufficit & requiritur, ut aliquo signo externo concedatur.

Observa 2. Valet approbatio, etiamsi Episcopus interiùs judicaret aliquem non esse idoneum, quem tamen approbaret, sive favore sive alio motivo adductus, quamvis tamen graviter peccaret. Nam per hæc verba Concilii (*Nisi idoneus judicetur*) intelligitur judicium externum & sensibile, seu sententia authentica data ab Episcopo. Ad valorem autem sententiæ non requiritur, ut judex interiùs judicet id, quod exterius pronunciat, modò velit sic pronunciare. Sic valida est sententia, qua judex secundùm allegata & probata absolvit eum, quem privatim scit esse reum, vel contra. Porro nomine Episcopi intelligitur etiam is, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem.

Observa 3. Necessitas ejusmodi approbationis ad validam absolutionem inducta est jure novo Concil. Trident. Nam ante hoc Concilium ad valorem absolutionis sufficiebat jurisdictio delegata, concessa à quolibet ordinariam habente, puta à Parocho, non contradicente Superiore, nempe Episcopo.

Ratio autem hujus novi decreti est, quia judicium de idoneitate confessarii meliùs committitur ordinario; eo quod sæpius contingeret eligi minùs idoneos, cùm absque judicio & consensu Episcopi committeretur munus audiendi confessiones.

Observa 4. A Concil. Trident. excipiuntur Sacerdotes, qui obtinent Parochiale beneficium id est, beneficium vel officium, cui animarum cura annexa sit: quales sunt Episcopi, Abbates habentes ex privilegio jurisdictionem quasi Episcopalem, Parochi, &c. unde isti non indigent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones suorum subditorum; sed hoc ipso, quod tale beneficium vel officium illis confertur, eoque digni censentur, censentur quoque idonei, ut illis munus audiendi confessiones comittatur. Quod si tale beneficium habere desinant, non possunt deinceps audire confessiones sine approbatione Episcopi; quia Conc. decernit, ut Sacerdotes approbatione egeant, nisi Parochiale beneficium obtineant.

ARTICULUS IV.

Utrùm sit in Ecclesia potestas reservandi peccata?

Nota. Peccatorum, seu casuum reservatio est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis.

Dico. Extat in Ecclesia potestas reservandi peccata. Est de fide contra Lutheranos & Calvinistas volentes reservationem non valere nisi in foro exteriori.

Prob. Nam hoc expresè definiit Conc. Trident. Sess. 14. c. 7. his verbis: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita,*

tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est . . . quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Et Can. 11. sic ait: *si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominùs Sacerdos à reservatis verè absolvat, Anathema sit.*

Id etiam constat ex antiquissimo Ecclesiæ usu, & ex variis canonibus hac in re editis.

Et ratio ipsa hoc demonstrat. Nam omnis spiritualis jurisdictio pendet à summo Pontifice tanquam Ecclesiæ capite, & supremo ac universali Christi in terris Vicario, eique subordinatur: jurisdictio autem simplicium Sacerdotum est dependens à suis Episcopis, eisque subordinatur. At jurisdictio dependens ab aliquo, eique subordinata, potest ab illo limitari ad certa peccata, ac ligari; & nullum peccatum remitti potest etiam in foro interno sine jurisdictione expedita in illud.

His adde, quod potestas reservandi valde expediat bono communi Ecclesiæ nam reservatio prudenter facta plurimùm valet ad punienda graviora peccata, & homines ab iis deterrendos; atque si ea commiserint, ut à Superioribus, vel eorum specialiter ad id delegatis efficaciùs corrigi possint, & scandala, damna, aliorumque pericula ex talibus peccatis manantia certiùs amoveri.

Quare reservatio est tùm ad pœnam præteritorum peccatorum, tùm etiam ad cautelam futurorum.

Ex dictis patet summum Pontificem posse sibi reservare peccata in tota Ecclesia; Episcopos verò in tota sua Diœcesi.

Nota. Obligationes confessariorum, & cætera omnia, quæ in hoc tractatu sicut & in aliis prætermittuntur, continentur in nostra Theologia morali.

CAPUT VII.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

EFfectus hujus Sacramenti præter gratiam sanctificantem omnibus communem, & gratias actuales Sacramentales ad recidivum in peccatum lapsum vitandum suo tempore concedendas, sunt remissio peccatorum mortalium, remissio venialium, & reviviscentia meritorum.

ARTICULUS I.

Utrùm per Sacramentum Pœnitentiæ remitti possint omnia peccata mortalia?

D*Ico.* Sacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi omnia peccata quantumvis gravia, & quantumvis sæpe commissa, illis rite subjecta, nempe per confessionem conjunctam cum contritione debita. Est de fide contra Montanistas, & Novatianos, aliosque Hæreticos, qui negarunt esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata mortalia, vel omnia post baptismum commissa, vel eadem sæpius iterata, vel aliqua saltem gravissima, puta apostasiam, vel negationem fidei in suppliciis.

 Prob.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c.20. Chriſtus abſolutè & ſine ulla limitatione dixit : *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et eandem poteſtatem promittens, Matth. c. 18. dixerat generaliter : *Quæcumque ſolveritis ſuper Terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Promiſſio autem favorabilis, & beneficium hoc divinum tam generaliter conceſſum, reſtringi non debet.

2. Ex Patribus, iis præſertim, qui Novatianorum hæreſim confutarunt.

3. Ex univerſali & perpetua Eccleſiæ conſuetudine quoſcumque pœnitentes quibuſcumque peccatis, & quantumvis ſæpe iteratis inquinatos admittendi ad pœnitentiæ Sacramentum, & abſolvendi, cùm rectè diſpoſiti videntur.

4. Ex Conc. Lateran. IV. c. 1. ibi : *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum; per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.* Et Trident. ſeſſ. 14. can. 1. definiente Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum fuiſſe pro fidelibus Deo reconciliandis quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur.

Ratio à priori eſt voluntas Dei.

Ratio congrua eſt, quia id convenit infinitæ Dei miſericordiæ, & infinitæ virtuti mortis Chriſti, quæ nobis in hoc Sacramento applicatur.

Præterea ſicut Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem remittendi per Baptiſmum omnia peccata ante ipſum commiſſa : ita conveniens fuit, ut ei daret poteſtatem remittendi per Pœnitentiæ Sacramentum omnia peccata, quæ poſt Baptiſmum committuntur, nam fideles propter ſuam fragilitatem tali poteſtate non minùs indigent, quàm infideles propter ſuam. Hæc autem poteſtas reſpectu fidelium non exercetur niſi per hoc Sacramentum, cùm Baptiſmus iterari non poſſit, nec valeat ad remittenda peccata poſt ipſum commiſſa.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ex Matth. cap. 12. peccatum in Spiritum ſanctum non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Ergo ſunt quædam peccata, quæ non remittuntur, &c.

Reſp. Diſting. conſeq. Quæ non remittuntur ordinariè & ob carentiam veræ converſionis, *conc. conſeq.* quæ abſolutè & nunquam remittuntur, quamvis ritè ſubjecta Sacramento Pœnitiæ, *nego conſeq.* Peccatum in Spiritum ſanctum, de quo ibi Chriſtus loquitur, eſt peccatum, quo cognita fidei veritas oppugnatur, & miracula in ejus confirmationem patrata, dæmonibus adſcribuntur, & contemnuntur ea, quæ ad ſalutem noſtram à Deo fiunt. Hoc peccatum dicitur non remittendum, id eſt, difficillimè & rariſſimè remittetur, quia ab eo peccator difficillimè & rariſſimè convertitur, cùm viam divinæ gratiæ & ſuæ converſioni malitiosè obſtruat, impugnando & condemnendo ea, quæ Deus ad ejus ſalutem efficit. Quod autem difficillimè & rariſſimè fit, vulgò dicitur nunquam fieri. Unde Chriſtus vulgarem modum loquendi ſecutus, ait, *non remittetur*, id eſt, non ordinariè remittetur, ſed difficillimè & rariſſimè remittetur. Eodem ſenſu explicabis aliquos Patres.

Porro impugnatio veritatis fidei agnitæ, & miraculorum, quibus confirmatur, item contemptus mediorum ſalutis dicuntur peccatum in Spiritum ſanctum; quia illuminatio, miracula, & ſalutis media, cùm ſint opera divinæ bonitatis ſpecialia, adſcribuntur ſpecialiter Spiritui ſancto, cui appropriatur bonitas Dei.

Obj. 2. Deuter. c.32. peccatum Iſraelitarum dicitur *venenum aſpidum inſanabile.* Et Jerem. c. 30. dicitur : *inſanabilis fractura tua.* Ergo ſunt quæ-

quædam peccata, quæ non possunt curari, nec remitti.

Resp. Disting. conseq. ordinariè & facilè vel sine gratia, vel hypotheticè & consequenter, nempe ex hypothesi quòd peccator pœnitentiam repudiet, *conc. conseq.* absolutè, *nego conseq.* nullum enim est peccatum absolutè irremissibile in hac vita: quia nullum est, quod per perfectam contritionem & Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ remitti non possit. Unde si quod peccatum dicitur non posse remitti, hoc intelligi debet de impotentia morali seu maxima difficultate ex parte conversionis peccatoris necessariæ ad remissionem peccatorum: vel de impotentia consequente, ex eo quòd nempe peccator nolit agere pœnitentiam necessariam ad peccati remissionem; sicut morbus dicitur simpliciter incurabilis, quando ægrotus abnuit medicinam, qua sola curari posset, vel quando difficillimè & rarissimè curatur.

Obj. 3. Exemplum Antiochi Regis, de quo, 2. Machab. c.9. dicitur: *Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Item Esau, de quo Paulus, Heb. c. 12. ait: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

Resp. Ad 1. Antiochus peccatorum remissionem non obtinuit defectu pœnitentiæ seu contritionis veræ, supernaturalis & perfectæ; quia scilicet non dolebat de peccatis ex perfecto Dei amore, sed ex solo desiderio sanitatis recuperandæ.

Ad 2. Idem respondet S. Thomas. Videtur tamen illius loci sensus esse hic, nempe non potuisse Esau lacrymis suis obtinere, ut patrem suum Isaac pœniteret benedictionis datæ Jacob, illamque in ejus gratiam retractaret. Unde ibi agitur de pœnitentia seu retractatione Isaac, non Esau.

Obj. 4. Illud, 1. Reg. c. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ergo peccata quædam gravia remitti non possunt.

Resp. Disting. conseq. Remitti non possunt æque facile ac cætera peccata minùs gravia, idque ex parte peccatoris, nempe ob majorem difficultatem veræ contritionis, *conc. conf.* remitti non possunt absolutè, *nego conseq.* ibi Heli loquitur more humano: nam inter homines, rari inveniuntur, qui apud Principem intercedere audeant, quando reus personam Principis immediatè læsit.

Præterea non dixit, nemo orare poterit, sed, *quis orabit pro eo?* hoc est, non quicumque poterit facilè pro eo gratiam conversionis & veniam à Deo obtinere, sed ad hoc adhibendus est insignis Dei amicus. *Ita Sanct. Ambrosius.*

Porro hæc verba solùm à Scriptura referuntur tanquam dicta ab Heli, nec sunt Auctoris sacri.

Obj. 5. Act. c. 8. sic Petrus Simonem Magum baptizatum alloquitur: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Resp. Vox *fortè* in Scriptura non semper incertitudinem significat, ut patet ex illo, Prov. c.24. *in ruina ejus* (inimici) *ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei.* Sed interdum significat hominis libertatem & rei difficultatem, ut, Jerem. c. 26. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & convertantur unusquisque à via sua mala: & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.* Vel particula *fortè* ibi significat dubiam remissionem propter dubiam pœnitentiam: incertum

tum enim erat, an Simon acturus esset veram pœnitentiam.

Obj. 6. Illud, Heb. c. 6. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati . . . & participes facti sunt Spiritus sancti . . . & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Ergo peccata baptizatorum non possunt ampliùs remitti.

Resp. Nego conseq. Quia Apostolus ibi loquitur de impossibilitate renovationis propriæ Baptismi, quæ consistit in plena ac perfecta remissione peccatorum tam quoad omnem pœnam, quàm quoad culpam: quam quidem renovationem semel amissam recuperari impossibile est, quod eo Baptismus iterari non possit. Quare sensus loci objecti est: impossibile est eos, qui semel per Baptismum justificati sunt, & postea mortaliter peccarunt, rursus perfectam ac plenam obtinere renovationem consistentem in remissione peccatorum non solum quoad culpam, sed etiam quo ad omnem pœnam, obtinere, inquam, per pœnitentiam illam facilem, quæ ad Baptismum sufficit, & per ipsius Baptismi iterationem.

Dices. Hæc interpretatio nullo fundamento solido nititur.

Resp. Nego. Nam est omnium fere veterum, ex hoc loco probantium Baptismum iterari non posse, & patet ex toto contextu, tum ex verbo *renovari*, quod baptismo simpliciter & specialiùs convenit: Baptismus enim vocatur ab eodem Apostolo, Tit. c. 3. *Lavacrum regenerationis & renovationis:* tum ex his vocibus sequentibus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei;* nam cùm Baptismus sit figura & repræsentatio mortis Christi; per Baptismum enim teste Apostolo configuramur morti Christi; qui iterum baptizantur, hoc ipso significant Crucem à Christo susceptam & priore unicoque baptismo adumbratam non sufficere, sed opus esse, ut Christus iterum crucifigatur, ut secundum Baptismum instituat, unde iteratione Baptismi Christum in se ipsis figuratè crucifigunt, ejusque mortis efficaciam vilipendunt. Patet etiam ex scopo Apostoli: nam hoc loco dedocet Hebræos, qui in Judaismo baptismis, seu lotionibus uti soliti, postea Christiani facti putabant iterato Baptismo peccata expiari.

Igitur ibi non agitur de renovatione minùs perfecta, quæ fit per pœnitentiam laboriosam seu Sacramentum Pœnitentiæ, remanente reatu aliquo pœnæ temporalis, & obligatione satisfaciendi per opera pœnalia.

Nota. Sunt tamen, qui hunc locum explicant de impossibilitate morali, seu maxima difficultate conversionis & pœnitentiæ in iis, qui maximis Dei donis acceptis, in peccata iterum labuntur.

Obj. 7. Illud, Hebr. c. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis Hostia.*

Resp. Sensus est: peccantibus peccato apostasiæ, seu à fide Christi deficientibus nulla superest Hostia, qua peccata expient in tali statu & ab iis justificentur: cùm Christum, qui sola est peccati expiativa Hostia, abnegent. Unde talibus nulla superest venia non quidem absolutè, sed hypothetice; ex hypothesi scilicet quod à Christo deficiant, nec jam illum colere velint fide, spe, & charitate.

Obj. 8. Illud, 1. Joann. c. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Resp. Per illud peccatum ad mortem intelligitur peccatum impœnitentiæ finalis, quod remitti non potest: quia est peccatum, quod instanti mortis actu existit. Hoc autem peccatum

tum ſubjici non poteſt Sacramento Pœnitentiæ: nam neque poteſt ei ſubjici ipſo mortis inſtanti, cùm ſola peccata præterita per pœnitentiam retractata poſſint illi ritè ſubjici: neque etiam poſt mortem, cùm poſt mortem jam non ſit locus Sacramento Pœnitentiæ.

Inſt. Omne peccatum mortale eſt peccatum ad mortem. Ergo ibi intelligitur omne peccatum mortale.

Reſp. Nego anteced. In ſenſu loci objecti. Nam hoc loco per peccatum ad mortem intelligitur peccatum, irrevocabiliter adjunctam habens mortem æternam. Impœnitentiæ autem finalis peccatum, ſive ſit voluntaria privatio pœnitentiæ, ſive quodvis aliud peccatum, vocatur ſpecialiter peccatum ad mortem, quia irrevocabiliter adjunctam habet mortem æternam, quam infallibiliter infert ſine ullo remedio. Alia verò peccata mortalia non dicuntur ſimpliciter & ſpecialiter peccatum ad mortem, quia non habent adjunctam irrevocabiliter mortem æternam: nam vita animæ per pœnitentiam reſtitui poteſt. Quare ibidem dicitur: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat; & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Ubi per peccatum non ad mortem intelligitur peccatum mortale, quod nempe adimit vitam peccanti; alioqui non diceretur: *& dabitur ei vita*, ſi jam illam haberet.

Obſerva. Per peccatum ad mortem poteſt etiam intelligi peccatum apoſtaſiæ, vel obdurationis, vel contra Spiritum ſanctum, quo peccator ſe in malo obfirmat, & viam ſuæ converſionis ex malitia obſtruit: vel etiam peccatum habitus, aut quodlibet graviſſimum peccatum, à quo rariſſimè & difficillimè homines convertuntur: quod quidem dicitur peccatum ad mortem, quia habere ſolet mortem æternam adjunctam, ſicut morbi quidam vocantur lethales, quia eos plerumque mors ſequitur, raróque ac difficile curantur & pro talium peccatorum venia obtinenda non præcipit Joannes, ut cum eadem fiducia oremus ſicut pro aliis; nec audet certam impetrandi ſpem facere, quamvis non prohibeat etiam pro illis orare.

Obj. 9. Si Sacramentum Pœnitentiæ habet vim remittendi quælibet peccata tam facilè graviſſima per illud remittuntur, quàm alia: falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Diſting. ſequel. maj. Quantùm eſt ex parte Sacramenti, *conc. maj.* quantùm eſt ex parte peccatoris, & ejus diſpoſitionis, *nego maj.* peccata quædam malitiæ, & graviora difficiliùs ac rariùs remittuntur, non defectu Sacramenti Pœnitentiæ: ſed quia difficilius & rarius eſt habere diſpoſitionem requiſitam, nempe veram & efficacem contritionem. Nam ſunt quædam peccata, quæ difficiliùs retractantur & emendantur, & quæ ſpecialiter merentur privationem gratiarum potentiorum, quas Deus ſæpe aliis peccatoribus miſericorditer concedit, juxta illud, 1. Tim. c. 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.*

Obj. 10. Ex Patribus Deus, non homo remittere poteſt peccata. Ergo Sacerdotes non habent hanc poteſtatem, &c.

Reſp. Patres illi loquuntur de poteſtate propria, abſoluta, independente, & principali. At agnoſcunt etiam in Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata, ſed dependentem, miniſterialem, inſtrumentalem, & certis legibus à Chriſto præſcriptis adſtrictam. Unde peccata remittere non poſſunt niſi verè pœnitentibus & confeſſis.

Ob. 11. Aliqui Patres videntur ſentire eſſe aliquod peccatum irremiſſibile.

Reſp.

Resp. Intelligunt difficiliùs ac rariùs remissibile ob difficiliorem & rariorem contritionem: sicut morbus dicitur insanabilis, quando difficilè & rarissimè curatur. Vel intelligunt illud peccatum esse conjunctum cum impœnitentia finali, ideoque esse omnino irremissibile, sed consequenter ad defectum pœnitentiæ.

Obj. 12. Si quotiescumque peccata gravia admittuntur, toties remitti possint per Sacramentum Pœnitentiæ, daretur hominibus peccandi licentia. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia peccata in hoc Sacramento non remittuntur sine vera contritione, & efficaci odio peccati cum firmo proposito non peccandi in posterum, & simul obligatione ac voluntate Deo satisfaciendi per opera pœnalia. Quæ omnia à peccato avertunt.

Quinimo si nullum daretur remissionis peccatorum obtinendæ medium, desperatio homines in quælibet scelera & vitia præcipites in perpetuum ageret; nec unquam peccatores ex infirmitate lapsi resipiscerent. Quare hoc Sacramentum per se peccata curat, & ab illis avertit. Hinc S. August. serm. inter hom. 50. ait: *Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? . . . Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis prudentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus. Rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.*

Obj. 13. Si Sacramentum Pœnitentiæ posset remittere omnia peccata post Baptismum commissa, posset etiam remittere peccata ante Baptismum admissa. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia hoc Sacramentum institutum est ad modum judicii exercendi à Sacerdotibus tanquam judicibus à Christo delegatis circa personas jurisdictioni Ecclesiæ subjectas; & causas seu peccata à subditis Ecclesiæ admissa, ut patet ex Conc. Trident. sess. 14. c. 2. & can. 1. at homines nondum baptizati non subjacent Ecclesiæ jurisdictioni juxta illud, 1. Cor. cap. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* ac proinde peccata ante Baptismum commissa non pertinent ad Ecclesiæ jurisdictionem, cùm commissa sint à non subditis Ecclesiæ.

Obj. 14. Baptismus iterari non potest in eadem persona. Ergo nec Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, 1. quia Baptismus primariò institutus est ad delendum peccatum originale, quod iterari non potest. 2. Quia Baptismus institutus est per modum generationis spiritualis respondentis generationi corporali, quæ fit tantùm semel. At Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, quod sæpe iteratur, & quotiescumque adest causa; atque etiam medicinæ, quæ sæpe necessaria est eidem homini. 3. Quia Baptismus characterem imprimit indelebilem, qui proinde reddit subjectum incapax similis Sacramenti. At Sacramentum Pœnitentiæ nullum characterem imprimit.

Quæres 1. *Utrùm hoc Sacramentum peccata remittat tum quoad culpam, tum quoad pœnam æternam?*

Resp. 1. Per Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur peccata quoad culpam. Est de fide. Constat ex dictis, & adhuc.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joann. cap. 40. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* At peccatum simpliciter est ipsamet culpa, & non tantùm reatus alicujus pœnæ temporalis. Item in hoc Sacramento Sacerdotes quæ-

quæcumque peccata solvere possunt, juxta illud Matth. c. 18. *Quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cælo.*

2. Ex Conc. Trident. sess. 14. can. 1. hoc Sacramentum institutum est pro fidelibus lapsis *Ipsi Deo reconciliandis.* Et c. 3. ait: *Effectus hujus Sacramenti, quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* At reconciliatio peccatoris cum Deo fieri non potest sine remissione omnium peccatorum mortalium quoad culpam. Ergo.

Resp. 2. Per hoc Sacramentum omnia peccata remittuntur etiam quoad pœnam æternam. Sequitur ex 1. Responsione, & iisdem argumentis constat. Adhuc tamen

Prob. Quotiescumque peccatum mortale remittitur quoad culpam, remittitur etiam quoad reatum pœnæ æternæ. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Ex Scriptura. Rom. c. 8. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Hoc est, neque causa damnationis, neque damnatio est iis, qui sunt Justificati per Christi gratiam. At ii, quibus remittuntur peccata quoad reatum culpæ, sunt justificati: Ergo non est iis damnatio æterna. Item, Rom. c. 6. *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. non fit remissio peccatorum mortalium quoad reatum culpæ nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, qua homo fit amicus Dei, & hæres vitæ æternæ, proindeque jam non est obnoxius pœnæ æternæ.

Quæres 2. *Utrùm unum peccatum mortale remitti possit sine alio?*

Resp. Unum peccatum mortale numquam remitti potest sine omnibus aliis in eodem homine, saltem de potentia ordinaria, id est, secundùm præsens decretum divinum.

Prob. Nam unum peccatum mortale secundùm præsens decretum divinum non remittitur, per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ non potest esse cum ullo peccato mortali. Nam gratia sanctificans reddit hominem Dei filium adoptivum & hæredem vitæ æternæ, ut definit Conc. Trid. ac proinde non potest esse cum ullo peccato mortali, quod efficit hominem servum diaboli, Dei inimicum, & æternæ damnationis reum.

ARTICULUS II.

De remissione peccatorum venialium per Sacramentum Pœnitentiæ, & extra illud.

§. I.

Utrùm & quomodo remittantur peccata venialia per Sacramentum Pœnitentiæ?

DIco 1. Per Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur ex opere operato peccata venialia ei ritè subjecta.

Prob. 1. Ex illo, Jo. c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nulla est autem ratio excipiendi peccata venialia ex his Christi verbis favorabilibus, generalibus, nullamque limitationem continentibus, sicut est ratio illa non subjiciendi onerosæ retentioni. Neque conveniebat, ut hoc Sacramentum remittere peccata mortalia posset, & non posset venialia, quæ sunt leves offensæ, quæque faciliùs remitti possunt.

2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. declarante *peccata venialia rectè & utiliter in confessione dici.*

3. Ex approbato ab eodem Concilio piorum hominum usu, qui venia-

lia confitentur, ut eorum remiſſionem per Sacerdotalem abſolutionem conſequantur.

Dico 2. Ut peccata venialia per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur, requiritur contritio formalis conſiſtens in dolore & deteſtatione de illis cum propoſito formali ea vitandi. Nam contritio formalis ex inſtitutione Chriſti eſt eſſentialiter requiſita ex parte pœnitentis ad remiſſionem peccati in hoc Sacramento. Imo Juſtus qui ad hoc Sacramentum ſine dolore ullius peccati venialis ſcienter accederet, per ſe loquendo peccaret mortaliter; quia irritum ultro redderet Sacramentum, cùm contritio ſit illius pars eſſentialis, nec tamen ullam haberet, ideoque grave ſacrilegium admitteret.

Obj. Si propoſitum vitandi venialia requiritur ad illorum remiſſionem, numquam remitti poterunt omnia. Nam non poſſumus habere propoſitum vitandi omnia omnino peccata venialia: illa enim omnia toto vitæ tempore vitare impoſſibile eſt ſine ſpeciali privilegio, quod ſoli B. Virgini conceſſum eſt.

Reſp. Nego ſequelam & ejus probationem. Nam cum auxilio gratiæ poſſumus & debemus habere propoſitum generale, abſolutum, & efficax vitandi omnia peccata venialia tum collectivè, tum diſtributivè ſumpta, quamvis ſine ſpeciali privilegio non poſſimus potentia reducenda ad actum omnia reipſa vitare longo tempore. Nam cum gratia Dei ſine tamen ſpeciali privilegio poſſumus habere deteſtationem omnium venialium, incompoſſibilem cum omni affectu peccandi venialiter, quamdiu ipſa durat; ita ut ſi ſemper duraret, numquam committeretur veniale peccatum: ac proinde poſſumus habere propoſitum generale de ſe abſolutum & efficax numquam peccandi venialiter, quamvis hoc propoſitum poſtea mutaturi ſimus pro noſtra fragilitate, & venialiter peccaturi, quæ fragilitas nobis verè diſplicet.

Obſerva. Ut omnia peccata venialia remittantur, requiritur dolor ac deteſtatio generalis & efficax de illis omnibus, cum propoſito efficaci illa omnia in poſterum vitandi. Ad remiſſionem verò aliquorum venialium requiritur & ſufficit dolor ac deteſtatio de illis ſolis cum propoſito illa vitandi: nam unum veniale remitti poteſt ſine alio, nec ullum eſt incompoſſibile cum gratia ſanctificante.

§. II.

Utrùm peccata venialia remittantur ex opere operato per alia Sacramenta?

Dico 1. Id certum eſt de Baptiſmo, Euchariſtia, & Extrema Unctione, ut ſuo loco probatum eſt. Probabilius eſt etiam per cætera Sacramenta remitti peccata venialia, ea potiſſimùm, quæ ſpeciali cujusque fini opponuntur ut per matrimonium ea, quæ repugnant caſtitati & ſtatui conjugali; per ordinem quæ religioni & ſtatui Clericali. Quia hæc quoque Sacramenta inſtituta ſunt ad ſanctificandas animas, easque perducendas in finem ultimum: ac proinde removenda impedimenta tum ſanctitatis, tum fruitionis Dei, qualia ſunt peccata venialia. Nam peccata venialia abundantiam gratiarum ad ſanctitatem augendam neceſſariarum impediunt, ad peccatum mortale, proindeque ad ſanctitatis jacturam diſponunt, & ab aſſecutione beatitudinis retardant. Vide S. Thomam, q. 67. art. 3.

Dico 2. Ad remiſſionem peccatorum venialium per Sacramenta obtinendam, excepto Pœnitentiæ Sacramento, ſufficit pœnitentia virtualis, incluſa

clusa in pio aliquo erga Deum affectu supernaturali habente oppositionem cum illis, seu incompatibili cum affectu ad illa. Quia pœnitentia formalis nec est pars essentialis aliorum Sacramentorum, sicut est Sacramenti Pœnitentiæ; nec dispositio essentialiter requisita ad illorum remissionem.

§. III.

Utrùm Sacramentalia vim habeant remittendi peccata venialia ex opere operato?

Nota. Per Sacramentalia hic non intelliguntur Sacramenta ipsa, neque eorum partes, neque cæremoniæ ad illorum ornatum ac ritum solemnem institutæ; sed intelliguntur res aliquæ vel actiones sacræ, cujusmodi sunt aqua benedicta, palmæ, cineres, ce rei benedicti, panis benedictus, oratio in loco sacro, oratio Dominica, tunsio pectoris, confessio generalis expressa his verbis. *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio, item variæ Unctiones non Sacramentales.

Dico. Sacramentalia non habent vim remittendi peccata venialia immediatè & ex opere operato. *Ita communiter.*

Prob. Sacramentalia habere vim remittendi peccata venialia ex opere operato est illa habere vim conferendi infallibiliter remissionem venialium omnibus obicem non ponentibus, eo ipso quod adhibentur. Atqui Sacramentalia hanc vim non habent. Ergo *Prob. min.* Sacramentalia non possunt habere talem vim nisi ex institutione Dei, cujus solius est de jure suo disponere, & offensas suas remittere vel per se immediatè, ver per media à se in hunc finem instituta. Atqui Sacramentalia non habent ex institutione divina vim conferendi infallibiliter remissionem venialium omnibus obicem non ponentibus, eo ipso quòd adhibentur. Nam talis institutio neque ex Scriptura, neque ex Traditione sufficienter probari potest. Ergo &c.

Sacramentalia tamen ex institutione, Benedictione & Oratione Ecclesiæ, virtutem, quam Ecclesia ipsis à Christo impetravit, habent conferendi gratias actuales, quibus ad aliquos actus virtutum, v. g. pœnitentiam excitantur ii, qui his Sacramentalibus piè utuntur.

Obj. 1. Can. *aquam* de consecrat, dist. 3. aqua benedicta dicitur sanctificare, mundare.

Resp. Ad summum hic canon significat aquam benedictam propter Ecclesiæ orationem ipsi applicatam valere ad sanctificationem & mundationem à venialibus, non quidem immediatè, sed mediantibus gratiæ auxiliis excitantibus ad actus pœnitentiæ saltem virtualis, quæ usu Sacramentalium per modum impetrationis & intuitu meritorum Ecclesiæ obtinentur. Non tamen semper & infallibiliter impetrantur auxilia illa gratiæ per Sacramentalia propter orationem Ecclesiæ ipsi applicatam, quia non semper Ecclesiæ preces exaudiuntur, eòquòd ii, pro quibus orat, obicem ponant.

Obj. 2. L. 3. Regum, c. 8. dicitur, quòd Deus propter orationem factam in Templo propitiaturus sit peccatis orantium.

Resp. Hæc verba dicta sunt universaliter de peccatis tum mortalibus, tum venialibus, & solùm significant orationem factam in loco sacro habere vim quamdam impetrandi media necessaria ad peccatorum remissionem obtinendam, & majorem quidem

 dem

dem propter circumſtantiam externam loci ſacri: quæ media faciliùs pro venialibus quàm pro mortalibus, & in loco ſacro, quàm in non ſacro impetrantur.

§. IV.

Utrùm & quomodo venialia remittantur ex opere operantis, & extra Sacramenta?

Nota. 1. Agitur hìc de remiſſione venialium in juſto. Nam ex communi ſententia peccatum veniale non remittitur in homine exiſtente in ſtatu peccati, niſi ſimul remittatur peccatum mortale, quia ſola atritio hominis Dei inimici non habet ex ſe vim remittendi venialia, & nulla habetur promiſſio divina remittendi ejusmodi peccata propter ipſam ſolam attritionem peccatoris. Imò non convenit, ut Deus ullam offenſam condonet inimico permanenti inimico. Igitur peccata venialia ut conjuncta cum mortali non remittuntur niſi per Sacramentum in re vel in voto ſuſceptum.

Econtra remitti poteſt peccatum mortale absque remiſſione venialium, quando nempe homo non dolet de venialibus, nec ſufficienter diſponitur ad eorum remiſſionem: peccatum enim veniale non repugnat cum gratia ſanctificante.

Nota 2. Quamvis unum mortale remitti non poſſit ſine omnibus aliis ejusdem hominis; poteſt tamen unum veniale ſine omnibus aliis remitti; quia poteſt homo deponere affectum ad aliquod veniale, & retinere ad aliud; & aliunde gratia ſanctificans, non eſt incompatibilis cum venialibus.

Dico 1. Peccata venialia in homine juſto remitti poſſunt ex opere operantis, & independenter à Sacramento Pœnitentiæ. *Ita omnes.* Et conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi ait: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur .... taceri circa culpam, multisque aliis remediis expiari poſſunt.* Et verò venialia: utpote leviora debuerunt remitti faciliùs, & per plura media quàm mortalia.

Dico 2. Peccata venialia etiam ſola non poſſunt ſecundùm præſens decretum remitti ſine formali vel virtuali pœnitentia ſeu retractatione. *Ita communiter Theologi cum S. Thoma.*

Prob. Quia Sapientiæ & Juſtitiæ divinæ planè convenit, ut nulla offenſa contra ipſum voluntate phyſicè propria admiſſa remittatur ſine retractatione ac diſplicentia ſaltem virtuali. Ergo rectè creditur Deus, qui naturalem rerum exigentiam ac convenientiam ſemper ſervat circa privilegium Eccleſiæ certò notum, ſtatuiſſe, ut quælibet peccata etiam venialia numquam condonarentur ſine formali aut ſaltem virtuali eorumdem deteſtatione.

Dixi, *vel virtuali*, Nam quamvis actus ad remiſſionem venialium neceſſarius, ſit per ſe primò ex inſtitutione divina dolor ac deteſtatio formalis & efficax peccati; ſufficere tamen poteſt aliqua pœnitentia virtualis, conſiſtens in aliquo actu ſupernaturali virtutis incompoſſibili cum affectu ad veniale, & vi cujus homo illud deteſtaretur, ſi memoriæ occurreret.

Dico 3. Ad remiſſionem venialium in homine juſto ſufficit actus charitatis, vel contritionis perfectæ venialibus illis oppoſitæ. Nam talis actus remittit mortalia. Ergo à fortiori ad venialium remiſſionem ſufficit, modò ille actus ſe extendat ad venialia, ſive excludat affectum ad illa venialia, nam ſine iſta excluſione non habetur virtualis

tualis eorum retractatio, ideoque nec pœnitentia. Actus autem charitatis affectum ad venialia censetur excludere universaliter seu respectu omnium, quando quis vi talis actus ita affectus est, ut nullum veniale vellet admittere, & de quolibet admisso doleret, si memoriæ occurreret. Excludit verò dumtaxat particulariter seu respectu aliquorum, si vi illius actus ita quis affectus sit, ut nollet aliquod veniale in particulari hoc vel illud committere.

Dico 4. Ad remissionem venialium in justo extra Sacramentum non requiritur charitas aut contritio perfecta; sed sufficit attritio concepta ex motivo supernaturali, quod deum aliquo modo respiciat, cujusmodi est, v. g. quod peccatum veniale sit contra obedientiam & reverentiam Deo debitam etiam in levissimis rebus, quòd retardet possessionem Dei super omnia dilecti ut nostri summi boni, &c. item sufficit pœnitentia virtualis contenta in aliquo actu supernaturali ex simili motivo. Ita communius Doctores contra alios docentes extra Sacramentum requiri charitatis vel contitionis perfectæ actum.

Prob. 1. Ex S. Thoma, 3. p. q. 47. art. 1. ubi ait: *sequitur, quòd* (ad remissionem venialium) *requiratur quædam virtualis displicentia, putà cum aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commisisse.*

2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. suprà citàto *venialia multis aliis remediis* præter Sacramentum Pœnitentiæ *expiari possunt.* Ergo non solo actu charitatis vel contritionis perfectæ remitti possunt.

3. Venialia, quæ sunt leves Dei offensæ, debent faciliùs remitti, quàm mortalia quæ sunt graves Dei injuriæ, ejus odium & inimicitiam parientes: Ergo ad remissionem venialis extra Sacramenta requiri non debet perfecta contritio vel charitas sicut ad remissionem mortalis.

4. Gratia sanctificans magnum valorem attritioni hominis justi tribuit; & attritio illa efficaciter mutat voluntatem, & excludit affectum omnem ad venialia, quorum est detestatio, & quidem ex motivo aliquo Deum respiciente.

Dico 5. Ad remissionem venialium etiam in justo extra Sacramentum obtinendam, non sufficit attritio concepta ex motivis imperfectioribus, & quæ Deum aliquo modo non respiciant, qualis est attritio concepta ex metu solarum pœnarum sensus Purgatorii.

Prob. Quia si quælibet attritio etiam concepta ex illis motivis imperfectioribus sufficeret, Sacramentum Pœnitentiæ numquam peccata venialia remitteret, sed semper jam priùs remissa præsupponeret: nam semper remissa essent per attritionem, quæ absolutionem præcedere debet: Falsum consequens: nam hoc repugnat tum communi fidelium sensui & usui, qui venialia confitentur ad eorum remissionem per absolutionem Sacerdotalem obtinendam: tum Concil. Trident. cap. 5. citato asserenti venialia rectè & utiliter in confessione declarari, utique in ordine ad eorum absolutionem obtinendam, ut etiam patet ex his verbis quæ subjicit: *Quod piorum hominum usus demonstrat.*

§. V.

Quomodò remittantur venialia peccata justi, qui cum illis, seu ante illorum remissionem moritur, ut accidit in casu repentino mortis?

Dico. Remittuntur quoad reatum culpæ per actum contritionis perfectæ omnibus venialibus oppositum; quem quidem actum ejus anima gratia adjuta elicit primo instanti separationis suæ à corpore, vel saltem paulò post in Purgatorio. Ita communiter cum S. Thoma, q. 7. de malo, a. 11. ubi ait: *Venialia remittuntur post hanc vitam quantùm ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis.*

Prob. Quia Scriptura & Patres generatim ad peccatorum personalium remissionem pœnitentiam aliquam requirunt: Ergo non debent restringi ad statum hujus vitæ, cùm nullum sit legitimum hujusmodi limitationis fundamentum. Quare reatus culpæ venialis, cui respondet in Deo jus leviter indignandi, remittitur per actum supradictum. Reatus verò pœnæ extinguitur condigna solutione & rigida satis passione, Deo ita statuente.

Porro per actum illum contritionis perfectæ post hanc vitam à justo elicitum remittuntur venialia quoad reatum culpæ per modum satisfactionis, vel saltem impetrationis.

ARTICULUS III.

Utrùm merita per peccatum subsequens mortificata, peccato hoc per Sacramentum Pænitentiæ in re vel in voto susceptum remisso, reviviscant.

Nota 1. Triplicis generis opera à Theologis distinguuntur, scilicet opera viva, mortificata, & mortua. Opera viva, quæ dicuntur simpliciter merita, sunt opera bona, & quæ fiunt ab homine justo, & promerentur felicitatem æternam, ejusque augmentum. Opera mortificata sunt opera illa viva seu meritoria, quæ per superveniens peccatum mortale impediuntur, ne effectum suum seu præmium consequantur, nempe ne perducant ad beatitudinem æternam.

Opera mortua duplicia sunt, nempe effectivè, & privativè. Opera mortua effectivè seu mortifera, sunt opera graviter mala, quæ spiritualem mortem animæ inferunt, illam privando gratia sanctificante & charitate habituali, quæ est supernaturalis vita animæ. Opera mortua privativè sunt opera bona & supernaturalia facta in statu peccati, quæ proinde non sunt meritoria vitæ æternæ.

Nota. 2. Nunc duplex est super ea re Theologorum sententia in scholis recepta. Prima est Thomistarum, qui ut plurimùm docent merita revivíscere, non semper ad totum præmium essentiale, quod ante peccatum illis debebatur, sed solùm juxta proportionem contritionis, per quam resurgitur à peccato. Hunc autem proportionis modum alii aliter explicant. Altera sententia est cæterorum Theologorum, qui cum Scoto docent merita remisso peccato, semper reviviscere ad totum præmium essentiale, ipsis ante mortalem culpam subsequentem debitum.

§. I.

Dico. Merita, peccato subsequente remisso, reviviscunt quoad totum præmium essentiale, ipsis ante mortalem culpam debitum.

Prob. 1, Ex Scriptura Ezech. c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam . . . . omnium*

omnium iniquitatum ejus non recordabor, in justitia sua, quam operatus est, vivet. Et c. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* At si homo resurgens non recuperaret jus ad totum præmium essentiale prioribus meritis respondens, Deus semper ejus iniquitatum recordaretur, illas in æternum puniendo privatione præmii essentialis meritis prioribus debiti, vel partis hujus præmii, sicque impietas impii quamvis remissa, plurimùm ei noceret in æternum. Gal. c. 3. *tanta passi estis sine causa; si tamen sine causa.* Hoc est, secundùm Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, & alios Patres, si tamen dicendi estis sine fructu ista passi, cùm si volueritis per Pœnitentiam Deo reconciliari, passionum istarum mercedem sitis accepturi.

Hebr. c. 6. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quem locum de meritis mortificatis intelligunt Ambrosius, Chrysostomus, Anselmus, & alii Patres.

Prob. 2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 16. & can. 32. Opera meritoria totam mercedem ac gloriam sibi debitam consequuntur suo tempore, modò operans decedat in gratia: quæ sola conditio à Conc. requiritur ad totum præmium essentiale bonis operibus debitum consequendum, & impletur ab eo, qui à peccato merita subsequente resurgens, postea moritur. Sic autem habet Conc. sess. 6. c. 16. *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominùs plenè illis quidem operibus; quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Et can. 32. *Si quis dixerit . . . ipsum justificatum bonis operibus . . . non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Ex quo adhuc sic argumentor. Ut merita totum præmium essentiale suo tempore assequantur, requiritur tantùm decessus in gratia. Ergo non requiritur præterea, ut Pœnitentia, per quam resurgitur, sit in certa proportione fervoris, ac in certo intensionis gradu; alioqui sæpe contingeret, ut posita conditione mortis in statu gratiæ, quam solam requirit Conc. opera meritoria non obtinerent totam gloriam sibi debitam, suo tempore consequendam. Sic etiam multùm in justis retardaretur alacritas ac fervor ad bona opera exercenda, de quibus timendum esset, ne illa frustra præstitissent.

Prob. 3. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Hieronymus, in c. 3. ad Galatas, ubi ait: *Quicumque ob Christi fidem laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum; sicut priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem & ad antiquum studium revertatur.* Et S. Ambrosius ait: *Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis: non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit.*

Prob. 4. Ratione 1. sic. Opera meritoria habent singula vim ad certum gloriæ ac felicitatis gradum perducendi operantem, & ad illum gradum suo tempore tribuendum acceptantur à Deo sub sola conditione decessus in gratia, ut constat ex Conc. Trid. modò laudato. Ergo quamdiu is, qui ea fecit, potest decedere in statu gratiæ, hanc vim totam retinet: neque illa vis aboletur aut minuitur, sed solùm impeditur & suspenditur per subsequens peccatum. Ergo tali impedimento per peccati

peccati remissionem sublato, tota illa vis meritorum ad certum ac proprium singulorum præmium essentiale, nempe gloriæ ac felicitatis gradum recuperatur sicut priùs erat.

2. Condonatio peccati facta pœnitenti, est absoluta, integra & absque ulla limitatione. Ergo per illam condonationem pœnitens recuperat omnia jura ad totum præmium essentiale priùs acquisita: sicut si Rex offensam integrè ac simpliciter remittat subdito, is per illam remissionem restituitur in omnia jura, quæ ante habebat & recuperat jus accipiendi mercedem integram suis prioribus obsequiis debitam.

3. Quia rationes omnes, quæ ab adversariis afferuntur ad probandam meritorum revivisceńtiam, probant illam fieri ad totum præmium essentiale, non autem solùm ad proportionem fervoris pœnitentiæ vel charitatis per quam resurgitur.

Ex dictis sequitur, meritis per remissionem peccati reviviscentibus, etiam recuperari totam gratiam sanctificantem meritis illis respondentem. Nam gratia sanctificans est semen gloriæ, & proximum fundamentum juris ad illam: ac proinde totum jus ad gloriam priùs acquisitum recuperari non potest sine tota gratia sanctificante priùs acquisita. Item sequitur recuperari etiam simul omnes virtutes infusas meritis illis reviviscentibus respondentes: nam sunt individuæ comites gratiæ sanctificantis. Et utrumque significatur parabola Filii Prodigi, cui pater jussit restitui stolam primam, & annulum, & calceamenta, *Luc. 15.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Homo per peccatum mortale amisit jus ad gloriam. Ergo merita per peccatum penitus extinguuntur. Ergo non reviviscunt, &c.

Resp. Disting. anteced. Amisit jus recuperabile per remissionem peccati, *conc. antec.* amisit jus irrecuperabile per remissionem peccati, *nego antec. & conseq.* cùm opera meritoria à Deo acceptentur ad gloriam suo tempore retribuendam sub sola conditione mortis in statu gratiæ, quamdiu homo potest decedere in gratia, & à peccato resurgere, potest recuperare jus pristinum ad gloriam suis prioribus meritis debitam.

Inst. 1. Merita per peccatum subsequens abolentur & extinguuntur. Ergo recuperari non potest jus, &c.

Resp. Nego anteced. Itaque merita per subsequens peccatum non extinguuntur absolutè, nisi cùm homo in peccato moritur. Quamdiu autem homo vivit, & à peccato resurgere potest atque in gratia decedere, priora merita semper manent in acceptatione Dei in ordine ad præmium etiam essentiale singulorum proprium suo tempore rependendum, & vim, quamvis peccato subsequente impeditam ac suspensam, ad hanc felicitatem ac gloriam suo tempore perducendi retinent.

Inst. 2. Ezech. c. 18. de justo mortaliter peccante dicitur: *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo merita post subsequens peccatum non manent ampliùs in acceptatione divina.

Resp. Explico Textum. Justitiæ ejus non recordabuntur, id est, illi non proderunt in illo statu peccati, & nisi resurgat, *conc.* id est, illi non ampliùs profuturæ sunt, etiamsi postea resurgat, *nego*: nam ibidem dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam . . . omnium iniquitatum ejus non recordabor: in justitia sua quam operatus est, vivet.* Et c. 33. *Impietas impii non*

non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit. Certè si merita ad totum præmium essentiale non reviviscerent, peccatum etsi per pœnitentiam remissum, plurimùm noceret justo, & Deus illud semper recordaretur, si quidem illud in æternum puniret præmii essentialis prioribus meritis debiti privatione vel ex toto vel ex parte.

Obj. 2. Si merita per peccatum subsequens mortificata reviviscunt, condonato peccato, hæc reviviscentia oritur vel ex misericordia divina, vel ex justitia. Neutrum dici potest. Ergo.

Resp. Nego min. & dico merita reviviscere ex misericordia, sed illis reviviscentibus deberi præmium ex justitia. Nam Deus 1. Ex mera misericordia decrevit dare, & promisit hominibus præmium omnium meritorum etiam mortificatorum, si modò in gratia decedant, & justificatos in priora jura restituere. Nam poterat velle, ut merita omnia peccato subsequente absolutè extinguerentur, ita ut jam postea nullum jus ad gloriam tribuerent. 2. Ex mera misericordia peccatorem ad pœnitentiam excitat, sine qua numquam merita reviviscerent. 3. Ex mera misericordia pœnitentem justificat. Gratìs enim pœnitentem justificat, sine qua justificatione gratuita merita non reviviscunt. At supposito, quòd Deus misericorditer voluerit justificatum restitui in priora jura omnia ad gloriam, operibus meritoriis ante peccatum acquisita, opera illa meritoria homini justificato idem jus ad gloriam tribuunt, quod ante peccatum tribuerant: ac proinde tam homini justificato propter illa debetur gloria, quàm si post illa homo ille numquam peccasset. Et si meritis reviviscentibus debetur merces ex justitia perinde ac aliis meritis: ex justitia, inquam, qualis potest esse inter Deum & creaturam. Unde illud Apostoli, Hebr. c. 6. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operibus vestris.* Nam supposita divina promissione & acceptatione, & justificatione misericorditer facta, operibus meritoriis debetur gloria, modò decedatur in gratia.

Obj. 3. Tota gratia, quæ in justificatione confertur, gratìs datur, non ex justitia. Ergo nulla datur propter merita præcedentia. Ergo, &c.

Respondetur Disting. antecedens Tota gratia, quæ in justificatione confertur vi justificationis præcisè, gratìs datur, *conced. antecedens.* Nam gratuita est tota justificatio. Tota gratia, quæ in justificatione confertur, sed ex alio titulo, nempe ratione meritorum præcedentium, gratìs omnino datur, *nego anteced. & conseq.* in justificatione hominis, qui post merita acquisita peccavit mortaliter, duplex gratia infunditur; una intuitu Sacramenti in re vel in voto suscepti, & vi justificationis præcisè, per quam scilicet homo à statu peccati ad statum gratiæ transfertur: hæc datur gratìs homini justificato. Altera verò intuitu meritorum præcedentium, per quam homo primò non justificatur, sed justificatus supponitur, & magis justus efficitur: ista datur homini justo, & ex justitia multiplicem misericordiam supponente: nam operibus meritoriis ex gratuita promissione & acceptatione divina debetur gratia & gloria, modò operans sit in statu gratiæ.

Inst. Utraque gratia eodem instanti reali datur: ergo utraque est æquè gratuita.

Resp. Nego conseq. Quamvis enim utraque gratia eodem instanti reali detur, tamen secunda supponit primam ut

ut natura priorem, & per quam priùs natura homo justus efficitur, quàm accipiat secundam, per quam justior ac sanctior redditur, & utraque ex diversis titulis infunditur. Hinc per gratiam propter merita præcedentia in justificatione collatam homo non transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, sed translatus supponitur.

Obj. 4. Qui post opera meritoria mortaliter peccat, indignus est, qui gratiam prioribus meritis respondentem recuperet cum jure ad gloriam tamquam si non peccasset. Ergo talem gratiam cum tali jure non recuperat.

Resp. Disting. antec. Indignus est, qui talem gratiam recuperet, quandiu versatur in statu peccati, *conc. ant.* postquam ei condonatum est peccatum, *subdisting.* independenter à misericordia & gratuita acceptatione divina, *conc. iterum ant.* supposita misericordia Dei ad præmium suo tempore retribuendum acceptantis merita hominis justi, etsi per peccatum mortificata, modò is resurgat à peccato, & decedat in gratia. *nego antec. &* *conseq.* meritorum reviviscentia fundatur in misericordia Dei, sed hac supposita pœnitens à peccato justificatus dignus est, qui gratiam totam prioribus meritis respondentem recuperet cum jure ad gloriam tali gratiæ commensuratam: nam tunc facit id, quod Deus requirit ad meritorum illorum reviviscentiam, redeundo cum Deo in gratiam.

Obj. Ex Conc. Trid. requiritur perseverantia in gratia usque ad mortem tamquam conditio necessaria ad consequendam mercedem per bona opera. Nam sess. 6. can. 26. sic ait: *Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si benè agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, Anathema sit.* Ergo qui postea peccat, nihil præmii consequitur propter bona opera ante peccatum facta.

Resp. 1. Nego anteced. Ad canonem, dico verba objecta non sunt exclusiva. Non enim Concilium dicit justos non debere expectare retributionem, nisi semper usque in finem perseveraverint absque statu intermedio peccati. Imò, eadem sessione, can. 32. ad consequendam gloriam per bona opera sufficere docet simplicem in gratia decessum.

Resp. 2. Disting. anteced. Requiritur perseverantia usque in finem, hoc est, decessus in statu gratiæ, *conc. antec.* hoc est, continua permanentia in statu gratiæ nunquam amissæ, *nego anteced. & conseq.* perseverantia usque in finem significat decessum in statu gratiæ, sive gratia illa numquam peccato amissa sit, sive amissa postea recuperata sit.

Obj. 6. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 8. gratia in justificatione infunditur secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Ergo gratia meritis prioribus collata non restituitur nisi secundùm proportionem ferventis pœnitentiæ: ac proinde jus ad gloriam sic tantùm reviviscit.

Resp. Nego conseq. Quia Conc. ibi loquitur tantùm de gratia, quæ infunditur præcisè ratione dispositionis ad justificationem, nempe contritionis & aliorum actuum: non autem loquitur de gratia, quæ infunditur ratione meritorum præcedentium, ad quam contritio se habet dumtaxat ut removens impedi-

impedimentum nempe peccatum, non ut dispositio ad illam, nam præcedentia merita in acceptatione divina remanentia sunt mensura illius gratiæ.

Obj. 7. Thomas, 3. p. q. 89. a. 5. ad 3. ait; *Ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundùm quantitatem charitatis, in qua invenitur. Habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Ergo ex S. Thoma merita non reviviscunt nisi secundùm proportionem charitatis, per quam resurgitur.

Resp. Oppono huic textui rationem & doctrinam ipsius S. Thomæ in corpore articuli traditam, quæ probat reviviscentiam semper esse ad totum præmium essentiale: cuique potiùs adhærendum est, quàm textui objecto, ejus principiis repugnanti. Sic enim S. Doctor ait: *Opera meritoria per peccatum sequens mortificata . . . non habent vim perducendi in vitam æternam, solùm secundùm quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundùm quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit . . . sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam: quod est reviviscere. Et ita patet, quòd opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt.*

Præterea ex opposita sententia sequitur illum, qui post multa opera meritoria facta, unum mortale peccatum admitteret, non consecuturum plus gloriæ, quàm qui pauca admodum merita habet, & innumera demerita, si uterque cum æquali contritione ac charitate resurgat, & statim moriatur.

Obj. 8. Peccata remissa non reviviscunt per peccatum subsequens. Ergo nec merita mortificata reviviscunt per pœnitentiam subsequentem.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia peccata remissa, sunt penitus abolita ac deleta: nam Deus peccata remittit, cedendo absolutè & simpliciter juri, quod habet ad indignandum, & puniendum pœna æterna propter illa. Unde peccata semel remissa perinde sunt in ordine ad Dei indignationem & odium ac si numquam extitissent, proindeque reviviscere non possunt. At merita mortificata non sunt abolita & extincta absolutè: nam semper manent in acceptatione Dei quoad præmium ipsis debitum suo tempore rependendum, quamdiu is, cujus sunt, potest resurgere à peccato & decedere in gratia & sic quamdiu is cujus sunt, potest decedere in gratia, retinent vim illum ad gloriam perducendi suo tempore, quamvis impeditam & suspensam per peccatum subsequens, ac proinde possunt reviviscere, & reviviscunt sublato impedimento, nempe peccato: tunc enim jus expeditum & proximum ad gloriam suo tempore retribuendam restituunt.

Inst. 1. Deus merita hominis peccantis eodem modo obliviscitur ac peccata pœnitentis: nam locutiones, quibus Deus dicitur merita & peccata oblivisci, sunt prorsus similes, ut patet ex his, Ezech. c. 18. verbis: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor : : : omnes justitiæ ejus non recordabuntur.* Ergo merita tam per peccatum subsequens abolita sunt absolutè, quàm peccata remissa.

Resp. Nego ant. Ad prob. nego conseq. Nam locutiones Scripturæ intelligi debent accommodatè ad materiam

ſubjectam, quæ cùm ſit diverſa in utroque illo textu, illæ etiam locutiones diverſo modo intelligi debent. Enim verò cùm dona Dei ſint ſine pœnitentia, ut ait Apoſtolus, *Rom. cap. 11.* merita juſtorum, quæ ſunt ejus dona, non debent aboleri, nec remiſſio peccatorum retractari. Unde peccata, non merita, abſolutè aboleri debent. Idque valde conſentaneum eſt infinitæ bonitati Dei ad miſerandum & remunerandum, quàm ad puniendum pronioris.

Inſt. 2. Non minor, imò major eſt vis peccati ad deſtruenda abſolutè merita, quàm vis pœnitentiæ perfectæ ad abolenda peccata: nam peccatum habet malitiam infinitam, actus autem charitatis & contritionis bonitatem tantùm finitam. Ergo peccatum merita priora penitus deſtruit, perinde ac pœnitentia perfecta deſtruit peccata priora.

Reſp. Nego conſeq. Quia abſoluta illa peccatorum deſtructio non tam ex bonitate & valore pœnitentiæ aut charitatis oritur, quàm ex Dei bonitate & miſericordia, qui pœnitentiam ad id acceptavit, & noluit merita per peccatum aboleri, quamdiu is, cujus ſunt, poteſt reſurgere & decedere in gratia, ut conſtat ex Scriptura, Patribus, & Concil. Tridentin.

Obj. 9. Dici non poteſt, quandonam peccata reviviſcant: Ergo non reviviſcunt.

Reſp. Nego anteced. Nam reviviſcunt eo inſtanti, quo remittitur peccatum; tunc enim tollitur obex, quo merita impediebantur, ne haberent vim perducendi ad vitam æternam: unde ſublato hoc impedimento ſtatim vim illam totam recuperant per gratiam ſanctificantem iis reſpondentem, quæ ſtatim remiſſo peccato infunduntur.

TRA-

TRACTATUS DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

POENITENTIA sumitur vel pro virtute, vel pro Sacramento. Sumpta pro virtute est virtus inclinans peccatorem ad dolorem ac detestationem de peccato commisso, quatenus est offensa Dei, & ad efficax propositum vitandi peccatum, & satisfaciendi justitiæ divinæ. Est aliqua justitiæ commutativæ species: nam qui per suum peccatum injuriam Deo intulit, debet eam per satisfactionem compensare, si non ad æqualitatem, cujus est incapax, saltem quantum potest & Deus exigit. Actus virtutis Pœnitentiæ sunt contritio & satisfactio, de quibus infrà.

Pœnitentia sumpta pro Sacramento, ut hìc sumitur, est Sacramentum à Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa remittenda per actus pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis. Esse necessariam necessitate medii in re vel in voto; constat ex Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* & ex Concil. Tridentin. Sess. 14. c. 2. ibi: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.*

CAPUT I.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

DUplex est, remota & proxima. Materia remota & circa quam destruendam versatur, sunt omnia peccata post Baptismum admissa. Materia proxima & ex qua componitur, sunt actus pœnitentis, nempe contritio perfecta, vel imperfecta, confessio, & satisfactio: quæ partes materiales dicuntur, ex Concil. Trident. Sess. 14. Can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit.* Differt tamen satisfactio actualis ab aliis, quòd sit tantùm pars integralis. Nam datur absolutio, & hoc Sacramentum conficitur & confert gratiam justificantem ante satisfactionem impletam: at nulla res potest esse sine tota sua essentia. Contritio verò & confessio sunt partes essentiales. Satisfaciendi tamen pro-

propositum necessariò requiritur in contritione.

ARTICULUS I.

De Contritione.

Quæst. I. QUid *est Contritio, & quotuplex?*

Resp. 1. Contritio genericè sumpta est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Concil. Tridentin. Sess. 14. cap. 4. Ut autem valeat ad remissionem mortalium, sive intra, sive extra Sacramentum necessariò debet esse interna, supernaturalis, univer salis, efficax, & appretiativè summa.

Resp. 2. Dividitur in perfectam & imperfectam. Contritio perfecta est ea, quæ concipitur ex actu, seu motivo charitatis perfectæ: unde est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, propter Deum super omnia dilectum propter se, hoc est, propter infinitam amabilitatem suam. Imperfecta, quæ attritio dicitur, est ea, quæ ex alio motivo supernaturali quàm charitatis concipitur, ut ex peccati turpitudine, vel ex ge hennæ & pœnarum metu. Conc. Tridentin. *suprà* Quare differunt specie, cùm habeant diversa motiva. Differunt etiam ex parte effectus: nam perfecta Deo reconciliat extra Sacramentum cum ejus voto, non imperfecta: quoad cætera conveniunt.

Quæst. II. *An contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum, per modum scilicet dispositionis ultimæ, licèt non sine voto Sacramenti?*

Resp. Affirm. *Prob. 1.* Ex Ezech. c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. Vita vivet.* 2. Ex Concil. Trid. Sess. 14. c. 4. *Docet etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priùs quam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sive Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.* 3. Quia S. Pius V. & Gregorius XIII. damnavit hanc Baji propositionem: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

Imò quilibet actus charitatis perfectæ, quem contritio perfecta includit, & qui dicitur contritio virtualis, absolutè sufficit extra Sacramentum ad justificationem, sine dolore & proposito formali, ut constat 1. Ex Script. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo:* Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, &c.*

2. Ex Patribus id passim asserentibus.

3. Quia damnatæ sunt hæ Baji propositiones. 32. *Charitas illa, quæ est plenitudol egis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 70. *Homo existens in peccato mortali, potest habere veram charitatem.*

4. Quia perfecta Dei dilectio est perfecta conversio ad Deum. Tamen actus charitatis perfectæ non reconciliat hominem Deo sine voto contritionis & Sacramenti, quod in illo virtualiter & implicitè includitur, nec sine obligatione eliciendi postea contritionem formalem de iisdem mortalibus jam remissis, & eadem confitendi.

Quæst. III. *An contritio est necessaria?*

Resp. 1. Contritio formalis, vel virtualis sufficiens ad remissionem peccati mortalis est necessaria necessitate medii ad salutem. *Prob. 1.* Ex Luc. c. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis,*

omnes similiter peribitis. Et, Act. 3. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* 2. Ex Conc. Trident. Sess. 14. c. 1. & c. 4. Ratio est, quia sine illa, etiam inculpatè omissa, obtineri nequit remissio peccati mortalis, nec proinde salus. Contritio autem sufficiens ad remissionem mortalium est contritio perfecta, vel attritio ex amore Dei inchoato, seu imperfecto cum Sacramento, ut infrà dicam.

Dixi, *vel virtualis*, Quia actus charitatis perfectæ sufficit ad justifiationem, etiam sine dolore formali, & esse potest in eo, qui non cogitat de peccatis; estque pœnitentia virtualis, quia efficaciter ad contritionem movet eum, qui de peccatis cogitat, & habet vim reconciliandi, cum Deo extra Sacramenta.

Resp. 2. Contritio formalis est etiam necessaria necessitate præcepti. Nam 1. extat præceptum speciale divinam eliciendi contritionem formalem; ut constat ex Matth. 4. & Act. 2. *Pœnitentiam agite.* 2. Omnia media ad salutem necessaria, directè & ratione sui à Deo præcipiuntur: sed contritio formalis est medium à Deo constitutum ut necessarium ad reconciliationem cum eo, ut docet Conc. Trident. Sess. 14. c. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* 4. Ratione sui præcepta est lege cujusdam justitiæ ad Deum, ex qua tenemur, quantum in nobis est, resarcire injuriam Deo illatam, modo ex natura rei convenienti, & à Deo instituto, qualis est dolor, & propositum efficax. Hinc peccator, qui elicuit actum charitatis perfectæ, tenetur adhuc contritionem formalem elicere; & omissio contritionis præceptæ est speciale peccatum contra virtutem Pœnitentiæ.

Observa. Contritio, quæ necessaria est necessitate tum medii, tum præcepti, debet reconciliare peccatorem cum Deo: ac proinde est Contritio perfecta extra Sacramentum, & saltem attritio conjuncta cum amore Dei imperfecto, seu amore spei, & Sacramento. Nam contritio non exigitur nisi ad placandum Deum, ad divinam injuriam, quantum fieri potest, compensandam, & ad reconciliandum hominem cum Deo.

Quæst. IV. *Quandonam præceptum contritionis obligat?*

Resp. Tenemur jure divino, & naturali ad non differendam saltem notabiliter contritionem sufficientem ad justificationem post mortale admissum, ita ut notabilis ejus dilatio sit novum peccatum mortale. *Prob.* 1. Ex Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Item Christus, Matth. 24. & 25. Marc. 13. Luc. 12. jubet nos semper vigilare, & paratos esse ad mortem. Sed hoc præceptum violat, qui notabili tempore manet in statu peccati; nam non vigilat, nec paratus est. 2. Ex Patribus, qui passim longam Pœnitentiæ dilationem graviter increpant. 3. Notabilis dilatio contritionis, quæ à Deo statuta est ad satisfaciendum ejus offensæ, ejusque amicitiam recipiendam, est graviter injuriosa Deo; nam est violatio juris divini exigentis reparationem injuriæ, Deo illatæ sine notabili mora. Idem quippe jus obligans ad compensationem injuriæ simul obligat ad illam non differendam saltem notabiliter, ut patet in injuriis humanis. Præterea tempore notabili non curare de reconciliatione cum Deo ineunda, & permanere voluntariè in inimicitia Dei, dum ab eo sollicitaris ad redeundum in gratiam,

est

est secundùm æstimationem prudentum virtualiter amicitiam divinam contemnere. 4. Gravis est inordinatio voluntariè notabili tempore sejungi, & habitualiter averti à fine ultimo, ut rem magis ex morali quodam judicio quàm ex subtili disquisitione expendenti facilè patebit. 5. Per talem dilationem peccator exponit se periculo labendi in novum peccatum: nam ex communi Patrum, & Doctorum doctrina, homo non potest diu in peccato mortali versari, quin iterum in novum mortale incidat. *Peccatum quod Pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit*, ait S. Gregorius, l. 23. mor. c. 9. Hinc illud, Eccli. 3. *Peccator adjiciet ad peccandum.* Et verò (ut ait Delugo) hæc est voluntatis natura, ut quisque operetur juxta id, quod amat, & intendit, nec diu eligere possit media difficilia ad finem alium, quem minùs amat.

Quare notabilis dilatio contritionis est peccatum mortale contra virtutem Pœnitentiæ, & contra charitatem, vetantem contemptum quemlibet divinæ amicitiæ. Quænam autem dilatio hìc notabilis censeatur, ut sufficiat ad mortale, ex morali judicio æstimandum est, opportunitate, periculis, tentationibus, & aliis circumstantiis spectatis.

Cæterum secundùm omnes contritionis præceptum obligat per se in quovis probabili periculo mortis: quia cùm post mortem observari nequeat, homo se committeret periculo illud non observandi. Per accidens verò obligat quoties quis Sacramentum aliquod vult ministrare, vel suscipere, quia ex virtute religionis tenetur sancta sanctè tractare, & proinde sibi comparare statum gratiæ. Item quando necessaria judicatur ad superandam tentationem, vel avertendam calamitatem publicam.

Resp. 2. Quisque tenetur lege naturali divina elicere contritionem perfectam in articulo mortis. *Ita communius.* Quia recta ratio dictat in negotio salutis æternæ, eo tempore, quo exacto, defectus fit irreparabilis, adhibendam esse viam tutiorem, & omnem securitatem moraliter possibilem, qualis est omni adulto contritio perfecta: nam nemo certò scit se immunem esse ab omni mortali, nec se, liberandum esse per contritionem imperfectam cum Sacramento: quia potest tibi deesse baptismus, sine quo nemo est capax alterius Sacramenti; posset confessarius non esse ritè ordinatus, caruisse intentione necessaria, &c. Nec satis est elicere amorem Dei perfectum, dum occurrunt animo peccata; nam tunc ex præcepto elici debet contritio formalis, ut dixi.

Quæst. V. *An ad remissionem venialium, etiam in justo, requiratur aliqua pœnitentia seu displicentia, ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis?*

Resp. Affirm. Ita communiter cum S. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 1. Prob. 1. ex Script. quæ asserit indistinctè, & generaliter contritionem esse necessariam ad remissionem peccatorum. 2. Ex Sanct. August. epist. 48. *Nec quemquam putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire.* Et, Serm. 1. in Psal. 58. *Iniquitas omnis parva magnave sit, puniatur necesse est aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante: nam & quem pœnitet, punit seipsum . . . . . Non potest impunitum relinqui peccatum.* 3. Sapientiæ & justitiæ divinæ planè convenit, ut omnis Dei offensa propria voluntate admissa, sine retractatione ac displicentia saltem virtuali non remittatur.

Ergo

Ergo rectè creditur Deus, qui connaturalem rerum exigentiam ac convenientiam semper servat, statuisse ut peccata etiam venialia non condonarentur sine aliqua eorum Pœnitentia saltem virtuali; quæ consistit in actu supernaturali virtutis alicujus, vi cujus displiceret illud peccatum, si memoriæ occurreret.

Quæst. VI. *Quænam contritio requiritur & sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ?*

Resp. 1. Ad valorem & effectum Sacramenti requiritur contritio formalis, interna, supernaturalis, universalis respectu mortalium, efficax, & appretiativè summa. Itaque debet esse. 1. Formalis, qualis generatim descripta est, nempe quæ sit animi dolor ac detestatio formalis de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero, ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. Nam contritio est pars necessaria Sacramenti, ex Canon. 4. Item saltem in praxi requiritur, præter dolorem, etiam propositum formale & expressum: nam non est certum sufficere virtuale; imò Concilium Florentinum explicando contritionem requisitam, expresse commemorat dolorem & propositum, & illa tanquam duo requirit. Et à Concilio Tridentino contritio definitur, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* At definitur per partes essentiales, alioqui dolor & detestatio non essent etiam partes essentiales: nam Concil. tam requirit simpliciter propositum, & particula *cum* significat conjunctionem &c. Hinc non sufficit perfecta dilectio, quia non est contritio formalis, sed solùm virtualis.

2. Interna, ex Joël. 2. *Scindite corda vestra:* nam est animi dolor; alioqui non esset contritio, sed merum simulacrum contritionis, quo Deus, qui intuetur cor, decipi non potest. At non necesse est, ut contritio sit sensibilis: nam ex Concil. Tridentin. est animi dolor. Animus autem mentem & voluntatem, non appetitum sensitivum significat. Sæpè tamen sensibilis est, quia sæpè ex ea oritur motus appetitus sensitivi.

3. Supernaturalis, hoc est, facta ex motivo supernaturali per auxilium gratiæ. Ex Concil. Trident. Sess. 6. Canon. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritu sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Et verò dispositio debet esse proportionata formæ, & ejusdem ordinis cum illa: forma autem, nempe gratia sanctificans, est supernaturalis: ergo contritio, quæ est dispositio ad illam, debet quoque esse supernaturalis. Quare peccator humilibus ac crebris precibus contritionis gratiam à Deo per Christi merita petat his verbis, Jerem. 31. *Converte me & convertar: quia tu Dominus Deus meus.*

4. Universalis, ita ut dolor se extendat ad omnia mortalia admissa, & adsit propositum omnia omnino mortalia in posterum vitandi, propter motivum omnibus etiam oblitis commune, ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet.* Nam unum mortale non potest remitti sine omnibus aliis, cùm per quodlibet avertamur à Deo, & nullum remittatur sine infusione gratiæ sancti-

ctificantis, quæ est incompossibilis cum omni mortali. Ergo ut contritio valeat ad remissionem mortalium, debet valere ad remissionem omnium. Non potest autem valere ad remissionem omnium mortalium, nisi virtualiter saltem, & implicitè ad omnia se extendat, per rationem omnibus communem, ut patet. Hinc Conc. gener. Lateran. II. c. 22. ait: *Falsam pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est, (Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus) scilicet quantum ad vitam æternam: sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit, &c.*

5. Efficax & absoluta, ita ut excludat omnem affectum ad quodvis mortale, & contineat propositum firmum servandi omnia mandata, & adhibendi omnia media ad fugam peccati, & mandatorum observationem necessaria, cujusmodi sunt destructio causarum peccati; fuga occasionis proximæ, cupiditatum ac sensuum mortificatio, oratio crebra, &c. Nam Concil. Tridentin. sess. 12. cap. 4. requirit propositum non peccandi de cætero, hoc est, nunquam peccandi, ideoque semper servandi omnia mandata saltem graviter obligantia. Præterea vera Pœnitentia, seu contritio est vera conversio cordis ad Deum, quæ non potest esse sine odio efficaci peccati, & amore efficaci justitiæ, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. *Declarat S. Synodus hanc contritionem* (necessariam quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum) *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere,* juxta illud, Ezech. 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Certè contritio, quæ cor novum & spiritum novum facere debet, est maximè efficax.

Ad efficaciam contritionis pertinet etiam voluntas faciendi quidquid Deus requirit ad destructionem peccati, nempe confitendi, satisfaciendi, &c.

6. Appretiativè summa, ita ut homo oderit ac detestetur peccatum supra omnia alia mala, sitque paratus omni bono carere, quodvis malum pati, potiùs quàm peccare mortaliter, & Dei amicitiam rebus omnibus præferat. Nam contritio necessaria ad justificationem, est conversio ad Deum ex toto corde, totalitate appretiationis, juxta illud, Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et, Deut. 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ.* Enim verò sicut Deus est summum bonum, ideoque supra omnia diligendus: ita peccatum, quod est Dei offensa, & ejus amicitia, ac possessione privat hominem, est summum malum, ideoque summè detestandum ac vitandum.

7. Ut sit cum spe veniæ conjuncta. *Vide* Concil. Trident.

Porrò contritio debet esse talis reipsa & non solùm opinione. Nam, ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4. est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Sed pars Sacramenti, realis & veri, debet esse vera & realis, & non tantùm existimata; nostra enim existimatio nihil ponit in re. Cùm ergo res esse nequeat sine omnibus suis partibus essentialibus veris, nec etiam Pœni-

Pœnitentiæ Sacramentum poteſt eſſe ſine aliqua contritione vera, qualis à Deo requiritur.

Reſp. 2. Ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur inſuper, ut talis contritio includat aliquem Dei amorem, non tamen qui extra Sacramentum juſtificet. *Prob.* 1. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi agens de diſpoſitionibus ad juſtificationem in Baptiſmo requiſitis, ſic ait: *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Quantò magis talis amor requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ex Concil. Trident. eſt laborioſus Baptismus? 2. Authoritate Cleri Gallicani, ann. 1700. ita docentis. *Et quidem de dilectione Dei, ſicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus, hæc duo imprimis ex S. Synodo Tridentina, monenda & docenda eſſe ducimus. Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem eam, quæ ſit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus, non incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem. Neque verò ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento neceſſarium vitæ novæ inchoande ac ſervandi mandata divina propoſitum, ſi pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec ſit ſaltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, ſeſe excitet ac provocet.* 3. Quia ex Script. Patribus, & Concil. Trident. ad juſtificationem omnem adulti requiritur vera converſio ad Deum: vera autem converſio ad Deum includit aliquem Dei amorem. 4. Homo per peccatum mortale avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, ponendo in ea ſuam beatitudinem ſeu ſuum finem ultimum. Ergo ut ſe ad Deum verè convertat, & peccati remiſſionem obtineat, debet non ſolùm averti à creatura, ſed etiam converti ad Deum, ipſum ſuper omnia amando, ſaltem ut ſuum ſummum bonum, & ſuam beatitudinem. Præterea homo non poteſt eſſe ita diſpoſitus, ut nullum bonum appetat, & amet, in quo ultimò conquieſcat & ſuam beatitudinem ponat. Ergo ſi jam non amat, nec expedit bonum creatum, in quo ultimò conquieſcat & beatitudinem ſuam ponat, ut exigit vera converſio ſecundùm omnes, neceſſe eſt, ut in Deo tanquam fine ultimo ſuam beatitudinem ponat, ideoque Deum ſuum ſummum bonum ſuper omnia amet. 5. Diſpoſitio ad reconciliationem in Sacramento requiſita, debet eſſe medium huic obtinendæ accommodatum, quod non præſupponat neneceſſariò effectum Sacramenti. Sed talis eſt attritio cum aliquo Dei amore appretiativè ſummo, qui non ſit charitas perfecta, cùm hæc ſola reconciliet extra Sacramentum. 6. Ubi agitur de valore Sacramenti, non licet ſequi opinionem probabilem tantùm, relicta tuiore. At ſententia aſſerens neceſſitatem amoris Dei non per ſe juſtificativi, eſt ſaltem tutior, ut patet; & negans non eſt certa, ut conſtat tum ex dictis, tum quia Alexander VII. æque vetuit utramque cenſura notari; impugnaturque à multis. Ergo in praxi non licet opinionem negantem ſequi.

Porrò amor ille ſpei, ſeu concupiſcentiæ neceſſitate quadam naturali conjunctus eſt, cum aliquo benevolentiæ affectu & amore erga Deum propter ſe, quamvis non appretiativè ſummo ex motivo charitatis: nam Deus amari ſuper omnia non poteſt ut ſummum noſtrum bonum, ſeu ut nobis ſummè bonus, quin etiam aliquatenus ametur propter ſe, ſeu ut eſt in ſe bonus, licèt non ſuper omnia ex hoc motivo, ſed præcisè ex motivo ſpei, ſeu concupiſcentiæ. (*a*)

Reſp. 3. Contritio neceſſariò debet elici ante abſolutionem: alioqui abſolutio, quæ eſt forma, non applicaretur materiæ eſſentiali, quæ ſunt contritio, & confeſſio; & ſic Sacramentum nullum eſſet, & abſolutio inanis: nam ſine pœnitentia non remittuntur peccata. Imò monendi ſunt pœnitentes, ut contritionem confeſſioni ſemper præmittant: tum quia alioqui periculum eſſet, ne ante abſolutionem non eliceretur: tum quia ſecundùm aliquos confeſſio manare debet ex contritio-

---

(*a*) Circa controverſiam de Attritione, vel Contritione confeſſioni præmittenda lege cap. 13. libri VII. laudati Operis de Synodo Diœceſana, ubi hujuſce quæſtionis hiſtoria luculenter deſcribitur, eaque præmiſſa, concluditur. „ Cum itaque verſemur in quæſtione, ab Eccleſia hactenus non definita, jure ac merito Alexander VII. die 5. Maji 1667 ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, præcipit: *Cunctis, & ſingulis Fidelibus . . . ut ſi deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cæterosque erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuria, aut contumeliæ nota, taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec à S. Sede fuerit aliquid, hac in re definitum.* Caveant proinde Epiſcopi, ne in ſuis Synodis, aut in inſtructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritionis mere ſervilis ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficientia, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub Judice lis eſt: adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur. Paucis ante annis Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 3. in 3 part. D. Thomæ quæſt.* 4. *de Contritione, dub.* 4. §. 1. ſententiam propugnavit non requirentem in Pœnitente amorem Dei, ne initialem quidem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ aſſequendam: Hac ipſa in Urbe, opera, & cura P. Caroli Jacobi Romilli, Ord. Min. Convent. Generalis Magiſtri, typis recuſum eſt opus Claudii Fraſſen inſcriptum: *Scotus Academicus*: cujus Auctor *tom.* 10. *pag.* 563. ſtrenue defendit Attritionem ex ſolo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiſcentiæ, ſeu affectu ſpei, conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra verò Cardinalis Denhoff. Epiſcobus Ceſenatenſis *in ſua inſtructione Paſtorali, de Pœnit, Sacram. pag.* 33. aliqualem amorem in Attritione requirit, ut ſit ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia: Franciſcus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit diſſertationem Theologico Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur *Mortuorum*: & laudatus Petrus Lambertus le Drou, Epiſcopus Prophyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet diſſertationem, à Bartholomæo Rivio, ejuſdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia Attritionis, omnis Charitatis expertis, ad valide, & cum fructu recipiendum Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradictorem ſe præbuit, aliiſque editis diſſertationibus, ſan. mem. Clementi XI nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit „ ad

tritione, ut sit accusatio dolorosa, aliàs futura mera peccatorum historica narratio; & ut reddat contritionem sensibilem. Unde monent pœnitentem qui sine contritione fuisset, debere post contritionem elicitam dicere: Ego me accuso de peccatis declaratis; vel confessario quærenti, an non se iterum accuset de peccatis illis, respondere, Ita. Nam ubi agitur de Sacramentorum valore, tenemur sequi partem tutiorem, quamvis esset minùs probabilis. Ob hanc rationem in praxi elici debet contritio ex intentione confessionis, vel absolutionis; & qui nihil cogitans de confessione contritionem elicuit, debet aliam denuò elicere. Quia hoc est tutius, probabile est id requiri: ut aliqui docent: tum quia pars debet referri ad compartem, & illi moraliter uniri, ut totum cum illa constituat: tum quia contritio sine relatione ad Sacramentum non esset actio Sacramentalis. Et quamvis fortè contrarium, quod docet Delugo, esset probabilius, tamen non est omnino certum.

Nota. In praxi requiritur nova contritio, quoties datur nova absolutio: quia oppositum non est omnino certum, & nova forma exigit novam materiam proximam. Quare si quis statim post absolutionem recordans mortale, illud addat, debet ante novam absolutionem renovare contritionem.

Resp. 4. Attritio concepta ex metu gehennæ includens amorem Dei appretiativè summum, etsi non perfectum, cum spe veniæ, sufficit absolutè ad justificationem in Sacramento impetrandam, si habeat alias conditiones suprà requisitas.

Prob. Quia non requiritur contritio charitate perfecta, quæ semper justificat extra Sacramentum: nam si requireretur, Sacramentum pœnitentiæ in re susceptum, nunquam peccatores reconciliaret; imò nec reconciliare posset, sed semper reconciliatos exigeret; cùm contritio perfecta semper reconciliet. At absurdum est, quòd Sacramentum in re *pro fidelibus Deo reconciliandis à Christo institutum*, qualis est Pœnitentia, ex Conc. Trid. sess. 14. can. 1. nunquam reconciliare possit, sed semper exigat & supponat jam reconciliatos.

„ ad prædictam opinionem refellendam, „ contendens, Attritionem mere servilem, „ ne à Sacramento quidem vires sortiri, „ quibus valeat hominem proximè dispo„ nere, ad Dei gratiam, vel primò ob„ tinendam, vel amissam recuperandam. „ Hinc recte intulit Berti *Theolog. tom* 7. „ *lib.* 34. *cap.* 5. nihil hactenus à Sede Apo„ stolica de hac quæstione decisum, sed li„ bertatem cuique datam, ex præfatis „ opinionibus eam eligendi, & docendi, „ quam maluerit.

„ Sed non ideo prohibentur Episcopi „ Confessarios monere, ut Pœnitentes ad „ veram, & perfectam Contritionem hor„ tentur & excitent: id siquidem faciendum „ fundent, etiam præcipui Auctores, qui „ pro sufficientia doloris, ex solo metu ge„ hennæ, steterunt, uti Suarez, Gama„ chæus, Comitolus, quorum testimonia „ suprà retulimus. Et quod magis est, ita „ fieri præcipit Rituale Romanum, jussu „ Pauli V. editum, Confessario injungens, „ ut audita Pœnitentis Sacramentali Confes„ sione, ejusque peccatis diligenter expen„ sis, *Opportunas correptiones, ac moni*„ *tiones, prout opus esse viderit, paterna cha*„ *ritate adhibeat, & ad dolorem, & Con*„ *tritionem efficacibus verbis adducere cone*„ *tur*, cui consonat Rituale Argentinense, „ editum à Cardinali de Rhoan. *tit. de Pœnit.* „ §. 1. ubi hæc habentur: *Cæterum Pœni*„ *tentes suos admonere non cessent Confessarii*, „ *ne se putent securos in Sacramenti Pœni*„ *tentiæ perceptione, si præter Fidei. & Spei* „ *actus, non incipiant diligere Deum: tan*„ *quam omnis justitiæ fontem, ut loquitur sa*„ *crosancta Tridentina Synodus.*

ciliatos. Nam absurdum est instituere medium ad aliquem finem obtinendum, quod semper necessario præsupponat jam consecutionem finis. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum nisi vivorum.

Cæterum quoad praxim, pœnitentes semper adducendi sunt ad eliciendam contritionem perfectam: tum quia est actus Deo gratior & pœnitenti utilior, & qui supplebit defectus, qui possent esse ex parte ministri, vel sui, ut si non esset verè baptizatus, tum quia actus charitatis sæpissimè in vita ex præcepto eliciendus est.

Quæst. VII. *An est mortale confiteri sola venialia sine contritione formali & efficaci saltem de aliquo?*

Resp. Affirm. *Ita communiter.* Quia tunc redditur forma nulla, & Sacramentum nullum ac sine effectu, defectu materiæ essentialis. Contritio enim vera & efficax est pars materialis & essentialis Sacramenti. Est autem grave sacrilegium reddere voluntariè Sacramentum nullum & sine effectu; & gravis irreverentia facere ut verba Christi ab eo instituta & ejus nomine debitè prolata, qualia sunt verba formæ, applicentur frustra & quasi irrisoriè. Non est tamen mortale non habere contritionem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur, modò habeatur de aliquo: quia id non est necesse ad valorem & effectum Sacramenti, cùm unum veniale possit remitti sine alio, & gratia sanctificans possit subsistere cum venialibus. Nec tunc gravis irreverentia infertur Sacramento, cùm aliunde ponatur materia valida; quamvis sit aliqua irreverentia, & mendacium confiteri aliquod veniale, de quo non doleas: nam, ut ait Suarez, confitens peccatum, hoc ipso exercitè dicit se dolere de eo, & velle ab eo absolvi.

ARTICULUS II.

De Confessione.

N*Ota.* Confessio Sacramentalis est propriorum peccatorum accusatio, facta Sacerdoti legitimo judici, ad eorum remissionem virtute clavium Ecclesiæ obtinendam. Ejus dotes sexdecim recensentur his versibus:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nudá & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata,

Quæst. I. *An jure divino præcepta sit confessio Sacramentalis omnium & singulorum mortalium post baptismum commissorum?*

Resp. Affirm. Fide constat, 1. Ex Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis Christus confert Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus judiciariam potestatem remittendi peccata, & illa retinendi, exercendam rectè & prudenter. At hæc potestas non potest rectè & prudenter exerceri, nisi audita priùs causa per confessionem; nec possent peccata retineri absolutè, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio. Unde præceptum divinum confessionis includitur in ipsa Sacramenti institutione. 2. Ex perpetua traditione. 3. Ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. *Universa Ecclesia semper intellixet institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, &c.* Immo confessio illa est necessaria necessitate medii in re vel in voto,

qua-

quatenus eſt pars Sacramenti ſic neceſſarii.

Quæſt. II. *Quandonam hoc præceptum obligat?*

Reſp. Obligat per ſe, 1. In quovis mortis periculo, ut gravi morbo, difficili partu, navigatione periculoſa, inſtante conflictu, &c. Concil. Mediol. V. ſub. S. Carolo. Nam alioqui homo ſe committeret periculo nunquam ſervandi tale præceptum. Præterea in mortis periculo adhiberi debent media omnia ad ſalutem neceſſaria, qualis eſt confeſſio poſt lapſum in mortalem culpam. 2. Etiam ſæpè per vitam extra mortis periculum: tum quia peccator per ſe & independenter à mortis periculo tenetur ad Pœnitentiam ſecundùm leges à Deo inſtitútas: tum quia Sacramentum Pœnitentiæ à Deo inſtitutum eſt non ſolùm ad remittendum peccata comiſſa; ſed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Chriſtus voluit, ut peccatores illud ſæpiùs in vita reciperent. Præterea qui præcipit aliquid, nec determinat tempus, vult illud non differri nimis diu, nec exſpectari tempus extremum.

Obligat verò per accidens, ſeu ratione alterius præcepti. 1. Quoties Euchariſtia ſumenda eſt. 2. Quando eſt medium neceſſarium moraliter ad ſuperandam tentationem aliquam, vel ad vitanda nova peccata.

Sed an obligat ſtatim poſt mortale admiſſum, data videlicet prima opportunitate?

Reſp. Plurimi negant, quia Eccleſia, quæ determinavit præceptum divinum confitendi, obligat tantùm ad confeſſionem annuam: & aliàs obligando tantùm adſemel per añum confitendum; dediſſet occaſionem transgrediendi præceptum divinum. Quare volunt poſſe exſpectari tempus comunionis paſchalis. *Differre confeſſionem uſque ad hoc tempus* (Paſchæ) *per ſe loquendo licitum, eſt: ſed per accidens poteſt fieri illicitum, putà ſi immineat aliquis articulus, in quo confeſſio requiratur,* ait S. Thom. quodlib. 1. art. 11. & Sylvius id confirmat: quia, inquit, catechumeni non tenentur ad ſtatim ſuſcipiendum baptismum. Imò Eccleſia olim vetuit, ne unquam adulti extra caſum neceſſitatis urgentis baptizarentur, niſi in vigilia Paſchæ, vel Pentecoſtes.

Alii cum S. Bonav. in 4. diſt. 17. q. 2. a. 2. docent hoc præceptum obligare, quando opportunè poteſt impleri moraliter loquendo & major opportunitas temporis, loci, & Sacerdotis ad confitendum exſpectari prudenter non poteſt. 1. Quia præcepta affirmativa, quæ per ſe ſæpè obligant in vita, obligant ſaltem pro temporibus ex prudenti judicio determinandis. At obligatio præcepti confitendi determinatur prudenter ad tempus, quo opportunè impleri poteſt, & major opportunitas exſpectari nequit. 2. Pœnitentiæ Sacramentum eſt remedium ad peccata tollenda & præcavenda à Chriſto inſtitutum ac præceptum. Prudentia autem dictat remedia, quæ aliquando neceſſaria ſunt, adhibenda eſſe tum cùm adhiberi opportuniùs nequeunt. Dicunt autem Eccleſiam non intendiſſe determinare adæquatè omne tempus, quo præceptum divinum obligat per ſe, nec dare licentiam differendi, ſed ſolùm prohibere negligentiam & dilationem ultra annum, & ideò addidiſſe in ſuo præcepto, *ſaltem* ſemel in anno: ſicut etiam cùm prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione maneat non dat licentiam in illo toto anno permanendi.

Quæſt. III. *An ex præcepto divino teneamur confiteri mortalium numerum, ſpecies, & circumſtantias?*

Nota. Circumſtantia moralis eſt affectio, ſeu conditio actus humani, ad ejus bonitatem vel malitiam conducens.

ducens. Circumstantiæ septem recensentur hoc versu:

Quis, quid ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Aliæ mutant speciem, hoc est, dant actui novam speciem peccati: ut si percutiatur clericus, circumstantia personæ addit injustitiæ peccato malitiam sacrilegii, ob oppositionem cum religione. Huc etiam pertinent circumstantiæ, quæ efficiunt peccatum mortale, quod alioqui fieret veniale, ut circumstantia patris in contumelia, quæ in alium illata censeretur levis culpa; item quantitas materiæ. Nam mortale & veniale sunt diversæ speciei Theologicæ, etiamsi sint ejusdem speciei moralis, ut grave & leve furtum. Aliæ verò non mutant speciem, sed peccatum intra eandem speciem notabiliter aggravant, vel minuunt, ut major, vel minor quantitas moralis, duratio, intentio, &c. Aliæ demum multiplicant peccatum intra eandem speciem, ut numerus personarum, quas læseris, &c.

Porrò circumstantia mutat speciem, cùm propter illam actus habet disconvenientiam cum natura rationali & lege divina notabiliter diversam, vel oppositionem cum diversis specie præceptis, aut virtutibus, vel modum oppositionis cum eadem virtute notabiliter diversam.

Resp. 1. Pœnitens jure divino tenetur confiteri distinctè omnia & singula mortalia, quoad numerum, species, & circumstantias peccati speciem mutantes, prout sunt in conscientia. Fide constat ex Concil. Tridentin. Seff. 14. cap. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant . . . . Anathema sit.*

Dixi *species.* Nam ex loco citato omnia & singula mortalia exprimi debent. Tò *omnia* indicat species, & tò *singula* numerum. Item circumstantiæ speciem mutantes declarandæ sunt; ergo à fortiori ipsæ species, propter quas illæ declarari debent. Ratio est, quia peccatum aperiendum est ob malitiam; ergo distinctæ specie malitiæ, etiam distinctè declarari debent.

Nota. Qui non potest determinare præcisè numerum suorum peccatorum, tenetur exprimere eorum numerum cum aliqua latitudine verisimiliore, dicendo, v. gr. Commisi hoc peccatum decies, plùs, minùs. Quòd si propter lapsuum multitudinem nequidem possit sic numerum exprimere, interrogandus est, ex quo tempore talem consuetudinem habuerit, & quoties circiter per diem, vel hebdomadam, vel mensem consueverit talem culpam admittere; ut sic, quantùm fieri potest, numerus peccatorum confessario innotescat: an non etiam aliquo tempore frequentiùs, alio rariùs illam commiserit. Qui verò aliquandiu in aliqua mala voluntate, v. gr. hominem occidendi remansit, tenetur exprimere, quantùm moraliter fieri potest, numerum actuum intra illud tempus iteratorum; nec satisfacit dicendo: habitualiter perseveravi per mensem in voluntate occidendi, fornicandi. Quare confessor ab eo quærere debet, an & quoties singulis diebus, hebdomadis, malam illam voluntatem iteravit, & quæsierit modum illam exequendi.

Resp. 2. Numerus personarum, quæ sunt objectum peccati, & quantitas materiæ, debent in confessione exprimi. Quia sunt aliquid se tenens, ex parte objecti peccati, & ad illud per-

pertinens, & constituens actum in suo esse individuali: ideoque aperiri debet ut cognoscatur substantia actus individua: nec peccatum potest sufficienter exprimi, non expresso toto objecto. Imò numerus personarum multiplicat numerum peccatorum. Hinc declarandus est numerus personarum, quas uno actu oderis, uno actu læseris, aut occideris, vel quibus uno facto, aut dicto scandalum præbueris, vel de quibus, aut coram quibus uno sermone detraxeris, &c.

Resp. 3. Pœnitens tenetur etiam declarare circumstantias, quæ intra eandem speciem aggravant notabiliter peccatum, seu malitiam mortalem illi addunt. Suarez, Sanchez, & alii communiùs. *Prob.* 1. Ex cap. *Considerct*, de pœnit. dist. 1. & ex Catechismo Romano, & ex S. Carolo, in Instruct. Confess. 2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem ut constat ex multis Pœnitentialibus, Ritualibus tum antiquis, tum recentioribus. Non reservantur autem, nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis. 3. Quia rationes, qurs affert Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. pro Obligatione confitendi circumstantias speciem mutantes, nimirum *quod sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere:* valent etiam pro circumstantiis aggravantibus; unde Concil. Trid. implicitè & virtualiter docet illas aperiri debere. Nam sine his neque peccatum integrè exponitur, nec innotescit Sacerdoti, cùm supprimatur malitia mortalis, quam illæ addunt, & per quam peccatum fit virtualiter ac æquivalenter duplex numero, vel triplex. Neque etiam Sacerdos potest sine illis rectè censere de peccatorum gravitate, nec pœnam proportionatam imponere, cùm non cognoscat gravitatem malitiæ mortalem, quam peccatum habet ex circumstantia, ob quam est multò majori pœna dignum; & quæ notabiliter variat judicium confessoris. Igitur rectitudo & æquitas judicii illius à Christo requisita, circumstantiæ aggravantis confessionem exigit. 4. Ex Conc. Trid. can. 7. omnia & singula mortalia etiam intra eamdem speciem declaranda sunt. At circumstantiæ moraliter aggravantes sunt multa peccata virtualiter & æquivalenter, sive actus cum sua circumstantia moraliter aggravante est multiplex virtualiter peccatum intra eamdem speciem: nam circumstantia moraliter aggravans, addit actui gradum malitiæ mortalis. In moribus autem multiplicitas virtualis & physica perinde se habent.

Ratio autem horum à priori est voluntas Christi instituentis hoc peccatorum remedium per modum judicii primariò reconciliativi ac sanativi, & secundariò punitivi, cujus rectum exercitium ejusmodi confessionem exigit.

Dices. Si hoc ita esset, Conc. Trid. id definiisset expressè.

Resp. Neg. Quia Concilium voluit solùm damnare expresè errores hæreticorum, contra quos ejus doctrina est accurata. Sed in illorum damnatione multa docuit, ex quibus colligitur quid sit sentiendum circa quæstiones inter catholicos controversas, licèt eas expresse definire noluerit.

Nota. Pœnitens debet etiam declarare circumstantias necessarias ad cognoscendum suum statum, suam dispositionem & necessitatem spiritualem, ut si sit implicatus consuetudine pec-

peccandi, vel in occasione peccati versetur. Nam hæc cognitio necessaria est confessario, medico ejus spirituali, ut remedia apta suggerat.

Resp. Pœnitens tenetur etiam declarare circumstantias notabiliter minuentes gravitatem peccati, sive efficiant, ne peccatum sit mortale, sive ne mortale habeat novam malitiam mortalem: quia alioqui confessor deciperetur in re gravi, & non posset rectè judicare de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ.

Nota. Peccata debent sic aperiri, ut confessor ea intelligat: nam ex Conc. Trid. Deus jubet peccata declarari eo modo, quo Sacerdos possit de iis rectè judicare, & satisfactionem convenientem, ac remedia opportuna præscribere. Et sic præcipitur confessio, quæ à Sacerdote distinctè intelligatur: aliàs inanis esset. Quare si intelligas confessorem ob distractionem, vel surditatem, vel quamlibet aliam causam, non percepisse aliqua peccata prout illa nosti, teneris illa repetere. Quòd si nescias quænam sint illa, debes confessionem totam repetere, cùm de singulis prudenter possis dubitare.

Quæst. IV. *An actus externus exprimi debeat?*

Resp. Affirm. Prob. 1. Ex communi sensu Doctorum, & praxi fidelium. 2. Actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum, & unum peccatum totale, & reipsa prohibetur per legem. Christus autem voluit explicari totum peccatum, completum in genere moris. 3. Sine confessione actus externi, non satis declaratur actus externi efficacia, intentio, extensio, du ratio, nec proinde tota ejus gravitas innotescit. 4. Nisi declaretur actus externus, Sacerdos non potest, ut par est, fungi officio suo. Nam non satis cognosceret statum pœnitentis, quæ remedia danda, quæ satisfactiones, vel obligationes imponendæ essent: actus enim externus obnoxius est censuris, irregularitati, & variis obligationibus, quibus immunis est actus merè internus. 5. Actus externus scandalum parit, non internus. 6. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Quæst. V. *An exprimi debeat effectus malus, qui ex actu externo secutus est?*

Resp. Affirm. Quia talis effectus sequitur ex actu externo liberè posito, & meritò imputatur ad culpam ei, qui causam liberè posuit, & in qua fuit prævisus, vel prævideri potuit. Præterea pertinet quodammodo ad objectum peccati, estque liber & malus à libertate & malitia voluntatis, à qua procedit. Adde, quod ejus declaratio sæpè necessaria est, ut confessor cognoscat statum pœnitentis, & an contraxerit aliquam censuram, vel irregularitatem, vel obligationem restituendi, &c. Hinc qui propinavit alteri venenum, ex quo mors secuta est, tenetur declarare mortem inde secutam esse.

Quæst. V. *An pœnitens aliquando tenetur detegere in confessione complicem?*

Nota. Constat id non licere, si pœnitens possit aliter peccatum suum sufficienter exprimere; vel sine gravi incommodo possit adire confessarium cui complex sit ignotus; vel peccatum aliàs sit rite confessus; & tunc faciat confessionem generalem: quia in his casibus sine justa causa proximum infama-

famaret, quod nunquam licet. Quare confeſſor tenetur prohibere pœnitentem, quem animadvertit ad id paratum eſſe, & arguere cùm revelat peccatum alterius ſine juſta cauſa. Item pœnitens debet per aliquod tempus, ſi commodè poteſt, differre confeſſionem, ut habeat alium confeſſarium, cui complex ſit ignotus, niſi urgeat præceptum confitendi, vel communicandi. Non tamen tenetur differre per longum tempus, præſertim ſi ſit in peccato mortali, vel ſi omiſſio cum aliqua nota foret, vel interruptio communionis ei gravis eſſet: quæ dilatio ex prudenti judicio definienda eſt.

Reſp. Pœnitens tenetur manifeſtare complicem, ſeu ſocium criminis, dum aliter non poteſt peccati proprii ſpeciem, vel gravitatem mortalem aperire, nec poteſt differre commodè confeſſionem, nec adire confeſſarium, cui complex ignotus ſit. *Ita S. Bernard. de forma honeſtæ vitæ, SS. Thom. Bonav. & Antonin. Suarez, Vasquez, & alii.* Quia 1. Ex Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 1. Chriſtus integram peccatorum confeſſionem ſecundùm ſuas ſpecies, & totam ſuam gravitatem mortalem univerſaliter præcepit. Ergo ad eam tenetur pœnitens, non obſtante infamia ſive propria, ſive alterius, quæ per ſe apud eundem confeſſorem ſequitur ex confeſſione neceſſaria: nam qui vult aliquid, illud vult etiam non obſtante incommodo, quod per ſe ex eo ſequitur, vel ei conjunctum eſt. Et verò pœnitens ad integritatem illam tenetur cum propria infamia: ergo & cum infamia alterius, cùm ejus peccati declaratio neceſſaria eſt ad integrè proprium confitendum; nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem ut ſeipſum infamet, quàm ad obligandum ut alterius crimen aperiat; aliquando enim poſſum patefacere crimen alienum ad vitandum aliquod malum meum temporale injuſtum, licet ideò non obliger ad crimen meum detegendum.

Ratio propter quam ex Conc. Trident. cit. Chriſtus præcepit integram peccatorum confeſſionem, ſcilicet ut Sacerdos poſſit prudenter judicare, punire, curare, &c. non minus probat integritatem confeſſionis fieri debere cum notitia complicis ad hos fines neceſſaria, quàm cum propria infamia pœnitentis. Præterea inter chriſtianos complex ſuo facto tacitè renunciat juri, quod habet ad ſervandam famam, ſciens neceſſitatem confitendi peccata.

Hinc pœnitens qui cum unica ſorore nota confeſſario commiſit inceſtum, tenetur confiteri inceſtum in tali gradu.

In eadem hypotheſi pœnitens tenetur detegere perſonam, quæ fuit objectum peccati, licèt inculpabiliter, ex quo tamen in illa redundat aliqua infamia apud confeſſarium, ut ſi quis ſorori quamvis omnino invitæ & reluctanti ſtuprum intuliſſet. Nam hic eadem ratio valet; præceptum enim integritatis confeſſionis obligat pœnitentem ad detegendum defectum aliquem occultum proprium infamem, licèt inculpabilem, ſi id neceſſarium ſit ad exprimendum ſufficienter ſuum peccatum, ſi ut occultò illegitimus ſit, & ſine diſpenſatione ſuſceperit Ordines.

Obſerva. Licèt etiam patefacere complicem, quando hoc neceſſe eſt, ut media idonea ſuggerantur pœnitenti, quibus à proxima occaſione peccati liberetur, vel ut pœnitens doceatur, qua ratione ſatisfacere poſſet obligationi juſtitiæ, aut charitatis, qua tenetur avertere grave malum imminens communitati, vel complici, vel alicui tertio. Quia tunc ſubeſt rationabilis cauſa detegendi; & quia alteri aperire peccatum occultum, extra confeſſionem notum non eſt malum, niſi

 dum

dum fit fine justa ac rationabili causa, vel ex intentione illum infamandi. (*a*)

Quæst. VII. *An peccata dubia debeant aperiri in confessione?*

Resp. Affirm. Si dubium sit cum fundamento, sive dubites an mortaliter peccaveris, sive an confessus fueris peccatum, quod certò scis esse mortale.

(*a*) De Sacramento Pœnitentiæ, quod est ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N. BENEDICTI XIV. constitutiones. Prior quæ incipit *Supra omnium Ecclesiarum*, extat in Vol. 1. Bullarii p. 535. altera cujus initium est, *ubi primum* habetur Vol. 2. pag. 54, utramque exposuit, & commentariis illustravit V. C. Ludovicus Antonius Muratori. Ex quo & regulas Confessariis præscriptas, & nonnulla, quæ clare Pontificias Constitutiones declarant, excerpsimus, atque Authori, qui hac in re ob nimiam brevitatem est obscurus, addidimus.

I. Inquirere nomen Pœniteuti non licet, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates, & circumstantias, quæ personam illius detegant sine ulla rationabili causa. Recte respondit quædam mulier de suo nomine interrogata: nomen meum peccatum non est. Ob hujusmodi curiositatem procul dubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet pœnitentibus nomen Complicis revelare: ejus enim est peccata sua, non aliena, accusare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ Proximi sine ulla necessitate detrahit. Num tu æque animo ferres, si quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo præsta erga alios id, quod ab aliis erga te præstitum cupis.

III. Si quis sponte, ex simplicitate tamen, & ignorantia, Complicis nomen in confessione detegit, ut rudibus è vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen est, ut in posterum abstineat.

IV. Quicumque justo aliquo titulo sponte Complicem in confessione revelat, nullum incurrit peccatum. Justus exempli causa titulus est, ut petatur consilium ad disrumpendam pravam aliquam consuetudinem, ad consulendum famæ propriæ, cui minatur insultum Complex, si à peccando desistatur, atque aliæ hujusmodi causæ. Potior est enim tutela conscientiæ, & famæ nostræ, quàm alterius.

V. Nomen Complicis sibi sive per ignorantiam, sive justo titulo revelatum, sub sigillo confessionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps disputatio est, an oblata sponte à pœnitente licentia revelandi Complicis, ea uti Confessarius possit ad correctionem ejusdem Complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot hic diversi casus occurrere possunt, in quibus tam prudenter quàm imprudenter ejusmodi licentia uti Confessarius potest, ut certa statui hic regula nequeat. Sed infra hac de re sermo recurret.

VII. Ad integritatem confessionis licite potest, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de Complice, quum videlicet occurrere possit circumstantia aggravans, & speciem peccati mutans. Neque enim exempli causa sufficit confiteri commissum carnale peccatum, sed simul aperiendum est, an adulterium, aut sacrilegium, aut incestus intercesserit.

VIII. Confessarius in hoc casu interrogans, si nomen quoque, aut domum, aut alia signa exquireret à pœnitente, per quæ sibi persona Complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito satis pœnitens fecit aperiendo circumstantiam peccati, & dum cætera rite concurrant, absolvendus est. Ulterior Confessarii interrogatio ad peccaminosam curiositatem est referenda, neque ad eam respondere pœnitens tenetur; imo ex complurium Theologorum sententia peccaret, si revelaret, ob præceptum non infamandi proximum.

IX. Ubi ex necessitate integritatis confessionis pœnitens animadvertit, fieri non posse, quin Confessarius Complicem cogniturus sit; puta si res fuit cum sorore, aut uxore fratris: tunc ex sententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad querendum, & adeundum alium Confessarium, cui ignotus sit Complex. Verum graves alii Theologi sentiunt, consilium hoc esse, non vero præceptum.

X. Accidere interdum potest, ut adigendus sit pœnitens ad revelandum Complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere possunt, sicuti accideret, si Principis vita periclitaretur, si aqua mortifera Populo propinaretur, aut ex farina, cui gypsum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, si fieri potest, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum consilium Confessarii, qui pro sua prudentia

tale. *Ita Suarez, Sanchez, Delugo, Valent. &c.* Et videtur communis ſententia. *Prob. 1.* Ex ſenſu & praxi fidelium, cujus initium dignoſci nequit: quare ab ipſis Apoſtolis à Chriſto, vel Spiritu ſancto edoctis manavit. 1. Ex ipſa natura Sacramenti per modum Tribunalis inſtituti, in quo cùm

aut per ſe, aut per ipſum pœnitentem remedia conquirat. Niſi revelare velit pœnitens, minime eſt abſolvendus; nam ex lege non minus juſtitiæ, quàm charitatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto ſit publica ſalus. De damno vitando, quod privatæ alicui perſonæ imminere poteſt, non loquor; nam ferè ſemper ſuppreſſis Complicum nominibus, conſilium præbere poteſt Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confeſſarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere à pœnitentibus nomina Complicum abſque juſta neceſſitate velit. Gravius etiam delinquit, ſi ob negatam revelationem abſolvere pœnitentem recuſet. Non enim licet infamiam proximi ex legibus Detractionis inveſtigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla conſtringitur pœnitens; imo, ſi præciſa neceſſitate revelaret, ex multorum ſententia reum ſe peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, ſi revelationem Complicis exigeret, ut per operam ſuam correptio, & correctio illius præſtaretur. Nam Confeſſarii munus tantummodo eſt curare vulnera pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina ſua ſibi revelare volunt; imo cavere debet à corripiendo ob ſcandala, quæ inde facile conſequerentur.

Quod attinet ad primam Conſtitutionem: In primis, *inquit*, animadvertendum eſt quod hic damnatur omnis Confeſſariorum curioſitas, quæ neceſſaria, aut utilis non ſit pœnitentibus. Hoc eſt, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen & habitationem Complicis, & præcipuè puniendus dicitur, qui minis, & negata abſolutione notitiam hanc exculpere conetur. Itaque perverſa, & pernicioſa decernitur Confeſſariorum illorum praxis, *qui à Pœnitentibus, ſocii hujuſmodi, ſeu Complicis nomen exquirunt; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conantur, ſed quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigunt, atque compellunt; imo etiam Complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigunt deſignari.* Quibus verbis praxis eorum proſcribitur, qui nullum juſtum titulum habentes Complicum nomina ſcrutantur, & indebitæ curioſitatis reos ſe ſtatuunt. Neque enim Sapientiſſimus Pontifex damnationem ad eos caſus extendit, in quibus aut integritas confeſſionis, aut publica neceſſitas, aut pœnitentis ipſius conſcientia exigit, ut pœnitens Complicem revelet. Quod quum accidit, ipſum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere poteſt ad revelandum, omiſſo tamen nomine, & loco habitationis, ſi fieri poteſt. At quandoquidem nonnulli cauſam hanc interrogandi de Complice præferebant, videlicet ut ipſum poſtea corriperent, atque in ejus utilitatem hujuſmodi revelatione uterentur: caſum hunc præcipue diſertis verbis ſe damnare Pontifex profitetur, ita ut in poſterum, quamvis etiam non palliata, ſed in bonum finem excogitata ex cauſa adhiberetur, nulli Confeſſario liceat inquirere nomina Complicum. Sunt verba Decreti: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ Complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant.* Quod ſane decretum, quum juſtum ſit, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ conforme, nemo non intelligit. Et quando enim ſine neceſſitate infamiam alterius occultam prodere fas? Imo aut incaute, aut malitioſe detectam reſarcire, ſi per nos commode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere pœnitentes, ut ſua quidem, non vero aliena crimina confiteantur: quid eſt quod ipſi poſtea ſibi poteſtatem uſurpent extorquendi à pœnitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiunt, recta intentione exquirimus, atque ut Complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi eſt obligatio corripiendi, niſi quos confeſſio reos in ſacro Tribunali ſtatuit. Contra tibi obligatio eſt ſervandi ſub ſigillo, quæ tibi in confeſſione revelantur, ſive pœnitentis ſint, ſive aliorum. Præterea indebitis hiſce interrogationibus pœnitentes à Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id, quod ipſi à detegendo abhorrent, neque ulla obligatione

Christus constituerit Sacerdotes tanquam Vicarios Dei pro remissione peccatorum obtinenda, voluit, ut ea omnia peccata ad eos deferrentur, pro quibus præcepta erat contritio perfecta, qualia sunt non solùm mortalia certa, sed etiam dubia. 3. Non confitendo illa, exponis te periculo non con-

---

gatione detegendi tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis, quotiescumque ob negatam Complicis revelationem pœnitenti absolutionem negas. Dum suo munere functus fuerit pœnitens, & peccata sua detestatus, eadem plene fuerit confessus cum proposito non peccandi, neque agitur de recidivis, de occasione proxima, aut de pœnitentibus diu in cæno gravium peccatorum volutatis; id juris ad absolutionem pœnitens acquisivit, ut sine gravi injuria, & contemptu, atque abusu Sacramenti Confessarius denegare eandem non possit. Ad hæc quisquis ex notitia Complicis in confessione habita, quamquam licentia pœnitentis confisus, Complicem corrigendum suscipit, scandalis non paucis obnoxius est, indignatur enim quicumque secreta sua crimina detecta videt, suæque famæ vulnus injustum apud confessarium. In querelas igitur is facile erumpat, & sigillum Sacramentale fractum suspicetur, & Sacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti exclamet: quæ certe in perniciem Religionis vergere possunt. At quando graviores tragœdias excitabit Complex, ubi resciverit, non sponte factam, sed extortam fuisse in confessione revelationem sui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam sine hac licentia fracti sigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, & zeli sine scientia facinus hic habes. Denique tametsi sine dolo malo, & in bonum tantummodo finem Complicis nomen Confessarius detegendum curaret, fieri non posset, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem: ex quo non levis invidia, atque odium adversus ipsum Sacramentum conciperetur. Et sane quum inter tot probos Ecclesiæ Ministros vix fieri possit, quin aliquis interdum à concupiscentia in transversum agatur, & in venenum convertere possit, quæ Christus Dominus in medicinam nostram instituit; satis ejusmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in posterum aditus ejusmodi interrogationibus, minime ad Sacramentum necessariis, & tam facile scandala, & perniciem animarum parituris. Propterea sapientissime Summus Pontifex in Decretali addidit: *Nec fieri potuit, quin ea de causa & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, & animorum ingens perturbatio in populo fideli exorta sint.*

In alterius verò Const. comment. iterum, *ait*, configitur quæcumque perversa Confessariorum curiositas, ac præcipue negantium absolutionem renuentibus revelare Complicem; eosque à sacra Inquisitione puniendos S. Sedes decernit: *Dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, qua sic agentem Confessarium de adhæsione ad prædictam reprobatam praxim, tanquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.* Si ejusmodi circumstantiæ desint, deferendus non erit ille ad Inquisitionis Tribunal. Non desunt sane Confessarii simplicitate laborantes, qui melius conscientiæ pœnitentis se prospicere posse aliquando putent, si nomen Complicis audiant. Fieri potest, ut nulla malitiæ suspicio in ipsos cadat; quod non difficile prospici potest. Quum exempli causa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tunc bonus Confessarius (imprudenter fortasse) exquirat Complicis nomen, consilium, ut sibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem inquisitorum non pertinet. Idem infra aliis disertis verbis inculcat Pontifex, inquiens; *Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, nisi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut quamvis imprudens, & malus, simplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæsione ad praxim in sæpe dicto nostro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem Confessarium suspectum reddant: tunc istiusmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere ad locorum ordinarios in cujuscumque diœcesi omnino spectabit.* Rectissime hæc; nam ea, quæ errorem, aut suspicionem erroris

confitendi omnia mortalia, contra præceptum divinum. 4. Poſſeſſio ſtat pro lege confitendi, à qua Concil. Trid. ſola venialia excipit. 5. Ex Concil. Trident. peccata, quæ ſunt in conſcientia debent declarari: at dubia ut dubia ſunt in conſcientia, & remitti debent ſaltem ut dubia, & proinde cognoſci

---

erroris contra Dogmata Fidei, aut opiniones ſcandaloſas, & pernicioſas à Sede Apoſtolica damnatas, minime continent, ab inquſitionis juriſdictione ſemota ſunt. Æquiſſimus verò Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria juriſdictione Epiſcoporum, quam tamen læſam ab Inquiſitore Generali iidem, ut ſupra vidimus, expoſtulabant.

Itaque ſi quis cognoverit, quemquam à Confeſſariis deliquiſſe modis in Pontificio Brevi expreſſis, obligatur ad illum denunciandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc ſolum quum circumſtantiæ occurrunt, quæ indicent, aut juſtæ ſuſpicioni locum præbeant, Confeſſarium credere licitam hujuſmodi interrogationem, quæ intrinſece illicita ſit, niſi fortè legitima aliqua cauſa interrogandi de qua ſupra egimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda ſit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confeſſarius Sacramentalem abſolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. *Verumtamen*, ſubdit Pontifex, *ab hujuſmodi onere juſtis de cauſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam Pœnitentem dumtaxat in cauſa propria, id eſt in caſu, quod ſuum peccatum confitens, à Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen Complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria ut dictum eſt, confeſſione, noverit, Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquiſſe: tunc eum, & ipſe denuntiare ex iſta aliunde habita notitia tenentur.*

Inſuper his, quæ de Complicis nomine in confeſſione non revelando notavimus, adde *cap.* 6. lib. VI. *de Synodo Diœceſana*, in quo, quid Epiſcopis hac de re agendum ſit, declaratur. „ *Ne improba uſurpatione* „ *diſſimulatio in deterius convaleſcat, & fiat* „ *de conſuetudine regula, quæ non veniat ab* „ *ipſa, quæ litteris mandata eſt diſciplina*, uti „ ad Epiſcopos, in Toletano Synodo con„ ſtitutos appoſite ſcripſit Innocentius I. „ *epiſt.* 23. *num.* 2. (*tom.* 1. *collect. Hart. col.* „ 1023.) quantocyus ſane præcidendus eſt „ abuſus, qui ſub ſpecie ſeverioris, & ſan„ ctioris diſciplinæ, eam labefactat, quæ „ ab Eccleſia eſt tradita, veramque Sacra„ mentorum ſanctitatem contaminat. Rem „ enarrabimus, quæ non diu antea conti„ git. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *Ca„ non.* 7. Anathemate perſtringit aſſerentes „ non eſſe in ſacramentali Confeſſione „ neceſſario aperiendas circumſtantias, „ mutantes ſpeciem peccati; an autem „ etiam ſint neceſſario aperiendæ, quæ „ inter eamdem ſpeciem, notabiliter ag„ gravat peccatum; litigant quidem Theo„ logi, ſed Catechiſmus S. Pii V. *tit. de* „ *conditionibus, & circumſtantiis ad Con„ feſſionem requiſitis*, S. Carolus Borromæus „ *in inſtruct. Sacerdotum Actor. Eccleſ. Me„ diol. part.* 4. pluresque Synodi Epiſcopa„ les, quos profert Gennetus *Theol moral.* „ *tom.* 4. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 6. „ *quæſt.* 3. etiam iſtas manifeſtandi gravem „ obligationem in Pœnitente agnoſcunt, „ quod etiam inter Theologos docent Sua„ rez *de Pœnit. Sect.* 22. *Diſp.* 3. Henriquez „ *de Pœnit. lib.* 2. *cap.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. „ Tomas Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 32. „ *num.* 39. *& lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 24. Gonet. „ *Diſp.* 10. *art.* 3. Salmant. *tract.* 6. *cap.* 8. „ *punct.* 2. Baron. *contra Amad. Diſp.* 2. „ *Sect.* 3. aliique ab his citati: Cavere ni„ hilominus debet Confeſſarius, ne occa„ ſione, ſeu prætextu exquirendi à Pœni„ tente peccati, quod confitetur, circum„ ſtantias, eumdem inducat ad pandendum „ nomen Complicis, hoc eſt perſonæ, cum „ qua peccatum illud perpetravit. Etenim, „ quidquid ſit, quando liceat pœnitenti „ ſui criminis ſocium libere & ſponte Con„ feſſario revelare; certum tamen eſt, rarò „ evenire poſſe, ut liceat Confeſſario Com„ plicis nomen à Pœnitente ſciſcitari, mul„ toque minus ad illud ſibi patefaciendum „ eumdem obligare. Et nihilominus haud „ ita pridem rumor ad Nos pervenit, ali„ quos Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtros, ſuf„ fultos quorumdam Theologorum, aut falſa, „ aut male intellecta doctrina, cœpiſſe, non „ ſolum à Pœnitentibus Complicis nomen „ exquirere, ſed ad illud ſibi aperiendum, „ locumque inſuper deſignandum, ubi is „ habi-

cognoſci ut talia. Confirmatur ex S. Thom. quæſt. 6. ſupplementi artic. 4. ad 3. ubi ait: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitabat eſſe peccatum mortale, peccat mortali-*

„ habitaret eosdem adigere, denegata renuentibus alterutrum manifeſtare Sacramentali abſolutione; hujus vero pernicioſæ praxis, hanc præferebant cauſam, videlicet, ut ipſi Complicem poſtea corriperent, atque ita in ejus tantum utilitatem hujuſmodi uterentur revelatione. Verum Nos gravia conſiderantes mala, quæ inde neceſſario conſequebantur; proximi enim lædebatur fama; arctum ſacramentalis Confeſſionis ſigillum periclitabatur; abſterrebantur Fideles à ſuis culpis Confeſſario, integre, prout cæteroquin opus eſt, manifeſtandis, rixæ, & diſcordiæ diſſeminabantur, & tota demum perturbabatur Communitas; idcirco, pro noſtro ſupremi Apoſtolatus munere, prædictum, tunc primo pullulantem abuſum, priuſquam inoleſceret, præfocandum duximus, noſtris Apoſtolicis litteris, quæ habentur *noſtri Bullarii tom.* 1. *pag.* 435. aliiſque duabus poſterioribus Conſtitutionibus *tom.* 2. *ejusdem Bullarii* propediem edendis.

„ 2. Quod autem faciendum fuit à Nobis, qui omnium Eccleſiarum gerimus curam, non illico fieri decuiſſet à quolibet Antiſtite, cui unius particularis Eccleſiæ commiſſum eſt regimen; is ſiquidem ſollicitus eſſe debet de ſua excolenda diœceſi, non de inſectandis abuſibus, quos audit in aliena inoleſcere, niſi prudenter prævideat, eoſdem, ſi non ſtatim retundantur, ſuam pariter eſſe mox ſubituros: ubi enim abuſus non eſt, quando novæ Conſtitutionis frœno vitium cohibetur, quod nunquam diœceſim invaſit, injuriam ſibi fieri credunt Diœceſani, putantes nimirum, ſe quodammodo infamari, quaſi reos criminis, quod ipſi non admiſerunt. Ad Præſules vero, ſi forte eorum diœceſes exitioſus ille morbus inficeret, ſpectabat ſane opportunis ſanctionibus eum quantocyus propulſare; quod ſanctiſſimè factum legimus in pluribus antiquis Synodis. In Synodo enim Bajocenſi anni 1300. *cap.* 82. (*tom.* 7 *collect. Hard. col.* 1238.) habetur: *in confeſſione ſibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum, ſed circumſtantias tantum, quæ poſſunt aggravare peccatum:* In Synodo Lingonienſi anni 1404. *Caveant Sacerdotes, ne in confeſſione inquirant ab his, quorum audiunt confeſſiones, ut nominent eis expreſſe perſonas, cum quibus ipſi confitentes peccaverint, niſi eſſet tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de perſona, puta, peccavi cum filia mea naturali, vel ſpirituali, vel nepte: & hoc caſu non debet dici nomen proprium, aut cognomen perſonæ.* In Synodo Leodienſi anni 1405. *Inhibemus Sacerdotibus, ſtatuendo, & omnibus Confeſſoribus, ne à Confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum deſignari. Quod ſi fecerint, ab officio audiendi confeſſiones noverint ſe ipſo facto eſſe ſuſpenſos.* In Synodo Senonenſi anni 1524. *In audiendis confeſſionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca manſionum, & nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt confitentes.* His concinunt Synodus Carnotenſis anni 1526. Synodus Pariſienſis anni 1557. Statuta Synodalia Eccleſiæ Trecenſis, & Sifridi Archiepiſcopi Colonienſis, quæ videri poſſunt in tractatu hiſtorico, & dogmatico *de ſecreto inviolabili Confeſſionis*, edito an. 1708. à Langlet Du Freſnoy, *pag.* 223. *& ſeqq.* In aliis autem innumeris Synodis, quanquam ſpeciatim agatur de Sacramento Pœnitentiæ nulla tamen occurrit peculiaris Conſtitutio, qua expreſſe prohibeantur Confeſſarii, ne à Pœnitentibus Complicum nomina exquirant: quia ſcilicet ejuſmodi deteſtandus abuſus, non in omnes irrepſerat diœceſes, ac proinde non ab omnibus erat, ſpeciali Conſtitutione, repellendus.

„ 3. Quare iterum concludendum eſt, quod ſatis abunde demonſtratum arbitramur, nimirum non omnes Synodales Conſtitutiones omni loco, & tempori convenire, ſed prudentis Præſulis eſſe, eas tantum ſuæ Synodo inſerere, quas ad obſiſtendum ſerpentibus corruptelis, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ nitorem reſtituendum, pro locorum, & temporum diverſitate, utiles reputaverint, & neceſſarias.

mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri: non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitativè loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere lepram & lepram.

Porrò lex confessionis non est odiosa, sed favorabilis, cùm sit à Christo instituta ad salutem animarum, & ad peccata commissa delenda, ac futura præcavenda.

Hinc 1. Qui certò judicat se peccasse mortaliter, sed dubitabat an peccatum illud confessus fuerit, tenetur illud confiteri: quia non potest prudenter judicare se certæ obligationi confitendi integrè satisfecisse.

Hinc 2. Qui scit se commisisse peccatum aliquod, sed dubitat sit ne mortale an veniale, tenetur hoc peccatum confiteri. Nam non potest prudenter judicare, se non peccasse mortaliter: ac proinde omittens confessionem illius peccati, exponeret se periculo non faciendi confessionem integram.

Hinc 3. Qui post diligens examen dubitat an aliquod peccatum, quod scit esse mortale, admiserit, tenetur illud confiteri. Nam is non potest judicare prudenter se non admisisse tale peccatum; ac proinde si illud non confiteatur, exponit se imprudenter periculo non faciendi confessionem integram. Item is non vult sufficienter & quantùm est in se satisfacere obligationi confitendi omnia mortalia.

Observa. 1. Peccata dubia declaranda sunt ut dubia, sicut certa ut certa. 2. Qui mortale ut dubium confessus est, si postea certò norit illud à se commissum esse, tenetur iterum illud confiteri ut certum; quia ex institutione Christi pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri, prout sunt in ejus conscientia, & eo modo, quo Sacerdos rectè censere possit de eorum gravitate, & pœna convenienti imponenda. E contra qui peccatum ut dubium confessus est, quod postea cognoscit se non commisisse, non tenetur in sequenti confessione id aperire: quia carentia peccati non est materia confessionis. 3. Qui non habet peccata nisi dubia, tenetur confiteri peccatum aliquod certum, saltem veniale, licèt anteà remissum, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Quæst. VIII. *An peccata mortalia ex oblivione, vel ob justam aliam causam omissa, debeant declarari in sequenti confessione?*

Resp. Affirm. Quia 1. ita est generalis fidelium persuasio, & praxis. 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. can. 7. necessarium est jure divino confiteri omnia & singula mortalia post baptismum commissa, quorum memoria habeatur. 3. Ex S. Thom. in 4. dist. 21. qu. 2. art. 2. ad 1. quodlibet mortale debet subjici sententiæ Sacerdotis, ut pro eo imponat satisfactionem convenientem. 4. Alexander VII. damnavit hanc propositionem. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Item qui tantùm confusè, & genericè mortalia peccata confessus est, eo quòd distinctum eorum numerum & speciem non recordaretur, tenetur postea in sequenti confessione, si recordetur, eorum numerum distinctum & speciem confiteri. Quia est præceptum divinum confitendi distinctè omnia & singula mortalia quoad numerum & speciem, quod is nondum observavit.

Quæst. IX. *An qui aliquam circumstantiam in confessione aperiendam oblitus est, teneatur postea confiteri iterum*

iterum peccatum, ad quod illa circumstantia pertinet?

Resp. Affirm. Si tota malitia hujus circumstantiæ nequeat exprimi sine declaratione peccati; quia tunc hujus declaratio per se necessaria est ad circumstantiam aperiendam.

Quæst. X. *Quænam integritas ad valorem & effectum Sacramenti requiratur?*

Nota. Duplex distinguitur confessionis integritas, materialis, & formalis. Confessio materialiter integra, est accusatio omnium omnino mortalium commissorum quoad numerum, species, & circumstantias declarandas: Confessio formaliter integra est accusatio eorum dumtaxat mortalium, quæ pœnitens potest & debet declarare in iis circumstantiis, in quibus versatur.

Resp. 1. Per se loquendo integritas confessionis ad valorem Sacramenti requisita exigit, ut quantùm moraliter fieri potest, declarentur. 1. Omnia peccata mortalia tam occulta & interna, quàm externa & publica, etiamsi aliunde essent nota confessario: neque enim notitia confessarii, sed confessio pœnitentis est pars Sacramenti. 2. Eorum numerus. 3. Omnes species morales. 4. Omnes circumstantiæ, tum quæ speciem mutant, tum quæ solùm addunt malitiam mortalem ejusdem speciei. 5. Ipsi actus externi, & effectus mali ac damna inde secuta. 6. Peccatum complicis, & persona quæ fuit objectum peccati, dum aliter proprium peccatum sufficienter exponi nequit. 7. Omnia mortalia dubia. *Prob.* Quia, ut probavi, horum omnium declaratio præcepta est à Christo, qui instituit Sacramentum pœnitentiæ per modum judicii reconciliativi & punitivi, in quo videlicet non solùm reus absolvatur, sed etiam convenienter puniatur, & contra relapsum præmuniatur. Talis autem judicii rectitudo, & æquitas exigit cognitionem adæquatam causæ, quantum moraliter haberi potest.

Hinc qui sine justa causa aliquod mortale, vel circumstantiam necessariam scienter cælat, facit confessionem nullam, & sacrilegam, ex Conc. Trid. cap. 5. ibi: *Qui scienter aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quare non solùm illud mortale sacrilegium, sed etiam omnia alia mortalia, quæ confessus est, tenetur iterum sigillatim confiteri: nam ex præcepto Christi omnia peccata subjici debent validæ absolutioni.

Resp. 2. Integritas materialis non requiritur absolutè, quia sæpè est impossibilis cognitio omnium omnino mortalium, etiam post diligens examen. At ex Concil. Trident. cap. 5. *Impium est, confessionem, quæ præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam conscientiarum appellare.*

Resp. 3. Absolutè sufficit integritas formalis. Quia confessio formaliter tantùm integra, est ea, in qua ex gravi justa causa, vel oblivione inculpabili omittuntur aliqua peccata. At talis confessio sufficit; nam secundùm Doctores omnes, variæ sunt causæ excusantes à confessione omnium mortalium, quæ generatim ad impotentiam physicam & moralem revocantur: quia Christus noluit, ut Sacramentum Pœnitentiæ institutum in gratiam fidelium lapsorum, & ut medium ad justificationem necessarium, foret illis non solùm absolutè, sed etiam moraliter impossibile, ob damnum aliquod valde grave confessioni extrinsecum.

Hinc à confessione integra materialiter excusantur, 1. Qui ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili aliquod mortale omittunt. 2. Muti, si per gestus, scripturam, vel alia signa

nequeant

nequeant omnia declarare. 3. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur; tunc enim auditis aliquot, absolvendi sunt. 4. Cùm in naufragii periculo imminenti, vel instante pugna, nequeunt omnes integrè confiteri; tunc sufficit confessio confusa, quia omnes simul significant se peccasse, dolere de peccatis, & velle absolvi. Imò tunc poterunt simul absolvi, si necesse sit, per hanc formulam: *Ego vos absolvo ab omnibus censuris, & peccatis.* Si tamen unusquisque potest saltem aliquod peccatum in particulari confiteri privatim, ad id tenetur. 5. Ii, quorum idioma nonnisi ex parte intelligi potest à confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel juxta aliquos urgeat præceptum annuæ confessionis. 6. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis. 7. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno confessioni extrinseco, temporali, vel spirituali, sive proprio, sive etiam alieno: nam lex charitatis obligat ad diligendum proximum sicut nos ipsos, & proinde ad vitandum ejus damnum; ut si prudenter timeas ne confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum, vel ex tua confessione sumat occasionem peccandi, vel graviter nocendi proximo. Sed tunc requiritur justa causa confitendi hic & nunc tali confessario, ut præceptum confitendi, vel necessitas celebrandi ad vitandum grave scandalum, aut infamiam; alioqui adeundus est alius confessor, vel differenda confessio, si commodè differri queat. Item si infirmi vires periclitentur in accuratiori peccatorum declaratione; vel si integra confessio laborantis morbo valdè contagioso à longè audiri nequit, nec prope sine periculo maximo mortis confessoris, tunc audito uno, aut altero peccato potest absolvi. At magnus populi concursus, die indulgentiæ, vel festivitatis magnæ ut Paschatis, per se præcisè non excusat ab integritate confessionis: quia tunc non adest sufficiens necessitas dimidiandæ confessionis; & maximi inde abusus ac magna incommoda orirentur. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v.gr. potest contingere in die alicujus magnæ festivitatis, aut indulgentiæ.*

Porrò semper remanet obligatio confitendi peccata omissa, sublato impedimento.

Dixi, *Confessioni extrinseco.* Nam incommodum confessioni velut intrinsecum, seu natum sequi ex ipsa confessione, ut confusio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud confessarium, non excusat: aliàs nullum esset præceptum confessionis, nec per se obligaret.

Resp. 4. Ad valorem Sacramenti requiritur confessionis integritas respectu ejusdem Sacerdotis & ejusdem absolutionis: ita ut omnia mortalia, quæ sunt in conscientia, necessariò declaranda sint eidem Sacerdoti, & in ordine ad eamdem absolutionem. Est de fide, & constat. *Prob. 1.* Ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nunc cernitur, & cujus initium cùm ignoretur, nec ostendi possit, ab ipsius Christi præcepto repetendum est. 2. Ex Conc. Later. IV. c. *omnis.* 3. Ex Concil. Florent. in Decreto docentibus omnia peccata eidem Sacerdoti declaranda esse; & in hoc jus divinum dumtaxat explicant. 4. Ex Concil. Trident. sess. 14. c. 5. declarante confessionem, in qua pœnitens aliquod peccatum Sacerdoti reticet, esse nullam: *qui scienter, inquit, aliquid reticent nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum*

proponunt. Non dicit Sacerdotes. Ratio eſt voluntas Chriſti, qui omnia peccata ſubjecit judiciali ſententiæ Sacerdotis. Sententiæ autem æquitas ac rectitudo exigit cognitionem adæquatam cauſæ, in quam fertur. Unde cum ſententia abſolutionis feratur in omnia peccata mortalia (nam unum ſine alio remitti nequit) prærequirit, quantum fieri poteſt, cognitionem omnium mortalium.

Quæſt. XI. *An pœnitens tenetur diligens examen præmittere confeſſioni?*

Reſp. Affirm. Prob. 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. dicente præcipi confeſſionem omnium mortalium. *Quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent . . . .* & *à pœnitentibus exigi, ut poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerit.* 2. Qui præcipit actum, ſimul præcipit etiam media ad illum neceſſaria. At diligens examen eſt neceſſarium ad confitenda omnia peccata. Ea autem diligentia adhiberi debet, *quam in rebus gravissimis ponere ſolemus*, ait Catechiſm. Roman. & quæ moraliter ſufficiat ad cognoſcenda peccata commiſſa, conſideratis capacitate, & memoria pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultima valida confeſſione tranſacti, multitudine, & qualitate negotiorum, obligationum, occaſionum, & conſuetudine peccandi, aliiſque circumſtantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, ſed in aliis brevius, in aliis longius.

Quæſt. XII. *Quandonam iterari debeat Confeſſio?*

Reſp. Quoties fuit nulla, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter; ſive ex parte pœnitentis defectu doloris, vel propoſiti ſufficientis & integritatis formalis, vel ob notabilem negligentiam in excutienda conſcientia, niſi confeſſor eam ſuppleverit: ſive ex parte confeſſarii defectu poteſtatis aut intentionis requiſitæ. Quia in his caſibus Sacramentum fuit nullum, & ſic peccata non fuerunt per illud remiſſa. Omnia autem peccata mortalia debent ſubjici poteſtati clavium, & remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, ideoque per confeſſionem, & contritionem debitam, & abſolutionem validam. Idem dic, ſi dubium ſit, an confeſſio irrita fuerit; nam præcepto certo non ſatisfit per dubiam executionem, & in dubio pars tutior eligi debet.

Sed an is qui fecit confeſſionem aliquam invalidam, tenetur cum illa omnes ſubſequentes iterare?

Reſp. Tenetur, ſi eas fecit cum conſcientia confeſſionis invalidæ, quia revera ſunt omnes invalidæ, ob defectum eſſentialem. At ſi poſt unam confeſſionem invalidam, poſtea fecit alias cum debita diſpoſitione, & bona fide procedens, præcedentis defectus nullam habens memoriam; non tenetur, (inquit Sylvius,) has repetere, ſed ſolùm illam, vel illas, quas fecit cum conſcientia defectus: quia illæ aliæ fuerunt validæ; cùm habuerint omnia neceſſaria ad bonam confeſſionem.

Quæſt. XIII. *An eſt mortale mentiri in confeſſione?*

Reſp. 1. Mortale ſacrilegium eſt omne mendacium in materia confeſſionis neceſſaria, ut ſi pœnitens falsò neget ſe commiſiſſe mortale nondum legitimè confeſſum, vel circumſtantiam neceſſariam; vel ſi neget aliquid grave, quod interrogatus à confeſſario tenetur aperire, qualis eſt peccandi conſuetudo, diſpoſitio præſens, &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam adminiſtrationem pertinente,

tinente, decipit judicem suum, & medicum à Christo institutum, ut secundùm cognitionem per confessionem partam, & pœnas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dic, si contra conscientiam falsò asserat se commisisse mortale: quia judicem suum in re gravi ad judicium Sacramentale pertinente & necessaria decipit, & per illam additionem in re gravi ejus judicium pervertit. Secùs, si verum putat.

Item mortaliter peccat, qui in confessione generali falsò asserit se jam peccata aliqua mortalia confessum fuisse. Quia in re gravi & necessaria decipit confessarium, qui putat mortalia illa jam declarata & remissa fuisse, nec jam esse materiam necessariam Sacramenti; unde non potest prudenter pœnam convenientem pro illis statuere: nam non eadem pœna pro peccatis mortalibus nondum sacramentaliter remissis, quæ pro peccatis sic jam remissis, imponi debet.

Resp. 2. Mendacium in materia non necessaria, hoc est, quæ non sit sub mortali declaranda, ut sunt peccata venialia, vel mortalia jam legitimè confessa & remissa, quorum cognitio non est necessaria ad rectè administrandum Sacramentum, est ex communi sententia solùm veniale. Quia tunc non decipitur graviter judex in ordine ad debitum judicium, cùm materia non sit necessaria, nec spectet ad substantiam judicii necessarii. Est tamen veniale gravius ob irreverentiam Sacramenti. Esset autem mortale, si aliunde non daretur materia valida Sacramenti; nam tunc irrita redderetur absolutio.

Quæst. XIV. *An peccata venialia sunt materia sufficiens confessionis, licet non necessaria?*

Resp. Affirm. Ita Concil. Trident. Sess. 14. cap. 5. *Venialia quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Nam Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi generatim omnia peccata, quæ remitti possunt Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Porrò extra casum necessitatis non sunt confitenda venialia tantùm in genere, sed debet aliquod addi in specie, v. gr. aliquod mendacium, tum quia est contra praxim fidelium: tum quia accusatio & judicium per se loquendo fieri debent circa materiam in specie determinatam. *Ita Suarez, & alii communiùs.*

Quæst. XV. *An quævis peccata jam remissa per absolutionem, sunt semper materia sufficiens novæ confessionis?*

Resp. Affirm. Communis & certa sententia est, inquit Suarez. *Prob. 1.* Ex extravag. Benedicti XI. de privil. Ubi ait eadem peccata iteratò confiteri salubre esse. 2. Quia peccata jam remissa possunt esse materia contritionis & confessionis, atque possunt adhuc remitti remissione priorem confirmante per novam gratiam: & Christus remittendi potestatem non restrinxit ad unum actum remissionis, propter majorem utilitatem animarum. 3. Ex piorum, ac doctorum hominum usu Ecclesiæ noto, nec reprehenso; quæ probatio valet: nam hanc adhibet Concil. Trid. supr. cit. ad probandum valorem confessionis venialium.

Nota. Confessor dubitans an ea quæ pœnitens confitetur, sint peccata etiam venialia, non potest eum absolvere. Quia non licet applicare formam materiæ dubiæ; alioqui exponeretur Sacramentum periculo nul-

litatis: ſola autem peccata ſunt materia remota pœnitentiæ. Quare ut detur materia certa, curare debet ut pœnitens confiteatur peccatum jam aliàs remiſſum, & illud in contritione includat.

Quæſt. XVI. *An Confeſſio neceſſariò fieri debeat voce?*

Reſp. 1. Id non eſt de eſſentia Sacramenti, ſed confeſſio poteſt validè fieri nutibus, geſtibus, vel ſcripto, ſi deſit facultas loquendi. Conſtat, 1. Ex praxi Eccleſiæ, quæ mutos, & moribundos vocis uſu deſtitutos, per nutus vel alia ſigna confitentes abſolvit. Et ex Rituali Romano docente moribundum vocis uſu deſtitutum abſolvendum eſſe. 2. Quia Chriſtus ſolùm præcipit confeſſionem, qua peccata declarentur Sacerdoti ut judici; quod ſufficienter fieri poteſt per nutus, vel ſcripturam.

Reſp. 2. Non licèt abſque neceſſitate aliter quàm voce confiteri. Conſtat, 1. Ex communi Theologorum conſenſu. 2. Ex conſuetudine Eccleſiæ vim legis obtinente, & obligante graviter; utpote de re ſpectante ad convenientem modum perficiendi Sacramentum: nam verba ſunt aliis ſignis longè aptiora ad ſignificandum, & ex S. Auguſtino tenent in ſignificando principatum.

3. Ex Concil. Florentino, requirente confeſſionem oris; & ex Benedicto XI. in Extrav. *Inter cunctas*, de privileg. ibi: *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confeſſio exigitur.* Et verò alia ſigna non ſunt inducta, niſi in ſupplementum verborum vocalium. *Ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo qui poteſt, ut verbo confiteatur, non ſolùm propter hoc, ut ore confitens magis erubeſcat, & qui ore peccavit, ore purgetur; ſed etiam quia ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus. Unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communiùs, & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt.* Ita S. Thomas, quodlibet. 1. qu. 6. art. 1.

Reſp. 3. Qui voce non poteſt, tenetur aliis ſignis, etiam ſcripto confiteri, etiam extra mortis periculum. Quia præceptum confitendi obligat ſaltem, cùm ſine gravi damno confeſſioni extrinſeco obſervari poteſt. Sed hic modus confitendi nullum damnum, ſaltem grave affert. Neque ſcriptura eſt per ſe inſtrumentum publicationi obnoxium, & poteſt ſtatim comburi, vel lacerari.

Quæſt. XVII. *An excuſetur à confeſſione, qui confiteri nequit niſi per interpretem?*

Nota. Ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. neque eſt neceſſarium jure divino, ut confeſſio publicè fiat, ſed valet confeſſio ſecreta & auricularis: neque à Chriſto prohibitus eſt modus publicè confitendi. Unde ex communi ſententia valet confeſſio ſive ſecretò, ſive publicè fiat, nam ad valorem Sacramenti ſolùm requiritur accuſatio peccatorum facta Sacerdoti ut judici: hæc autem poteſt eſſe utroque hoc modo.

Reſp. Multi docent neminem ex vi præcepti confeſſionis obligari ad confitendum per interpretem, licèt rectè poſſit, eo quòd Chriſtus nos non obligarit ad declaranda peccata, niſi ſoli Sacerdoti abſolutionis miniſtro; nec ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. Chriſtus præcepit ut peccata declararentur publicè, id eſt, coram aliis. Præterea Concil. Lateran. IV. præcipit ſolùm ut pænitens omnia ſua ſolus peccata confiteatur Sacerdoti.

Tamen

Tamen S. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. quæst. 3. postquam dixit: *In eo qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per scriptum aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quàm possit*; ait generatim; *Quando non possumus uno modo, debemus secundùm quod possumus confiteri.* Certè ad id tenemur saltem ex præcepto charitatis propriæ, si alioqui diu abstinendum esset à confessione. Quia tunc periculum esset diu permanendi in peccato, cùm difficile sit, nec ita frequens habere contritionem perfectam; hæcque obligatio maximè urget in periculo mortis, ubi tenemur omnia media tutiora adhibere ad salutem consequendam, non pauci autem dicunt sufficere tunc confiteri per interpretem aliquod dumtaxat peccatum, accusando se de cæteris in generali: nam integra peccatorum confessio præcepta est, dum moraliter fieri potest soli Sacerdoti. Sed Delugo docet præceptum divinum obligare ad confitendum in articulo mortis omnia mortalia per interpretem, eo quòd manifestatio peccati apud duos sigillo obstrictos non sit detrimentum ita grave, ut propter illud præceptum divinum confitendi omnia mortalia prorsus omittatur, & non tantùm differatur. Neque talis confessio potest censeri publica, sicut neque est publica confessio, qua idem peccatum reservatum manifestatur Superiori, & inferiori. Additque ob eandem rationem nos teneri in articulo mortis confiteri omnia mortalia, etjamsi sciremus Sacerdotem aliquod revelaturum alteri, si nullum aliud malum timeatur, nisi mera notitia peccati manens in uno alio, qui tali notitia in nullius præjudicium possit uti. Et hoc puto servandum in praxi.

Quæst. XVIII. *An confessio sacerdoti præsenti necessariò fieri debeat?*

Resp. Affirm. Prob. 1. Ex usu totius Ecclesiæ. 2. Ex Concil. Trident. Sess. 14. cap. 2. Christus eos, qui se post baptismum crimine aliquo contaminarunt, *ante hoc Tribunal* (Sacramenti Pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluit.* Ergo ex institutione Christi ad validam absolutionem requiritur, ut pœnitens coram sacerdote judice sistatur, & personaliter compareat. 3. Ex decreto Clementis VIII. dato ann. 1602. quo hanc propositionem, scilicet, *licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit.* Quod intelligendum est non solùm conjunctim, nempe quoad confessionem, & absolutionem simul, sed etiam divisim, nempe quoad alterutram, ut postea declaravit ipse Clemens, & Paulus V. 4. Quia debita hujus Sacramenti administratio per se loquendo, id exigit, nam ut Sacerdos pœnitentem absolvat per se loquendo debet habere moralem certitudinem de integritate confessionis, & debita dispositione, ac contritione pœnitentis. Hanc autem certitudinem habere moraliter non potest, nisi pœnitentem confitentem audiat. Dico, *per se loquendo,* quia per accidens, nempe in articulo mortis, confessio facta sacerdoti absenti est licita, & valida, quando aliter fieri non potest. Nam sacerdos potest, & debet absolvere moribundum sensibus destitutum, qui ipso absente absolutionem petiit.

Quæst. XIX. *Quænam observanda sunt circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis?*

Resp. Sequentia. 1. Hoc præceptum obligat omnes fideles adultos ad con-

confitendum saltem semel in anno ex Conc. gener. Lateran. IV. c. 21. ibi: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Idque sub mortali, ut patet tum ex gravitate materiæ, tum ex pœna adjuncta: *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.* Nomine proprii sacerdotis intelligitur quidem Parochus, sed sine exclusione Episcoporum, & sacerdotum ab iis delegatorum. Nam Episcopi eandem & longè majorem jurisdictionem habent in parochianos; suntque pastores ipsorum parochorum. Quare hic Canon intelligitur salvo jure Episcoporum.

2. Præcipitur confessio valida, Sacramentalis, & apta ad reconciliationem cum Deo, ideoque per absolutionem validam terminata. Nam ex Conc. Trid. cap. 5. Ecclesia id præcepit, ut præceptum divinum confessionis saltem semel in anno impleretur, ac proinde non aliam confessionem præcipit, quàm Deus; at Deus præcipit confessionem validam, ac dolorosam, quam sequatur absolutio. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

3. Qui toto anno confessionem omisit, tenetur confiteri prima die anni sequentis, si potest, aut prima data opportunitate, & continuò, donec impleverit: alioqui peccat deinceps, & toties quidem, quoties potest commodè confiteri, & omittit. Nam Ecclesia absolutè præcipit confessionem annuam primariò propter se, prohibetque ejus dilationem ultra annum: ita ut annus designetur non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem jure divino impositam, & ut terminus ultra quem non differatur confessio, & ultra quem remaneat obligatio; ut patet ex his verbis Conc. Trid. *Saltem semel in anno*: lex enim Ecclesiæ lata fuit, ut fideles non nimiùm differrent observationem præcepti divini. Ergo qui elapso anno statim non confitetur, violat præceptum, & continuò tenetur confiteri, perinde ac qui non solvit censum annuum, solvere continuò tenetur transacto anno.

Item ex vi hujus præcepti tenentur fideles anticipare confessionem in quavis parte anni, si prævideant fore ut omissa illa occasione nequeant postea toto illo anno confiteri, v. g. ex longa navigatione, vel peregrinatione per terras infidelium. Quia hoc præceptum non terminatur ad finem anni, sed obligat ad confitendum saltem semel in anno: quæ obligatio currit toto anno, ideoque in illo complenda. At si homo positus in illa occasione non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, seu obligationem annuam.

4. Quamvis hoc præcepto certum anni tempus confitendi non statuatur, tamen consuetudo invaluit confitendi intra Quadragesimam, vel quindenam Paschalem, approbata à Conc. Trid. Quare juxta multos annus pro servando hoc præcepto computatur ab una quindena Paschali ad aliam; & ita fert fidelium praxis; & reipsa solùm eo tempore pastores confessionem à fidelibus exigere solent.

5. Pœna interdicti à Conc. Later. statuta in omittente annuam confessionem, vel Paschalem communionem, est solùm sententiæ ferendæ, uti verba indicant. Quare ad eam imponendam requiritur authoritas Ordinarii, cùm parochi careant jurisdictione in foro externo.

Sed an tenentur hoc præcepto, qui solius culpæ venialis sibi conscii sunt?

Resp. Multi negant: quia 1. Conc. Later. & Trid. præcipiunt confessionem omnium peccatorum: ergo non loquuntur de venialibus. 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Ecclesia solùm statuit, ut divinum præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus observaretur: at præceptum divinum non obligat ad confitendum venialia, ex eod. cap.

Affirmant Richard. Alensis, S. Bonaventura, Sylvest. Fagnan. & aliqui Recentiores: quia alioqui minæ interdicti per canonem intentatæ inutiles forent; nam fideles causarentur se sibi non esse conscios mortalium: unde ut præceptum divinum ab omnibus religiosè servaretur, Ecclesia præcepit, ut omnes & singuli, licèt sibi solorum venialium conscii, semel in anno confiterentur.

Sanct. Thomas hanc opinionem ita amplectitur, ut oppositam non rejiciat: nam, in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. ad 3. sic ait: *Dicendum, quòd ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur: vel potest dici secundùm quosdam, quòd ex decretali prædicta non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit, quia debet omnia peccata confiteri; quod de venialibus intelligi non potest .... & hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se Sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro confessione reputatur.*

ARTICULUS III.

De Satisfactione.

Quæst. I. AN & *qualem satisfactionem imponere tenetur Confessarius?*

Nota 1. Satisfactio hìc sumitur pro voluntaria sui ipsius punitione, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam. Duplex est, nempe Sacramentalis, de qua hic agitur; & non Sacramentalis, quæ fit non solùm piis ac laboriosis operibus spontè susceptis; sed etiam malis ac ærumnis hujus vitæ à Deo inflictis, & patienter toleratis, ut docet Conc. Trid. sess. 14. can. 9.

Nota 2. Satisfactio Sacramentalis est pœnitentia, seu actio una, vel multiplex bona & pœnalis, à sacerdote judice legitimo imposita ad puniendam ac reparandam injuriam Deo illatam, vel etiam ad præcavendam futuram. Cùm autem homini carnali & ad malum propenso opus quodlibet bonum sit pœnale, utpote ejus naturæ corruptæ contrarium: ideò omnis actus virtutis etiam merè internus, in satisfactionem imponi potest. Satisfactio Sacramentalis alia est vindicativa, quæ datur præcisè ad præterita peccata vindicanda, & alia medicinalis, quæ datur præcipuè ad præcavenda futura in posterum. Sæpe autem eadem actio utrumque præstare potest.

Porrò cùm satisfactio à confessario imposita, sit pars integralis Sacramenti, & in ea operetur vis clavium, *ampliùs valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus.* S. Thom. quodlib. 3. quæst. 13. ob uberiorem meritorum Christi applicationem. Item plus, aut minus pœnæ temporalis ex opere operato remittit, prout gravior, vel levior

vior eſt, & majore, vel minore devotione peragitur.

Reſp. 1. Confeſſarius tenetur ſatisfactionem imponere pœnitenti valenti illam exequi. Conſtat, 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. & ex Traditione ac perpetua praxi Eccleſiæ. 2. Quia ſatisfactio eſt pars integralis Sacramenti, ex Conc. Trid. can. 4. At miniſter quantùm poteſt tenetur procurare integritatem Sacramenti. 3. Ut judex: æquitatem ſervare debet: unde cùm judicet inter Deum & hominem, ſicut debet abſolvere hominem rectè diſpoſitum, ita curare debet, ut homo ſatisfaciat Deo; & ut medicus tenetur curare vulnera pœnitentis. Quare gravis eſt obligatio ſatisfactionem aliquam imponendi pro mortali; imò etiam juxta multos pro ſolis venialibus, aut mortalibus jam aliàs confeſſis; quia gravis videtur irreverentia Sacramentum voluntatiè privare ſua integritate, ſeu parte integrali.

Dixi *valenti*, *&c.* Nam abſolutio ſine impoſitione pœnitentiæ danda eſt moribundo, qui inter confitendum ſenſuum uſu & cognitione privatur, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ.

Reſp. 2. Confeſſarius tenetur imponere ſatisfactiones convenientes & ſalutares, tum vindicativas, tum medicinales, proportionatas numero ac gravitati peccatorum, & pœnitentis facultati ac diſpoſitioni. Conſtat ex Patribus & multis Conciliis, & præſertim ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. ibi: *Debent ſacerdotes quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum vindictam & caſtigationem: nam claves ſacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio eſt, quia confeſſarius à Chriſto inſtitutus eſt, tum ut judex non ſolum ſolvens, ſed etiam ligans ſeu vindicans ſervata æquitate, ut ibi docet Conc. Trid. ac proinde debet ſervare æquitatem in pœnis præſcribendis: tum ut medicus, qui pœnitentis morbos ac vulnera curet, & morborum cauſas tollat, ut conſtat ex Patribus, Conciliis variis, ac præſertim ex Conc. gener. Later. IV. c. *Omnis*, ubi ait: *Sacerdos ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati; diligenter inquirens peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale illi debeat præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.* Hinc patet hanc obligationem eſſe ex genere ſuo gravem, cùm ad integritatem Sacramenti officium confeſſarii, & pœnitentis emendationem ac profectum, ad divinæ offenſæ reparationem pertineat.

Obſerva 1. Salutares & convenientes ſatisfactiones, quas juſtitia divina exigit, generatim ſunt ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. illæ, quæ *magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent, cautioreſque ac vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt .... & quibus, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur, certiſſi-*

certissimam inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur.

2. Satisfactiones medicinales convenientes sunt eæ, quæ peccatorum causas ac radices resecant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi removent, vitia curant, & pœnitentis emendationem ac profectum pariunt. Tales sunt actus virtutum interni, & externi vitiis pœnitentis oppositi: contraria enim contrariis curantur. Quare Rituale Rom. ait: *Contrarias peccatis pœnitentias injungat, velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia, &c.* Item crebra oratio, sed præsertim matutina & serotina quotidiana: examen quotidianum conscientiæ, auditio quotidiana Missæ, meditationes, præsertim passionis Christi & extremorum; lectiones librorum spiritualium, auditio concionum; frequens confessio, cura singularis vitium capitale emendandi; fuga otii, occasionum peccandi, voluptatum, & delectionum inutilium; utilis collocatio temporis suo statui congruens, & ordo actionum cujusque diei suis obligationibus accommodatus; sensuum & cupiditatum mortificatio: crebri actus fidei, spei, charitatis, contritionis, & aliarum virtutum vitiis & pravis cupiditatibus contrariarum, cogitatio præsentiæ Dei omnia ubique & semper inspicientis, devotio singularis erga B. Virginem, quæ consistat tum in ejus invocatione, tum in imitatione mirabilium ejus virtutum; confessio generalis annua, secessus per aliquot dies ad vacandum exercitiis spiritualibus secundùm rationem à S. Ignatio traditam, &c. Mensura autem satisfactionum medicinalium est necessitas & infirmitas pœnitentis; nec unquam imminui debent, cùm satisfactiones illæ sint remedia ad peccatorum fugam, pœnitentis emendationem ac profectum necessaria: unde in his integritatem & severitatem adhibere debet confessarius, *ait Suarez.* Quare confessarius naturam & causam, seu radicem ac motivum peccatorum pœnitentis priùs investiget & inquirat, ut remedia eorum emendationi apta apponat.

3. Satisfactiones vindicativæ seu pœnales, ut sint salutares & convenientes, debent esse proportionatæ non solùm multitudini & gravitati peccatorum, sed etiam facultati, conditioni & dispositionibus pœnitentis; ita ut in iis imponendis habeatur ratio ejus infirmitatis, valetudinis, laboris, status, officiorum, paupertatis, & prout prudentia & charitas suggerent. Neque enim salutares sunt pœnitentiæ tam graves ac diuturnæ, ut spectata pœnitentis fragilitate, periculum sit ne eas omittat; nam tunc in ejus exitium verterentur: in hoc autem Sacramento magis intenditur emendatio & salus pœnitentis, quàm satisfactio pro pœna. Si ergo expediat ad bonum spirituale pœnitentis, potest imponi levior pœna quàm mereatur, idque tandem cedit in majorem Dei gloriam, qui vult præcipuè curationem pœnitentis. Quare S. Antonin. 3. part. tit. 16. c. 21. ait: *Debet confessarius dare talem pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum implere: ne ipsam violando, deterius ei contingat.* Et S. Carolus, in instruct. confess. monet non debere imponi tam gravem ac diuturnam satisfactionem, ut pœnitens ei obsequi recuset, aut acceptatam integrè non impleat, nec ordinariè injungenda esse jejunia iis, qui vitæ subsidia labore manuum parant. Confessarius igitur pœnitentem *interroget, an possit pœnitiam sibi injunctam peragere: alioquin eam pro sua prudentia immutet, aut*

minuat, ait Rituale Parisiense. Tunc autem monendus est leviorem pœnitentiam imponi, quàm mereantur ejus peccata, ut ipse moveatur vel ad majorem petendam, vel ad aliàs ultrò sumendas, cùm melius dispositus erit.

Porrò mensuram pœnæ ex judicio Ecclesiæ peccatis debitæ indicant canones pœnitentiales, quos proinde scire debet sacerdos. Nam licèt pœnæ per illos statutæ, spectata facultate & infirmitate pœnitentis, minuendæ sint, tamen sæpè pœnitentibus proponendæ sunt, quo magis criminum gravitatem cognoscant, indeque fiant ad pœnitentiam acceptandam promptiores. *Ita S. Carolus in instruct. confess.*

4. Satisfactio ante absolutionem imponenda est, tum ut exploretur debita pœnitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos pœnitentiæ: tum quia ordo judicii & justitiæ vindicativæ postulat, ut prius pœnitens satisfactionem spondeat & acceptet, quàm absolvatur. Si tamen fortè sacerdos absolutionem præmisisset, tenetur eam postea injungere.

Sed an confessarius debet habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, dum imponit satisfactionem?

Respondet Sylvius satis esse sic audire, & intelligere omnia quando dicuntur, ut in satisfactione injungenda sufficienter meminerit status pœnitentis; ad eam competenter injungendam. Et verò sæpè impossibile est saltem moraliter, ut confessarius distinctè singula tunc meminerit.

Quæst. II. *Quænam opera in pœnitentiam imponenda sunt?*

Resp. Ex Patribus, ex Conc. Florentin. & Trident. Sess. 6. cap. 14. tria sunt præcipua, ad quæ cætera revocantur, nempe jejunia, eleemosynæ, orationes: nam hæc sunt satisfactiones pœnales simul & medicinales. Per jejunium intelligitur omnis corporis afflictatio, & voluptatum sensuum etiam licitarum privatio, nam species ibi ponitur pro genere; per eleemosynam omne opus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Missæ & concionum, susceptio Sacramentorum, examen conscientiæ, oblatio actionum suarum DEO facta ad ejus gloriam, actus fidei, spei, charitatis, contritionis.

Quæst. III. *An imponi possunt opera aliunde præcepta?*

Resp. Non possunt sola licitè imponi, si pœnitens possit alia præstare. *Prob.* Ex Concil. Trident. Sess. 14. cap. 8. *Satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* At opera jam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset pœnitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio injuriæ, & damni compensatio, fuga occasionis peccandi non sunt satisfactiones vindicativæ.

Porrò confessarius censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantia colligi queat; nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat jejunium, pœnitens non satisfacit jejunando uno die, quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto tenetur.

Quæst. IV. *An imponi debet pœnitentia publica?*

Resp.

Resp. 1. Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant, ait Rituale Rom. Nam esset improportionata, & contra usum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa pœnitentis.

Resp. 2. Imponenda est pœnitentia publica pro peccatis publicis. Ita Concil. Trident. Sess. 24. c. 8. *Apostolus monet publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Nec tunc (inquit S. Thomas) confessarius, sed pœnitens ipse satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & inducitur tantùm ad id quod ex se facere debet ad scandalum tollendum.

Sine tamen Episcopi consilio & authoritate imponi non debet pœnitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut standi ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso, &c. Sed quivis confessarius potest & debet injungere satisfactiones, quæ sine solemnitate peraguntur coram iis, qui scandalum passi sunt, dum aliter tolli nequit, & jubere ut retractent sermones contra fidem, bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis qui audierunt, &c. Nam scandalum necessariò tolli debet.

Quæst. V. *An confessarius potest in pœnitentiam medicinalem imponere pœnitenti aliquid, ex quo oriatur suspicio vel etiam notitia peccati pœnitentis?*

Resp. Suarez, Disp. 33. Sect. 7. si medium illud sit necessarium ad vitandum relapsum, posse sacerdotem illud præcipere pœnitenti, v. g. ut dimittat tale officium, vel hanc domum, aut aliquid simile; & ipsum pœnitentem teneri obedire: quòd si noluerit, dimittendum sine absolutione. Quo in casu nulla est sigilli fractio; quia si aliquid fit, totum est est ex consensu & voluntate pœnitentis. Neque est gravamen aut onus contra sigillum, quòd ille consensus per præceptum vel per comminationem negandi absolutionem extorqueatur; quia supposita vera necessitate, illud præceptum non tam imponitur à confessario, quàm declaratur pœnitenti obligatio, quam in seipso habet; & ideo comminatio illa justa est, imò & necessaria, quia non potest aliter confessarius debito modo fungi suo munere. *Ita Suarez.* Neque tunc est revelatio confessionis; sed ipsemet pœnitens, ut suæ obligationi satisfaciat, seipsum voluntariè prodit.

Quæst. VI. *An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis?*

Resp. Affirm. Quia tunc non applicatur aliis satisfactio secundùm valorem, quem habet ex opere operato, sed secundùm eum quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipse charitatis, quo quis applicat aliis satisfactionem sui operis, habet vim satisfactivam: hanc enim habet omne opus meritorium.

Quæst. VII. *An pœnitens tenetur acceptare & implere pœnitentiam rationabilem injunctam?*

Resp. Affirm. 1. Quia Sacerdos habet potestatem judicialem non solum solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi per impositionem pœnitentiæ, ex Concil. Trident. cap. 8. cit. Imo habet obligationem, ut ostendi. At talis potestas & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in reo talem satisfactionem injunctam acceptandi & exequendi: hæc enim sunt correlativa, & alioqui Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. Ex Concil. Later. cap. *Omnis*, ibi: *Omnia sua peccata confiteatur fideliter & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* 3. Quilibet subditus tenetur obedire judici & superiori justam sententiam ferenti. At Sacerdos, cui pœnitens per confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut superior & judex; & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine ac authoritate ligat, sicut absolvit. 4. Ex Conc. Trid. sess. 14. canon. 4. satisfactio est pars Sacramenti, nempe integralis, & à Deo requiritur ad plenam ac perfectam peccatorum remissionem. Pœnitens autem tenetur servare integritatem Sacramenti, præsertim cùm ad illud concurrat. Quare hæc obligatio ex genere suo gravis est, cùm ejus materia pertineat ad religionem & justitiam divinam.

Nec excusatur pœnitens eo quòd velit alium adire: nam non licet pœnitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis justum judicium, cui se jam subjecit. Pœnitens quidem ante confessionem poterat alteri confiteri, sed facta confessione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, ejusque authoritate ligat: *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*, ait Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 8.

Hinc mortaliter peccat, qui pœnitentiam pro mortali impositam, vel notabilem ejus partem culpabiliter omittit: nam qui tenetur aliquid præstare, ad id obligatur per se sub mortali, si res gravis sit. Quòd si sit levis, & imposita pro solis venialibus, vel mortalibus jam aliàs confessis, secundùm multos est dumtaxat veniale illam omittere secluso contemptu & scandalo: quia completio integralis partis per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiæ. Aliqui tamen putant esse mortale: quia gravis irreverentia Sacramento infertur, illud privando tota sua integritate & complemento non accidentali. Et quamvis hæc materia secundùm se sit levis, tamen gravis censetur respectu Sacramenti, cùm sit ejus tota pars integralis. Delugo fatetur esse mortale omittere satisfactionem pro solis venialibus imposita, si hæc gravis sit, verbi gratia, jejunium, quia obligatio eam implendi oritur à potestate judicis, & res præcepta est gravis, & capax præcepti gravis.

Imò si confessarius leviorem pœnitentiam imposuisset, pœnitens tenetur supplere: nam lege divina tenemur satisfacere Deo in hac vita etiam pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita, ut constat, 2. Ex Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* Per jejunium intelligitur omne opus pœnale. Item, ex Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, Et, Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ duo ex Concil. Trid. sess. 6. c. 14. non solùm contritionem & vitæ emendationem significant, sed etiam, *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, aliaque pia spiritualis*

ritualis vitæ exercitia, *pro pœna temporali*, *quæ non tota semper*, *ut in Baptismo dimittitur*. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Hieronymus, in cap. 2. Jerem. *Peccata gravia gravioribus tormentis indigent.* 3. Ex præcepto naturali & divino virtutis pœnitentiæ tenemur, quantum possumus, Deo plenè satisfacere in hac vita pro injuriis ipsi illatis. Nam ipsa ratio dictat, Deo non minus quàm hominibus plenè satisfaciendum esse, quàm primùm fieri potest moraliter. Hæcque obligatio gravis est pro mortalibus.

Porrò ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 9. satisfacimus Deo non solùm piis ac laboriosis operibus à Sacerdote injunctis, vel spontè susceptis: sed etiam malis ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Dixi *rationabilem*. Nam si clavis erret, ut ajunt, hoc est, si imponatur satisfactio irrationabilis ob nimiam gravitatem & diuturnitatem, potest pœnitens illam recusare, & alium confessarium adire.

Quæst. VIII. *Quandonam pœnitens tenetur implere pœnitentiam?*

Resp. Tenetur tempore à confessario præscripto: nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen satisfactionis ad paucos dies, etsi sine necessitate, potest esse tantùm venialis: nisi ad finem injunctæ pœnitentiæ magni referat illam impletam esse tempore præfinito, v. g. ad superandas tentationes urgentes. Quòd si confessarius nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem implere, quàm primùm commodè potest; ita ut peccet mortaliter, si illam ex gravi negligentia diu differat. Nam integritas Sacramenti, & ratio debiti, justæ satisfactionis, ac medicinæ & rationabilis intentio confessarii executionem celerem exigunt.

Qui autem pœnitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea quam primùm potest persolvere. Nam dilatio solutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem onere illud solvendi; & intentio confessarii est, ut satisfactio absolutè fiat; tempus verò præfinitur solùm ad non differendam solutionem.

Quæst. IX. *Quomodo, & in quo statu impleri debet satisfactio?*

Resp. 1. Satisfactio impleri debet ex motivo pio ac supernaturali, & sine affectu ad mortale. Quia satisfactio Sacramentalis est pars integralis Sacramenti, & actus virtutis pœnitentiæ præceptus ad compensationem quamdam injuriæ divinæ: ergo debet esse actio moraliter bona, supernaturalis, elicita saltem ex motivo placandi Deum, ejusque injuriam compensandi. Quæ voluntas est incompossibilis cum affectu ad mortale.

Resp. 2. Qui pœnitentiam in peccato mortali exequitur, peccat saltem venialiter. Quia Sacramenti partem indignè suscipit; & ponit obicem effectui, nempe remissioni pœnæ temporalis, quæ est effectus secundarius, pendens à primario, nempe gratia sanctificante. Tamen ex communiori sententia talis non tenetur postea satisfactionem repetere, eo quòd substantiam præcepti impleverit, & quia in Ecclesia veteri sæpe exigebatur saltem magna ex parte executio satisfactionis ante absolutionem, ac proinde ante remissionem peccatorum saltem ordinariè: nam perfecta contritio satis est infrequens. Imò juxta multos, sicut pœnitentiæ ante absolutionem implendæ jussu confessarii, reatum pœnæ temporalis tollunt: cùm peccatum postea per absolutionem remissum fuerit;

fuerit; ita Pœnæ post absolutionem peragendæ, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per justificationem obice suum effectum assequentur.

Quæst. X. *An pœnitentia à confessore imposita potest in aliam mutari?*

Resp. 1. Non potest à pœnitente propria authoritate mutari etiam in aliud opus melius: tum quia nulla satisfactio potest esse Sacramentalis, nisi imponatur à ministro Sacramenti: tum quia reus non potest mutare sententiam judicis, nec subditus opus præscriptum à Superiore. Item ab alio Sacerdote mutari nequit, si fuerit conveniens nec nimis acerba; cùm imposita sit, clave non errante, per actum potestatis ligandi.

Resp. 2. Ob justam causam mutari in aliam convenientem. 1. Ab ipso confessario, qui illam imposuit: nam hoc sæpe potest expedire ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur; & tunc non erit necesse repetere priorem confessionem, si tempus à quo facta est, sit adeo breve, ut moraliter censeatur idem judicium, & Sacerdos adhuc recordetur statum pœnitentis, sed hoc fieri debet in alia confessione: quia est actus judicialis, & usus clavium, qui non nisi in Sacramento exercetur. Quòd si confessarius non recordetur ampliùs peccatorum, pro quibus priorem pœnitentiam imposuit, requiritur nova eorum confessio: quia impositio alterius pœnitentiæ est actus jurisdictionis, qui fit à judice ut Judex est: ergo debet procedere cum notitia causæ.

2. Id etiam potest quivis alius confessarius, si satisfactiones impositæ sint irrationabiles, & contra prudentiæ regulas. & minimè convenientes. Quia Sacerdos non habet potestatem tales injungendi, nec proinde ad eas obligandi pœnitentem: ideoque mutari possunt ab alio, qui in eodem tribunali idem potest ac prior judex cui succedit. Sed tunc necesse est, ut apud ipsum fiat nova confessio peccatorum, pro quibus imposita est pœnitentia: quia pœnitentiæ commutatio est impositio pœnitentiæ loco prioris, ideoque actus judicii Sacramentalis, alioqui pœnitentia mutata non esset Sacramentalis. At ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. tale judicium non potest nisi causa distinctè cognita, & in sacro tribunali rectè exerceri: neque enim Sacerdos habet potestatem ligandi, seu imponendi satisfactionem Sacramentalem, nisi prout exercet judicium & potestatem clavium, præcedente legitima accusatione sibi facta. Hinc confessarius pœnitentiam ab alio impositam commutare nequit sine nova peccatorum absolutione: nam non potest exercere judicium Sacramentale, quin totum Sacramentum conficiat, unde etiam ex parte pœnitentis requiritur nova contritio. Cæterùm ne prius Sacramentum sua integritate privetur; relinquendum est aliquid ex priore pœnitentia præstandum.

Quæst. XI. *An pœnitentia potest per alium persolvi?*

Resp. Neg. Quia 1. Satisfactio imponitur pœnitenti per ipsum, non per alium persolvenda. Nam ipsemet reus debet pœnam debitam subire; & cùm culpa sit personalis, personalis quoque debetur pro ea satisfactio. 2. Ex Concil. Trident. materia & partes Sacramenti sunt tres actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio: ergo satisfactio, quæ est pars materialis Sacramenti, debet esse actus ipsius pœnitentis, non alterius; sicut nec contritio, vel confessio alterius potest esse materia in hoc Sacramento. Hinc Alexander VII. damnavit

navit hanc propositionem: *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Quæst. XII. *An necesse est ex præcepto seu institutione Christi, ut satisfactio ante absolutionem semper impleatur?*

Resp. Neg. Prob. 1. Ex usu nunc in Ecclesia à pluribus sæculis recepto, Ecclesia autem præsens, non minùs quàm antiqua à Spiritu Sancto regitur; nec unquam errare potest in rebus ad fidem, mores, disciplinam generalem, & administrationem Sacramentorum pertinentibus, juxta illud, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* 2. Ex usu antiquæ Ecclesiæ, in qua pœnitentes ante pœnitentiam impletam absolvebantur, ut quando imminebat persecutio, aut aliud mortis periculum. 3. Ex Sixto IV. qui, ut falsam & erroneam damnavit hanc Petri de Osma propositionem: *Non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere.* Et ex Alexandro VIII. qui tres has propositiones damnavit. *16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id quodammodo dictante. 17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. 18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas. & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Ratio est, quia satisfactio est tantùm pars integralis & complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Pars autem integralis non debet necessariò præmitti essentiali ejusdem rei; & sine illa stat tota essentia compositi, ut patet in physicis, sic dentes non nascuntur infantibus, nisi aliquot post ortum mensibus, à fortiori in rebus moralibus.

Sed num aliquando potest confessor obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam sive ex parte, sive ex toto ante absolutionem?

Resp. Affirm. Nam nec Christus, nec Ecclesia id prohibuerunt, quando prudentia dictat id expedire. Imò ad id obligari debet pœnitens, quando est periculum, ne absolutione accepta pœnitentiam omittat; vel si hoc necessarium sit, aut valde expediat curationi pœnitentis, vel si Sacerdos nequeat aliter judicare de dispositione pœnitentis. Ita Suarez, & Delugo, qui dis. 14. sect. 10. si ait: *Ex communi doctrina Theologorum potest aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante absolutionem, per modum medicinæ, quando judicat id necessarium; vel utile pœnitenti, ex eo quod soleat facilè promittere pœnitentias, vel ut confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines.* (a)

APPEN-

(a) Ut Canones pœnitentiales meliùs intelligantur, notanda sunt, quæ habentur lib. VII. de Synod. Diœcef. c. 62. „Tanta diligen„tia Majores nostri disquirebant, quæ uni„cuique peccato esset imponenda pœni„tentia, ut si enorme aliquod audiretur „perpetratum crimen, quod, vel ratione „sui, vel ratione adjectæ circumstantiæ, „quamdam peculiarem, & graviorem re„doleret nequitiam, & turpitudinem, si„mul statim convenirent Episcopi ad deli„berandum, quo pœnitentiæ genere esset „illud expiandum; reque mature discussa, „ac tandem deliberata, singuli parœciis „suis, quod communi consensu statutum „fuerat, significabant: hujus vetustissimæ

APPENDIX.

Referuntur præcipui Canones Pœnitentiales secundùm ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & libris pœnitentiariis collecti in instruct. Sancti Caroli.

Circa I. Decalogi Præceptum.

QUi à fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quive cantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annis septem.

Respiciens furta in astrolabio, pœnitens erit annis duobus.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit duos annos.

Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annis quinque.

Circa

„ Ecclesiæ Praxis locupletissimus testis est „ S. Cyprianus multis in epistolis, præcipue *Epist.* 14. 18. 53. & 62. eumque pluribus monumentis comprobat doctissimus „ Morinus *de Pœnit. lib.* 4. *cap.* 17. & *lib.* 6. *cap.* 14. & 15. Tanti præterea momenti „ negotium æstimabatur, ut peccatores dignam, suoque reatui æquam subirent „ pœnitentiam, ut interdum etiam Romani „ Pontificis ea de re exquireretur sententia: & quandoque ad eundem ipse reus „ remitteretur dijudicandus, qua, & quanta pœnitentia, à Deo, atque ab Ecclesia „ reconciliationem consequi mereretur: „ Theodobertus Francorum Rex Vigilium „ Papam interrogavit, qua pœnitentia plectendus esset, qui fratris sui uxorem duxerat; cui interrogationi Vigilius satis „ fecit epistola ad Cæsarium Arelatensem „ Episcopum, quam habemus *tom.* 1. *Conc.* „ *Galliæ pag.* 246. In Concilio Lemovicensi anni 1051. (*collect. Harduin. tom.* 6. *part* 1. *col.* 891.) decretum est: *Si Episcopus Parochianum suum cum testibus, vel litteris „ Apostolicis, ad pœnitentiam recipiendam „ direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri „ solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam „ hæsitant pœnitentiam imponendam, hic talis „ licenter à Papa remedium sumere potest*, „ ibidemque circa finem factum narratur „ cujusdam Militis Vasconis, qui, jubente „ Vasconum Duce Sancio seniorem suum „ occiderat, sed postea pœnitentia ductus „ Episcopum adiit, à quo hoc accepit responsum: *Nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quantocyus ad Papam „ Romanum. Si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: si te ille „ abjecerit, nec à me, nec ab aliquo invenies pœnitentiam.*

„ 2. Quam autem, aut Episcopi, aut „ Pontifices Maximi certo crimini semel imponendam statuerant, pœnitentia in codicem referebatur, qui *Liber Pœnitentialis* est nuncupatus, ut deinceps regula „ esset, ad quam inferiores Sacerdotes se „ conformarent: & ne quisquam ab ea recederet, Episcopus in sua Synodo, atque „ in diœcesis visitatione, id potissimum investigabat, an quilibet Presbyter librum „ haberet Pœnitentialem, suæ diœcesis proprium, & an secundum quod ibi præscriptum erat, pro modo culpæ, pœnitentiam injungeret: Discimus id ex Burchardo, apud quem *lib.* 1. *post cap.* 94. inter ea, quæ Episcopi in Diœcesanis Synodis quærere debent, hoc *interrogat.* 58. continetur: *Est aliquis, qui modum „ pœnitentiæ sibi injunctum non custodierit?* „ Atque ex Reginone, suam canonum collectionem à modo exordiente visitandi „ Ecclesias, ubi *cap.* 98. hæc singulis Presbyteris ab Episcopo, aut Archidiacono „ facienda proponitur interrogatio: *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episcopo, vel à Ven. Presbytero Beda „ editum, ut secundum quod ibi scriptum est, „ interroget Confitentes, ut Confessis modum „ pœnitentiæ imponat.*

„ Multi ex hisce libris Pœnitentialibus ab „ Episcopis exarati perierunt; Atque utinam ille extaret, quem accuratissime „ conscripserat Cyprianus, ut ipsemet *epist.* 52. *ad Antonianum* testatur: inde „ enim exactissimæ priscorum Patrum, in „ puniendis peccatis diligentiæ luculentum „ haberemus testimonium: sed licet plures ex „ illis desiderentur, plures tamen, sapientissimo Dei consilio, ad nos pervenerunt, ut ex „ illis discamus, quinam fuerit in Ecclesia „ Catholica

Circa II. Præceptum.

Quicumque sciens perjuraverit, 40. dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & numquam sit sine pœnitentia; & numquam in testimonium recipiatur, & post hæc communionem percipiat.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Si quis Deum vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, præ foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die, sine pallio & calceamentis ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulis item illis septem diebus Dominicis tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest: alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recusans Ecclesiæ ingressu interdicatur, in obitu Ecclesiastica careat sepultura.

„ Catholica veræ pœnitentiæ spiritus. Antonius Augustinus ad suam juris canonici epitomen antiquum attexuit Pœnitentiale Romanum, in novem titulos distributum, in quibus varia recensentur criminum genera, atque ex Conciliis, Summorum Pontificum epistolis, ac Patrum sententiis, pœnitentiæ describuntur, pro singulis imponendæ, & fortasse hic liber ille idem est, quem Nicolaus I. se misisse scribit ad Bulgaros; in responsione ad eorum quæsita *cap. 75. Judicium pœnitentiæ, quod postulatis, Episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus in scriptis secum uti que deferent: aut certe Episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc, cum oportuerit, exhibebit (tom. 5. collect. Hard. col. 378.)* post Gratiani Decretum, in editione Romana habentur canones Pœnitentiales, desumpti ex Summa Astensi, eosdemque canones, à mendis purgatos, qui Librariorum incuria, in eos irrepserant, laudatus Antonius Augustinus adjecit libris Pœnitentialibus, Romano, Bedæ, & Rabani, opportunis, & eruditis notis à se exornatis. Alios Antiquos libros Pœnitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad Tract. de Pœnit.* Alios evulgavit Martene *tom. 2. de antiquis Ecclesiæ Ritibus.* Liber de remedio peccatorum Ven. Bedæ, & Capitulare Theodulfi Archiepiscopi Aurelianensis, publici juris fecit Baluzius *tom 7. Miscellaneor. p. 21.* Muratorius binos Pœnitentiales ex Italicis deprompsit bibliothecis, alterum scilicet ex codice Ms. Capituli Canonicorum Veronensium, alterum ex codicibus Mss. monasterii Bobiensis, atque ambos edidit *tom. 5. antiquit. Ital. med. ævi, dissertat.* 68. S. Carolus Boromæus non solum vulgatos canones Pœnitentiales, sed innumeros alios, ex antiquis Conciliis, aliisque libris Pœnitentialibus in unum collegit, per decem distribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem summopere Sacerdotibus commendavit: Eamdemque vero S. Caroli collectionem, ad Sacerdotum Pœnitentiæ sacramentum administrantium instructionem, denuo typis Romanis imprimi jussit Gaspar Cardinalis Carpineus, tempore Pontificatus Innocentii XII. cujus erat in Urbe Vicarius.

„ 4. Jam vero si Episcopus in sua Synodo antiquos canones Pœnitentiales renovaret, suisque Constitutionibus annecteret, animo inducendi Confessarios ad pœnitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine sunt in illis præscriptæ, non solum rigidissimæ Ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret: Etenim hac nostra lutulenta ætate, qua Fideles à pristino morum nitore, & sanctitate defecerunt, tot interdum gravissimis sceleribus onerati, ad Sacramentale forum quidam accedunt, ut si iisdem, secundum antiquos canones Pœnitentiales, foret injungenda pœnitentia, hæc ad tot annos esset protrahenda, qui integrum eorumdem vitæ cursum non exæquarent modo, sed excederent, quod *in citat. dissert.* bene ponderavit Muratorius.

„ 5. At si Episcopus suis Synodalibus Constitutionibus canones inserat Pœnitentiales, vel eorumdem studium, & cognitionem Sacerdotibus suadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam à multis sæculis obsole-

„ tos,

Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

Circa III. Præceptum.

Qui opus aliquod servile die dominico, festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Si quis jejunia à sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac præterea à carne abstineat.

Circa IV. Præceptum.

Qui parentibus maledixerit, 40. dies pœnitens sit in pane & aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Si quis contra Episcopum, Pastorem & Patrem suum insurrexerit, in

---

„ tos, ad usum revocet, sed dumtaxat, ut „ eorumdem notitia Confessariis prodesse „ queat, ad aliqualem proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam, pro singulis imponendam; Ac præterea, ut iidem Confessarii inde argumentum desumant ad aperiendam Pœnitentibus admissorum scelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aspera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Ecclesia coercebantur; si inquam, hoc tantum consilio, id ab Episcopo fiat, statim Constitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adversum eas concitare, quod aliquando factum scimus, res plane intolerabilis est, atque à nullo cordato viro ferenda. Enimvero quam reprehensionem meretur Episcopus, qui plurium & sanctitate, & doctrina præstantium præsulum vestigia premit? Quid à Sanct. Carolo hac in re gestum fuerit, jam audivimus; Quid alii fecerint Antistites, mox subnectemus.

„ 6. In famigeratis Constitutionibus Matthæi Giberti, Episcopi Veronensis, Ecclesiasticæ disciplinæ, ante Tridentinam Synodum, Instauratoris solertissimi, *cap.* 18. *tit.* 6. statuitur: *Confessarii canones Pœnitentiales quasi quasdam regulas ediscant . . . ut sciant illos postea sapienter, & discrete moderari, secundum peccati circumstantias, & Contritionis qualitatem;* Joannes Franciscus Bonhomius Vercellarum Episcopus, qui floruit post Tridentinum, in suis generalibus decretis Ecclesiasticæ reformationis *pag.* 213. loquens de Confessario, ait: *Canonesque item Pœnitentiales memoria teneat, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungere valeat, simulque ipsis Pœnitentibus, ut promptius ac libentius, quod jussi erunt, ipsi præstent, diligenter exponat, quam benigne hodie Ecclesia sancta gravissimas antiquorum canonum pœnas in mitiores commutandas esse censuerit;* Hoc ipsum à Catechismo Romano ad titulum *de Pœnit.* hisce verbis insinuatur: *Ut Pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis, ex veterum canonum præscripto, qui Pœnitentiales vocantur, constituta sint.* In Concilio Provinciali Florentino, habito an. 1518. atque à Leone X. confirmato, *pag.* 120. *& seqq.* integri referuntur antiqui canones Pœnitentiales, quibus hæc præfiguntur verba: *Hi sunt Pœnitentiales canones, quos hic in fine subnectendos duximus ad sublevandam simplicium Clericorum imperitiam, ut, cum viderint, certam à jure pœnitentiam imponi, ipsi melius arbitrium suum informare possint, quomodo, attentis confessione, fletu, lacrymis & dolore, dispositione, & facultate Confitentium, pœnitentias salubriter moderari possint; nam qualitas temporum nostrorum, in quibus non solum merita, sed & corpora defecerunt, non patitur rigorem antiquorum canonum permanere, sed necesse est illum à discreto Sacerdotis judicio temperari;* in Synodo Amerina habita anno 1595. ab Episcopo Antonio Maria Gratiano *cap.* 146. legitur: *Pœnitentialium canonum jure impositas singulis sceleribus pœnas, pœnitentiasque nosse Confessoribus perutile fuerit, cum ut ex iis ipsi melius, certiusque statuere valeant, quæ cuique peccato definienda pœnitentia sit, tum, ut Pœnitentes ipsi à Confessoribus de prisci*

„ moris

in Monasterio omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget.

Si quis Episcopi, aut ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane & aqua.

Circa V. Præceptum.

Qui presbyterum occiderit, pœniteat 12. annis.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat à carne & vino, dum vixerit: jejunet secunda, & quarta, & sexta feria.

Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu communionem recipiet.

Qui homicidii author fuit, ob consilium quod dedit, pœnitentiam aget 40. dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam agat annos tres; si nolens, quadragesimas tres.

Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane & aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadragesimas in anno observabit.

Qui sceleris occultandi causa filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

„ *moris severitate edocti, quanto nunc benignius cum illis sancta mater Ecclesia agat, intelligentes, hanc saltem ei gratiam referant, ut peccatorum consuetudine, ob id diligentius abstineant.* In Synodo Pragensi celebrato anno 1605. & jussu Cardinalis Episcopi de Harrac, recusi anno 1650. *tit. de Pœnitent.* dicitur: *Confessarii canones Pœnitentiales memoriæ mandent, ut singulis criminibus congruam satisfactionem injungant;* In Synodo Osnabrugensi anni 1628. *cap.* 17. habetur: *Requiritur in Sacerdote scientia canonum Pœnitentialium.* Similes Episcoporum Italiæ Synodales Constitutiones recensentur à Genetto *tom.* 4. *Theolog. moral.* 6. *cap* 7. videlicet Cosmæ de Torres, Episcopi Perusini; Cardinalis Jacobi Sabelli, Archiepiscopi Beneventani Cardinalis Joannis Baptistæ Leonii, Episcopi Ferrariensis; Ven. Servi Dei Cardinalis Pauli de Aretio, Episcopi Placentini; Cardinalis Bonifacii Cajetani, Archiepiscopi Tarentini: Cardinalis Cybo, sacri Collegii Decani, Episcopi Veliterni; Cardinalis Jacobi Boncompagni, Archiepiscopi Bononiensis Decessoris nostri.

„ 7. Quæ autem hucusque dicta sunt de Pœnitentialium canonum utilitate pluribus argumentis confirmat Cardinalis de Aguirre *ad can.* 11. & 12. Concilii Toletani III. *tom.* 2. *collect. maxim. Concilior. Hispanor.* eaque nituntur etiam auctoritate D. Thomæ, qui *quodlib.* 3. *quæst.* 13. *art.* 1. docet quidem, non esse nunc pœnitentiam præscribendam, ad exactam normam antiquorum canonum, sed simul expedire ait, ut Confessarius pœnitenti significet, quanta pœnitentia, pro singulis ab ipso perpetratis flagitiis expiandis, esset olim ab Ecclesia definita: *Videtur satis conveniens, quod Sacerdotes non oneret Pœnitentem gravi pondere satisfactionis: quia sicut parvus ignis à multis lignis superpositis de facile extinguitur, ita posset contingere, quod parvus affectus Contritionis in Pœnitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Unde melius est, quod Sacerdotes Pœnitenti indicet: quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat sibi nihilominus aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos sibi injungere non attentasset, & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, quia Sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.*

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit nec nocuerit: tridui pœnitentiam aget in pane & aqua.

Circa VI. Præceptum.

Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pœnitentiam aget 20. dies.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40. dies.

Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

Qui incestum fecerit (non ita enormem) *pœnitens erit 12. annis.*

Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

Si quæ mulier cerusa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiam aget annos tres.

Si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, & peregrinando 12. annis pœniteat, & postea Monasterium intret tota vita sua moraturus ibidem.

Pro adulterio septennii & decennii pœnitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum pœnitentia statuitur.

Circa VII. Præceptum.

Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiæ factas, pœnitens erit annos septem.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies 20. in pane & aqua.

Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

Circa VIII. Præceptum.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Falsarius in pane & aqua pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

Si quis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Circa IX. & X. Præceptum.

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si presbyter quinque: si diaconus vel monachus, tres: si clericus aut laicus, annos duos.

CAPUT II.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu Absolutione.

I. Circa modum absolvendi sic habet Rituale Romanum authoritate Pauli V. editum: *Cùm pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei priùs & ab eo accepta pœnitentia salutari, primò dicit.*

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Deinde dextera versùs pœnitentem elevata dicit.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus: Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis,

tionis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde, Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Monet omittendam esse vocem, *suspensionis*, si pœnitens sit laicus, & addit in confessionibus frequentioribus & brevioribus, omitti posse *Misereatur, &c.* & satis esse dicere, *Dominus noster Jesus Christus, &c.* ut suprà usque ad illud *Passio Domini, &c.* Urgente verò gravi aliqua necessitate in periculo mortis, breviter dici posse, *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis, in nomine Patris, &c.*

II. Forma absolutionis consistit in his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Quare preces & verba, quæ hanc formam antecedunt & subsequuntur, non sunt de illius essentia, ut constat ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. Item quamvis omnia verba ista ex præcepto exprimi debeant, tamen aliqua non sunt de essentia formæ, ut ista, *Ego*, *tuis*, *Amen.* Sed circa alia dissentiunt Theologi: nam alii ad totam essentiam assignant hæc duo, *Absolvo te*, quæ saltem secundùm omnes requiruntur: quia necessaria sunt ad significandum effectum primarium Sacramenti, nempe absolutionem. Absolutio autem est sententia judicialis, quæ necessariò ad reum dirigitur; & sic pronomen *te* exprimi debet. Alii insuper exigunt voces, *à peccatis*. Imò aliqui, pauci illi quidem, addunt etiam. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed falso principio nixi, nempe quia putant formam Sacramenti esse deprecativam.

III. Absolutio data sub conditione de præsenti, vel de præterito, valet si illa sit præsens, vel impleta: quia tunc Sacramentum, & effectus non suspenditur. Sed sic collata sine necessitate, graviter est illicita; est enim contra reverentiam Sacramenti, & usum Ecclesiæ. Item illicitè apponitur conditio, quæ necessariò præsupponi debet, ut si dicas: *Ego te absolvo, si habeas veram contritionem*, vel *voluntatem restituendi*, *si habeo potestatem absolvendi, &c.* Quia conditio, quæ semper necessaria est, & ex natura Sacramenti præsupponi debet, inutiliter ac otiosè, ideoque contra reverentiam Sacramento debitam apponitur. Si autem dubitetur, utrùm pœnitens adhuc vivat, vel an Sacerdos verba absolutionis protulerit, secundùm multos danda est absolutio sub hac conditione: *Si tu es capax*, vel *si non es absolutus, Ego te absòlvo, &c.* ut fit in Baptismo.

Absolutio autem data sub conditione de futuro, est nulla. Quia tunc intentio absolvendi, & absolutio non existit absolutè, sed suspenditur: ac proinde nihil efficit: nam non est in potestate Sacerdotis suspendere Sacramentum & ejus effectum, cùm sacramenta producant id quod significant, & significant gratiam præsentem dari. Hinc non valet absolutio sic data; *Si restitueris, si pœnitentiam impleveris, Absolvo te.*

IV. Invalida est absolutio data absenti; ut constat. 1. Ex praxi Ecclesiæ, in qua numquam moribundis absentibus datur, etsi sine ea morituris. 2. Ex forma absolutionis, quæ subjectum per ly *te*, designat præsens, ideoque falsa esset, si foret absens, & quæ forma necessariò verbis vocalibus

constat:

constat: nemo autem ad absentem utitur verbis vocalibus.

V. Mortale est absolvere aliquem à peccatis, antequam sit absolutus ab excommunicatione contracta: nam Ecclesia graviter prohibet, ne excommunicatus ullum Sacramentum recipiat. Quare is non est verè absolutus ob carentiam contritionis, & sacrilegium mortale, quod admittit recipiendo Sacramentum contra prohibitionem Ecclesiæ.

VI. Ad repetendam absolutionem requiritur nova confessio: nam super eadem confessione non potest absque sacrilegio repeti absolutio; quia caderet super materiam nullam, ideoque irrita esset. Potest tamen repeti super diversa confessione etiam eorumdem peccatorum: quia confessio est materia proxima; peccata autem remota: unde absolutio cadet super novam materiam proximam.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

De potestate requisita in Ministro Pœnitentiæ.

Quæst. I. AN *requiritur jurisdictio ad absolvendum?*

Nota. 1. Jurisdictio generatim est potestas regendi, seu ferendi sententiam in subditos. Duplex est, nempe in foro interno & externo. Jurisdictio in foro interno seu pœnitentiæ, de qua hìc agitur, est potestas absolvendi, ligandi & obligandi subditos confessos in tribunali pœnitentiæ sacramentalis. Jurisdictio in foro externo est potestas ferendi leges ac censuras, imponendi pœnas Ecclesiasticas etiam publicas, vel ab iis dispensandi ac liberandi, & regendi subditos per hæc omnia, & quoad politiam externam. Utraque jurisdictio subdividitur in ordinariam & delegatam. Jurisdictio in foro interno ordinaria est ea, quæ alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum, qualem habet Papa in omnes fideles, Episcopi in suos diœcesanos, parochi in suos parochianos, Superiores religiosorum in suos subditos.

Delegata est ea, quæ committitur Sacerdoti ab eo, qui habet ordinariam. Et acquiritur per expressam, vel tacitam confessionem: nam delegatio est unus ex actibus jurisdictionis ordinariæ. Ad consensum autem tacitum requiritur scientia ejus, quod agitur: unde non est tacita concessio sine notitia Prælati.

Nota. 2. Jurisdictio delegata non expirat per delegantis mortem, aut demissionem, si sine ulla temporis limitatione ab illo data fuit, nec revocata ab eo, vel illius successore aut Superiore. Nam delegatio est gratia facta confessario, cui statim acquiritur: at gratia facta non expirat per mortem concedentis; nam gratia, seu beneficium Superiori debet esse mansurum. *Reg. jur. 16. in 6.*

Nota 3. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare, nisi hoc ei specialiter concessum sit: quo casu, non suo, sed delegantis nomine censetur subdelegare. Quia delegatus eam solam potestatem habet, quæ ei conceditur: at conceditur ei solum quoad suam personam potestas exercendi jurisdictionem, non item alteri committendi, nisi aliud exprimatur; nam hæ duæ facultates diversæ sunt & distinctæ.

Resp. Ad absolvendum, præter potestatem sacerdotalem requiritur jurisdictio. Constat ex Concil. Tridentin. Sess. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur,*

feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem: Ratio est, quia absolutio est sententia judiciaria, ad cujus valorem requiritur jurisdictio in eo qui judicat, & subjectio in eo qui judicatur.

Quæst. II. *An aliquando Ecclesia supplet defectum jurisdictionis in Sacerdote?*

Resp. Affir. modò hæc duo simul adsint. 1. Titulus coleratus, hoc est, titulus habens speciem veri tituli, cùm tamen reipsa nullus sit: qualis est collatio beneficii parochialis, sed invalida propter occultum aliquem defectum, v. gr. propter occultam simoniam. 2. Error communis, ita ut communiter ac publicè quis existimetur verum habere titulum & jurisdictionem: si enim ex ex errore unius aut alterius tantum putaretur Sacerdos habere jurisdictionem, quam non habet, invalida esset absolutio: quia tunc non est sufficiens ratio, ob quam Ecclesia censeatur conferre jurisdictionem; cùm hoc non sit necessarium ob bonum commune, quod non exigit, ut Ecclesia prospiciat quibusvis casibus privatæ singulorum ignorantiæ.

Ecclesia autem supplet illum occultum defectum, concedendo extraordinariè Sacerdoti jurisdictionem transeunter pro singulis actibus: eo quod bonum commune id exigat ad impedienda multa gravia damna ac scandala, quæ ex invaliditate actuum orirentur. Argumento ex *L. Barbarius*, *ff. de offi. prætor.* Talis tamen minister peccat graviter, quia usurpat jurisdictionem, quam scit se antecedenter non habere, & hoc est ei graviter prohibitum.

Quæst. III. *An præter potestatem ordinis & jurisdictionis requiritur approbatio in confessario tam regulari, quàm sæculari non habente beneficium, cui animarum cura sit annexa?*

Resp. Affirm. Nam ita statuit Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant: decernit tamen S. Synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegio & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.*

Circa quod decretum observanda sunt sequentia.

1. Approbatio est consensus & facultas Episcopi, ut confessarii munus exerceat is, quem ad id idoneum judicat. Sensus autem decreti Concil. Trid. est, quod sine illa approbatione nullus possit non solùm licitè, sed etiam validè audire confessiones, ut expressè declaravit Sac. Congregat. Cardinalium, & constat ex sensu ac práxi Ecclesiæ, atque ex scopo Concilii, & ex his ejus verbis: *Nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari.* Nam Tò *posse* simpliciter & absolutè ibi dictum intelligitur tum validè, tum licitè: & qui non reputatur idoneus simpliciter ad administrandum Sacramentum, is sanè non potest illud validè administrare. Porrò Ecclesia id potuit statuere: quia cùm jurisdictio ad valorem absolutionis necessaria tribuatur ab Ecclesia, potuit illa hanc conditionem apponere, ut necessariam ad jurisdictionem accipiendam, & validè exercendam; ita ut sine

approbatione Sacerdos non curatus sit incapax jurisdictionis recipiendæ vel exercendæ, adeoque absolvendi validè.

2. Hoc habet vim etiam in Gallia: nam hoc statutum in Gallia receptum & promulgatum fuit, ut constat ex multis Conciliis particularibus, & ex comitiis generalibus Clerici Gallicani an. 1625. 1635. 1745. Præterea hæc propositio: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii authoritate privilegia regularium restringi possunt, cùm id in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei:* ab Alexandro VII. anno 1659. damnata fuit ut falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & schisma inducens, Conc. Trident. & Sedi Apostolicæ injuriosa. Idem declaravit Clemens X. constit. *Superna.*

3. Non sufficit approbatio petita, & injustè denegata: quia Conc. Trid. requirit, ut obtineatur; & injusta recusatio approbationis non est approbatio. Nec jam amplius valent privilegia in contrarium allegata, cùm Concil. Trident. & Summi Pontifices derogaverint privilegiis quibuscumque huic decreto contrariis. Hinc Alexander. VII. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* Et istam. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

4. Decretum Concil. Trident. restringitur ad Confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, non religiosorum. Quare ad audiendas confessiones religiosorum non requiritur Episcopi approbatio; sed illi possunt confiteri iisdem; quibus ante Conc. Trid. per sua statuta, vel jus commune poterant; cùm Conc. circa illos nihil innovet. Nunc tamen ad audiendas confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum, requiritur Episcopi diœcesani approbatio, ex const. Gregor. XV. *Inscrutabili*, & const. 7. Clement. X.

Porrò religiosi unius ordinis non possunt audire confessiones religiosorum alterius ordinis sine facultate Superiorum ipsius pœnitentis; quia Papa concessione sua generali jurisdictionis in omnes fideles non intendit derogare statutis religionum, ex quibus varii religiosi non possunt confiteri, nisi confessariis à suis Superioribus designatis. Quare religiosi à domo sua absentes intelligant ex Superioribus suis, vel ex statutis religionis suæ, vel ex recepta consuetudine, quibusnam confiteri possint. Quòd si circa hoc nec Superior, nec religio aliquid statuerit, censetur permittere, ut confiteantur culibet Sacerdoti approbato, si non habeant socium sui ordinis Sacerdotem.

5. Requiritur approbatio Episcopi loci, in quo audiuntur confessiones, ita ut approbatus in una diœcesi, non possit in alia audire confessiones sine approbatione Episcopi diœcesani. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ est optima legum interpres; ex numero plurali quo utitur Concil. Trident. ut significet in diversis diœcesibus diversas requiri Episcoporum approbationes, ex Clemente X. constitut. *Superna,* & ex Alexandro VII. qui oppositum damnavit anno 1659. Enim verò approbatio est actus authoritatis & jurisdictionis: at actus auctoritatis, & jurisdictionis non excedit sphæram authoritatis & jurisdictionis, nec proinde limites diœcesis.

6. Hoc decretum non spectat habentes beneficium annexam habens curam animarum: nam censentur approbati

probati hoc ipso quod tale beneficium eis confertur. Sed parochus resignato suo beneficio jam neminem validè absolvere potest sine approbatione: quia jam non habet parochiale beneficium.

Quæst. IV. *An sufficit jurisdictio, vel approbatio sub ratihabitione futura, vel præsumpta seu interpretativa, cùm nempe judicatur concedenda, si peteretur?*

Resp. Neg. Quia ex Concil. Trident. ad valorem absolutionis requiritur jurisdictio & approbatio actu & absolutè existens & jam obtenta, ad quam requiritur consensus actualis signo aliquo externo declaratus. Et verò jurisdictio & approbatio requiruntur ad substantiam ac valorem absolutionis: at nulla res existit, nisi actu existant omnia, quæ ad ejus substantiam pertinent. Neque hìc valet ista regula juris, in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Nam hæc regula solùm habet locum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest: at valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim sacramentorum pendere nequit ab actione de futuro.

Quæst. V. *An sufficit jurisdictio & approbatio probabilis tantùm?*

Resp. Non sufficit ad licitè absolvendum, sed requiritur certa. Quia extra casum necessitatis non licet administrare sacramentum cum opinione tantùm probabili eorum, quæ ad ejus valorem requiruntur: alioqui sacramentum periculo nullitatis sine necessitate exponeretur, quod est grave sacrilegium. Imò neque sufficit ad validè absolvendum, si jurisdictio, vel approbatio reipsa non existat: nam tunc deest aliquid ad valorem absolutionis requisitum. Nec tunc Ecclesia supplet hunc defectum, sed solùm dum titulus est coloratus, & error communis.

Quæst. VI. *An confessor regularis approbatus in una diœcesi, potest absolvere in ea subditos alterius diœcesis, pro qua non est approbatus?*

Resp. Potest, etiam à casibus ibi reservatis, sed non reservatis in diœcesi, in qua est approbatus, nisi eos noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim migrasse. Ita declaravit Clemens X. constit. *Superna*, his verbis. *Posse autem regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi ibidem confessor est approbatus absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Idem dicunt de Sacerdote sæculari approbato ob tacitum Episcoporum consensum communi consuetudine confirmatum.

Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes, &c. possunt absolvi à confessariis loci, ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex consuetudine tacitè à Superioribus approbata, sunt veluti subditi Episcopi loci, in quo versantur quantùm ad sacramenta, excepto ordine. Quòd si casus non sit reservatus in diœcesi pœnitentis, sed solùm in diœcesi confessarii, hic non potest illum absolvere: nam per reservationem ei sublata est potestas absolvendi à tali peccato. Præterea reus debet judicari secundùm leges & consuetudines loci, in quo judicatur. Idque totum constat etiam ex recepta consuetudine.

Quæst. VII. *An parochus potest subditos audire, & absolvere in aliqua*

aliqua diœcesi, in qua non est approbatus?

Resp. Ex communi sententia, potest etiam licitè, mòdo id fiat absque scandalo. Quia habet ordinariam in proprium subditum jurisdictionem, ab approbatione non pendentem: jurisdictio autem in foro pœnitentiæ, cùm sit voluntaria, non contentiosa, nec requirat strepitum fori, exerceri potest extra proprium territorium.

Quæst. VIII. *An sæcularis vel regularis approbatus generaliter in una diœcesi, potest validè absolvere in alia diœcesi subditum diœcesis, in qua est approbatus?*

Resp. Nego. Ita Clemens X. constit. *Superna*, ubi decernit, *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi religiosi jam fuerant approbati.* Nam jurisdictio delegata pendet in sui exercitio ab approbatione Episcopi loci, in quo audiuntur confessiones.

Quæst. IX. *An parochus extra parochiam suam potest valide absolvere subditos alterius parochiæ, cum facultate proprii talium parochi?*

Resp. Non potest sine licentia Episcopi expressa, vel tacita. Nam parochus unius parœciæ non fit parochus subditorum alterius parœciæ per delegationem proprii illorum parochi; & parochorum jurisdictio pendet ab Episcopo, qui potest iis auferre potestatem delegandi eos, quos judicat minùs aptos audiendis quorumlibet confessionibus. Licentia autem expressa est, cùm scripto, vel verbis conceditur: tacita verò, cùm Episcopus non contradicit consuetudini, quam scit vigere circa auditionem ejusmodi confessionum.

Quæst. X. *An generaliter approbatus ad audiendas confessiones sæcularium, censetur approbatus pro audiendis confessionibus monialium, sive ordinario, sive regularibus subjectarum, si non fuerint nominatim excepta?*

Resp. Neg. Nam ita fert usus, & ita declaravit Clemens X. constit. *Superna*, his verbis: *& generaliter approbatos ab Episcopo ad audiendas personarum sæcularium confessiones nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minimè audire posse confessiones monialium alterius monasterii. Itidem confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Quæst. XI. *An regulares egent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones suorum famulorum sæcularium?*

Resp. Clemens X. constit. cit. declaravit: *In monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam prælatos regulares, quàm confessores regularium, eorumdem monasteriorum seu collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Quæst. XII. *An Episcopus potest validè limitare approbationem quoad tempus, locum & personas?*

Resp.

Resp. Affirm. Constat. 1. Ex praxi quotidiana. 2. Alexander VII. ann. 1659. in causa Andegavensis Episcopi, & regularium, ut falsam & erroneam damnavit hanc propositionem: *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* 3. Quia habens approbationem etsi injustè restrictam ad tempus, locum, vel personas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis personis: unde non potest validè absolvere in tali loco, tempore, & tales personas, pro quibus non est approbatus. At sine approbatione actu existente invalida est absolutio.

Quando autem ad tempus limitatum data fuit approbatio, cessat statim per se exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus præscriptum ab eo, à cujus voluntate pendet. Hinc nova opus est.

Nota. Clerus Gallicanus ann. 1700. damnavit hanc propositionem: *In ministro pœnitentiæ requiritur etiam approbatio ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari sine causa.*

Quæst. XIII. *An sacerdos non approbatus potest absolvere à venialibus?*

Resp. Non potest saltem licitè, ex decreto Innocentii XI. edito anno 1679. *Non permittant* (Episcopi) *ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut ordinario. Si confessarii etiam regulares, aut quicumque alii secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum & ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam regulares, etiam Societatis Jesu.* Imò neque etiam validè posse videtur, quia sacerdos vi ordinationis non habet jurisdictionem, neque subditos etiam solorum venialium reos. Nemo autem potest absolvere à peccatis sine jurisdictione ordinaria, vel delegata, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. cùm absolutio sit actus judicialis, qui non potest exerceri nisi in subditos; & jurisdictio delegata validè exerceri nequit sine approbatione. (a)

ARTI-

(a) In fine hujus articuli indicandæ essent duæ Constit. quarum altera, quæ tom. 1. Bullarii est ordine 20. edita fuit Kalendis Junii 1741. altera verò, quæ in eodem vol. est 120. data fuit 6. Idus Februarii 1745. quibus Confessarii absolvere prohibentur socios proprii criminis in iis, quæ sunt contra sextum Decalogi præceptum. At quod hujusmodi quæstio in Authore desideretur, & luculenter tractata sit in cap. 14. lib. VII. de Synodo Diœcesana, integram transcripsimus, atque huic articulo adjecimus.

„ Ut jam, post dispositionem requisitam „ in pœnitente, aliquid de Confessarii ju„ risdictione, quod ad propositum perti„ neat, dicamus, unum animadversione „ dignum censemus. Quamvis sacramen„ tum Pœnitentiæ sit à Christo Domino in„ stitutum per modum judicii, & nemo „ esse queat Judex in causa propria; nihi„ lominus communiter existimant Theolo„ gi, duce D. Thoma, sola spectata natura „ Sacramenti posse Confessarium sui crimi„ nis socium, à secum perpetrato peccato, „ cujuscumque speciei illud sit, in foro Sa„ cramentali absolvere. Siquidem tunc, „ non de propria, sed de aliena culpa ju„ dicium profert; neque, seclusa legum „ prohibitione, repugnat, ut quis Judicis „ personam assumens, de commisso ab al„ tero delicto sententiam dicat, licet ejus„ dem delicti ipse, tanquam privatus par„ ticeps fuerit. Ita D. Thomas *in supplem.* „ *part. 3. quæst. 20. art 1. ad 1. Ad primum* „ *ergo dicendum, quod in tali casu nec Sa*„ *cerdos debet audire confessionem mulieris,* „ *cum qua peccavit*, de illo peccato, *sed de*„ *bet*

ARTICULUS II.

De casibus reservatis.

CAsuum seu peccatorum reservatio, est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis; salva potestate absolvendi ab aliis. Ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 7. Et can. 11. Constat à Papa pro tota Ecclesia, & ab Episcopis pro sua Diœcesi reservari posse peccata, à quibus alii non possint valide absolvere sine potestate ab illis delegata. Ratio

---

„ *bet ad alium mittere, nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia; si tamen absolveret, absoluta esset. Quod enim Augustinus dicit, quod non debet esse in eodem crimine, intelligendum est, secundùm congruitatem, non secundum necessitatem Sacramenti.* An vero non solum valide, sed etiam licite id fiat, non consentiunt Auctores. Aliquam certe labem in ea confessione D. Thomam agnovisse, ex citatis ejusdem verbis patet: & S. Petrus Damiani *opusc.* 7. *cap.* 7. adeo vehementer in eamdem confessionem invehitur, ut certe videatur, illam non solum illicitam reputare, sed tanquam irritam rejicere: Ait enim: *Legis præceptum est, ut cum quis lepra perfunditur, Sacerdotibus ostendatur: tunc autem non Sacerdotibus: sed leproso potius ostenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed cum confessio utique manifestatio sit; quid, obsecro, manifestat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto confessio illa dicenda est, cui nihil à confitente manifestatur, nisi quod jampridem ab audiente cognoscitur? Et qui sociali vinculo peractæ iniquitatis adstringitur, qua lege, quo jure, alterum poterit ligare, vel solvere? Frustra enim alium quis solvere nititur, qui & ipse vinculis irretitur.* His, ex Theologis Moralibus assentitur Stephanus Fagundez *in secundum præceptum Ecclesiæ libr.* 4. *cap.* 3. *num.* 35. ubi gravis culpæ reum facit Sacerdotem, excipientem confessionem suæ concubinæ. At ex adverso Silvester *in Summ. p.* 1. *V. Confessio* 1. *num.* 17. Joannes Sanchez *disp.* 10. *select. num.* 16. Theophilus Raynaudus *tom.* 16. *in opere, cui titulus* Heteroclita spiritualia, *pag.* 128. La Croix *tom.* 2. *pag.* 227. aliique affirmant, confessionem factam Complici, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confessarii culpa vacare, modo uterque à perpetrato crimine abhorreat, & longe absit periculum novi consensus in illud.

„ Et tamen in multis Synodis, decretum est, nedum illicitam, sed inanem pariter, nullam, atque irritam fore absolutionem, datam à Sacerdote socio sui criminis, adversus sextum Decalogi præceptum: ita quippe statutum legimus in Synodo Leodiensi anno 1662. *pag.* 74. in Veliterna sub Cardinali Cybo anno 1698. *pag.* 36. in Synodo Fulginatensi, sub Episcopo Baptistello anno 1722. *pag.* 76. in Bononiensi, sub Cardinali Jacobo Boncompagno *lib.* 2. *cap.* 6. in Anconitana sub Cardinali Massejo anno 1738. *pag.* 11. atque in Synodo Lucana, quam refert Roncaglia, *in sua morali Theolog. tom* 2. *tract.* 19. *cap.* 3. Numquid igitur prædicti Episcopi peccarunt contra regulam, quam hucusque inculcavimus, & elucidavimus, nihil in Synodo decernendi de rebus dubiis, atque inter Theologos controversis, materiam præcipue Sacramentorum respicientibus?

„ 3. Nihil illos peccasse ex eorumdem statutis deprehendimus: illi siquidem non deciderunt quæstionem, an Confessarius, generali cæteroquin jurisdictione instructus, valide, & licite pœnitentem absolvat, à crimine secum perpetrato; sed eumdem privarunt jurisdictione seu facultate absolvendi sui socium, seu complicem in peccato impudicitiæ; Quam vero sapienter & sanctè id præstiterint, ex iis fas est judicare, quæ Doctores de hac re agentes mature ponderarunt. Atque ut ea prætermittamus, quæ à S. Petro Damiani, & D. Thoma nuper audivimus, Basilius Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 38. *num.* 3, illata mentione confessionis, de qua agimus, gravia mala describit, atque exaggerat, quæ ex ea proveniunt, præcipue cum Confessarius, in sacramentali foro, fœminam audit, cum qua non semel tantum, & diu antea peccavit, sed in turpi contubernio perseverat. Verjuvys *tom.* 9. *art.* 5., affirmat, longa experientia compertum; ejusmodi confessio-

tio est, quia ad validè absolvendum requiritur jurisdictio, quæ cùm sit penes dispositionem Ecclesiæ, potest ab ea restringi, negari, & subtrahi.

Quæst. I. *Quænam requiruntur, ut peccatum censeatur reservatum?*

Resp. Ex praxi Ecclesiæ tria requiruntur. 1. Ut sit mortale, nam venialia non reservantur, cùm non sint materia confessionis. 2. Ut sit externum: nam licèt peccata merè interna possint absolutè reservari, cùm ad ea remittenda requiratur jurisdictio, quæ potest à Prælatis Ecclesiæ restringi & denegari; tamen reipsa sola externa communiter reservantur: quia hæc reser-

---

„ fessiones plerumque sacrilegas esse, novisque peccatis fœdatas; Theophilus Raynaudus, quamvis *cit. loc.* eamdem confessionem in se licitam dixerit, periculosam tamen fatetur; & Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 4. *cap.* 5. *art.* 9. *reg.* 67., hæc ad rem adnotavit: *Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipsos hujusmodi crimen deponunt, sinceram illius pœnitentiam agant; Vix contingit, ut criminosi illi Sacerdotes salutaria dent consilia, & convenientem satisfactionis modum præscribant, & si peccata sint impudicitiæ, periculum est, ne nova cum pœnitenti, tum Sacerdoti in ipsa confessione, peccati nascatur occasio.* Quare S. Carolus Borromæus, in sordidis hisce maculis illud fœdatur Sacramentum, quo Christi sanguine perfundimur, ut à peccatorum lepra mundemur, in sua Synodo Diœcesana XI. (*Act. Eccles. Mediol. par.* 2. *p.* 409.) Confessariis generatim, atque universim facultatem interdixit, sui cujuscumque criminis socium, seu quoquomodo participem, absolvendi: *Confessario* (inquit) *qui cujuscumque criminis, etiam minimi socius, particepsve ullo modo fuit, munere interdictum sit confessionis eorum audiendæ, quos illius socios habuerit . . . Nec vero absolutio, si quam impartierit, ullius roboris sit, sed irrita plane, ac rescissa, nullaque omnino, tamquam ab eo impartita, qui jurisdictionis, & facultatis expers est. Et vero si quis Confessarius culpæ socius, particepsve aliquid contra ausus fuerit, excommunicationis sententiam statim subeat; cujus vinculo irretitus, ab alio Sacerdote, nisi à nobis, absolvi non possit.*

„ 4. Quamquam autem hæc sanctissimi Præsulis statuta, etiam generatim, uti sonant, sint summopere commendanda, & quilibet Antistitum sanctè queat eorumdem vestigiis insistere, negari tamen haud potest, majorem quamdam, & graviorem inhonestatem in eo adesse, ut Sacerdos illius personæ confessionem excipiat, cum qua impudicitiæ scelus admisit, ac proinde statim ac Nos ad Petri Cathedram evecti, totius Dominici gregis curam suscepimus, universali lege ediximus, ne ullus Confessarius, *extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam*, ut legi potest in nostris Apostolicis litteris datis Kalendis Junii 1741. quæ extant in nostrarum Constitutionum *volum.* 1. *Constitut.* 20. Ut porro conscientiarum tranquillitati consuleremus, in aliis similibus litteris datis die 8. Februarii 1745. quæ habentur *in eodem volum. Constitut.* 120. declaravimus, ad rem, de qua agimus, perinde esse, nullum adesse Sacerdotem, præter illum, cum quo pœnitens inhoneste peccavit, aut eum tantum adesse, quem idem pœnitens, constitutus in mortis articulo eligere nequit, sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum statu, non prohiberi, diximus, Sacerdotem, suæ impudicitiæ complicem absolvere; eumdem tamen simul monuimus, ne prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi consurgant, quæ revera absint: quinimmo voluimus, ut ea, cum potest, antevertat, & removeat, secus enim pœnas non effugiet, in nostra prima Constitutione, inobedientibus inflictas.

Quænam verò sint hujusmodi pœnæ, vide Constit. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ, ad calcem hujus Tractatus appositam.

reservatio ordinariè sufficit ad bonum regimen animarum. Ut autem peccatum externum censeatur reservatum, non sufficit, quod habeat mortalem malitiam ex actu interno; sed insuper requiritur ut ipsa actio externa habeat malitiæ gravitatem. Nam reservatio præcipuè cadit in actum externum malum, ac proinde requirit actum externum mortaliter malum ex objecto. Et sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se gravem malitiam. Hinc si furtum in loco sacro esset reservatum, & aliquis aliquid leve haud sufficiens ad mortale surripuisset ex voluntate aliquid notabile surripiendi si occurrisset, tale furtum etsi mortale, reservatum non esset. 3. Ut peccatum sit consummatum, nisi aliud in statuto exprimatur. Quia reservatio, cùm sit quid odiosum seu onerosum, est strictæ interpretationis. Hinc reservata fornicatione, vel homicidio, non reservatur voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, nisi fuerit copula carnalis; nec percussio gravis ex animo occidendi, nisi sequatur mors. Dixi, *nisi aliud exprimatur.* Nam aliquando reservantur etiam actus non consumati, sic sola provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio expresse reservantur, etiamsi non sequatur conflictus.

Sunt, qui docent peccata impuberum non esse reservata, nisi exprimantur: quia in ipsis non reperitur necessitas episcopalis correctionis. Hoc tamen pendet ab Episcoporum arbitrio: quare eorum intentio ab ipsis exquirenda est: nam cùm impuberes possint esse subjecti censuris, quidni, & reservationi? Porrò contrahitur reservatio etiam invincibiliter ignorata; nam non est propriè pæna, nec contumaciam requirit, ut censura.

Quæst. II. *An peccata dubia censentur reservata?*

Resp. Negant plurimi in dubio facti. Quia reservatio cùm sit odiosa, debet restringi ad casus certos; non extendi ad dubios. Ideoque reservata ebrietate, intelligi debet ebrietas certa, quæ sola est ebrietas simpliciter & absolutè. Hinc qui admisit peccatum ex suo genere reservatum, sed dubitat an cum advertentia vel consensu sufficienti ad mortale, non incurrit in reservationem.

At in dubio juris, cùm nempè dubitatur, an peccatum mortale pœnitentis sit reservatum, confessarius non potest ab eo absolvere, nisi Superior expresserit se nolle in tali dubio reservare. Nam hoc ipso quòd constat peccatum esse materiam reservationis, sed dubitatur, an Superior illud reservarit, tunc dubium est de potestate ab eo absolvendi: non licet autem absolvere cum potestate dubia. Adde quod Clemens VIII. prohibuerit omnibus confessariis etiam privilegitatis in Italia degentibus, *ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, ab ullo ex casibus clarè vel dubiè in Bulla.* In Cœna Domini *lege solita contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis vel reservandis absolvat.*

Quæst. III. *Quinam absolvere possunt à reservatis?*

Resp. 1. Ipse reservans, vel ejus successor, aut Superior in hoc foro erga eosdem subditos, & quivis alius, qui ab illis hanc facultatem obtinuit. Nam reservans reservando retinuit pro se jurisdictionem, & successor habet eandem cum illo potestatem: Superior verò potest id omne, quod potest inferior.

Resp. 2. Ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. Episcopi possunt suos subditos in foro conscientiæ absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, occultis,

cultis, nec ad forum contentiosum deductis. Possunt etiam ab aliis quando subditi propter legitimum impedimentum non possunt Papam adire, ex c. 6. *de sent. excomm.* ne videlicet ex dilatione absolutionis periculum immineat animarum.

Resp. 3. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, & excommunicatus saltem toleratus, potest quoslibet in articulo mortis absolvere à quibusvis peccatis & censuris, in defectum Sacerdotis approbati. Constat ex praxi Ecclesiæ, & ex Rituali Romano, quod sic habet: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.* Nam tunc Ecclesia hanc potestatem omnibus Sacerdotibus, saltem toleratis censetur concedere, & revera concedit, ne pereant animæ, defectu absolutionis validæ tunc præsertim adeò necessariæ.

Dixi *in defectum*, &c. Nam si facilè haberi possit Sacerdos approbatus, alter non poterit absolvere, ut docet S. Carolus in instruct. confess. quia hæc potestas concessa est ob necessitatem moribundi; nec est periculum, dum facilè absolvi potest à Sacerdote approbato, & habente jurisdictionem expeditam. Quare Rituale Romanum præter periculum mortis ad hoc requirit defectum Sacerdotis approbati.

Porrò omnes Sacerdotes approbati tunc æque possunt de omnibus mortalibus absolvere, & sic per se loquendo quoad valorem absolutionis nullus est inter illos ordo servandus; quia in articulo mortis nulla est reservatio ut docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. his verbis: *Piè admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Circa hoc observanda sunt sequentia:

1. Multi docent posse tunc moribundum absolvi à Sacerdote excommunicato non tolerato, & hæretico, in defectum alterius: quia Conc. Trid. dicit *omnes Sacerdotes posse.* Sed hoc negant alii cum Fagnano, qui, in cap. *Non est vobis*, de sponsal. testatur S. Congregationem Cardinalium Conc. Trident. interpretum, inter quos caput fuit Card. Moronus, qui paulo ante fuerat Legatus Apostolicus in Concilio, cujus proinde mentem probè norat, declarasse verba Concilii restringi ad Sacerdotes in unitate Ecclesiæ viventes, & habiles ac capaces jurisdictionis exercendæ, quales non sunt excommunicati non tolerati & hæretici ac schismatici notorii. Et verò, inquit, in Ecclesia Dei non fuit semper custoditum, ut præcisi ab unitate Ecclesiæ possint absolvere in casu necessitatis; cùm imò potiùs certum sit, ex communi sententia eorum, qui ante Concilium scripserunt, non potuisse: Toletus docet hæreticos & schismaticos, supple notorios, id non posse secundùm communem sententiam: quia Ecclesia noluit eis dare jurisdictionem ob periculum perversionis fidelium, sed putat aliàs posse.

2. Per articulum mortis hìc intelligitur grave ac morale mortis periculum. Nam ista ex usu Ecclesiæ in hac materia pro eodem usurpantur, ut constat ex Rit. Rom. Quia pia mater Ecclesia non censetur velle quemquam exponi periculo probabili damnationis. Et in articulo stricto mortis quando jam vita desperata est, sæpè, imò ferè semper fieri nequit confessio.

3. Absolutus à peccatis reservatis non tenetur postea, si convaluerit, adire Superiorem, vel ejus delegatum.

Quia, cùm in illo articulo nulla sit reſervatio, quivis Sacerdos habet tunc poteſtatem à quibuslibet peccatis etiam alioqui reſervatis abſolvendi directè, & ſine onere illa confitendi Superiori. Secus de cenſuris.

Quæſt. IV. *An regulares privilegiati habentes poteſtatem abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis, poſſunt ideò abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, ſine facultate Epiſcopi?*

Reſp. Neg. Ita expreſsè declaravit Clemens X. conſtit. *Superna.* Et Alexander VII. oppoſitum damnavit.

Quæſt. V. *An Sacerdos approbatus carens poteſtate abſolvendi à reſervatis, poteſt aliquando directè abſolvere à non reſervatis, & indirectè à reſervatis?*

Reſp. Circa hoc duplex eſt ſententia. Prima quæ eſt communis, docet id poſſe in duobus caſibus. 1. Si pœnitens inculpatè oblitus eſt aliquod reſervatum, vel ſi bona fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti eſſe reſervatum. Quia alioqui ſi illud in perpetuum oblivíſceretur, vel ſemper uteretur eodem confeſſario, nunquam accepturus eſſet abſolutionem extra articulum mortis; & ſic poſſet perire occaſione reſervationis, cùm multi moriantur ſine abſolutione accepta in articulo mortis. Unde meritò cenſetur Eccleſia tunc dare poteſtatem abſolvendi directè à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, cum onere poſtea reſervata confitendi Sacerdoti habenti poteſtatem in illa. Quam ſententiam S. Carolus tenendam proponit in ſua diœceſi, in qua proinde dat hanc poteſtatem. Volunt autem alios Epiſcopos cenſeri eandem poteſtatem concedere hoc ipſo quòd non contradicunt ſententiæ communi id aſſerenti, quam ignorare nequeunt. 2. Si Sacerdos habens reſervata, nequeat omittere celebrationem Sacri ſine gravi ſcandalo, nec adſit Confeſſor habens poteſtatem in reſervata. Quia cùm quilibet ſibi peccati mortalis conſcius tenatur confeſſionem præmittere communioni; credibile non eſt Eccleſiam ſic inſtituiſſe reſervationem, ut tunc à peccatis nequeat, directè quidem à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, malleque eum cum incerta contritione non confeſſum celebrare, quàm confeſſionem communioni præmittere. Tunc autem docent neceſſariam eſſe confeſſionem peccatorum omnium etiam reſervatorum: quia ſcilicet ſine illa ſtatus pœnitentis nequit ſufficienter innoteſcere confeſſario, ut ſatisfactionem debitam imponat, & opportuna remedia ſuggerat. Item remanere obligationem peccata reſervata iterum confitendi alteri confeſſario habenti poteſtatem in illa.

Secunda ſententia negat in ullo caſu extra mortis periculum poſſe. Quia peccata non reſervata remitti nequeunt ſine reſervato: nam unum mortale ſine alio remitti non poteſt. At in nullo caſu extra mortis articulum peccatum reſervatum poteſt per confeſſarium carentem poteſtate in reſervata remitti etiam indirectè. Quia 1. Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 7. ait, Sacerdos extra articulum mortis nihil poſſe in reſervatis. 2. Si confeſſor carens poteſtate in reſervata poſſet in aliquo caſu extra articulum mortis indirectè ab illis abſolvere; poteſt à fortiori in articulo mortis; & ita absque ratione Concil. Tridentinum declarat nullam eſſe reſervationem in articulo mortis, ne quis occaſione illius pereat: manente enim reſervatione etiam pro articulo mortis, poterit adhuc pœnitens abſolvi ab omnibus peccatis à quovis Sacerdote, directè quidem à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, atque ita reſervatio nulli poterit eſſe occaſio

occasio pereundi. Unde ulteriùs satius erit reservationem manere, quàm tolli pro articulo mortis; sic enim meliùs prospicitur vigori disciplinæ sine periculo salutis animarum. 3. Cùm adest peccatum reservatum, tota causa ad Superiorem judicem devolvitur: Ergo nihil in ea potest inferior.

Jam verò fatentur pœnitentem, qui reservatum aliquod peccatum in perpetuum oblitus est, numquam accepturum absolutionem peccatorum à Sacerdote carente potestate in reservata; posse tamen in articulo mortis à quocumque absolvi; quia tunc cessat omnis reservatio. Non ideò tamen timendum esse ejus saluti, quia si bona fide faciat, quod in se est cum auxilio gratiæ, benignitas divina ei prospiciet, aut procurando ei confessarium habentem potestatem in reservata, aut ei impertiendo gratiam contritionis & charitatis perfectæ. Dicunt autem Sacerdotem, qui in necessitate celebrandi nequit confiteri, nisi carenti potestate circa reservata, censeri non habere copiam confessoris; ideoque teneri tunc elicere solùm contritionem perfectam, & postea confiteri habenti potestatem absolvendi à reservatis.

Porrò consentiunt omnes inferiorem non posse licitè, sine necessitate cogente, absolvere à non reservatis, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reservatis. Quia integritas est de jure divino, & non debet prætermitti sine cogente necessitate.

Quæst. VI. *An si quis confessus habenti potestatem circa reservata, omiserit ex oblivione inculpabili peccatum aliquod reservatum, hoc ipso sublata sit reservatio peccati illius, ita ut possit posteà directè ab eo absolvi, per quemvis confessarium approbatum?*

Resp. Cùm non sit certum tunc reservationem tolli, in praxi debet pœnitens peccatum reservatum oblivione omissum confiteri habenti potestatem in reservata, ut ab eo directè seu secundùm se absolvatur. Idque videtur exigere finis reservationis, qui est, ut conveniens medicina, & satisfactio à Superiore vel ejus delegato pro tali peccato imponatur. Excipe, si tempore Jubilæi omnia præstitisset, quæ illud ad consequendum præscribuntur: nam tunc Papa Jubilæi gratia tollit omnem reservationem respectu illorum, qui volunt illud lucrari, & verè contriti ac validè confessi sunt.

Quæst. VII. *An si quis reservata cum aliis integrè confessus habenti potestatem in illa, ab eo absolvatur, licèt invalidè quoad remissionem peccatorum ob suam indispositionem, tamen liberatur à reservatione, ita ut absolvi possit à quovis approbato?*

Resp. Neg. Etiamsi confiteatur Superiori ordinario. Quia Superior intra Sacramentum non intendit absolvere à reservatis, nisi per absolutionem Sacramentalem, quæ cùm sit nulla, nihil efficit. Quòd si confiteatur habenti potestatem tantùm delegatam, adhuc certius est tunc non tolli reservationem. Quia delegatus non potest reservationem tollere, nisi intra Sacramentum, ac proinde per solam absolutionem Sacramentalem validam, non enim potest illam tollere dando pœnitenti facultatem confitendi reservata Sacerdoti carenti potestate circa illa: quia hoc faciendo subdelegaret: at delegatus nequit subdelegare.

Quæst. VIII. *An Superior potest audire sola reservata, & absolvere ab illis pœnitentem, eum remittendo ad alium, ut absolvatur à non reservatis?*

Resp. Neg. Quia confessio omnium mortalium, quæ pœnitens potest hìc & nunc confiteri, est præcepta jure divino ad absolutionem, ex Concilio

 Trid.

Trid. Seff. 14. cap. 5. Ergo non eft in poteftate Superioris ut dimidietur. Quòd fi ei non vacat omnia audire, poteft auditis folis refervatis remittere pœnitentem ad inferiorem de omnibus ab eo abfolvendum, & taxare fi velit pro iis pœnitentiam, & præfcribere remedia adhibenda. Quo cafu non abfolvit propriè, fed tollit refervationem. Valeret tamen talis abfolutio à folis refervatis, fi pœnitens fit rectè difpofitus & in bona fide. Quia tunc adfunt materia & forma Sacramenti, & aliunde defectus integritatis confeffionis non eft culpabilis ex parte pœnitentis, ut fuppono. Ergo tunc nihil deeft ad veritatem & effectum Sacramenti. (*a*)

ARTICULUS III.

De Obligationibus Confeffarii.

Ejus dotes comprehenduntur his verfibus :

> *Sit probus, & fortis confeffor,*
> *fitque peritus,*
> *Difcretus, patiens, mitis, pius*
> *atque fidelis.*

De quibus confule libros de officiis confeffarii, & præfertim S. Carolum, de inftruct. confeffarii, Loart. Fornarium, &c.

Quæft. I. *Quænam fcientia requiritur in confeffario?*

Nota. Agitur hìc de fcientia requifita ex parte confeffarii ad licitam abfolutio-

(*a*) Recenfentur cafus Romano Pontifici refervati, quorum index in Authore defideratur.

C[illegible] 20. *Refervati in Bulla Cœnæ Domini.*

1. Hæretici cujufcumque fect[illegible] eorumdem receptatores, fautores, defenfores, eorumdem libros hærefim continentes, vel de Religione tractantes, fcienter legentes, retinentes, imprimentes, defendentes: & fchifmatici.

2. Appellantes ab ordinationibus, feu mandatis Romani Pontificis, ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Piratæ, curfarii, ac latrunculi maritimi difcurrentes mare Romani Pontificis, præcipue à Monte Argentario ufque ad Terracinam, ac eorum fautores, receptatores, & defenfores.

4. Naufragorum Chriftianorum cujufcumque generis bona, etiam in littoribus inventa furripientes.

[illegible] ponentes nova pedagia, & gabellas, vel [illegible], præterquàm in cafibus à jure, [illegible] peciali Sedis Apoftolicæ licen[illegible] perm[illegible]

[illegible] Falfi[illegible] litteras Apoftolicas, aut falsò fabric[illegible]

7. Defere[illegible]es arma, aut alia ufui bellico idonea ad T[illegible]s, & [illegible] Chriftiani nominis ini[illegible]os, vel hære[illegible]os, per fanctæ Sedis fententiam exprefsè, & nominatim declaratos. Vel ad Chriftianæ Reipub. aut Catholicæ Religionis ftatum pertinentia in ejufdem damnum illis annunciantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceffaria Romam convehunt.

9. Ad Sedem Apoftolicam venientes, vel ab ea recedentes, fua, vel aliorum opera lædentes, vel fine jurifdictione vexantes in Curia Romana commorantes.

10. Romipetas, & peregrinos, etiam in Urbe morantes, vel recedentes, lædentes, & in his dantes auxilium, confilium, vel favorem.

11. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoftiliter infequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepifcopos, Epifcopos, Sedifque Apoftolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à fuis Diœcefibus, Territoriis, Terris, feu Dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, feu præftantes in eis auxilium, confilium, vel favorem.

12. Occidentes, quovis modo percutientes, aut bonis fpoliantes, per fe, vel per alios, eos qui pro negotiis fuis ad Romanam Curiam recurrunt, aut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, vel Judices fuper dictas caufas deputatos.

13. Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apoftolicarum ad laicam poteftatem.

14. Executionem litterarum Apoftolicarum, aut aliarum expeditionum, impedientes.

ſolutionem. Ad validam autem requiritur ſecundùm omnes, teſte Suarez, ut ſciat abſolutionem proferre, & cognoſcere regulariter moralem actum, ſaltem ſub communi ratione peccati mortalis aut venialis, ſecundùm generalem eorum rationem ac diſtinctionem. Quia ſine tali ſcientia homo non poteſt human modo exercere hoc judicium. Sed addit Suarez ignorantiam horum rariſſimam eſſe, & fere impoſſibilem in eo qui ratione utitur, & in Eccleſia verſatur, vultque confeſſiones audire.

Reſp. 1. Generatim, cùm triplex ſit confeſſoris munus, judicis, medici, & doctoris animarum, tenetur ſub mortali ſcire ea, quæ ad hæc munera rectè obeunda requiruntur. Nam qui tenetur graviter ad finem, tenetur etiam graviter ad media neceſſaria. Confeſſor autem tenetur graviter munus ſuum, utpote graviſſimum, & in quo agitur de offenſa Dei vindicanda, de reconciliandis Deo peccatoribus, de juſtificatione ac ſalute hominum procuranda, de curandis animæ morbis, & vitiis emendandis, rectè exequi. Ergo tenetur etiam ſub gravi ſcientiam ad id neceſſariam habere. *Imprimis* (inquit Rituale Roman.) *meminerit confeſſarius, ſe judicis, pariter & medici perſonam ſuſtinere, ac divinæ juſtitiæ ſimul & miſericordiæ miniſtrum à Deo conſtitutum eſſe, ut tamquam arbiter inter Deum & homines, honori divino, & animarum ſaluti conſulat.*

Quare juxta omnes mortaliter peccat, qui ſine debita ſcientia munus audiendi confeſſiones, etiam ex ſola charitate, vel obedientia ſuſcipit. Nam jure divino naturali quiſque tenetur habere ſcientiam muneris, quod ſuſcipit exercendum, præſertim erga alios.

Præterea talis ſe exponit periculo evidenti malè fungendi tanto munere, cum injuria Sacramenti, & damno proximi ac detrimento animarum. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, 1. Cor. 14. Neque enim obedientia, aut Epiſcopi approbatio etſi bona fide per examen

tes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices ſæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt ad ſua tribunalia, quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

1 . Impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione utantur, quique illorum, & Delegatorum judicia eludentes, ad Curiam ſæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, atque in his præſtantes auxilium.

17. Uſurpantes juriſdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Sedem apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes, vel ea ſequeſtrantes.

18. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices, & quilibet miniſtri, aut executores ſæculares, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas.

20. Occupantes, invadentes, aut detinentes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ immediatè, vel mediatè ſubjecta, & illius juriſdictionem uſurpantes.

Hi caſus ſunt deſumpti ex ipſa Bulla Cœnæ, ut *in Bullario tom.* 4. & 6.

Alii ſex caſus extra Urbem, & intra Italiam Summo Pontifici reſervati.

1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.
2. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.
3. Injectio manus violentæ in Clericum.
4. Provocatio, & pugna in duello.
5. Simonia realis ſcienter contracta.
6. Confidentia beneficialis.

His accedunt caſus à SS. D. N. BENEDICTO XIV. Romano Pontifici reſervati, quos nos ex ipſius Conſtitut, propriis in locis indicavimus.

examen facta, excusat: quia non dat scientiam ex natura rei debitam; nec supplet ejus defectum. Neque ignorantia eum excusare potest: quia nemo debet suscipere & exercere officium, cujus nequit omnia munia rectè obire: aliàs se exponit periculo errandi, & malè obeundi cum damno aliorum. *Væ vobis, duces cæci.* Matth. 23. *Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate; quoniam ars est artium regimen animarum*, ait S. Greg. pastor. cur. part. 1. cap. 1.

Hinc etiam qui ignarum confessarium scienter eligit, peccat mortaliter, cùm cooperetur ejus peccato, & malæ administrationi Sacramenti: ideoque ejus confessio est invalida. *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 5.

Resp. 2. Confessor, ut apud omnes & ex dictis constat, tenetur scire. 1. Ea omnia quæ ad valorem, substantiam, integritatem & effectum hujus Sacramenti, ejusque licitam administrationem, tam ex parte sui, quàm ex parte pœnitentis requiruntur. 2. Præcepta Dei & Ecclesiæ, obligationes communes, & proprias statuum, varias peccatorum species, multiplicationem numericam, circumstantias, quæ mutant speciem, vel notabiliter aggravant, & principia discernendi inter mortalia & venialia: imò quænam sunt peccata mortalia, & venialia in singulis præceptis, saltem communi & ordinario modo. Item quinam sunt actus invalidi, & solùm illiciti: *Oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicari: judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat*, cap. 1. dist. 6. *de pœnitent.* Alioqui non posset esse debita judicii æquitas. 3. Casus reservatos, censuras & excommunicationes quæ vigent, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, causas restitutionis, radices & occasiones peccatorum, remedia peccatis vitandis & vitiis emendandis apta, & satisfactiones salutares ac convenientes. 4. *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare*, ait Cœlest. Papa, cap. *Nulli* dist. 38. Non tamen tenetur tam perfectam istorum omnium notitiam habere, ut possit semper ex tempore & per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit ut id possit in communiter accidentibus, & sciat communia, & de difficilioribus sciat saltem dubitare; intelligatque principia decisionum generalia, & legendo, aut peritiores consulendo investigare possit, quid facto opus sit. Neque etiam tenetur de singulis peccatis, quæ declarantur, positivè judicare esse mortalia vel non, hoc enim in multis difficile est, & controversum; sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, & de illis judicet secundùm principia communia certa, & remedium idoneum apponat, ne iterentur peccata quæ dubitat esse mortalia. Uno verbo confessor debet habere scientiam Theologiæ moralis, saltem mediocrem & competentem.

Porrò major scientia requiritur pro uno loco, quàm pro alio, pro urbe mercatoria, aulica, &c. quàm pro pago; major pro audiendis viris, judicibus, hominibus forensibus, aliisque habentibus casus magis implicatos, quàm pro fœminis, pueris, &c, Hinc confessarii, qui quoslibet pœnitentes audire sunt parati, majore quàm alii scientia pollere debent.

Ex dictis rectè colligit Filliucius, peccare mortaliter non solùm confessarium, qui prædicta scientia caret, sed

ſed etiam Superiorem, qui ei tribuit facultatem confeſſiones audiendi, atque etiam ipſum pœnitentem qui ſcienter eligit confeſſorem ignorantem reſpectu ipſius, cùm conſentiant & cooperentur peccato confeſſarii: ideoque talem pœnitentem eſſe indiſpoſitum, & teneri confeſſiones iterare. Confeſſio tamen bona fide facta Sacerdoti ignaro, eſt valida: quia ex parte pœnitentis intervenit integra confeſſio & debita diſpoſitio, & ex parte Sacerdotis intervenit aliqua cognitio & perceptio illius quæ licèt non ſit accurata, tamen ſufficit, ut cognoſcat illam eſſe ſufficientem materiam hujus Sacramenti. *Ita Suarez.*

Quæſt. II. *An & quomodo tenetur confeſſor pœnitentem examinare?*

Reſp. Tenetur examinare de ſpecie, numero, circumſtantiis peccatorum, eorumque cauſis, habitu & occaſionibus proximis, quoties rationabiliter præſumit iſta non ſufficienter declarari, vel de hoc dubitat. Item debet interrogare an ſciat res fidei, præcepta Dei & Eccleſiæ: & ſtatus ſui obligationes, quoties dubitat an pœnitens iſta calleat; demùm ſcrutari diſpoſitiones & conſcientiam pœnitentis, *quaſi medicus vulnus, & judex cauſas*, ait S. Thom. in 4. diſt. 19. *Prob.* 1. Ex Concil. Later. gener. IV. cap. 21. *Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus; diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati.* 2. Ut miniſter Sacramenti tenetur curare, ut integritas materiæ Sacramenti à Chriſto requiſita ponatur, quantum moraliter poteſt; & ut judex ac medicus, tenetur ſibi comparare cognitionem neceſſariam ad ferendum rectum ac integrum judicium de peccatis & ſtatu pœnitentis, ad illum cum Deo reconciliandum, ad imponendam ſatisfactionem peccatis, & ejus facultati congruentem, & ad præſcribenda remedia curationi ac emendationi pœnitentis apta. Et verò judex non poteſt licitè proferre ſententiam, niſi priùs plenè cognoſcat totum ſtatum cauſæ, & perſonæ quam debet abſolvere. Hæc autem inquiſitio debet eſſe diſcreta & moderata, ne ſit vana, curioſa, periculoſa, reddatque Sacramentum nimis grave & odioſum, pro quo.

Obſerva 1. Non omnes eodem modo interrogandi ſunt, ſed modo cuique accommodato. Sic cæteris paribus magis examinandi ſunt minùs periti, quàm periti ac timorati; item qui raró confitentur, quàm qui frequentiùs.

2. Sæpè neceſſe eſt interrogare pœnitentes de ſtatu, officio, tempore ultimæ confeſſionis, de omiſſione obligationum iis propriarum, de conſuetudine, occaſione, & cauſis ac motivis peccatorum, de impletione pœnitentiæ injunctæ. Non ſunt autem interrogandi, niſi de peccatis quæ potuerunt veriſimiliter ab illis committi: ideò priùs intelligat confeſſor ætatem, ſexum, conditionem, ſtatum, munus pœnitentis, & prudenter ac moderatè eum interroget de peccatis, quæ à perſonis talis ætatis, ſexus, conditionis, ſtatus, profeſſionis admitti ſolent. De nomine non percontetur, nec inutilia quærat umquam, nec ſibi narrari patiatur.

3. Debet curare ut pœnitens in confeſſione generali exprimat quænam mortalia necdum confeſſus ſit: nam aliàs nec poſſet diſcernere materiam neceſſariam ab alia, nec imponere, ut tenetur, ſatisfactionem propotionatam ac debitam pro illis, pro quibus nondum impoſita eſt; ſed daret juſto leviorem, falsò putans jam pro illis debitam injunctam fuiſſe.

4. Can-

4. Cautio magna adhiberi debet in inquisitione de peccatis luxuriæ, ne scandalizetur pœnitens; & mala quæ ignorat doceatur cum periculo ea deinde patrandi. Quare quærendum est generaliter num menti irrepserit turpis aliqua cogitatio, num opere vel voluntate aliquid contra castitatem admiserit, num circa aliquid conscientia ipsum exstimulet? Si affirmet, ulteriùs interrogetur, à generalibus gradatim descendendo ad particularia: secùs, si neget.

5. Confessarius confitentem non objurget, nisi finita confessione; neque interpellet, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere. Ita Rituale Roman. addens: *Audita confessione, perpendens peccatorum magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac meliùs instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Postremò salutarem & convenientem satisfactionem, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, & ætatis & item dispositionis pœnitentium; videatque ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, &c.*

Quare confessarius debet habere in promptu varia motiva ex Scriptura præsertim, & Patribus deprompta, ad excitandum in pœnitentibus peccatorum dolorem ac odium efficax, vitæ christianæ propositum, & amorem Dei, secundùm varias pœnitentium dispositiones, proposita peccati fœditate, gravitate pœnarum æternarum & præsertim Dei bonitate, magnitudine, ac amabilitate infinita, &c. & pœnitentes ad perfectam contritionem eliciendam verbis efficacibus adducat.

Sed an pœnitens confessario interroganti tenetur aperire pravam consuetudinem, malos habitus, cupiditates, tentationes, occasiones peccati, dispositiones, obligationes proprias, statum, conditionem, munus?

Resp. Affirm. Ita communiter. Quia confessarius, cùm sit judex & medicus, habet jus cognoscendi, & inquirendi ea omnia, quorum notitia necessaria est ad rectè judicandum de peccatis, statu, morbis, necessitate, ac dispositione pœnitentis; & ad præscribenda remedia ejus emendationi ac curationi apta, qualis est prædictorum similium notitia. Ac proinde pœnitens tenetur ad ista sincerè & clarè respondere; nullum enim esset jus in confessario interrogandi, si non esset in pœnitente obligatio ad interrogata respondendi. Et verò confessarius est judex proferens sententiam non solùm circa illa peccata, quæ audit, sed etiam circa personam, quam dum sacramentaliter absolvit, judicat illam debere reconciliari cum Deo, & quantùm ex se est, reconciliat: ad hoc autem oportet, ut cognoscat plenè totum statum conscientiæ pœnitentis, ad videndum an sit aliquid, quod obstet ejusmodi reconciliationi. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem; *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Quæst. III. *An confessarius tenetur admonere pœnitentem de ejus erroribus, & eum docere?*

Resp. 1. Si error seu ignorantia sit vincibilis & culpabilis, tenetur confessarius eum docere id quod culpabiliter ignorat. Quia quamdiu talis ignorantia perseverat, pœnitens est indispositus; cùm ipsa sit peccatum & causa

causa peccati. Confessor autem ut doctor tenetur erudire pœnitentem, & ut medicus, tollere causam & occasionem peccandi, veritatem docendo. Idque etiamsi tunc non speretur fructus; quia ea admonitio proderit, ut pœnitens edoctus cognoscat malum statum in quo est, & fortè aliquando resipiscet, & exstimulabit conscientia. Item tenetur corrigere errorem, qui est pœnitenti perniciosus, & causa peccandi, putà si putet esse illicitum, quod ei reipsa licitum est.

Resp. 2. Si error, vel ignorantia sit inculpabilis ac invincibilis, docendus est pœnitens. 1. Si ex eo sequatur aliquod grave malum vel scandalum publicum, etiamsi inde timeatur malum pœnitentis: nam malum privatum permitti debet, ut vitetur publicum. 2. Si error vergat in damnum injustum proximi. Quòd si pœnitens restituere, aut abstinere à contractu aut opere injusto nolit, non debet absolvi: quia est indispositus, cum nolit obligationem sibi notam exequi, vel nolit intelligere ut bene agat. 3. Si pœnitens dubitet de suo errore, vel interroget Confessarium: nam tunc taciturnitas esset tacita erroris approbatio & confirmaret pœnitentem in errore. 4. Si ex errore sequatur malum occultum inculpatè ignotum, ut si putat matrimonium suum esse validum, & tale publicè habeatur, quod tamen invalidum est ob impedimentum occultum notum ipsi Confessario; modò monitio profutura videatur, nec ex ea scandalum timeatur. Quia Confessor est Dei minister, & judex, doctor, ac medicus pœnitentis. Ergo tenetur curare, ut leges serventur, instruere pœnitentem, & impedire peccatum etiam materiale, dum nullum majus malum timetur: nam error per se quoddam malum est, & plerumque alia mala invehit. Si tamen probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave scandalum, & damnum innocentibus, putà liberis: differenda est monitio, donec hoc periculum sit sublatum, & petenda dispensatio, ex c. 5. *de consang. & affinit.* ubi Innocentius III. consultus de matrimonio invalido contracto, respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.* Nam cùm Dei offensio per ignorantiam invincibilem vitetur, illud materiale malum rectè permittitur ad impedienda graviora mala.

Quæst. IV. *An confessor potest se conformare sententiæ pœnitentis minùs probabili, & minus tutæ contra propriam probabiliorem & tutiorem?*

Resp. Neg. Quia confessarius in tribunali pœnitentiæ est Superior, doctor & judex, pœnitens verò inferior & reus. Ac proinde confessarius debet judicare secundùm propriam sententiam prudentem, & conscientiam, non ad arbitrium rei, quem tunc docere debet. Præterea non licèt sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam. Quare pœnitens volens eam in praxi sequi, est indispositus. Potest tamen absolvi pœnitens eruditus volens sequi opinionem suam, quam bona fide post diligentem veritatis inquisitionem putat esse multò probabiliorem. Quia pœnitenti licèt agere secundùm conscientiam prudenter formatam; ideoque tunc censetur bene dispositus.

Quæst. V. *An & quibus Confessor tenetur denegare, vel differre absolutionem?*

Resp. 1. Tenetur denegare iis omnibus, quos cognoscit carere contritione ac dispositione debita; alioqui grave sacrilegium admitteret: nam ex communi sententia faceret sacramentum nullum,

nullum, dando absolutionem invalidam & inutilem defectu materiæ debitæ. Et secundùm Scotistas, faceret sacramentum inutile : utpote destitutum effectu suo, ob defectum dispositionis necessariò requisitæ ad illum. Quare Rituale Rom. ait : *Videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio : ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, &c.* Igitur secundùm hoc principium certum, & doctrinam Patrum, Canonum, & S. Caroli, in instruct. confessar. absolutio denegari debet.

1. Iis qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, vel honorem aut famam læsam, aut quodlibet aliud damnum illatum resarcire, cùm possunt, aut dare operam, ut facultatem ista præstandi, si non habeant, comparent.

2. Qui non curant tollere habitum peccandi, ut si non adhibeant remedia necessaria à confessario aliàs præscripta, vel aliunde cognita. Nam carent proposito efficaci emendationis, quod exigit destructionem causarum peccati : nulla autem propior est habitu.

3. Qui uti renuunt remediis, quæ à confessario judicantur necessaria ad emendationem, vel impositas pœnas meritas, & eorum facultati accommodatas persolvere nolunt.

4. Qui retinent voluntatem duellum data occasione offerendi vel acceptandi, aut aliud peccatum mortale admittendi.

5. Qui inimicitias & odia deponere, injuriam acceptam condonare, vel reconciliari nolunt, offensorem sincerè propter Deum non amant, nec parati sunt pro illo orare, ei benevolentiæ signa communia exhibere, & in necessitate subvenire. *Falsa fit pœnitentia, si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat,* ait Concil. gener. Lateranens. II. Canon. 22.

6. Qui nolunt corrigere luxum & sumptus superfluos in cibo, potu, vestitu, ornatu, conviviis, famulatu, &c. qui ad mortale pertingant: ut si propter illos contrahantur debita, quæ solvi nequeant, si stipendia famulorum aut operariorum, vel alia debita non solvantur, si eleemosynæ debitæ omittantur, &c. vel si inde scandalum oriatur.

7. Qui occasionem proximam peccandi deserere nolunt. Unde Innocentius XI. damnavit hanc propositionem : *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimo directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Hinc S. Carolus, in instruct. cit. monet non esse absolvendos eos, qui vitam in otio agunt, vel malorum consortium, aut cauponam frequentant, vel choreas (vulgo, *Bals*) adeunt, nisi habeant firmum propositum ab his deinceps abstinendi. Idem dic de comœdiis amatoriis, & aliis spectaculis periculosis.

8. Ii qui occasionem peccandi aliis præbent, nisi efficaciter desistere statuerint, quales sunt qui componunt, imprimunt, dant, vel vendunt libros amatorios, vel contra fidem, aut bonos mores ; qui domum aleatoribus præbent ; qui comœdias periculosas exhibent ; item fœminæ, quæ pectus nudum

nudum gestant: nec excusantur ob consuetudinem: nam (ut ait S. Antoninus) *Valde turpis & impudicus est talis usus; & ideo non servandus. Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Exod. 23. &c. Item qui comœdias periculosas exhibent, *de Theatricis, placuit eos, quamdiu agunt, à communione separari,* ait Concilium Arelatense II. ann. 452. Canon. 20. Ergo tamdiu absolvi non debent &c.

9. Qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, artibus, commerciis aut contractibus illicitis, aut à quovis alio opere malo. Ratio horum omnium est, quia ejusmodi homines carent proposito efficaci servandi omnia mandata, & vitandi peccatum mortale, ejusque occasiones proximas, ideoque contritione.

10. Qui ignorant res necessarias ad salutem necessitate medii, ut mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, beatitudinem æternam justis perseveranti bus rependendam, pœnas æternas peccatoribus paratas. Nam sine horum fide explicita nemo adultus justificari potest. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; etiamsi per ignorantiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & incarnationis Domini.* Hinc nequeunt validè absolvi, nisi priùs ista didicerint. Idem dic de actu contritionis, cùm sit de necessitate Sacramenti.

Qui autem ignorant ea, quæ sunt solùm necessaria necessitate præcepti, ut aliqua alia fidei dogmata, vel mandata aliqua Dei aut Ecclesiæ, vel obligationes sui status ac conditionis proprias, debent hæc doceri ante absolutionem, si pauca horum ignorent, quæ brevi tempore discere queant: sin minùs differenda est absolutio, donec ea omnia didicerint, si jam moniti neglexerunt discere, quia sunt in habitu negligentiæ culpabilis, cùm teneantur graviter ista scire; & tamdiu actu peccant, quamdiu ea non ediscunt, cùm possunt. Nec confessarius potest prudenter credere eos hanc obligationem postea impleturos, eo quòd id promittant, cùm jam fidem datam fefellerint. Quòd si nodum fuerint moniti, poterunt, si nihil aliud impediat, absolvi, præmissa instructione de his saltem rebus, quæ sunt de necessitate medii & Sacramenti; & imposita obligatione aliàs quamprimum ediscendi. *Ita S. Carolus, in instruct. confessar.* addens neque absolvi debere patres & matresfamilias, qui liberos suos aut domesticos horum notitia imbuere per se vel per alios non curant; vel non invigilant, ut iidem Dei & Ecclesiæ præcepta observent, aut (quod pejus est) eorum observationem impediunt; vel retinent domesticos, qui sunt aliis scandalo, nec se emendant. Si tamen spondeant ista se præstituros, & nondum de iis moniti fuerint, poterunt absolvi: secùs, si jam moniti omiserunt, donec emendationem operibus probaverint.

Resp. 2. Extra articulum mortis, confessarius tenetur generatim differre absolutionem iis, quorum dubia ei apparet contritio ac dispositio debita, & quos non potest prudenter judicare habere debitum dolorem, ac propositum efficax ac universale non peccandi, donec adsint sufficientia conversionis veræ ac contritionis debitæ signa. Nam alioqui sine necessitate & temerè exponeret sacramentum periculo nullitatis, & privationis effectus, applicando formam materiæ dubiæ nec moraliter certæ, & subjecto dubiæ disposito; & sic committeret grave sacrilegium. Nam vera contritio ex communi sententia, est ma-

teria proxima & per se essentialis sacramenti; & ex Scotistis est saltem dispositio necessaria ad ejus effectum. *Confessor* (inquit Suarez, Disp. 32. Sect. 2.) *tenetur justitiam & religionem in ejus administratione servare; quia & judicium & actionem sacram exercet. Cui muneri ut satisfaciat, unum ex præcipuis est, ut dispositionem conscientiæ pœnitentis sufficienter agnoscat. Est enim præcipuum hujus materiæ fundamentum, non posse confessorem licitè pœnitentem absolvere, nisi ille sit benè dispositus ad absolutionem suscipiendam. Primò, quia non potest ipse absolvere, nisi quem Christus etiam absolvit, gerit enim vices Christi, & quæ ipse solvit in terris debent soluta manere & in cœlis: aliàs clavis errabit, & minister illa abutetur, & peccabit. Secundò, quia tenentur ministri Sacramentorum non dare illa indignis. Tertiò, quia est judex, & tenetur justum judicium facere. Ex quo fit, priusquam absolvat, necesse esse, ut prudenter judicet pœnitentem esse dispositum: quia aliàs se exponeret periculo errandi, & sine sufficienti cognitione operaretur.* Præterea confessarius debet esse dispensator fidelis ac prudens applicationis meritorum Christi, & Sacramentum gratiæ collativum prudenter & sanctè administrare. Ergo citra necessitatem seu articulum mortis, non ei licèt administrare hoc Sacramentum cum materia, vel dispositione, quæ prudenter judicari nequeat vera, ac sufficiens ad valorem & effectum Sacramenti. Contritio autem dubia, aut quæ non est probabilius vera quàm falsa, non potest prudenter judicari vera ac sufficiens. Et quamvis pœnitenti credi debeat in iis, de quibus se accusat, cùm confessarius nequeat ejus peccata, nisi ex ipso cognoscere; non sufficit tamen testimonium pœnitentis asserentis se esse contritum, dum aliunde adest ratio dubitandi de veritate ejus contritionis, & debitæ dispositionis; nam ipse & seipsum & confessarium decipere potest, ut notat S. Gregorius pastor. cur. 1. part. c. 9. ibi: *Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Et, in 1. Reg. c. 6. ait: *In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor bona, voluntas bona. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia?* Quare S. Carolus, in instruct. confessar. quas Clerus Gallicanus præcipit, ut ab omnibus Sacerdotibus accuratè servarentur, ait: *Absolutio, donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licèt se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen separandos confessarius probabiliter judicabit.*

Resp. 3. Extra periculum mortis, juxta principia tradita, & doctrinam S. Caroli, in instruct. Confessar. tenetur confessarius speciatim differre absolutionem, præsertim.

I. Implicatis consuetudine peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati sunt eam emendare, licèt emendationem promittant; donec vitiosum habitum sic vicerint; ut periculum proximum seu probabile peccandi sublatum sit. Quia 1. vera conversio consuetudinarii est valde rara ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri solet, ut constat ex Patribus & experientia: ergo priùs operibus probari debet ut possit prudenter credi. Prava consuetudo est occasio proxima peccandi, & eo pejor quod interna est. 3. Dilatio absolutionis est medium moraliter necessarium ad pravi habitus emendationem, cùm experientia constet

constet eum sine dilatione illa communiter non emendari. Confessarius autem ut medicus spiritualis tenetur adhibere remedia ad pœnitentis emendationem apta & moraliter necessaria. 4. Gratia sacramentalis exponeretur morali periculo proximæ destructionis, cum graviori damno pœnitentis: nam dum durat malus habitus, homo est in periculo proximo statim & sæpe peccandi, cùm habitus ille propensionem maximam, & necessitatem moralem peccandi pariat. Confessarius autem ut minister sacramenti, citra necessitatem non debet conferre gratiam, quam prudenter judicat brevi amittendam, nisi eam differat; & ut medicus debet curare ut sanitas quam offert, non tam citò amittatur, sed sit moraliter saltem stabilis: imprudenter enim ageret medicus, qui statim daret remedium; quod prudenter judicaret allaturum sanitatem, brevi cùm majore damno amittendam si statim detur, cùm moraliter stabilem afferre, & morbum curare possit, si differatur. *Quod facile sanatur, non multùm cavetur: ex difficultate autem sanationum erit diligentior custodia receptæ sanitatis*, ait S. August. in Psal. 6. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

II. Recidivis, seu iis qui post plures confessiones pluries relapsi sunt in eadem peccta. Tum quia qui pluries fidem datam fefellerunt, non possunt nisi ex operibus prudenter judicari habere verum & efficax propositum: tum quia recidivorum pœnitentiæ semper à Patribus existimatæ sunt saltem valdè suspectæ & dubiæ. Quare S. Isidorus, in c. 11. *de pœnit.* dist. 3. ait: *irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet.* At (ut docet Delugo disp. 14. sect. 10.) *certum est, quando dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum pœnitentis, de quo non satis constat, debere differri absolutionem.* Præterea recidivi sine absolutionis dilatione emendari non solent, ideoque dilatio est remedium ipsis moraliter necessarium. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, ait Bellarmin. serm. 8. de adventu. Rituale Tullense excipit eos, qui relapsi sunt rarò, & solùm ex vi tentationis, vel occasionis urgentis non quæsitæ, nec prævisæ.

III. Iis, qui aliena retinent, vel injuriam in fama, honore, vel aliis bonis intulere, donec satisfecerint si possunt, quamvis promittant se statim satisfacturos, si jam semel admoniti id omiserunt. *Ita S. Carolus, in instruct. Confessar. & Conc. Mediol. I.* Item, iis, qui commercia illicita, vel artes prohibitas, aut occasionem peccandi voluntariam non dimisere, donec deseruerint, & generatim iis qui obligationem aliquam gravem & urgentem non impleverunt ex negligentia, donec impleverint, si jam semel aut bis moniti fuerint, vel id promiserint. Quia propositum quod nunc faciunt, non potest prudenter judicari magis efficax esse quàm prius factum. Et aliàs relinquerentur in probabili periculo peccandi ut antea; cujus probabilitatem facit fidei priùs datæ violatio, & difficultas ista præstandi. Imo si res restituenda gravissimi sit momenti, non debet ordinariè absolvi pœnitens donec restituerit, si potest, quamvis antea monitus non fuerit: nam alioqui relinqueretur in gravi periculo

culo non restituendi, ob difficultatem talis restitutionis, & propensionem magnam differendi.

IV. Qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec se ei reconciliaverint; vel etiamsi inveteratæ non sint, contra fidem datam nondum redierunt cum eo in gratiam, nec publica dederunt signa reconciliationis, ad tollendum publicæ inimicitiæ scandalum; vel qui primi proximum offenderunt, & nolunt primi eum adire; & ei satisfacere, ut tenentur.

V. Qui publicum scandalum dederunt, donec illud sustulerint; ut docet Rituale Rom. Quare is cujus peccata publica fuerunt, non est absolvendus, antequam publicè appareat emendatus: aliàs absolutio esset scandalosa.

VI. Adolescentibus, qui vitam otiosam agunt, vel studia notabiliter negligere solent, donec emendati appareant. Idem dic de omnibus, qui munus suum graviter negligere consueverunt.

VII. Qui in examinanda conscientia graviter negligentes fuerint, donec meliùs examinarint, & se ad contritionem meliùs excitarint. S. Carolus. Nam talis negligentia indicat defectum debitæ contritionis, ad quam obtinendam indigent tempore aliquo, precibus, & aliis mediis. Si tamen diligentiam bona fide adhibuerint, sed non sufficientem, charitas postulat, ut confessarius interrogando hunc defectum suppleat, & pœnitentem adjuvet ac disponat ad veram contritionem, præsertim si sint rustici & rudes, qui imprimis adjuvandi sunt; nam de iis præsumitur, licèt millies se examinent, non fore magis paratos, quàm si ab ipso confessario breviter examinentur.

VIII. Versantibus in peccati occasione proxima, ut infra dicam.

Nota 1. Pœnitens non debet ordinariè remitti ultra 15. dies. Nam æger non debet à medico diu derelinqui, sed sæpius adjuvari, & aliàs periculum esset, ne pœnitens animo cadat, ac desperet. Quòd si post tale tempus nondum sufficienter dispositus inveniatur, adhuc remittetur cum solatio, hortatione, & suggestione mediorum magis efficacium, donec talis judicetur.

Nota 2. Consuetudinariis & recidivis præscribenda sunt remedia suæ emendationi apta: qualia sunt oratio quotidiana matutina ac serotina, crebra opera misericordiæ, auditio Missæ, opera virtutum vitiis ac propensionibus pravis contrariarum, sui demissio ac diffidentia, fiducia in Deum, frequens confessio apud eumdem confessarium pium & prudentem, meditatio motivorum vitandi peccatum, lectio piorum librorum, celeris repulsio pravæ cogitationis, aut motionis; aliqua punitio quoties tale peccatum committitur, ut jejunium, largitio eleemosynæ, aliqua oratio, &c. examen conscientiæ quotidianum, & præsertim particulare, hoc modo: Manè eliciatur propositum vitandi tale peccatum, & Deo offeratur cum petitione gratiæ. Quoties commissum fuerit illud peccatum, statim eliciatur contritio cum aliqua punitione, & saltem serò examinetur conscientia de illo. Quòd si fuerit commissum; eliciatur contritio, fiatque alia satisfactio: sin minùs, Deo gratiæ agantur.

Quæst. VI. *Quomodo confessarius se gerere debet erga eos, qui versantur in occasione proxima peccati?*

Nota 1. Occasio peccati est id omne, quod ad peccatum allicit, sive ex natura sua, sive ex parte pœnitentis fragilis. Dividitur in proximam

mam & remotam. Proxima est ea, quæ affert morale, seu probabile periculum peccandi, sive est ea, in qua quis versimiliter est peccaturus. Remota, quæ non affert tale periculum. Remotam non tenemur fugere, alioqui deberemus omnes de mundo exire; ex 1. Cor. 5. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14.

Nota 2. Occasio proxima peccati duplex est, nempe per se, & per accidens. Occasio proxima per se est ea; quæ per se sic est apta inducere homines in peccatum mortale, ut spectata communi hominum fragilitate ac corruptione multi in ea verisimiliter peccaturi sint; ut quia in ea multi sæpè peccant: cujusmodi sunt cum ea persona habitare; cum qua soleas peccare; familiaritas inter adolescentes & puellas, aspectus minùs pudici, &c. Occasio proxima per accidens est, quæ non habet vim inducendi communiter homines in peccatum, sed tantùm aliquos ratione speciali illorum fragilitatis & dispositionis, ita ut prudenter timeatur, ne in ea peccent.

Nota 3. Utraque occasio proxima peccati subdividitur in voluntariam, & involuntariam. Voluntaria est ea, quæ deseri potest etiam sine gravissimo incommodo. Involuntaria seu necessaria est ea, quæ vel physicè, vel moraliter deseri non potest. Et sic alia est involuntaria seu necessaria physicè, quæ nullo modo pendet à voluntate, ut deseratur; ut si quis in carcere aut triremi vinctus sit cum flagitioso; & alia involuntaria, seu necessaria moraliter, quæ deseri nequit, sine peccato, vel damno temporali gravissimo; ut militia respectu militis in ea frequenter peccantis, cui abeundi facultas recusatur; non enim potest deserere militiam invito duce, cui ex justitia obstrictus est; vel munus seu officium, quod quidem sine peccato dimitti potest, sed non sine damno gravissimo, v. gr. jactura sui status, vel bonorum, vel famæ.

Resp. 1. Confessarius non potest licitè nec validè absolvere pœnitentem, qui non vult statim removere & fugere occasionem proximam etiam per accidens, si possit licitè & sine gravi suo damno. *Ita omnes cum S. Carolo.* Quia talis caret proposito efficaci non ampliùs peccandi, & servandi mandata omnia: nam hoc propositum includit voluntatem destruendi & fugiendi causas ac pericula peccati. Imò talis actu peccat mortaliter; nam secundùm omnes quisque tenetur sub mortali removere & vitare occasionem proximam, seu probabile periculum peccandi mortaliter cùm potest. Quia 1. Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed qui non removet, nec fugit probabile periculum peccandi cùm potest, illud amat seu eligit. 2. Qui non removet nec fugit probabile periculum peccandi, cùm potest moraliter, is vult saltem virtualiter, implicitè & interpretativè ipsum peccatum. 3. Præceptum prohibens peccatum, simul vetat velle id, quod proximè ac moraliter conjunctum est cum peccato, & id ex quo verisimiliter judicatur secuturum peccatum: nam præceptum debet esse efficax per se. Ergo qui non vitat, cùm potest, probabile periculum peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum. Quare, ut ait *Delugat*, in moralibus se exponere periculo peccandi, & peccare, sunt idem. 4. Dei amicitiam, & animæ salutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat cùm potest, sed voluntariè subit. 5. Innocentius

centius XI. damnavit has propositiones. 62. *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est quærere directè causam proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Et Alexander VII. damnavit istam: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* 6. Ex S. Greg. homil. 24. in Evang. *Quæ ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.*

Porrò ut quis teneatur vitare occasionem peccandi, non necesse est, ut in ea frequenter peccaverit; sed sufficit, ut verisimiliter in ea sit peccaturus. Nam peccat, qui se probabili seu verisimili periculo peccandi exponit. Unde S. Carolus, in instruct. confessar. occasiones vitandas dicit: *esse ea facta, quæ etiamsi per se liceant, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in iis remaneat.* Et Tolet l. 3. c. 18. ait: *Probabiles occasiones peccandi sunt omnino extirpandæ.* Enimverò ut effectus malus censeatur indirectè & interpretativè voluntarius in causa, necesse non est, ut ex ea frequenter sequatur: sed satis est, quòd cognoscatur vel cognosci possit & debeat secuturus verisimiliter, ut constat ex cap. ult. *de injur.* ubi Gregorius IX. docet imputari damnum ei, qui fecit aliquid, ex quo probabiliter illud sequi posse scire potuit ac debuit. *Nec ignorantia*, inquit, *te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Resp. 2. Si pœnitens promittit se quamprimùm relicturum talem occasionem, ei differri debet absolutio extra periculum mortis, donec eam deseruerit, si jam monitus non dimiserit, vel si diu in ea permanserit & peccaverit, vel si occasio illa urgens sit, & multùm ad peccatum alliciat; nisi confessarius prudenter judicet se posse fidem adhibere pœnitenti. Nam pœnitentis infirmitas & instabilitas adjuvanda est absolutionis dilatione, qua sæpe pœnitentes magis moventur, quàm aliis motivis; & aliàs relinqueretur in periculo eam non deserendi. *Ita S. Carolus, in instruct. confessar.* ibi: *Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus aut similibus si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam, v. gr. aleret, non debet sine dubio confessarius absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis verò occasionibus, quales sunt aleæ vacatio, aspectus minùs pudici, colloquia, &c. non absolvatur, nisi eas dimittere pœnitens polliceatur. Quòd si jam aliàs id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit.* Deinde sic monet confessarium: *Oportet eum severiorem esse rigidioremque circa eas actiones & exercitia, quæ reipsa inutilia sunt, dant tamen propensionem ad malum, & sæpe ac facilè pertrahunt ad diversa peccata. Hujusmodi sunt choreis interesse, cum blasphemis versari sæpiùs, aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quæ consuetudinem afferunt peccandi mortaliter. Nam absolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet pœnitens, spondeatque ab iis abstinere diligenter. Si tamen confessarius prudenter judicet se posse fidem adhibere*

adhibere pœnitenti promittenti eorum fugam, semel iterumque poterit absolutionem indulgere, ea tamen semper lege, ut si in iis diutiùs immoretur, eam postea differat, donec certis & evidentibus indiciis constet illum ab his occasionibus esse segregatum.

Resp. 3. Si pœnitens versetur in occasione proxima, quam non potest omnino, aut saltem sine peccato dimittere, quamvis appareat contritus, ei ordinariè differenda est absolutio, donec sublatum sit periculum proximum seu probabile in ea peccandi, atque ita occasio ex proxima facta sit remota. Nam sine absolutionis dilatione pœnitentes in tali occasione à relapsu efficaciter averti non solent, & aliàs exponerentur periculo amittendi brevi gratiam sacramentalem. Interea autem præscribenda sunt media contra relapsum idonea, quæ tollant proximitatem occasionis seu periculi peccandi, vel detrahendo objecto vim proximam alliciendi ad peccatum, vel apponendo impedimentum causalitatis ejus. Ut si famulus, v. g. qui non potest ab hero facultatem abeundi obtinere, peccaret sæpe cum ancillis, debet ei præscribi, ut quantùm fieri potest, nunquam solus cum illa versetur, colloquatur, nec in eam oculos figat, nulla ei amicitiæ signa det; ut se bonis cogitationibus armet, oret, &c.

Resp. 4. Si pœnitens versetur in occasione proxima etiam per accidens, quæ deseri nequeat sine gravissimo damno temporali; ei ordinariè differenda est absolutio, præscriptis mediis contra relapsum aptis, donec emendatus appareat, & occasio illa desierit esse respectu illius periculum proximum peccandi, si remediis adhibitis putetur non peccaturus. Priùs itaque tentanda est emendatio absolutionis dilatione, qua pœnitentes efficaciter moveri solent ad præscripta remedia diligenter adhibenda. Ita S. Carolus in instruct. Confess. addens: *Si verò absolutionem differre non possit, quin pœnitentem exponat gravi infamiæ periculo; tum si contritum certis quibusdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quæ ad illius emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos; tunc aptiora præscribet & utiliora: puta ut solus cum sola numquam conveniat; imponat & preces, & corporis macerationem aliquam, & in primis frequentem confessionis usum, similiaque exercitia, quæ si in se recipiat, tunc debebit eum confessarius absolvere.*

Quòd si mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet, ut antea, tunc per negationem absolutionis cogendus erit pœnitens ad deserendam illam occasionem cum quantocumque damno temporali. Ita S. Carolus, ibid. Nam tunc ipse pœnitens tenetur sub mortali eam dimittere, etiam cum bonorum, famæ, & status jactura, juxta illud Christi præceptum tunc urgens: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te, &c.* Id est, res charissimæ & utilissimæ dimittendæ sunt ad vitandam occasionem proximam peccati. Et verò peccatorem tam fragilem, & remedia adversus relapsum præscripta sæpiùs frustra expertum, velle adhuc permanere in tali occasione, est moraliter illum velle peccare: qui enim vult aliquid cum peccato moraliter conjunctum, etsi solùm respectivè ad se ipsum, censetur velle ipsum peccatum. Unde Conc. general. Lateran. II. can. 22. *Falsa etiam fit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio*

vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet. Igitur tunc dimitti debet officium, munus, ars, mercatura, &c. si perseveret esse occasio peccandi.

Quæst. VII. *An Confessarius tenetur absolvere eum, quem prudenter judicat esse contritum, & rectè dispositum?*

Resp. Tenetur, nisi aliunde sit justa causa differendi absolutionem. Nam nisi adsit aliunde talis causa, pœnitens verè contritus & integrè confessus habet jus ad absolutionem. Idque exigit ratio judicii justi reconciliativi, & æquitas, ac pactum implicitum inter confessorem & pœnitentem; debet enim judex audita causa judicare, & absolvere reum absolutione dignum, nisi adsit justa causa differendi. Præterea sine justa causa exponeretur pœnitens periculo remanendi in statu peccati mortalis, cùm incertum sit, an elicuerit perfectam contritionem; & sic subiret periculum jacturæ operum meritoriorum.

Dixi, *Nisi sit aliunde justa causa, &c.* Nam si confessarius ex speciali pœnitentis infirmitate, & circumstantiis occasionum quas vitare nequit, vel aliunde prudenter timeat, ne brevi relabatur, vel ne non satisfaciat alicui obligationi urgenti, nisi dilatione absolutionis efficaciùs à relapsu avertatur, exciteturque ad citiùs satisfaciendum suis obligationibus, potest & debet differre absolutionem. Confessarius quippe ut minister Sacramenti, debet non solùm validè illud administrare, sed etiam providere ut gratia per illud collata conservetur, nec statim amittatur; & ut medicus tenetur adhibere media ad sanitatem stabilem procurandam ac conservandam apta. Nec pœnitens est tunc rationabiliter invitus, cùm id cedat in ejus bonum, & absolutio ei statim non expediat. Ita Delugo, disp. 14. sect. 10. ubi docet veram & communem sententiam esse, quòd possit esse causa rationabilis aliquando differendi absolutionem absque consensu pœnitentis; licèt ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositum: nam *licèt*, inquit, *pœnitens legitimè dispositus, confessione facta, habeat jus ad absolutionem, non tamen habet jus ad hoc, ut statim proferatur sententia: potest enim judex arbitrari quomodo & quando debeat utiliùs proferri sententia . . . Ergo quando meritò timet pœnitentem nunc absolutum facilè relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsa difficultate & dilatione absolutionis meliùs agnoscat gravitatem peccati & necessitatem emendationis: poterit differre absolutionem, ut pœnitens admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantùm aliàs subiret . . . Ratio à priori est non solùm judex, sed etiam medicus: Unde sicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium judicis punientis, ut debeat simul exercere officium medici curantis, atque adeo procurare quòd impositio pœnitentiæ sit in utilitatem & medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes: sic in proferenda absolutione, licèt principaliter exerceat munus judicis absolventis pœnitentem dispositum, debet tamen simul procurare ut medicus, in ipsa absolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo absolvendo, qui magis cedat in utilitatem & remedium ægroti: ad utrumque enim habet jus confessarius, nec potest prohiberi à pœnitente, ne in ipsa absolutione utrumque exerceat.* Et addit sententiæ huic communi adstipulari experientiam multorum pœnitentium, qui hoc remedio brevi tempore solent curari.

Non tamen diu differri debet absolutio contrito. Nam hoc esset contra

finem

finem Sacramenti, quippe quod institutum est non solùm ad remissionem peccatorum commissorum, sed etiam ad futurorum vitationem per gratias actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti dantur in hunc finem.

Quæst. VIII. *Quomodo confessarius debet se gerere erga moribundos?*

Resp. 1. Si moribundus usu rationis & sensuum præditus sit, debet Sacerdos curare, ut integrè, quantùm potest moraliter, confiteatur, & verè conteratur; ut eliciat actus fidei, spei & charitatis perfectæ, qui tunc obligant; ut satisfaciat suis omnibus obligationibus, præsertim justitiæ & charitatis erga proximum, &c. & ad hæc omnia excitare atque adjuvare. Item debet dare illi pœnitentiam, quam tunc implere facilè possit, ut actus patientiæ; & indicere aliam peccatis proportionatam, quam implere teneatur, si convaluerit, ut docet Rituale Romanum.

Resp. 2. Quivis moribundus, qui absente Sacerdote absolutionem petiit, vel signa doloris aut voluntatis confitendi dedit, & postea adveniente Sacerdote omni sensuum usu destituitur, debet absolvi. Constat, 1. Ex praxi Ecclesiæ. 2. Ex Concilio Carthagin. IV. canon. 76. & Arauf. I. canon. 12. & ex Rituali Romano authoritate Pauli V. edito, & ab eo toti Ecclesiæ proposito, tamquam continente *sinceros Ecclesiæ Catholicæ ritus*, quod sic habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* 3. Quia voluntas confitendi exteriùs significata, est confessio, seu accusatio sui generica & sensibilis, quæ in extrema necessitate sufficit. Nam qui significat se velle confiteri, vel petit confessarium, hoc ipso exteriùs confitetur se esse peccatorem, & velle absolvi, ideóque etiam præsumitur esse contritus. Signum autem doloris, quod in periculo mortis editur, censeri debet ad Sacramentalem absolutionem directum, cùm in tali statu fideles optimum animæ suæ remedium exoptare soleant; ideóque etiam voluntatem confitendi implicitè significat. Ratio est voluntas Christi, qui noluit hoc Sacramentum ad salutem necessarium, sæpè impossibile esse tunc, cùm est maximè necessarium, scilicet in articulo mortis.

Sed pro praxi Sacerdos à tali moribundo conetur elicere aliquod peccatum in specie, & signum doloris. Quòd si id fieri nequit, curet ut in moribundi præsentia aliquis testetur eum dedisse signa doloris, vel desiderii confitendi. Quòd si neque hoc fieri possit, tenetur illum absolvere, si ab aliquo ante adventum suum audierit eum dedisse signum doloris, aut petiisse confessorem; nam dum non agitur de damno tertii, creditur uni testi. Nec obstant Concilia & Rituale Roman. utentia numero plurali, quia intelligi debent in sensu distributivo, non collectivo; sic cùm dicunt animam defuncti posse juvari aliorum fidelium suffragiis, sensus est distributivus, quòd singulorum suffragiis possit juvari.

Idem dic: si testis hoc tantùm scierit ex relatione alterius. Nam notitia mediata notitia est, & sufficit ad alios effectus, in quibus major certitudo requiritur, v. gr. in Baptismo. Item quamvis signa illa moribundi dubia sint, ut si visus sit tundere pectus, oculos ad cœlum tollere, aliquam imaginem de-

devotè respicere, absolvendus est, nam ista censeri debent relata ad absolutionem Sacramentalem, cùm quilibet in articulo mortis censeatur optimum animæ suæ remedium optare. Præterea in extrema necessitate proximi tenemur ei subvenire meliori modo, quo fieri potest. Et cùm Sacramentum sit ad salutem hominum institutum, satius est illud exponere periculo nullitatis, quàm hominem periculo æternæ damnationis; nec hoc est contra ejus reverentiam, sed secundùm ejus finem, si prout potest, conferatur in extremo periculo salutis.

Resp. 3. Magna controversia est, an absolvi possit moribundus omni sensuum & rationis usu destitutus, qui nulla signa externa doloris, vel desiderii confitendi dedit coram aliquo.

Plurimi docent eum non posse validè absolvi, nec proinde etiam licitè, quamvis constet ipsum christianè vixisse. Quia 1. S. Leo, Concilia Carthag. & Arausf. citat. & Rituale Roman. dum statuunt moribundum absolvendum esse, expresè addunt hanc conditionem; Si aliqua signa pœnitentiæ dederit. Ergo eo ipso significant non esse absolvendum deficiente tali signo. 2. Nullum est Sacramentum Pœnitentiæ sine confessione Sacramentali, cùm hæc confessio sit ejus pars essentialis: sed in hac hypothesi nulla est confessio Sacramentalis: Ergo. *Probant. min.* Confessio Sacramentalis est sensibilis accusatio peccati admissi, ordinata ad absolutionem Sacerdotis. Nam hoc Sacramentum est judicium sensibile, quod proinde includere debet accusationem externam ac sensibilem, quæ reddat sensibilem dolorem internum; & materia Sacramenti debet esse sensibilis, cùm Sacramentum sit quoddam totum sensibile. At in hac hypotesi deest accusatio sensibilis & ordinata ad absolutionem: neque enim vita priùs christianè transacta, est moribundo hìc & nunc accusatio sui ad absolutionem ordinata post peccatum commissum. Requiritur autem ex parte pœnitentis post peccatum commissum aliqua voluntas sensibiliter manifestata, qua se accuset, vel certè imploret officium judicis; alioqui proferretur sententia sine ullo processu. Dico, *Post peccatum.* Nam ridiculum esset, quòd quis hodie se vellet accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur vi hujus accusationis.

Alii verò non pauci, & tota Facultas Lovaniensis, teste Havermanno, contendunt talem moribundum absolvi posse sub conditione, ideóque debere, modò christianè vixerit, vel post peccatum pœnitentiæ agendæ tempus habuerit: si enim in ipso actu criminis, v. g. in ebrietate, vel duello sensuum usu privetur, facilè concedunt non esse absolvendum, cùm constet esse indispositum. *Probant*, 1. ex S. Augustino, l. 1. de adulter. conjug. cap. 28. ubi ait: *Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati, & intrà se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrùm fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerint detineri? . . . . Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Sed priores respondent S. Doctorem supponere moribundum petiisse priùs pœnitentiam, sicut

ſicut catechumenos baptiſmum, unde eum vocat pœnitentem; & catechumenos dediſſe aliquod doloris ſignum, v. gr. nutu, percuſſione pectoris, &c. Alioqui fruſtra dixiſſet: *Si intra ſe pœnitentes jacuerint;* nam ſi nullum pænitentiæ ſignum præbuerint; unde intra ſe pœnitentes eſſe noſcemus? 2. *Probant* ex Sacerdotali Romano Vene tiis, anno 1560. excuſo, ubi dicitur talem moribundum eſſe abſolvendum, *ſi bene vivebat, & frequentabat confeſſionem & communionem.* Item ex ſtatutis ſynodalibus Eccleſiæ Lemovicenſis, & ex memoriali confeſſorum edito Bononiæ juſſu Archiepiſcopi Bononienſis, qui poſtea factus Summus Pontifex Gregorius XV. opinionem non mutavit, ſed eam in ſuo quondam Archiepiſcopatu in praxim redigi permiſit. *Probant* 3. Quia quoties eſt materia dubia, vel probabiliter præſumpta in moribundo, ſenſibus deſtituto, hic poteſt abſolvi ſaltem ſub conditione: nam tunc nulla irrogatur irreverentia Sacramento, ob neceſſitatem proximi. At in tali moribundo reperitur talis materia, nempe contritio & confeſſio generica ac confuſa: probabiliter ex aliquo ſigno externo præſumpta, vel dubia. Nam vita chriſtianè acta, eſt ſignum externum probabile, vel ſaltem dubium doloris & voluntatis confitendi ſaltem paulò ante privationem uſus ſenſuum elicitæ, & ad abſolutionem ſufficienter directum in tali neceſſitate; cùm enim fidelis quiſque ideò chriſtianè vivat, ut piè ac chriſtianè moriatur, implicitè ſaltem vitam ſuam chriſtianam dirigit ad ſuſcipienda in mortis articulo Sacramenta. Item vita chriſtianè tranſacta eſt ratio præſumendi iſtum moribundum revera dediſſe in hoc morbo aliquod ſignum externum doloris in ordine ad abſolutionem, v. gr. pectus tutudiſſe, oculos in cœlum ſuſtuliſſe, Deum oraſſe, &c. imò etiamnum internam contritionem ac voluntatem confitendi elicere, & conari manifeſtare omnibus, quibus poteſt ſignis externis, omnibus videlicet motibus corporis ſui, aut certè contrarium non conſtat. Unde inferunt tunc haberi ſignum externum contritionis, & voluntatis confitendi ſaltem probabiliter præſumptum, aut dubium, ideóque ſufficiens ad abſolutionem conditionatam in tali neceſſitate.

Jam verò ſi talis poteſt abſolvi, eum abſolvere tenetur Sacerdos. Nam quiſque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo ſubvenire meliori modo quo poteſt afferendo ſaltem opem dubiam, quæ melior eſt nulla, ſi certam afferre nequit.

Ad id quod objicitur, nempe duo Concilia ſuprà citata, & Rituale Romanum exigere ſignum aliquod pœnitentiæ, *reſpondent* ea loqui de eo quod certum erat, & haberi debet, quantum fieri poteſt. Præterea in hoc caſu præſumitur ſignum externum pœnitentiæ.

Circa hoc Rituale Tullenſe hæc ait: Donec Eccleſia de hac difficultate deciderit, poterunt confeſſarii ſequi in praxi id quod favorabilius eſt ſaluti ejuſmodi moribundorum, & eos abſolvere, ſi ſemper chriſtianè vixerint.

Quæſt. IX. *Ad quid tenetur confeſſarius propter defectum in Sacramento admiſſum?*

Reſp. Si invalidè abſolvit pœnitentem à cenſuris, vel peccatis reſervatis, tenetur ſaltem ſi commodè poteſt, illum monere, ut ſibi quærat remedium ab alio; vel obtenta à Superiore facultate illum abſolvendi, pœnitentem præſentem poſt iteratam contritionem abſolvere. Si verò pœnitentem

tem induxit in aliquem errorem, ex quo ſequitur violatio præcepti alicujus, dicendo non extare tale præceptum, tenetur monere pœnitentem: alioqui eſſet cauſa, cur is præceptum violaret; & quiſque tenetur tollere cauſam mali, quam poſuit etiam inculpatè. Item ſi ex omiſſione monitionis, & ſilentio confeſſarii, moveatur pœnitens ad credendum licitum id quod eſt illicitum, tenetur confeſſarius poſtea eum monere: quia quiſque tenetur curare, ne alii ex ſua actione, vel etiam ex ſua omiſſione ſcandalum accipiant, & ne moveantur ad violandum etiam materialiter præcepta. *Delugo.* Et quia reparari debet omiſſio periculoſa rei ex officio debitæ. Non poteſt autem confeſſarius pœnitentem monere extra tribunal pœnitentiæ ſine ejus facultate expreſſa.

Quæſt. X. *Ad quid tenetur confeſſarius propter defectum circa reſtitutionem?*

Reſp. 1. Si ſine tua culpa deobligaſti pœnitentem à reſtitutione ad quam tenebatur, vel obligaſti ad quam non tenebatur, teneris ex juſtitia errorem dedocere. Nam quiſque tenetur ex juſtitia impedire, ne ſua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum: alioqui cognito errore tenetur de damno: proximus enim jus habet ne damnum à quoquam quovis modo patiatur.

Reſp. 2. Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia conſiderandi, dixiſti pœnitenti eum non teneri ad reſtitutionem, ad quam reipſa tenetur, teneris errorem dedocere. Quòd ſi non dedoces, vel ſi pœnitens interea factus eſt impotens ad reſtituendum, qui alioqui reſtituiſſet, teneris ipſe reſtituere illi tertio. Nam violaſti jus, quod ille habebat, ne impedires reſtitutionem ei debitam, & conſilio tuo es cauſa efficax ejus damni. Si verò pœnitens poſſit adhuc reſtituere, ſufficit quòd eum moneas de ejus obligatione: nam tua monitione ſufficienter tollis cauſam damni inferendi quam poſueras: unde ſi pœnitens non reſtituat ex malitia, id tibi imputari nequit, cùm jam non ſis cauſa damni.

Reſp. 3. Si ex ignorantia vel negligentia culpabili omiſiſti ſolùm admonere pœnitentem de obligatione reſtituendi, teneris eum poſtea admonere. Sed juxta multos non teneris ipſe reſtituere, ſi pœnitens ſit interea factus impotens ad reſtituendum; imò etiamſi non moneas eum de reſtitutione facienda, ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum. Quia confeſſarius præcisè ut confeſſarius, non tenetur ex juſtitia impedire damnum ejus cui debetur reſtitutio; ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, ſed tantùm contra bonum ſpirituale pœnitentis: confeſſarius enim nullam juſtitiæ obligationem, nec officium habet in ordine ad creditorem, ſed tantum in ordine ad pœnitentem; nec tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum; ſed ſolùm ſpirituale bonum pœnitentis; nec eſt hujus caput politicum, ſicut prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum. Omittens autem, aut tacens non tenetur de damno non impedito, niſi ei cujus damnum tenetur ex juſtitia impedire. Itaque hac in re non eſt par ratio confeſſarii, & judicis prophani: nam hic tenetur ex officio bonum aliorum ſpectante ſervare jus omnium tamquam perſona publica conſtituta ad procurandum bonum temporale, & jus aliorum: confeſſarius autem obligatur ſoli pœnitenti in foro pœnitentiæ: quia hoc forum ac judicium privatum eſt, & inſtitutum in bonum pœnitentis.

Dixi, saltem nisi ex officio habeas curam animarum, ut sunt Episcopi & Parochi, quos teneri tunc ad restitutionem valde probabile esse censet Lessius. Quia cùm ista sint Superiores, ex officio tenentur regere subditos, & pro modo suæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant, ac proinde tenentur curare, si commodè possint, ut restitutionem faciant. Ejusdem enim rationis est damnum inferre, & illatum nolle resarcire.

Resp. 4. Si pœnitentem culpabiliter, hoc est, ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel gravi negligentia considerandi, obligasti ad restitutionem, ad quam non tenebatur, teneris ex justitia errorem retractare. Quod si jam restituit, teneris damnum illud ipsi resarcire. Nam illius fuisti causa efficax & injusta tuo falso consilio, ex cap. ultim. *de injur.* Item teneris pœnitenti de damno, si tua omissione culpabili fuisti causa, cur ipse restitueret id ad quod non tenebatur: nam tale damnum oritur ex omissione monitionis ei ex officio erga eum, ideóque ex justitia debitæ.

Quæst. XI. *An Sacerdotes non habentes curam animarum tenentur audire confessiones, si sint idonei & approbati?*

Resp. 1. Tenentur ex charitate sub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confessiones cujuslibet existentis in extrema necessitate salutis, qui scilicet salvari nequeat sine opera confessoris. Nam quisque tenetur ex charitate salutem æternam proximi præferre vitæ suæ corporali; tenetur enim vitæ suæ corporali præferre salutem proximi, quem sicut seipsum diligere tenetur.

Resp. 2. Tenentur etiam ex charitate sub mortali audire confessiones hominum in gravi necessitate spirituali existentium, ut in periculo mortis, si alius desit, & id possint saltem sine gravi damno & vitæ periculo. Nam charitas obligat ad succurrendum proximo in gravi necessitate, cùm id fieri potest saltem sine gravi incommodo & damno. Imò *Suarez.*, hìc, disput. 31. sect. 1. docet quemlibet Sacerdotem teneri ex charitate audire confessiones etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, si vita spiritualis, seu salus proximi periclitetur, & non sit alius, qui subveniat: nam licèt in rigore possit proximus per contritionem perfectam salvari, tamen magno morali periculo exponitur, quando sine alio medio relinquitur.

Certè secundùm communem sententiam, in necessitate gravi spirituali communitatis, ut si peste grassante ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter absque confessione, Sacerdos privatus tenetur sub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confessiones, si alii non subveniant. Quia gravis necessitas spiritualis communitatis, licèt non extrema, est per se gravissimum malum, cui meritò succurri debet cum jactura vitæ privati; & quia vix fieri potest ut talis necessitas non sit conjuncta cum necessitate extrema aliquorum. *Delugo.*

Resp. 3. Extra necessitatem gravem tenetur, quando facilè possunt, & utilitas proximi magna id exigit. Ex 1. Petr. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Nam sine culpa non possunt ex negligentia inutilem reddere potestatem absolvendi, in utilitatem proximi acceptam.

CAPUT

CAPUT IV.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum illud est religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quæ ex confessione Sacramentali cognita sunt.

Quæst. I. *Quæ & quanta est obligatio Sigilli confessionis?*

Resp. 1. Secretum confessionis obligat, 1. Jure naturali, quo generatim tenemur non revelare secretum commissum, & promissum etiam implicitè, præsertim cum damno aut infamia alterius. In confessione autem intercedit tacita pactio inter confessorem & pœnitentem: nam hic peccata sua declarat sub conditione tacita secreti, quod confessarius tacitè spondet hoc ipso, quòd audit confessionem. 2. Lege divina speciali positiva, imò naturali, supposita institutione confessionis Sacramentalis, quam ex natura rei consequitur, ne scilicet revelatione secreti confessio reddatur onerosa, & odiosa, & sic ab illa homines avertantur. 3. Lege Ecclesiastica vetante revelationem sigilli sub gravissimis pœnis, lata in Conc. general. Lateran. IV. cap. 21. ibi: *Caveat omninò ne verbo vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.*

Hinc in violatione sigilli reperitur malitia injustitiæ erga pœnitentem, & sacrilegii ob irreverentiam in sacramentum; quæ malitia sacrilegii semper est ex se mortalis, nec potest esse venialis ex levitate materiæ: ita ut sit mortale vel unum veniale in particulari revelare. Nam minima infractio sigilli graviter injuriosa est Sacramento, cùm illud reddat odiosum, & avertat à confessione; & revelatio venialis culpæ à confessione venialium deterreret.

Resp. 2. Hæc obligatio tanta est, ut nullo prorsus casu, vel ad tormenta quælibet & mortem vitandam liceat secretum confessionis revelare, sine expresso consensu pœnitentis, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ. Quia Christus dum hoc sacramentum instituit, & pœnitentes obligavit ad confitendum omnia mortalia, simul obligavit confessarium ad confessionis secretum numquam violandum quavis de causa. Nam si liceret aliquo casu detegere cognita ex confessione, confessio fieret odiosa, & ab ea homines averterentur: quod est maximum malum commune, gravius damno vitæ, cùm confessio sit medium salutis non solùm utilissimum, sed etiam necessarium. Semper enim pœnitens timeret, ne occurreret ille casus, vel ne confessarius eam necessitatem apprehenderet, & revelaret ejus peccatum, præsertim cum multi hac licentia ex imprudentia facilè abuti possunt. Hinc, cap. *de pœnitent.* dist. 6. dicitur nefas esse aliquid revelare etiam pro aliquo scandalo vitando. Quare obligatio servandi secretum confessionis longè major est & arctior, quàm obligatio secreti naturalis, quod aliquando aperire debet, dum ejus revelatio necessaria est ad impediendum malum innocentis, vel reipublicæ.

Dixi, 1. *Sine consensu pœnitentis.* Nam eo sponte dato, licet justa de causa uti notitia in confessione acquisita. Quia cùm obligatio sigilli sit in favorem pœnitentis, potest is juri suo cedere, & dare facultatem revelan-

revelandi aliquid in confessione declaratum: potestque per alium facere quod potest per se ipsum. Et aliquando id tenetur, v. g. ad avertendum damnum reipub. vel tertii: ac proinde si eam deneget, non debet absolvi, cùm sit indispositus.

Dixi, 2. *Expresso*, Nam non sufficit consensus præsumptus, vel interpretativus, ut cùm confessarius judicat pœnitentem facultatem concessurum, si peteretur. Quia si non requireretur expressus consensus, confessio redderetur valde odiosa & onerosa: sæpe enim multi confessarii ex imprudentia putarent ejusmodi revelationem esse gratam pœnitenti, cùm tamen valde displiceret; sicque meritò timerent pœnitentes, ne aliquo casu ex simili præsumptione peccata sua proderentur. Unde graviter peccat confessarius contra sigillum, si plura peccata aut pluribus aperiat, quàm pœnitens expressè consensit; vel si facultatem illam injuria aut fraude ab eo extorquet, falsò ei persuadendo illum teneri hanc concedere, aut quid simile. Item non sufficit, quòd teneatur concedere, si reipsa non concedat; nam nihilominus redderetur confessio odiosa.

Quæst. II. *Quænam sigilli secreto continentur?*

Resp. Ea omnia, quæ per confessionem deteguntur, scilicet omnia peccata tum mortalia tum venialia, tum interna & occulta, quàm externa & publica, eorumque circumstantiæ: item tentationes, vitia, cupiditates, indispositio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, scrupulositas, & ignorantia pœnitentis; defectus natalium, peccatum complicis, materia ac objectum peccati; persona, quæ est objectum, causa, circumstantia, vel occasio peccati, aut aliter; item quæcumque à pœnitente dicta sunt ad pleniorem peccatorum, conscientiæ ac dispositionis suæ manifestationem, sive reipsa, sive ex falsa ejus opinione ad eam manifestationem pertineant, vel utilia sint, etiamsi ad alios spectent, & alia quælibet, quæ pœnitens non vult, ut detegantur. Ratio est, quia revelatio quorumvis istorum redderet confessionem odiosam, cùm molestiam, vel infamiam vel dedecus inferre nata sit pœnitenti; præsertim cùm multi nesciant discernere, quæ possunt ac debent dici, aut omitti in confessione. Imò juxta Conink & alios, pœnitentis defectus, quos confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest, cadunt sub sigillum, ita ut illud violet, si dicat pœnitentem esse scrupulosum impertinentiis & næniis tempus conterere, esse morosum, & his similia. Nam hoc aptum est reddere confessionem odiosam; ideóque in praxi vitandum.

Quæst. III. *Quomodo violatur sigillum Confessionis?*

Resp. Dupliciter. 1. Directè, revelando expressè aliquid ex sola confessione cognitum. 2. Indirectè aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum pœnitentis aut aliorum, aut quævis per confessionem cognita, ex quibus pœnitenti aut aliis pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen sequi posset; etiamsi audiens id aliundè sciat. Quæ omnia reddunt confessionem odiosam.

Hinc secretum confessionis violat. 1. Qui dicit de aliquo etiam mortuo, quòd commiserit aliquod mortale, vel plura venialia, vel tale veniale in particulari, v. gr. mendacium. Non tamen qui dicit præcisè, Petrum sibi confessum esse aliquid veniale indeterminatè;

minatè; nam hoc ex ipso actu confessionis patet: qui enim confitetur, hoc ipso attestatur se aliquod saltem veniale admisisse. Sed ne hoc quidem dicendum est ob periculum scandali. Dixi, *Etiam mortuo*. Nam revelatio cognitorum ex confessione, etiam post mortem pœnitentis redderet confessionem valdè onerosam ac odiosam; cùm homines sint valde solliciti, ne etiam post mortem infamentur.

2. Qui unum, præ aliis quos audivit, laudans dicit eum sola venialia admisisse: nam inde alii facilè in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

3. Qui dicto vel facto peccatum pœnitentis aliis etsi jam aliunde scientibus manifestat.

4. Qui dicit aliquod grave peccatum committi in tali Monasterio, vel capitulo. Nam hoc parit infamiam communitati, redditque confessionem odiosam. Item qui dicit in loco illo, præsertim angusto, ubi confessiones audivit, esse multos fures, adulteros, uxuriosos, aut injustos, &c. vel in tali loco talia & talia committi solere, præsertim si hoc aliunde non constet, nec sit publicum. Nam hoc infamiam loci, seu communitatis parit, quæ in singulos redundat.

5. Qui auditis paucorum confessionibus, dicit se tale peccatum audivisse, non nominata persona. Jam enim singuli ex illa relatione aliquid suspicionis contra se patiuntur; vel qui peccata per confessionem cognita ita narrant, ut audientes possint aliquo modo conjicere vel suspicari, quinam ea commiserint.

6. Qui dicit se non absolvisse talem, remisisse ad tale tempus, vel ei dedisse talem pœnitentiam, ex qua colligatur peccatum mortale saltem in genere; vel qui de Titio fure notorio dicit eum sua furta contritione magna sibi confessum esse.

7. Duo confessarii, qui inter se colloquuntur de peccatis pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

8. Qui alta voce, vel alio modo à circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem: nam hoc ipso indicat gravitatem materiæ quam audit.

9. Utendo notitia per confessionem parta sine licentia, & cum gravamine pœnitentis, vel cum ejus licentia, sed extorta, nec sponte data. Porrò potest violari sigillum non solùm verbis, sed etiam factis & aliis signis, ut constat ex Conc. Later. citato.

Nota 1. Quamvis non violet sigillum, qui præcisè refert peccata in confessione audita, personam & locum nullo modo designando, sic ut audientes, ne leviter quidem suspicari possint, quinam ea commiserint: tamen rectè monent non esse dicendum: *Hæc peccata audivi in confessione*. Quia audientes, præsertim laici, facilè scandalizantur, suspicantes violari sigillum; & quandoque periculum est, ne ex imprudentia lædatur sigillum, & deveniatur in suspicionem personæ. Imò hoc prohibitum esse à Conc. Later. c. *Omnis*, nisi in necessitate petendi consilii, docet Fagnanus. Quia Concilium solùm permittit de peccato audito, absque ulla expressione personæ, & cautè consulere sub hac conditione, *Si prudentiori consilio indiguerit*, ergo extra hanc indigentiam id non licet.

Nota 2. Quamvis liceat confessario loqui de rebus, quas aliunde novit, quia nihil cadit sub sigillum, nisi quod cognitum est ex sacramentali confessione, & ut ex ea cognitum sive immediatè, sive mediatè; violat tamen sigillum, si aliquid ampliùs vel certiùs affirmet, quàm extra confessionem novit.

Nota 3.

Nota. 3. In consilio captando omittendæ sunt circumstantiæ loci, temporis & aliæ inutiles, ne facilè innotescat pœnitens. Quòd si sine periculo revelationis consilium peti nequeat, tunc non licet petere sine venia expressa pœnitentis.

Quæst. IV. *An licet confessario loqui cum ipso pœnitente de auditis in confessione?*

Resp. Non licet extra confessionem absque ejus expressa licentia, quam pœnitens tenetur dare, cùm id necesse est ad supplendum aliquem defectum, vel errorem dedocendum. *Ita S. Carolus in instruct. confessar.* Quia aliàs hoc molestam & odiosam redderet confessionem: nam pudorem injicit, & exprobrationem quamdam continere solet. At id omne quod confessionem odiosam ac molestam reddere potest, est graviter à Christo prohibitum.

Hanc licentiam censeri dari à pœnitente docet Delugo, quando ipse interrogat, vel loquitur cum confessario de aliquo, quod dixit in confessione. Imò si statim post impositam satisfactionem ac datam absolutionem confessarius judicet aliquid addendum circa dicta in confessione, potest id facere, quamdiu pœnitens est in confessionario. Quia id spectat ad complementum judicii sacramentalis, quod adhuc censetur durare, & cujus actus sunt absolvere, punire, consulere, monere, corrigere, ligare, & similia; & quia moraliter non censetur extra confessionem, quod in continenti dicitur in confessionario. Item potest sequentibus confessionibus pœnitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admisso, de negligentia se emendandi, de frequentia relapsuum, &c. & uti notitia per priores confessiones parta ad specialia monita ac fortiora remedia suggerenda. Quia loquitur in eodem foro sacramentali, in quo Sacerdos ad bene curandum pœnitentem debet considerare etiam peccata præterita, quæ indicant passionem vehementem, vel consuetudinem, vel aliquid aliud consideratione dignum, ad meliùs cognoscendum statum pœnitentis: idque pertinet ad officium judicis, ac medici, quod tunc exercet. Et tunc agit ut Dei vicarius, ac proinde potest uti notitia, quam ut talis habet.

Quòd si pœnitens extra tribunal facultatem loquendi de re necessaria ad confessionem pertinente deneget confessario, juxta multos non licet eum monere. Nam tunc confessarius revera loqueretur extra confessionem, cùm judicium jam moraliter finitum sit. At est regula generalis, quòd confessarius de confessione sine licentia pœnitentis loqui non potest extra confessionem. Et verò si sigillum non obligaret ad non loquendum cum pœnitente, in eo casu non esset necessitas petendi licentiam; nam licentia pœnitentis non requiritur nisi propter sigillum, quam tamen necessitatem petitionis nemo negat. Quare licentia negata tacere debet confessarius, & jam satisfecit suo muneri.

Quæst. V. *An licet extra confessionem uti notitia per confessionem acquisita?*

Resp. 1. Licet uti cum licentia expressa pœnitentis sponte ab ipso in ipsius vel alterius utilitatem data. Quia ratio sigilli est, ne confessio reddatur odiosa: at tunc non potest inde confessio reddi odiosa, cùm quisque sciat suam sibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi licentiam, & eam pro arbitrio limitandi. Et tunc pœnitens ponit conditionem, qua posita præceptum divinum non obligat: nam solùm erat præceptum non divinum revelandi nec utendi notitia illa sine licentia

expressa pœnitentis. Tenetur autem pœnitens permittere usum istius notitiæ quoties necessarius est ad bonum commune, ad tollendam occasionem peccati, ad avertendum grave damnum spirituale vel temporale alicujus privati, & alia, quæ justitia vel charitas exigit: alioqui absolutione indignus est.

Resp. 2. Nunquam licet sine expressa licentia uti tali notitia cum qua vis directa aut indirecta revelatione cognitorum in confessione, & ex qua oriri possit suspicio usus talis notitiæ. Quia quælibet revelatio etiam indirecta sine expressa licentia pœnitentis est violatio secreti confessionis, & reddit confessionem odiosam, & onerosam.

Resp. 3. Neque licet sine expressa licentia, uti tali notitia, cum qualicumque pœnitentis gravamine etiam temporali, etsi aliunde non injusto, & seclusa quacumque revelatione; quamvis multò majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. *Prob. 1.* Ex decreto à Sac. Congregatione generalis Inquisitionis authoritate Innocentii XI. edito, & Romæ affixo, anno 1682. quo prohibetur hæc propositio, & ejus praxis; *Scientia ex confessione acquisita uti licet; modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione sive limitatione, præsenti decreto prohibent, &c.* 2. Clemens VIII. & Urban. VIII. prohibuerunt regularibus, ne hac notitia utantur ad exteriorem gubernationem. 3. Quia ille omnis usus notitiæ per confessionem partæ illicitus est: qui si cognosceretur à pœnitente esse licitus, redderet illi confessionem odiosam: nam talis usus à Sacramento avertit, & Christus vetuit, ne unquam redderetur odiosum. At si pœnitens sciret licere confessario, ipsis non advertentibus, uti notitia confessionis ad aliquid ipsis grave ac molestum, redderetur illis confessio odiosa, & semper id timerent. Et verò si non licet uti notitia cum gravamine aliquo pœnitentis advertentis talem usum; nec etiam licet, quamvis id non advertat: si enim antecedenter pœnitens sciret, posse confessorem uti occultè illa notitia contra pœnitentem, hic avocaretur non minùs, sed potius magis, à confessione peccati, quàm si sciret eum posse tale quid facere advertente ipso pœnitente. Nam magis lædunt illa, quorum causas scimus, quibus faciliùs possumus adhibere remedium per causam contrariam, ut notat Delugo.

Nec obstat, quòd tum nulla esset revelatio confessionis. Quia sigillum obligat confessorem non solùm ad non revelandum peccatum pœnitentis, sed etiam ad vitandum id omne extra confessionem, quod eam redderet odiosam & difficilem pœnitentibus, & ad continendam taliter notitiam illam, ut numquam possit adhiberi contra ipsum pœnitentem expressè non consentientem. Sic peccat contra sigillum, qui cum pœnitente loquitur de peccato ejus, licèt nihil prorsus revelet. Ratio enim & obligatio sigilli est, ne confessio difficilior, gravior ac molestior reddatur, & sic odiosa fiat, & homines ab ea deterreantur. Unde scientia ex confessione parta perinde se habet ac si non esset

esset, in ordine ad omnem usum, qui confessionem difficiliorem, seu molestiorem redderet.

Hinc non licet confessario pœnitentem secretò punire, malè habere, &c. Item Rituale Tullense monet, ne parochus deneget testimonium bonæ vitæ, & probitatis ei, cujus vita exterius est rectè instituta, sed quem confessione scit esse improbum; vel benedictionem nuptialem iis, quos ex sola confessione scit contraxisse impedimentum dirimens ob crimen; ne moneat parentes, ut diligenter invigilent filiæ, cujus libidinem ex sola confessione novit; ne amoveat vicarium, ludimagistrum, &c. à suo munere ob crimina ex sola confessione nota.

Resp. 4. Ex communi sententia, licitus est usus notitiæ ex confessione acquisitæ, qui sit sine ullo pœnitentis gravamine, & sine qualicumque revelatione tum directa, tum indirecta cognitum in confessione, nec potest reddere confessionem difficiliorem & odiosam. Quia Christus illum solum usum prohibuit, qui redderet confessionem magis onerosam ac difficilem pœnitenti, & ab illa fideles averteret, cùm obligatio sigilli à Christo imposita sit, ne confessio redderetur magis gravis ac molesta pœnitentibus, quàm per se sit.

Hinc licet confessario sæpius orare pro pœnitente, consulere libros, imò & doctores super peccatis in confessione auditis, emendare suam negligentiam, vel nimiam severitatem, quam ex confessione intelligit aliis nocere, &c. modò non detur occasio suspicandi pœnitenti, vel aliis. Item licet fugere locum, ubi insidias sibi parari, & abstinere à sacrificio, in quo necandum se veneno didicit ex confessione, modò præter pœnitentem nemo advertere possit id fieri ex usu notitiæ per confessionem partæ. Quia hoc non potest ullum gravamen afferre pœnitenti, nec reddere Sacramentum odiosum, nec revelare confessionem. Seeùs, si alter inde colligat pœnitentem ista declarasse, ac ideo ei succenseat, & noceat.

Resp. 5. Confessarius cum licentia expressa pœnitentis debet uti notitia peccati complicis vel alterius, ex sola confessione parta, quando necesse est ad impediendum grave damnum spirituale, vel etiam temporale injustum pœnitentis vel ipsius complicis, vel aliorum, ita ut nequeat impediri, nisi confessarius moneat prudenter ipsum reum, vel Superiorem tamquam patrem. Nam tunc nec violatur sigillum, nec fit injuria complici, & tenemur ex charitate impedire malum proximi, cùm sine peccato & gravi incommodo possumus. Sed tunc confessarius hortetur pœnitentem, ut extra confessionem alienum peccatum ei aperiat, ut tantò liberiùs peccati notitia uti possit, & dicere correpto se illud extra Sacramentum accepisse, ne illud ei odiosum fiat.

Porrò ne confessarius facilè pœnitenti alios accusanti, præsertim fœminæ credat, nec onus monendi in se suscipiat sine necessitate. Nam sæpe vel ex malitia, vel ex errore innocentes accusantur.

Quæst. VI. *Quid respondere debet confessarius, dum interrogatur de cognitis in confessione?*

Resp. 1. Confessarius de his interrogatus etiam à judice, debet secundùm aliquos dicere quæstionem esse injustam & sacrilegam, ad quam nefas sit respondere. Sed quia id plerumque non sufficit ad tollendam omnem suspicionem, alii docent eum debere simpliciter affirmare, etiam cum juramento si opus sit, se nescire pœnitentem tale scelus commisisse. Nec tunc utitur æquivocatione, aut restri-

ctione, nec mentitur; quia respondet in sensu interrogationis, inquit Delugo: interrogatio enim est, aut debet esse, an sciat peccatum ea scientia quæ humani convictus legibus subjiciatur, & deservire possit ad illud dicendum, de qua scientia interrogant homines, & de illa intelligi potest responsio. *Homo* (inquit S. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. ad 3.) *non adducitur in testimonium nisi ut homo: & ideo absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantùm ut Deus;* id est, ut Dei vices specialiter agens. Et S. Antonin. 3. part. tit. 17. c. 22. ait: *Si non potest alio modo declinare iniquum judicium, potest respondere: Nihil inde scio, quia subintelligitur, ut homo; & nihil scio etiam per confessionem, quod intelligitur tibi revelandum.* Alii dicunt istam responsionem, *Nescio*, in talibus circumstantiis apud prudentes nihil aliud significare, quàm me nihil scire, quod subjiciatur humani convictus legibus. Nam notitia rerum ea confessione sacramentali hausta, non est scientia naturalis ordinis, quam quis habeat ut homo, & quæ pertineat ad usum humani convictus ac societatis, quæ inter homines per mutuum sermonem fovetur; quare humanæ societatis legibus nullatenus subjicitur. Malitia autem propria mendacii in eo potissimum posita est, quòd per illud peccetur contra leges humanæ, seu rationalis societatis.

Si autem judex quærat, num confessionem Petri audieris; respondere debes te audivisse. At si quærat, num tale peccatum confessus fuerit, respondere debes, secundùm aliquos, istam interrogationem esse injustam, impiam, & responso indignam secundùm alios te nihil tale audivisse, scilicet au ditione eorum quæ liceat revelare, velut hominem.

Resp. 2. Confessarius interrogatus an pœnitentem absolverit, respondere debet se officio functum esse; non autem absolvisse: alioqui enim id affirmans de uno & non de altero, indicaret denegatam absolutionem; & sic indirectè revelaret pœnitentis indispositionem, aut peccatum reservatum: Quare eadem debet esse responsio pro omnibus pœnitentibus, quos absolvit & quos non absolvit. Hinc dum danda sunt testimonia confessionis auditæ, debet Confessarius testari solùm se audivisse confessionem talis.

Porrò etsi regulariter ita respondendum sit, non potest tamen damnari confessarius, qui dicit se aliquem absolvisse, quando nullum est periculum pro aliis, quia hoc nullo modo est contra sigillum, nec potest reddere confessionem odiosam. Quòd si Sacerdos vocetur in jus à pœnitente, ut rationem reddat denegatæ absolutionis, testari debet se nullum in hac exigenda ratione Superiorem agnoscere præter Deum.

Quæst. VII. *Ex qua confessione contrahitur obligatio sigilli?*

Resp. Contrahitur ex omni & sola confessione sacramentali. Confessio autem censetur sacramentalis in ordine ad inducendam obligationem sigilli, quæ ex intentione se accusandi secundùm institutionem Christi, in ordine ad absolutionem aliquando obtinendam fit ei, qui bona fide creditur judex legitimus, etiamsi non sequatur vera absolutio quavis de causa. Hoc enim necessarium est ad securitatem Sacramenti.

Hinc sigillum obligat, 1. etiamsi confessio facta sit laico, vel Sacerdoti non approbato, quem pœnitens bona fide putat esse Sacerdotem & legitimum judicem. Nam defectus hujus obligationis cederet in detrimentum confessionis validæ, quæ inde minùs secu-

ra redderetur, propter periculum ne quis malitiosè fingat se Sacerdotem approbatum, aut se esse putet, cùm non sit. 2. Etiamsi Sacerdos non habeat intentionem conficiendi Sacramentum & absolvendi. Alioqui pœnitentes possent facilè decipi, & metus hujus deceptionis multos deterreret à confessione, obessetque securitati Sacramenti. 3. Etiamsi pœnitens confiteatur sine contritione & voluntate recipiendi absolutionem; sed tamen cum intentione se Sacerdoti tamquam Dei ministro subjiciendi, & accusandi, vel ut ab eo aliquo modo adjuvetur, & dirigatur in ordine ad id quod de-esse judicat, ut possit absolutionem aliquando obtinere. Nam ex communi sententia, talis confessio quoad effectum inducendi sigillum, est sacramentalis, licèt non sufficiat ad valorem Sacramenti.

Econtra non contrahitur obligatio sigilli ex confessione, quæ fit solùm ex intentione irridendi, decipiendi, vel inducendi confessarium in peccatum; aut si extra tribunal quis dicat se, id quod narraturus est, committere sigillo confessionis. Quia obligatio sigilli est annexa soli confessioni institutæ à Christo vel ei, cujus revelatio in confessionis à Christo institutæ detrimentum cederet.

Hinc oritur solùm obligatio secreti naturalis ex eo, quòd aliquis committens secretum Sacerdoti, dicat se illud ei committere sub secreto confessionis, & Sacerdos sic admittat. *Ita S. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. qu. 3. ad 2.* Nam secretum confessionis religiosum, soli confessioni proprium est. Addit Sylvius, hanc admissionem non non carere irreverentia Sacramenti: cùm nullum arcanum possit secreto confessionis æquiparari.

Quæst. VIII. *Quinam contrahunt obligationem sigilli?*

Resp. Ii omnes, qui immediatè, vel mediatè, licitè, vel illicitè, habent ex confessione sacramentali notitiam rei cadentis sub sigillum. Nam ii omnes tenentur secreta servare ea, quorum revelatio redderet confessionem onerosam ac odiosam, & ab ea homines deterreret. At si homines scirent aliquos tales posse aliqua ex confessione cognita revelare, aversarentur confessionem, & ab ea averterentur. Præterea *cùm quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo*, reg jur. 39. in 6. & res cum onere suo transit, ad quoscumque pervenit. Igitur securitas ac reverentia Sacramento debita exigit, ut quævis notitia per confessionem solam quovis modo parta numquam possit communicari sine expressa licentia pœnitentis, ne sacramentum reddatur difficilius & odiosum.

Hinc obligatione sigilli tenentur, 1. Ipse confessarius etiam fictus, sed per errorem legitimus existimatus: nam confessio tunc ex intentione pœnitentis est sacramentalis. 2. Ii omnes, qui peccatum pœnitentis, dum confitetur, audierunt, sive culpabiliter, propiùs accedendo animo audiendi (quod est mortale ob injuriam gravem illatam Sacramento & pœnitenti,) sivè inculpatè & præter voluntatem. 3. Superior, à quo extra Sacramentum petitur facultas absolvendi à casu reservato. 4. Interpres, ut organum medium, per quod facta est confessio. 5. Qui per examen disponit alium ad confessionem, & qui consulitur, an & quomodo hoc vel illud teneatur confiteri, quamvis alteri fiat confessio. 6. Is qui consulitur à confessario, etiam cum licentia pœnitentis; alioqui valdè odiosum & grave esset pœnitentibus concedere facultatem consulendi alium, (ut sæpe necessarium est ad bonum pœnitentis, & rectam Sacramenti administrationem,) si ille alius non obligare-

ligaretur ſigillo. Item is, cui confeſſarius pœnitentem manifeſtavit ex conſenſu pœnitentis. 7. Ii omnes, qui aliquid didicerunt etiam mediatè ab ipſo confeſſario, aut quovis alio ad ſigillum obligato. 8. Qui peccata pœnitentis in charta deſcripta legit, dum pœnitens ex ſcripto confitetur: is enim ſe habet, ut ille qui furtim audit confitentem. Qui autem ante, vel poſt & extra confeſſionem chartam peccata continentem reperit, peccat graviter ſi legat, & ſecundùm multos obligatur ſigillo: quia peccata in charta ſcripta ordinantur ad confeſſionem ſacramentalem ritè perficiendam; idque ut favorabilius Sacramento tenendum eſt.

Quæſt. IX. *An pœnitens etiam obligatur ſigillo reſpectu confeſſarii?* *Reſp. Neg.* Quia obligatio ſigilli eſt ſolùm in favorem pœnitentis, ut ſecurè ac confidenter peccata ſua & conſcientiam aperiat, ſicut tenetur ſecundùm inſtitutionem Chriſti: non autem in favorem confeſſarii, qui non tenetur ex inſtitutione Chriſti peccata ſua pœnitenti aperire; & ſic non eget obligatione ſigilli circa ea, quæ debet dicere pœnitenti.

Pœnitens tamen habet obligationem ſecreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit ſine injuſto damno confeſſarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem; *propter quod peccant*, inquit Gerſon in Regul. moral. regul. 134. *Si non excuſat eos ignorantia, illi qui pœnitentias ſuas, & ea quæ Sacerdos eis dixit, paſſim dicunt, & qui etiam ſuper hoc inquirunt, quoniam talia per indirectum cauſant aliquando irriſonem Sacerdotis, aut confeſſi culpam.* At ſi confeſſarius aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in damnum commune, vel privatum, ut ſi hæreſim doceat, ſi ſollicitet ad turpia, vel ſi exiſtat aliud grave periculum ruinæ ſpiritualis, ſive confeſſarii, ſive alterius, pœnitens tenetur ex lege charitatis iſta denuntiare Prælato, ſi aliter malum certo impedire nequit. Imò Gregorius XV. Bulla 34. præcipit pœnitentibus, ut denuntient Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis confeſſarios, qui perſonas quaſcumque, *ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediatè, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque ubi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* Mandatque omnibus confeſſariis, ut pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis modo ſupra dicto ſollicitatos, moneant de obligatione eos denuntiandi. Unde ad hoc tenentur omnes ubi hoc decretum viget; imò & alii, ſi aliàs iſti nefarii confeſſarii prævideantur non emendandi; nam tunc lex charitatis erga illos & alios ſeducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, ſi non adſit alia via efficax.

APPENDIX.

De Sollicitatione.

„ In Tractatu de Pœnitentia nihil „ Author habet de pœnis, quibus „ Confeſſarii ſubjiciuntur, qui pœ„ nitentes ad inhoneſta, & turpia „ ſollicitaverint, deque obligatione „ pœnitentium, qua tenentur Con„ feſſarios ſollicitantes denunciare In„ quiſitoribus, vel Ordinariis, ſive „ eorumdem Vicariis. Quamobrem, cùm

„ eum editæ hac de re à Romanis Pontificibus Constitutiones, à SS. D. N. BENEDICTO XIV. confirmatæ, & ampliatæ sint, Const. quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, vol. 1. Bullar. pag. 50. cumque hæc Constitutio regula esse debeat Confessariis in hujusmodi materia, integram referemus. Quo autem clarior res sit, & ut facilius Sacerdotes, quæ sunt ibi constituta, memoriæ mandare, iisque uti valeant, ad dignoscendum, quibus in casibus Confessarii sollicitationis sint rei, ac pœnitentes ad denunciandum obligentur, Notas eidem Constitutioni subjiciemus, particulas singulas distinctè exponemus, atque ad particulares casus applicabimus.

CONSTITUTIO.

BENEDICTUS EPISCOPUS, &c.

„ Sacramentum Pœnitentiæ; quam secundam, post naufragium deperditæ gratiæ, tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, Nos licèt immerentes ad universi Dominici Gregis curam superna dispositione vocati, omne studium, & Pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per Dœmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam, naufragis, ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; & quod in salutem, & curationem Animarum, à Deo, qui dives est in misericordia, institutum est execrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

„ §. 1. Dudum quidem à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro per suas litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die xxx. Augusti MDCXXII. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad earum literarum interpretationem, ac declarationem plura subinde à Congreg. Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die xi. mensis Februarii Anno Domini MDCLXI. prodierunt Decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die xxiv. Septembr. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, intersit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illa-

„ rum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica Authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenùs opus sit, denuò committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respectivè Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediatè post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem; ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severè animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem quam hìc de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodò præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

„ §. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulò monere, juxtà occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive Locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, nòn pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos, spondeant, ac promittant.

„ §. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio,

„ vel

„ vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat.

„ §. 4. Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longè submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dœmonis potiùs, quàm Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digne suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirùm in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi Præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeò quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit; quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus; Et nihilominùs, si quis Confessarius secùs facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

„ §. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam

„ Bullæ , quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ , aut alterius cujuslibet Indulti , confeſſionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri; cùm ad hunc effectum , & in hoc caſu , nullus Confeſſarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat , & abſolvendi facultate à Nobis privatus exiſtat , habendus ſit pro Confeſſario legitimo , & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim , quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Univerſalis, & plenarii, necnon quibusvis Eccleſiarum , & Monaſteriorum , & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis , Statutis , & Conſuetudinibus , Privilegiis quoque , Indultis , & Literis Apoſtolicis ſub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio aut aliàs quomolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis , & innovatis. Quibus omnibus , eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes , hac vice dumtaxat ſpecialiter , & expreſsè derogamus , cæterisque contrariis quibuscumque.

„ §. 6. Volumus demum, ac præcipimus , ut omnes Locorum Ordinarii, tam præſentes , quàm futuri pro tempore exiſtentes , in approbatione Confeſſariorum, tam prædictam conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris , quàm præſentem hanc Noſtram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè obſervari curent, moneantque eos in Domino , atque hortentur , ut Sacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant , exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Dei ; Memores præterea ſint , ſe locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis , qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis , ad ſerviendum Deo viventi : Sedulò igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus , & pulſantibus eorum culpa Cœlum claudatur ; ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes, & ſaucii, ad cœleſtem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate , gravioribus peccatorum vulneribus , dum adhuc in via ſunt, confodiantur.

„ §. 7. Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat , volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis , & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio , ac in Acie Campi Floræ de Urbe , ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare , & afficere , ac ſi unicuique eorum nominatim , & perſonaliter intimatæ fuiſſent : utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis , ſeu exemplis , etiam im-

„ impressis, manu alicujus Notarii „ publici subscriptis, & sigillo alicu- „ jus Personæ in Ecclesiastica Digni- „ tate constitutæ munitis, eadem pror- „ sùs fides, tam in judicio, quàm „ extra illud, ubique adhibeatur, quæ „ ipsis præsentibus adhiberetur, si „ forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ §. 8. Nulli ergo omnino homi- „ num liceat paginam hanc Nostræ „ voluntatis, sanctionis, præcepti, „ mandati, & derogationis infringe- „ re, vel ei ausu temerario contrai- „ re. Si quis autem hoc attentare „ præsumpserit, indignationem Om- „ nipotentis Dei, ac Beatorum Petri, „ & Pauli, Apostolorum ejus se no- „ verit incursurum. Datum Romæ „ apud Sanctam Mariam Majorem „ Anno Incarnationis Dominicæ mil- „ lesimo septingentesimo quadragesi- „ mo primo, Kalendis Junii, Ponti- „ ficatus Nostri Anno I.

NOTÆ.

„ 1. In hac Const. num. 1. appro- „ bantur, & confirmantur, cum alio- „ rum Romanorum Pontificum *lite-* „ *ræ*, tum etiam *omnia & singula* „ *decreta ad illarum interpretatio-* „ *nem, & declarationem emanata.*

„ 2. Confessarios, pœnitentes ad „ inhonesta sollicitantes Inquisitori- „ bus Hæreticæ pravitatis, tanquam „ hæreseos suspectos denunciandos „ statuere Paulus IV. die 16. Aprilis „ 1661. Pius IV. 6. Aprilis 1564. „ Clemens VIII. 3. Decembr. 1592. „ & Paulus V. 1608. Horum verò „ Pontificum Const. quæ pro Regnis „ duntaxat Hispaniæ, Portugalliæ, „ & Algarbiorum editæ fuerunt, Gre- „ gorius XV. ea quæ incipit *universi* „ *Dominici Gregis*, ad fideles omnes „ extendit, atque ampliavit; quippe „ constituit denunciare quoque opor- „ tere Sacerdotes, qui, sive in Con- „ fessionali, sive in loco ad Confes- „ siones audiendas destinato, confes- „ sionem simulantes, ad inhonesta „ sollicitaverint, sive inhonestos ser- „ mones habuerint, vel turpia tra- „ ctaverint; præcepitque, ut Con- „ fessarii, pœnitentes de denuncian- „ di ità delinquentes Sacerdotes ob- „ ligatione monerent.

„ 3. Supremæ Inquisitionis decre- „ ta quod attinet, P. Laurentius Cozza „ in dubiis selectis circa sollicitatio- „ nem, refert, quæ sequuntur. Pag. 29. „ *Paulum V. sub. die 19. Novembr.* „ *1612. declarasse, quod etiam ex* „ *vi Constitutionis Pii IV. compre-* „ *benderentur sollicitantes masculos:* „ *& ita rescripsisse Cardinalem Mel-* „ *linum ann. 1613. sub die 28. Fe-* „ *bruarii ad Petrum Castillo Inquisi-* „ *torem Generalem Lusitaniæ.* Pag. „ 40. In Congr. Generali Supremæ „ Inquisitionis die 11. Febr. 1661. „ declaratam fuisse improbabilem opi- „ nionem, quæ asserit, denuncian- „ dum non esse confessarium, qui „ chartam ad venerem provocantem „ mulieri domi legendam tradiderit. „ Pag. 62. In eadem Congregatione „ improbatam fuisse opinionem, quæ „ ab onere denunciandi, pœnitentem „ eximit, *si cum Confessario conve-* „ *nerit in simulatione Confessionis,* „ *ut liberius de rebus inhonestis tra-* „ *ctarent.* Pag. 65. ex decreto ejus- „ dem Congr. 25. Jul. 1624. mulie- „ rem, quæ sollicitanti Sacerdoti con- „ senserit, non teneri in denuncia- „ tione ad consensum suum aperien- „ dum, teneri tamen ad denunci- „ andum, etiamsi ipsa prius sollici- „ taverit, & ad consensum ipsa tra- „ xerit Confessar. Pag. 32. die 21. „ Februarii 1661. improbatam fuisse „ opinionem illorum, qui contende- „ bant, non esse denunciandos Sa-

„ cerdotes, qui propter alterius solli„ citationem abjuraverit. Pag. 174. „ decisum fuisse 17. Novembr. 1624. „ *Confessarios sollicitantes non esse* „ *cogendos ad denunciandos seipsos.* „ Iis addimus sequens Pauli V. de„ cretum 10. Julii 1614. *In Gene*„ *rali Congr. S. R. Inq. habita in* „ *Palatio Apostolico coram SS. D.* „ *N. D. Paulo divina providentia* „ *Papa V, &c. facta relatione, quod* „ *multi Confessarii tractant cum mu*„ *lieribus in Confessionali, extra* „ *occasionem* Confessionis, de rebus „ inhonestis : *SS. decrevit, ut con*„ *tra hujusmodi Confessarios proce*„ *datur in Sancto Officio*; & aliud „ coram Alexandro VII. 8. Julii 1660. „ quo decernitur, *teneri* pœnitentem „ ad denunciandum, *etiamsi nulla* „ *fraterna correctio vel alia moni*„ *tio præmissa fuerit.*

„ 4. Hæ sunt propositiones ab Ale„ xandro VII. 24. Septembris 1665. „ damnatæ. *1. Confessarius, qui in* „ *Sacramentali Confessione tribuit* „ *pœnitenti chartam postea legen*„ *dam, in qua ad venerem incitat,* „ *non censetur sollicitasse in Confes*„ *sione, ac proinde non est denun*„ *ciandus. 2. Modus evadendæ obli*„ *gationis denunciandæ sollicitatio*„ *nis est, si sollicitatus confiteatur* „ *cum sollicitante, hic potest ipsum* „ *absolvere absque onere denunciandi.*

„ 5. Atque hæc sunt, ex quibus „ certæ, tutæque regulæ sunt dedu„ cendæ, quibus indicatur, qui de„ nunciandi sint, quas ob causas, „ quando, & qua ratione denunciare „ oporteat. Esto itaque.

„ Prima Regula. *Denunciandi sunt* „ *omnes & singuli Sacerdotes sive* „ *absolvendi jurisdictione, & autho*„ *tate polleant, sive careant.*

„ Hujusmodi regula expressè legi „ n. 1. & 2. Constitutionis. Quam„ obrem dubitari amplius non potest, „ quin simplex Sacerdos, is scilicet, „ qui ad validè absolvendum juris„ dictione careat, denunciandus sit, „ si confessionem simulando, vel præ„ textu, aut occasione confessionis, „ modo infra explicanda, sollicita„ verit, vel inhonesta atque turpia „ tractaverit. Sed, quum nihil, sive „ in hac, sive in aliorum Pontificum „ Constitutionibus, vel Supremæ In„ quisitionis Decretis, statuatur, de „ denunciandis vel Clericis, vel Laï„ cis, qui sollicitandi causa confes„ sionem simulaverint, vel confessio„ nis prætextu sollicitaverint, non „ videtur probanda, quæ Gipsio tri„ buitur opinio, qui, ut refert Goz„ za pag. 153. Clericos etiam laicos„ que denunciandos esse contendebat, „ harumce legum virtute. Nam si „ juxta Reg. 15. juris, *odia restrin*„ *gi, & favores convenit ampliari*, „ atque juxta Reg. 49. *In pœnis be*„ *nignior est interpretatio facienda*, „ manifestum est, pœnis subjiciendos „ non esse qui in lege non designan„ tur, sed excludi videntur. In iis „ ergo constitutionibus, cum soli Sa„ cerdotes nominentur, ac denuncia„ tionis pœnis subdantur, Clerici, „ Laicique præsumuntur exclusi. At, „ si ii Missam celebrarent, & sacra„ mentalem confessionem audirent, „ ob alias Const. Inquisitorum judi„ cio, ac pœnis gravissimis suppo„ nuntur, atque hanc ob rem de„ nunciandi essent; ut debitas pœnas „ subirent.

„ Secunda. *Qui aliquem pœniten*„ *tem quæcumque persona illa sit,* „ *sive pro se ipso, sive pro alia per*„ *sona sollicitaverint.*

„ Habes hic clarè definitum. Pri„ mò, denunciandum esse Confessa-

„ rium

„ rium five follicitaverit fœminam „ five mafculum; ut liquet, tum ex „ fupra relato fupremæ Inquifitionis „ Decret. tum etiam ex Conft. verbis, nam *tò* aliquem pœnitentem, „ quæcumque Perfona fit, innuit vel „ mafculum, vel fœminam. Deinde „ denunciandum quoque effe, qui „ non pro fe, fed pro alia perfona „ pœnitentem incitaverit, feu ad turpia provocaverit, ut in Conftitut. „ num. 2. expreffum eft.

„ Tertia. *In actu facramentalis* „ *Confeffionis, vel ante, vel immediatè poft.*

„ Qui eo temporis fpatio ad turpia provocet, quod inter confeffionis initium, & abfolutionem intercedit, is follicitare dicitur in actu „ confeffionis. At quid fit follicitare „ vel immeditatè ante, aut immediatè poft confeffionem, non convenit inter Authores, ut videre eft „ apud Cozzam dub. 21. pag. 95. „ Communior autem opinio, quæ, „ meo judicio, vera eft, atque fini „ legis omninò confentanea, afferit „ vocabulum iftud *immediatè*, non „ pro phyfico, fed pro morali fignificatione effe ufurpandum, fcilicet, „ non pro momento, quod nullo interjecto medio, vel præcedit, vel „ fubfequitur confeffionem, fed, pro „ brevi illo temporis fpatio, in quo „ fi quidpiam fiat, attentis circumftantiis, fecundùm communem loquendi modum, ac prudentum judicium, five immediatè ante, vel „ immediatè poft confeffionem, factum dicatur. Quare, qui mulierem petentem confeffionem, „ five ad confeffionem paratam, & „ quam paulo poft ad confeffionem „ acceffuram noverit, ad inhonefta „ incitaret, is immediatè ante confeffionem follicitare diceretur, licèt „ breve temporis intervallum provocantem actionem, confeffionemque intercederet. Atque eandem ob caufam, immediatè poft „ confeffionem follicitare diceretur, „ qui vel illicò poft abfolutionem, „ vel in Ecclefia, cum primum è „ confeffionali egreditur, mulierem „ ad turpia provocaret, five chartam ei traderet ad venerem incitantem, domi legendam. Imò „ communior opinio eft, hac quoque lege comprehendi, qui pœnitentem deinceps fequatur, eamque, „ in itinere aut domi follicitet. Is „ enim fecundùm prudentum judicium ftatim poft confeffionem follicitaffe diceretur; quia cum primum potuit, præconceptum in confeffione de follicitando defiderium, „ executioni demandavit. Sed indicati cafus clarius comprehenduntur regula, quam fubjicimus.

„ Quarta. *Vel occafione, aut prætextu confeffionis.*

„ Occafio, & prætextus duo hìc „ exprimunt, quæ funt invicem diftincta, atque omnino diverfa. Nam „ confeffionis occafione follicitare, eft „ ex confeffione provocandi motivum „ fumere: prætextu vero confeffionis „ follicitat, qui confeffionem prætexit, „ five fingit, ac fimulat, ut liberius „ vel inhonefta tractet, vel ad venerem incitet. Occafione confeffionis „ tribus modis Confeffarius follicitare poffe videtur, Primò, Dum ex „ expreffa aut tacita confeffionis petitione follicitandi motivum fumit. „ Tum enim medicinam petenti, venenum, atque panem expectanti, „ fcorpionem porrigit, juxta Conft. „ allegorias; atque veneratione, „ demiffione animi, confidentia, aliifque pœnitentis affectibus erga Sacramentum ac Chrifti Miniftrum „ abutitur, quo facilius ad inhonefta incitet. Adeoque denunciandus

„ eft

„ est. Secundò, ex confessione ipsa, „ hoc est, dum intelligendo, quæ „ cum aliis egit, vel facere optavit. „ aut ad venerem proclivitatem &c. „ occasionem nanciscitur, vel verbis, „ vel signis ad inhonesta provocandi. „ Tertiò demum, quum notitia utitur, quam ex confessione habuit, „ ad incitandum, & facilius movendum „ ad assensum. Ab hac enim notitia motum ad sollicitandum, ma„ festum est, ex ipsa confessione in„ citandi occasionem desumere. Sed, „ ut pœnitens hanc ob causam de„ nunciare teneatur; habeat necesse „ est certa indicia, quibus prudenter „ judicare possit, ex hujusmodi sci„ entia sollicitandi motivum accepisse: nam si indicia hujusmodi de„ sint, præsumi potest aliis ex causis „ motum fuisse ad sollicitandum. Sup„ petunt verò pœnitenti hujusmodi „ indicia, si Confessarius brevi post „ Confessionem tempore, pœnitentem „ sollicitet veluti personam quæ fa„ cile acquiescere soleat, vel natura „ sua ad hujusmodi actus propensa „ sit, & si aut generalibus verbis, „ aut nutibus in sollicitando utatur, „ quibus indicare videatur, se scire, „ vel quid cum aliis egerit, vel quam „ aliàs ad hæc propensa fuerit, aut „ quidpiam iis similia, quod ex con„ fessione noverit.

„ Quinta. *Vel etiam extra occasio„ nem confessionis in confessionali.*

„ Hac regula ii designantur, qui „ denunciandi sint ratione loci, in „ quo ad inhonesta aliquem provo„ cent. Scilicet ii, qui in loco desti„ nato ad sacri Pœnitentiæ ministerii „ exercitium, & ad absolvendos fide„ les à peccatis, etiam extra quam„ cumque confessionis occasionem, & „ simulationem, ad turpia sollicitant, „ vel inhonesta tractant. Constat id, „ primum, ex Decreto Supremæ In„ quisit. sub Paulo V. quod una cum „ aliis à SS. D. N. BENEDICTO „ XIV. approbatum, & confirmatum „ fuit; deinde ex eo, quod finis le„ gis videatur hujusmodi pœnis Sa„ cerdotes subjicere, quia in loco, „ ex quo fideles solutionem à culpis, „ ac animæ salutem quærunt, novis „ culpis ligare, atque in perditionem, „ & æternam mortem ducere student.

„ Sexta. *Sive in alio loco ad con„ fessiones audiendas destinato, aut „ electo, cum simulatione audiendi „ ibidem Confessionem.*

„ Tria locorum genera distinguun„ tur, quibus confessiones audiri so„ lent. *Primus*, inquit Felix Potest. „ tom. 3. p. 3. cap. IX. *est confes„ sionale ordinarium quod confici so„ let ex ligno habens laminam fer„ cum parvis foraminibus, quodque „ in Ecclesia collocatur.* Atque hu„ jusmodi est, quod in superiori re„ gula indicatur. *Secundus est locus „ quicumque ab illo distinctus, ubi „ confessiones audiuntur: tales sunt in „ domibus Religiosis Cellulæ quædam „ in primo claustro, aut in Sacri„ stia,* atque hujusmodi confessionis „ locum designari, ait verbis illis: „ *sive in alio loco ad confessiones „ audiendas destinato.* At si in hu„ jusmodi cellulis confessionale, ut „ supra dictum est, constructum ad„ sit, quod *formam habeat tribuna„ lis ordinarii sacramentalis judicii,* „ tunc ad locum prioris generis per„ tinebit; ac sollicitans sola loci cir„ cumstantia inspecta denunciandus „ erit. Tertius, locus est quem Con„ fessarius ad confessionem audien„ dam, pro suo arbitrio eligit. *Ita „ potest esse in Ecclesia, in foro, „ in domo, in agro, ubique:* atque „ hunc solum designant illa verba, „ *ad confessiones audiendas electo.*

Qui

„ Qui in prioris generis loco sollicitant, sunt juxta quintam regulam denunciandi; qui verò in locis secundi, & tertii generis, quæ loca destinata, aut electa dicuntur ad confessionem, sollicitaverint, tum tantum sunt denunciandi, cum vel confessiones audiunt, aut audire simulant. Hinc Confessarius è confessionali provocans mulierem, vel ante sedentem, vel transeuntem, vel rem aliquam indifferentem secum tractantem, aut cum ea inhonestos ibi sermones habens, denunciandus esset; non verò, si extra occasionem confessionis, vel ejusdem simulationis, in loco secundi, & tertii generis eadem, vel similia ageret.

„ Septima. *Ad inhonesta, & turpia, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, tunc aut postea legendam tentaverint.*

„ Quamquam omnia peccata inhonesta sunt & turpia, quod in unoquoque finis honestus desideretur, ac turpitudo illa insit, quæ deformitate ad regulam morum continetur; tamen juxta communem loquendi modum, cum inhonesta, & turpia dicimus, venereos actus indicamus. Atque hoc sensu inhonesta, & turpia in Pontificiis Constitutionibus usurpantur, ut, cum Theologi omnes fatentur; tum etiam constat ex eo, quod hujusmodi peccata legibus pœnisque illis statuendis motivum dederint, atque demum ex ipsa Inquisitionis praxi. Igitur harumce legum virtute, denunciandi non sunt, ad furtum, vel alia facinora, pœnitentes provocantes. At ob Sacramenti abusum, atque hæreseos suspicionem, ii quoque, legibus in hæreses suspectos latis, Inquisitorum judicio subjiciuntur; quamobrem authores benè multi denunciandos esse tuentur, licèt non denunciantes pœnas in hac Const. stabilitas non subeant.

„ Aliis constitutionis particulis indicatur, denunciandos esse; qui provocant, incitant, sive alliciunt, verbis, aut signis &c. quæ, vel ex se, aut ex loci consuetudine, sive ad venereum conciliandum amorem, sive ad venereos actus, inducant. *Signa sunt*, inquit Felix potest. cap. 4. *oscula, tactus impudici etiam sui ipsius Confessarii, tactus manus pœnitentis sine causa, missio osculi manibus, studiosa compressio pedis, aut oculi, & similia signa amatoria, quibus amantes uti solent ad incitandum, aut alliciendum aliquam personam ad sui amorem. Quod est verum, etiamsi sollicitatio fiat per signa venialiter inhonesta, nempe leviter indicativa amoris lascivi, quia licet tales actus sint ex se leves, ex circumstantia tamen Sacramenti, cum qua sunt conjuncti, sunt graves, & mortales.*

„ Octava. *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.*

„ Quemadmodum superioribus verbis eos denunciandos esse præcipitur, qui, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, aut immediatè post, sive in Confessionali extra occasionem Confessionis, vel alio in loco Confessionem simulando, sollicitare, & provocare ten taverint; ita, hac regula, denunciandos esse præscribitur, qui in iisdem circumstantiis, cum Pœnitentibus, sive cum iis quibuscum Confessionem simulaverint, illici-

„ tos, & inhonestos sermones aut „ tractatus habuerint. Ex quo apparet, non solum eos denunciare „ oportere, qui illicitis, inhonestisque sermonibus, ac tractatibus ad „ turpia sollicitaverint, seu provocare „ tentaverint; sed etiam illos, qui „ vel turpia verba proferant, vel illicitos, aut castitati contrarios sermones habeant, sive de rebus tractent, quæ, vel turpes sint, „ aut pudori, honestatique adversentur, licèt hujusmodi verbis aut „ tractatibus, nec sollicitare seu provocare contendant, nec ex parte „ pœnitentis sollicitatio, & provocatio sequatur ulla. Rem ita ostendit Potest. cit. tom. 3. c. 11. *sub* „ *his verbis comprehenduntur etiam* „ *sermones inhonesti sine provocatione; nam hæc clausula est distincta à priori*, sollicitare, vel „ provocare tentaverint: *& additur* „ *distinctiva*, aut, *quod non esset* „ *verum, imò clausula hæc esset superflua, si solum comprehenderet* „ *sermones inhonestos cum provocatione.*

„ Nona. *Denunciare oportet, etjamsi sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit.*

„ Quum mutua sollicitatio sit, sive „ à pœnitente incipiat, sive à Confessario, ut est manifestum; ex „ hac regula clarè deducitur, falsam, „ & improbatam omnino esse ab Apostolica Sede illorum opinionem, qui „ denunciandum non esse tuentur „ Confessarium, sollicitanti fœminæ „ consentientem.

„ Decima. *Sive sollicitationi Pœnitens consenserit, sive consensum* „ *minime præstiterit.*

„ Horum verborum sensus, atque „ regulæ hujusmodi usus ex supra dictis abunde patet. Hìc verò in „ memoriam revocandum est supremæ Inq. decretum nota 2. indicatum, quo decernitur pœnitentem „ teneri ad denunciandum, non verò ad aperiendum præstitum sollicitationi consensum; ac decretum „ aliud ejusdem Congregationis sub „ die 27. Januarii 1613. *ubi decretum* „ *fuisse volunt nonnulli*, inquit Corza pag. 91. *quod Confessarius, qui* „ *mulierem pœnitentem ante ejus pedes signo crucis munitam, sollicitat, dicens ei, nolle suam confessionem audire pro tunc, ut commodius sollicitet, sit denunciandus.*

„ Undecima. *Vel longum tempus* „ *post ipsam sollicitationem jam effluxerit.*

„ Non solùm hìc illorum proscribitur opinio, qui contendunt post „ triennium denunciandi obligationem „ cessare; sed innuitur etiam tamdiu „ in pœnitente denunciandi onus manere, quoad usque satisfecerit. Imò, „ & eos quoque denunciare debere, „ qui, vel ob ignorationem legis de „ denunciandis sollicitantibus, vel, „ quod non illico ob simplicitatem, „ sollicitantis verba, aut nutus intellexerint, nonnisi post longum „ tempus agnoscunt, aut teneri ad „ denunciandum, vel sollicitatos fuisse.

„ Duodecima. *Aut sollicitatio à* „ *Confessario, non pro seipso, sed* „ *pro alia persona peracta fuerit.*

„ Regula ex iis, quæ supra sunt „ explicata, clara est. Addimus autem hæc alia verba, quæ in Gregoriana Constitutione habentur: „ *qui ad inhonesta, sive inter se,* „ *sive cum aliis perpetranda sollicitaverint*, ut confessarii intelligant „ denunciandos esse sollicitantes cum pro

„ pro se ipsis, tum pro aliis personis, tum etiam per alias personas.

„ Iis præmissis, monentur Confessarii, ut, *caveant diligenter, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, Sacramentalem Confessionem impertiant, nisi priùs denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.*

„ Ex iis manifestum est, omnes pœnitentes gravi præcepto obligatos esse ad denunciandos sollicitantes Confessarios, nec sine gravi culpa id omittere posse. Agitur de re gravi, cujusmodi est Sacramenti abusus, ac de crimine quod præ se suscipionem fert hæreseos.

„ Neque solum pœnitentes, sed ii quoque, qui vel sollicitantem Confessarium casu viderunt, vel audiere, vel immediatè aut ab ipso sollicitante Confessario, sive ex sollicitato pœnitente sollicitationis scientiam habuerunt. Id universim Theologi ostendunt ex eo, quod hujusmodi Confessarii, sint hæreseos suspecti, quodque testes quoque de immediato auditu, per inquisitionis edicta suspectos de hæresi denunciare præcipiantur.

„ Quæstio dumtaxat est, num denunciare teneatur, qui idem ex levibus, ac suspectis personis audierit? tutior verò, & communior opinio est, hos quoque denunciare debere. Quia, in causis ad sanctum officium spectantibus admittuntur etiam testes inhabiles, excommunicati, perjuri, infames &c. nec privati est, sed inquisitoris investigare, & decernere, num persona, ex qua audita fuit facta à Confessario sollicitatio, fide sit digna. Cujus quidem rei ratio est, quod hæreseos, aut hæreseos suspicionis crimen, ita Christianæ reipublicæ perniciosum sit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujuscumque generis testes. Ad cohibendum verò hac in re Calumniatores SS. D. N. BENEDICTUS XIV. in superiori Const. num. 3. pænas in calumniatores, sive falsos delatores constituit, ut ibi legere est.

„ Igitur omnes pœnitentes, vel ex pœnitentibus audientes sollicitantem confessarium denunciare tenentur. Idque etiamsi delictum occultum sit, ac sollicitans vir bonæ famæ, ex decreto Alexandri VII. die 24. Septembris 1665. & etjamsi sciat sub sigillo naturali, jurejurando quoque confirmato; quia hoc ad privatum bonum, denunciatio verò hujus criminis ad publicum reipublicæ Christianæ bonum spectat, ac publicum bonum privato anteponendum est, neque juramentum de re mala tenet, ut ex Bord. argumentatur Felix Potest. cap. 12.

„ Persona sollicitata tenetur per seipsum denunciare, quia hæc obligatio est personalis, & si per alium denunciaret, denunciatio esset ex auditu alterius. Qui per Epistolam denunciant, nisi subscribant proprium nomen, & cognomen, non satisfaciunt, ac sunt deinceps ab Inquisitore vocandi, ut iterum juridicè deponant.

„ Si Mulieres nobiles sint, aut Puellæ, quæ denunciare debeant, ac vereantur ad Inquisitionis Tribunal accedere, monere debent per

„ Internuncium Inquisitorem, ut do-
„ mum Notarium mittat ad suscipi-
„ endam denunciationem. Aptior
„ verò internuncius est Confessarius,
„ cui Inquisitor de sollicitatione jam
„ monitus committere potest, ut re-
„ cipiat in scriptis juramento firma
„ tam denunciationem, ex decreto
„ Inquisit. Rom. jussu Urbani VIII.
„ 27. Septembris 1624. qui quidem
„ modus servari maximè debet in
„ recipienda monialis denunciatione,
„ ne res aliis monialibus manifeste-
„ tur. Reliquæ patent ex ipsa Const.
„ in qua pœnæ quoque in delinquen-
„ tes statutæ leguntur. (*a*)

(*a*) *Ad Decretum, quod sequitur.* Feria 5. die 5. Augusti 1745. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SS. D. N. D. BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV. & Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. sollicitè animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem à Christo Domino institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia Sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad Sortilegia præter pœnas à Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter Sa. Me. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis; ad hoc ut de illo, sicut & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15. Decembris 1633. semel saltem in Anno, id est Feria sexta post Octavam Assumptionis B. M. Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos Subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque Commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

APPEN-

APPENDIX
TRACTATUS
DE
INDULGENTIIS
EX SPECULATIVA.

QUÆSTIO PRIMA.
Utrùm sit in Ecclesia potestas conferendi Indulgentias.

Nota. INdulgentia, de qua hic agitur, est remissio pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remissis debitæ, facta extra Sacramenta & Sacrificium Missæ, per applicationem satisfactionum Christi & Sanctorum.

Indulgentias impugnarunt varii hæretici, scilicet Montanistæ, Valdenses, Wicleffus, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, & eorum sectatores: contra quos hæc duo definivit Conc. Trident. sess. 25. nempe Indulgentias conferendi potestatem à Christo Ecclesiæ concessam esse, & earum usum Fidelibus maximè salutarem esse.

Dico. Ecclesiæ à Christo concessa est potestas conferendi Indulgentias. Est de fide & expressè traditur à Conc. Trid.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum . . . . & quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis.* Quæ verba generalia significant potestatem universalem introducendi in Cœlum fideles, & tollendi omnia impedimenta consequendæ beatitudinis æternæ, ac proinde remittendi per Indulgentias pœnam temporalem peccatis quoad culpam remissis debitam, quæ retardaret à consecutione beatitudinis. Item, Matth. c. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cœlo.* At sicut per hæc verba (*quæcumque alligaveritis*) Christus Ecclesiæ dedit potestatem imponendi pœnas temporales pro peccatis: ita per ista (*quæcumque solveritis, erunt soluta & in Cœlo*) eidem concessit potestatem remittendi ex justa causa apud Deum pœnas temporales peccatis debitas. Præterea hæc verba per se generalia & favorabilia extendi debent ad omnem modum solvendi convenientem Dei gloriæ, & Ecclesiæ utilitati, quæ est finis omnis ministerii ecclesiastici. Talis est autem legitimus usus Indulgentiarum. Ergo.

Prob. 2. Ex perpetuo usu hujus potestatis largiendi Indulgentias, qui semper à tempore Apostolorum viguit in Ecclesia. Qui usus certissimum signum est potestatis à Christo acceptæ: neque enim Ecclesia potestatem remittendi pœnas Deo pro peccatis debitas sibi sumpsisset, nisi hanc à Christo accepisset.

Prob. Itaque ille usus perpetuus.

I. Ex facto Pauli Apostoli, qui Corinthio incestuoso partem pœnarum justitiæ divinæ debitarum remisit auctoritate Christi, qui proinde illam remissionem ratam habuit, ut 2. Cor. c. 2. testatur his verbis: *Cui autem aliquid donastis*, (id est, donari petistis) *& ego*, supple donavi.) *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* supple, donavi. Hoc est, pœnam ejus crimini debitam condonavi vestro rogatu, auctoritate à Christo accepta: quæ proinde condonatio apud Deum valet & rata est.

II. Ex libellis Indulgentiarum à Martyribus secundo & tertio sæculo concedi solitis, ut constat ex Tertulliano, & Cypriano. Nam his libellis, Martyres ab Episcopis postulabant, ut intuitu Martyrii ab ipsis subeundi relaxarentur fidelibus lapsis pœnæ canonicæ. Quæ relaxatio habebatur ut favor ac beneficium, ac proinde ut remissio pœnarum justitiæ Divinæ debitarum, quæ per illas satisfactiones canonicas persolverentur: alioqui plurimùm peccatoribus nocuisset, cum iis in altera vita longè graviores pœnæ pro illis canonicis pœnis subeundæ essent: sicque malè egissent Martyres ejusmodi libellos concedendo, & Episcopi illorum rogatu relaxando pœnas canonicas.

III. Pro quarto sæculo ex variorum Conciliorum statutis, ut Ancyrani, Nicæni I. Carthaginensis IV. quibus datur Episcopo facultas remittendi aliquid de satisfactionibus, & contrahendi pœnitentiæ tempus ob fervorem & contritionem pœnitentium. Ista autem relaxatio erat favor, quo pœnitentes à pœna temporali divinæ justitiæ debita persolvenda liberarentur alioqui fuisset exitiosa: nam per istam relaxationem immunes fuissent à levioribus pœnis hujus vitæ, & debuissent gravissimas in altera vita luere. Eamdem potestatem relaxandi pœnitentiam docent S. Basil. ep. ad Amphiloc. Innocent. I. ep. 1. & S. Leo, ep. 79.

IV. Idem usus pro sequentibus sæculis adhuc clariùs ostenditur ex Indulgentiis concessis à summis Pontificibus. Nam Gregorius Magnus, qui sexto sæculo floruit, Romæ stationes ad Sanctorum Basilicas pro Indulgentiarum consecutione instituit. Urbanus II. in Conc. Claromontano Indulgentias plenarias concessit iis, qui expeditionem bellicam in Terram-sanctam contra Saracenos pugnaturi susciperent. Easdem concessit Calixtus II. in Conc. Gener. Lateranensi I. ad expeditionem bellicam contra Mauros. Eugenius III. & Clemens III. easdem concesserunt ad similes expetitiones. Alexander III. in Conc. Gener. Lateranensi III. Indulgentias concedi solitas ad subsidium Terræ-sanctæ approbat, & earum usum moderatur.

Bonifacius VIII. sæculo 14. ineunte, Jubilæum, seu Indulgentias plenarias pro centesimo quoque anno instituit extravaganti *antiquorum* de Pœnit. & remiss. in 6. quod Clemens IV. anno quolibet quinquagesimo concedi voluit universis Fidelibus extravag. *Unigenitus*.

Omitto posteriores Pontifices, qui Indulgentias in variis occasionibus, ut omnibus notum est, concesserunt. Quare quicumque hanc Ecclesiæ Traditionem

ditionem & praxim circa Indulgentias impugnarunt, statim hæretici in Ecclesia habiti sunt, ut Wicleffus & Joannes Hus damnati à Conc. Constantiensi, ac deinde Lutherus, cujus error primùm à Leone X. deinde à Conc. Trident. damnatus est.

Prob. 3. Ex Conciliis, tum Constantiensi, à quo sess. 15. damnata fuit hæc Joannis Hus propositio: *Quod Indulgentiæ Papæ sive Episcoporum concessæ nihil prosunt.* Tum Trid. sess. 25. in decreto de Indulgentiis, ubi ait: *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacro-sancta Synodus Indulgentiarum usum, Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Observa. Potestas Indulgentias concedendi eadem semper in Ecclesia fuit; sed illius potestatis usus non semper idem omnino extitit. Nam cùm usus ille ad disciplinam Ecclesiæ pertineat, potuit varietatem admittere, potuitque Ecclesia justis de causis & ex Spiritus sancti instinctu prioribus sæculis majorem restrictionem severitatemque adhibere, quàm his posterioribus, quibus major' est Christiani populi infirmitas. Semper tamen Ecclesia usa est illa potestate sibi à Christo concessa relaxandi peccatoribus pœnas temporales peccatis debitas, eamque relaxationem semper judicavit utilem ac salutarem esse, & apud Deum valere.

Obj. 1. Sanctus Cyprianus reprehendit Indulgentias Martyrum rogatu concessas.

Resp. Reprehendit duntaxat abusum Indulgentiarum positum tum in eo quòd quidam Presbyteri, inconsulto Episcopo, ad libellos Martyrum, peccatores temerè reconciliarent, & iis pœnas canonicas relaxarent: tum in eo quòd pacem & relaxationem aliqui Martyres ab Episcopis exposcerent sine delectu pro iis lapsis, qui nullam pœnitentiam, dum sanitate fruerentur, egissent. At Cyprianus moderatum ac prudentem Indulgentiarum usum approbat, & rogat ipsos Martyres, ut cum delectu & nominatim designent eos, quibus pacem dari velint, atque ut imitentur priores Martyres: *Considerantes*, inquit, *quæ & quanta antecessores vestri Martyres concesserint.* Lege epist. 10 & 13.

Porro hic Martyres vocantur ii, qui ob fidei confessionem in carceribus inclusi, jam aliquid passi fuerant, & Martyrii consummationem expectabant.

Obj. 2. Martyres pacem pro lapsis, non Indulgentias postulabant. Ergo ex facto Martyrum probari non potest usus Indulgentiarum prioribus Ecclesiæ sæculis.

Resp. Pax, quam Martyres pro lapsis petebant, erat reconciliatio, qua Ecclesiæ communioni & Eucharistiæ participationi restituebantur pœnitentes, relaxata satisfactione eis injuncta vel injungenda, nec integrè persoluta. Nam reconciliatio tunc non concedebatur extra mortis articulum, nisi post expletam totam pœnitentiam canonicam: ac proinde Ecclesia pacem lapsis Martyrum rogatu concedere non poterat, nisi simul illis relaxaret residuam pœnitentiam, ut statim ad Ecclesiæ & Eucharistiæ communionem admitterentur. Quare Martyres suis libellis pacem pro lapsis petendo ab Episcopis, simul saltem implicitè petebant

tebant relaxationem ſatisfactionum canonicarum. Cùm autem Epiſcopi ejusmodi libellorum rationem habentes, lapſis pœnas canonicas reſiduas remittebant, & ſic Indulgentiam concedebant, tunc lapſis pœnitentibus tanta pœna juſtitiæ divinæ debita remittebatur, quanta ſatisfactionibus canonicis perſoluta fuiſſet. Alioqui hæc Epiſcoporum Indulgentia beneficium minimè fuiſſet, imò peccatoribus plurimùm nocuiſſet : ac proinde Epiſcopi Indulgentiam concedendo, & Martyres eam petendo, peccaſſent contra charitatem.

QUÆSTIO II.

Ex quo fonte hauriantur Indulgentiæ?

DIco. Extat in Eccleſia Theſaurus meritorum & ſatisfactionum Chriſti infinitus & inexhauribilis, cui etiam adjunguntur ſatisfactiones Dei-paræ & Sanctorum. Et hic Theſaurus eſt fons Indulgentiarum.

Prob. 1. Pars, quoad merita & ſatisfactiones Chriſti;

1. Quia Chriſtus omnia ſua merita & ſatisfactiones (quæ ſunt valoris infiniti ſimpliciter & in ſupremo ordine infinitudinis utpote perſonæ infinitæ,) pro Eccleſia obtulit, ſe ſuaque omnia nobis tradidit. Ergo infinitum ſatisfactionum theſaurum Eccleſiæ acquiſivit, & communicavit, ejusdem diſpenſationi commiſit ; antecedens patet ex Gal. c. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris.* Et Rom. c. 8. *Qui etiam proprio filio ſuo non peperçit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

2. Quia id expreſsè docet Clemens VI. in extrav. *Unigenitus* de pœnit. & remiſſ. his verbis: *Unigenitus Dei Filius . . . . theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis pius pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum . . . . per beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios commiſit, Fidelibus ſalubriter diſpenſandum, ex propriis & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quàm ſpecialiter, (prout cum Deo expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus & confeſſis miſericorditer applicandum.*

Prob. 2. Pars, nempe quod merita Sanctorum huic infinito theſauro ex meritis & ſatisfactionibus Chriſti conſtanti adjungantur.

1. Ex eadem extravaganti, ubi poſt verba laudata Clemens VI. ſic proſequitur: *Ad cujus quidem theſauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, omnium electorum à primo juſto usque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur; de cujus conſumptione ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti (ut prædictum eſt) merita, quam pro eo quòd quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.*

2. Ex communione Sanctorum, quam in Symbolo Apoſtolico profitemur, quæ ſignificat quamdam communicationem bonorum, & meritorum ac orationum, quæ fiunt in Eccleſia: ita ut per hanc Eccleſiæ communionem, aliorum merita & paſſiones aliis ejusdem corporis membris prodeſſe poſſint, & (ut ait Apoſtolus, 2. Cor. c. 8.) aliorum abundantia aliorum inopia ſuppleat.

3. Ex libellis Indulgentiarum olim à Martyribus concessis : nam intuitu meritorum Marytrum ab Episcopis concedebatur relaxatio pœnarum canonicarum, quam Deus ratam habebat.

4. Quia Deus multa beneficia intuitu meritorum Abrahæ, Isaac & Jacob contulit, ut ex Scriptura constat. Quidni ergo pariter intuitu meritorum tot Sanctorum & Martyrum non concederet remissionem pœnæ temporalis juxta rationem Indulgentiæ ab Ecclesia concessæ?

5. Quia id pertinet ac conducit ad honorem Sanctorum, quos Deus vult maximè honorari, juxta illud, Psal. 138. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Et aliunde non derogat meritis Christi.

6. Ex constit. Leonis X. in qua damnatur ut error, hæc Lutheri propositio: *Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.*

Ex dictis collige 1. fontem, ex quo hauriuntur indulgentiæ, esse thesaurum infinitum & inexhauribilem, constantem ex meritis ac satisfactionibus Christi & Sanctorum.

2. Hunc thesaurum commissum esse dispensationi Ecclesiæ, & nobis applicari per concessionem Indulgentiarum.

3. Per hanc indulgentiarum concessionem nihil juris divinæ justitiæ proriè detrahi, sed eidem justitiæ persolvi ab Ecclesia ex satisfactionibus Christi & Sanctorum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Hæc doctrina de thesauro Ecclesiæ ex meritis Christi & Sanctorum conflato vergit in injuriam Christi. Ergo rejici debet.

Resp. Nego ant. Itaque thesaurus ex meritis Christi primario constans, cui secundario adjunguntur merita Sanctorum, non derogat honori Christi: sicut Deus non derogabat honori suo, cùm nomini suo nomen Davidis adjungebat, utroque motus ad protegendum Hierusalem ut constat ex l. 4. Reg. c. 19. Ubi dicit: *Protegam Urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Quemadmodum igitur Deus injuriam sibi non inferebat, servando Jerusalem propter se & propter Davidem: ita non derogat honori Christi, cum pœnas temporales remittit propter Christi merita & propter merita Sanctorum ex ipso Christo vim suam trahentia.

Observa. Non ideo Sanctorum merita & satisfactiones adjunguntur meritis Christi in thesauro indulgentiarum, quòd Christi merita & satisfactiones se solis ad remittenda omnia peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam non sufficiant, aut quod merita Christi meritis Sanctorum adjuventur vel augeantur: absit. Profitemur enim solum Christum esse redemptorem nostrum, solum auctorem gratiæ, pretium infinitum & superabundans pro nobis obtulisse patri, ejus mortem esse valoris infiniti & longe superabundantis, & ex passione Christi omnem vim merendi & satisfaciendi derivari. Denique (ut ait Conc. Trident.) Omnem gloriationem nostram in Christo esse, in quo vivimus, in quo meremur, & satisfacimus.

Porro nomine thesauri Ecclesiæ hic intelligitur collectio bonorum spiritualium, seu meritorum & satisfactionum Christi & Sanctorum.

Inst. 1. Injuriosum est Christo, quod merita Sanctorum cum ejus meritis misceantur. Ergo prædictus thesaurus derogat honori Christi.

Resp. Disting. antec. Si in eodem ordine collocentur, *conc. anteced.* Si collocentur in ordine longe inferiori ac subordinato, & secundario tantum, *nego ant. &* *consequens.*

consequens. Ingens statuimus discrimen inter merita Christi & merita Sanctorum, quamvis ex utrisque meritis thesaurus Ecclesiæ constet. Nam 1. Christus per se meruit & satisfecit; Sancti verò non nisi per Christum. 2. Christi satisfactiones per se solas satis superque sunt ad remissionem quorumlibet peccatorum etiam possibilium quoad culpam & pœnam, cùm sint valoris simpliciter infiniti in supremo ordine infinitudinis propter infinitam dignitatem personæ operantis. Unde thesaurus meritorum Christi non fit intensivè major accessione meritorum Sanctorum. At merita B. Virginis & Sanctorum sunt finiti tantùm valoris, & totum suum valorem à Christo hauriunt, & non concurrunt cum meritis Christi & satisfaciendum pro pæna temporali nisi secundario, & modo longè inferiori, & sic concurrunt præcipuè propter gloriam ipsius Christi; ne scilicet satisfactiones ex illo vim habentes, sint inutiles. Christi verò merita concurrunt ad remissionem pœnæ temporalis ut causa primaria ac principalis, dans efficaciam satisfactionibus Sanctorum.

Inst. 2. Merita & satisfactiones Christi abundè sufficiunt ad remissionem omnium peccatorum quoad culpam & pœnam omnem. Ergo ipsis malè adjunguntur merita Sanctorum ad remissionem pœnæ temporalis.

Resp. Nego conseq. Quamvis enim merita & satisfactiones Christi se solis abundè sufficiant, tamen rectè ipsis adjunguntur satisfactiones Sanctorum, non ut aliquid necessarium ex parte sui, sed ex superabundanti; & quia æquum est, ut satisfactiones Sanctorum coram Deo non sint inanes & otiosæ; sed applicari possint indigentibus, prout exigit natura charitatis & ratio membrorum unius ejusdemque corporis, præsertim cùm id sit glorio-sum Christo, à quo manat omne bonum Sanctorum, & in cujus gloriam redundat.

Obj. 2. Si peccata quamvis solùm quoad pœnam temporalem remittantur per Sanctorum satisfactiones, Sancti dici poterunt redemptores nostri. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego consequel. maj. Nam propriè loquendo, is solus est Redemptor, qui eximit à captivitate & morte. Solus autem Christus morte & passione sua nos à captivitate dæmonis & morte æterna liberavit & liberare potest. Præterea Christus est auctor omnis gratiæ, & ab eo manat omnis vis merendi & satisfaciendi: unde solus est causa principalis & primaria salutis nostræ, ac proinde simpliciter solus est redemptor & salvator noster.

Obj. 3. Si Christi & Sanctorum satisfactiones simul ad commune ærarium Ecclesiæ referantur, eodem loco habentur. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Propter rationes. Sic cùm Apostoli, Act. c. 15. dicebant: *Visum est Spiritui-sancto & nobis:* non se adæquabant Spiritui sancto. Et cùm Paulus, Phil. 1. dicit: *Hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem, & subministrationem spiritus Jesu Christi:* non confundit Fideles cum ipso Christo.

Obj. 4. Sancti superabundans præmium omnium operum suorum acceperunt. Ergo nihil superest ex illorum laboriosis operibus, quod insumi possit ad remissionem peccatorum alienorum.

Resp. Dist. antec. Acceperunt superabundans præmium operum suorum ut meritoriorum, *conc. ant.* ut satisfactoriorum, *nego ant. & conseq.* In opere bono laborioso duplex est vis, altera merendi beatitudinem æternam & ejus augmentum, altera satisfaciendi.

Sancti

Sancti equidem omnem gloriam & felicitatem suis meritis debitam consecuti sunt. At non acceperunt omnem remissionem pœnarum temporalium satisfactionibus suis debitam, cum tanta pro se non eguerint. Quare nisi illorum satisfactiones aliis prodesse possint, remanerent magna ex parte inutiles,

Obj. 5. Dici non potest, quomodo satisfactiones Sanctorum ad prædictum Ecclesiæ thesaurum, & ad indulgentias concurrant. Ergo reipsa non concurrunt.

Resp. Nego antec, Et dico concurrere non solùm per viam impetrationis, sed etiam per modum solutionis. Ita communiter Doctores contra quosdam recentiores, qui docent merita Sanctorum ad remissionem pœnarum temporalium peccatis nostris debitarum concurrere duntaxat per modum impetrationis, quatenus à Deo nobis impetrant, ut indulgentiæ nobis ex Christi meritis applicentur,

Prob. 1. Quia summi Pontifices dicunt merita Christi cum meritis Sanctorum unum componere thesaurum At hæ voces *unius thesauri* satis indicant illa merita Sanctorum concurrere ad remissionem pœnarum per modum pretii ac solutionis. Et Leo X. in decreto ad Cajetanum misso dicit indulgentias concedi ex superabundantia meritorum Sanctorum. Hæc autem superabundantia intelligi non potest nisi de meritis quoad vim satisfaciendi, seu quatenus sunt satisfactoria.

2. Quia à Pio V. & Gregorio XIII. damnata est hæc Baji propositio : *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta ; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.*

3. Quia nulla est ratio merita Sanctorum excludendi ab illo thesauro quoad vim satisfaciendi, cùm unus fidelis possit pro alio satisfacere quoad pœnam temporalem.

4. Alioqui multa Sanctorum merita superabundantia quoad vim satisfaciendi remanerent otiosa, si pro alienis peccatis insumi non possent.

Porro (ut Suarez docet) probabile est ex toto thesauro illo meritorum Christi & Sanctorum fieri solutionem per modum unius pretii, indistinctè concurrentibus meritis Christi & Sanctorum, Christi quidem meritis ut causa primaria & principali dante vim & efficaciam satisfactionibus Sanctorum.

Observa. Ex Bellarmino indulgentiarum vis & efficacia necessariò pendet ex thesauro ut constante meritis & satisfactionibus Christi : nam nulla remissio culpæ & pœnæ conceditur hominibus nisi propter merita Christi, ut fide constat. Fide enim certum est Christum esse universalem redemptorem quoad omnes effectus & personas : ac proinde remissio pœnæ, quæ est effectus redemptionis, concedi non potest nisi per Christum. Jam verò hæc remissio pendet etiam ex satisfactionibus Christi ut distinctis à meritis. Nam Christus salutem nostram operatus est non solum per modum meriti, sed etiam per modum satisfactionis. Ejus enim passio sufficiens & superabundans fuit ad satisfaciendum pro omnibus peccatis hominum quoad culpam & pœnam. Hæc autem sufficientia satisfactionis supervacanea esset, si independenter ab illa remitterentur peccata.

QUÆSTIO III.

In quo consistat Indulgentia.

DIco 1. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis, justitiæ divinæ pro peccatis quoad culpam remissis debitæ, facta extra sacramenta & Sacrificium Missæ, per applicationem meritorum ac satisfactionum Christi & Sanctorum, ab habente potestatem dispensandi spiritualem Ecclesiæ thesaurum.

Probatur, & explicatur. 1. Indulgentia est remissio pœnæ, non autem culpæ. Nam culpa saltem mortalis remitti non potest ab Ecclesia, nisi per Sacramenta, neque à Deo remittitur nisi per infusionem gratiæ sanctificantis. Indulgentia autem non est Sacramentum, ac proinde per illam non confertur gratia sanctificans, quæ non potest nisi per Sacramenta ab Ecclesia conferri, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ.

2. Est remissio pœnæ temporalis pro peccatis quoad culpam remissis debitæ, & facta extra Sacramenta & Sacrificium. Patet ex sensu Ecclesiæ, & Extravag. Clementis VI. supra citata, ubi dicit Christum acquisivisse Ecclesiæ thesaurum meritorum satisfactionum suarum, *nunc pro totali*, *nunc pro partiali remissione pænæ temporalis pro peccatis debitæ*, *verè pænitentibus & confessis misericorditer applicandum.*

3. Hæc remissio fit per applicationem meritorum ac satisfactionum Christi & SS. ut constat ex dictis & ex eadem Extravaganti.

4. Additur, *ab habente &c.* Nam dispensatio thesauri Indulgentiarum est commissa Ecclesiæ Principibus & ejus capiti.

Dico 2. Indulgentia est vera remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ, quæ valet apud Deum: ita ut per Indulgentiam remittantur pœnæ justitiæ divinæ debitæ, quæ alioqui persolvendæ essent in hoc sæculo vel in Purgatorio.

Fide constat, & patet 1. Ex Scripturæ Textibus, quibus ostenditur potestas conferendi Indulgentias, nempe, Matth. c. 16. *Quodcumque solveris super Terram*, *erit solutum & in Cælis*. Et c. 18. *Quæcumque solveritis super Terram*, *erunt soluta & in Cælo.* Ergo pœnæ, quæ à Pastoribus Ecclesiæ juxta suam potestatem remittuntur, eædem etiam remittuntur à Deo, & ratæ sunt in Cœlo.

2. Ex Extrav. *Unigenitus* supra laudata.

3. Quia Sixtus IV. ut erroneam damnavit hanc Petri de Osma propositionem: *Romanum Pontificem Purgatorii pænam remittere non posse.*

4. Quia inter multos Lutheri articulos à Leone X. Damnatos hic legitur: *Indulgentiæ his*, *qui veraciter eas consequuntur*, *non valent ad remissionem pænæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam.*

5. Ex Concil. Trid. sess. 25. docente *Indulgentiarum usum*, *christiano populo maxime salutarem esse.* Nam si Indulgentia esset duntaxat relaxatio pœnæ canonicæ in solo foro externo Ecclesiæ, quæ non esset simul remissio pœnæ justitiæ divinæ debitæ, usus Indulgentiarum non esset Fidelibus salutaris, sed potius perniciosus foret: nam relaxarentur Fidelibus pœnæ ut alias longe graviores & diuturniores sine ullo merito luerent in altera vita.

Hinc patet Indulgentias esse valde salutares, cùm remittant pœnas peccatis debitas, quæ à consecutione beatitudinis retardarent, donec in Purgatorio persolutæ essent. Hinc etiam patet hanc propositionem (*Indulgentiæ*

tiæ nihil aliud ſunt etiam nunc niſi relaxationes pænarum canonicarum:) ſimpliciter prolatam falſam eſſe, & omnino repudiandam, cùm ſit excluſiva, & ſenſui hæretico obnoxia.

Obſerva. Aliqui Catholici cum Eſtio ſentiunt relaxationem, quæ fit ab Eccleſia per Indulgentias, indirectè tantum cadere in pœnam juſtitiæ Divinæ debitam, directè verò in pœnam olim per canones pœnitentiales præſcriptam ita ut Eccleſia pœnas illas canonicas relaxet, & Deus illius relaxationis intuitu relaxet pœnam ſuæ juſtitiæ debitam, quanta perſoluta eſſet ſubeundo pœnas canonicas olim ab Eccleſia imponi ſolitas.

Cæteri verò Theologi contendunt relaxationem per indulgentias factam cadere directè in ipſam pœnam Deo perſolvendam in hac vel in altera vita, & probant ex uſu hodierno Eccleſiæ: nam nunc abſolutè & directè conceditur remiſſio pœnarum juſtitiæ Divinæ debitarum, ut patet ex Extrav. *Unigenitus* cit. Et ex Bullis Indulgentiarum. Quod ſi Eccleſia prioribus ſeculis uſa ſit formulis conceſſionis Indulgentiæ, quæ relaxationem pœnarum canonicarum directè ſignificarent, v. g. relaxetur ei tantum de pœnitentia injuncta aut injungenda; ille uſus non probat Eccleſiam carere poteſtate remittendi directè pœnas juſtitiæ Divinæ debitas: quia Eccleſia potuit modum indirectum illas remittendi adhibere, quamvis eas directè remittere poſſit.

Dico 3. Indulgentia ex parte concedentis eſt abſolutio judiciaria, annexam habens ſolutionem ex theſauro Eccleſiæ.

Prob. 1. Pars. Nempe quod ſit abſolutio. 1. Ex Scripturæ textibus, quibus nituntur Indulgentiæ: nam hæc verba, Matth. c. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cælis.* Et c. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper Terram, erunt ſoluta & in Cælo:* ſignificant judiciariam poteſtatem abſolvendi, cujus actus eſt abſolutio. 2. Ex ſummis Pontificibus; nam Alexander III. cap. 4. de Pœnit. & remiſſ. docet neminem poſſe concedere Indulgentias niſi propriis ſubditis, & hanc rationem reddit: *quod à non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi.* Ergo conceſſio Indulgentiæ eſt abſolutio judiciaria. Martinus V. in fine Concilii Conſtantienſis plenariam Indulgentiam largiens, dicit ſe plenariam abſolutionem concedere. Gregorius VII. in conceſſione Indulgentiarum paſſim adhibet vocem abſolutionis.

Hinc non conceduntur Indulgentiæ pro defunctis niſi per modum ſuffragii; quia nempe non poſſunt propriè abſolvi judicialiter ſicut viventes, cùm jam non ſint Eccleſiæ ſubditi.

Prob. 2. Pars, nempe quod Indulgentiæ præter abſolutionem contineant ſolutionem ex theſauro meritorum ac ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum. 1. Ex Clemente VI. In Extrav. *Unigenitus*, ubi hoc clarè docet. 2. Quia (ut ait Bellarminus) Eccleſiæ Prælati & ſummi Pontifices non ſunt abſoluti Domini, ut poſſint pro arbitrio ſine ulla compenſatione condonare hominibus culpas vel pœnas, quarum rei ſunt in foro Dei; ſed ſunt judices à Deo conſtituti, qui poſſunt quidem pro poteſtate à Deo accepta remittere culpas & pœnas nomine Dei, ſic tamen ut juſtitiæ divinæ ſatisfiat per applicationem meritorum & ſatisfactionum Chriſti. Et verò cùm Sacerdotes in Sacramento pœnitentiæ abſolvunt pœnitentes à culpis & ab aliqua parte pænæ temporalis, non id faciunt ſine compenſatione; ſed applicant pretium ſanguinis Chriſti, ut Divinæ juſtitiæ ſatisfiat. Ergo idem eſt de remiſſione

missione pœnæ temporalis per Indulgentias facta.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex sit Indulgentia?

Dico. Duplex est generatim Indulgentia, nempe totalis, & partialis. Indulgentia totalis, seu plenaria secundùm communem sententiam est remissio totius pœnæ temporalis peccatis debitæ: juxta aliquos verò est remissio pœnarum Purgatorii tanta, quanta obtineri posset per pœnitentias, quæ pro omnibus peccatis commissis secundùm antiquos canones fieri debuissent.

Indulgentia partialis, seu non plenaria, est remissio partis pœnæ peccatis debitæ. Hæc conceditur cum limitatione vel ad partem aliquotam indeterminatam, v. g. ad dimidiam, vel tertiam partem; &c. Vel ad certam & determinatam, v. g. centum annorum, 40. dierum, &c. Quando autem conceditur Indulgentia certi numeri annorum vel dierum, v. g. centum annorum, 40. dierum, juxta multos non significatur tot annos vel dies Purgatorii remitti, sed per talem Indulgentiam remitti tantum de pœnis Purgatorii, quantum remissum fuisset per pœnitentiam centum annis, vel 40. diebus actam secundùm rigorem antiquorum canonum.

Porro olim in antiqua Ecclesia pro uno peccato mortali graviori, plurium annorum pœnitentia austera juxta canones imposita fuit. Unde homo multiplicatis mortalibus fiebat reus pœnæ, pro qua remittenda seu subeunda, juxta illos canones requirebantur centum, vel mille, aut etiam plures anni pœnitentiæ.

Indulgentia præterea dividitur in personalem, localem, & realem. Personalis est ea, quæ directè datur in gratiam certæ personæ, vel certarum personarum, v. g. Religionem profitentium. Localis, quæ in favorem loci conceditur, v. g. orantibus in certo templo. Realis denique est ea, quæ in favorem rei conceditur, sive quæ annexa est certæ rei v. imagini, numismati.

QUÆSTIO V.

Quid sit Jubilæus, & an differat ab Indulgentia?

Jubilæus in Scriptura significat annum remissionis, qui apud Israelitas quinquagesimus erat. Nam quinquagesimo quolibet anno remittebantur debita; agri ac domus vendita reddebantur prioribus dominis, servi cum suis libris in libertatem pristinam restituebantur; denique remittebantur labores agriculturæ: non enim arabatur, nec serebatur, nec metebatur toto hoc anno quinquagesimo. Constat ex Levit. c. 25. *Glanges Buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquasimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam: quia Jubilæus est & quinquagesimus annus. Non seretis neque metetis, &c.*

Judaicus ille Jubilæus significabat legis Evangelicæ Jubilæum, nempe tempus perfectæ remissionis, seu redemptionis nostræ per Christum.

Annus autem, quo à summo Pontifice Fidelibus omnibus plenaria Indulgentia cum amplissima forma & facultate absolvendi à reservatis conceditur, dictus est Jubilæus, per quamdam analogiam cum Judaico Jubilæo. Tunc enim aperto Ecclesiæ thesauro fideles consequi

consequi possunt remissionem peccatorum tum quoad culpam per Sacramentum pœnitentiæ, tum quoad pœnam per Indulgentiam.

Clemens VI. Extrav. *Unigenitus*, Jubilæi nomine primus appellavit annum illum celebrem, quo Indulgentia plenaria adeuntibus Apostolorum Basilicam conceditur, præsertim cùm ad similitudinem veteris Jubilæi annum quinquagesimum designasset pro centesimo, qui antea à Bonifacio VIII. constitutus fuerat. Postea in trigesimum tertium annum universalis hæc Indulgentia translata fuit à Gregorio XI. ac tandem ad vigesimum quintum quemque annum reducta est à Paulo II. & Sixto IV. Extrav. *Quemadmodum* de Pœnit. & remiss. inter communes. Denique idem Jubilæi nomen derivatum est ad omnes Indulgentias plenarias Fidelibus omnibus cum forma & facultate amplissima à summis Pontificibus concessas etiam extra annum 25.

Itaque Jubilæus, ut nunc accipitur, est Indulgentia plenaria, universalis conjuncta cum amplissima potestate concessa quibuslibet Confessariis ab Ordinario approbatis absolvendi à casibus Papæ reservatis, & vota simplicia commutandi, exceptis votis castitatis perpetuæ, & religiosæ vitæ amplectendæ. Unde Indulgentia plenaria non differt à Jubilæo nisi accidentaliter, ratione scilicet hujus facultatis concessæ Confessariis, atque etiam ratione universalitatis Indulgentiæ, quippe quæ omnibus orbis Fidelibus conceditur.

Circa Jubilæum hæc observanda sunt.

I. Ut pœnitens possit validè à censuris & peccatis reservatis in Jubilæo absolvi, habere debet animum præstandi omnia opera ad lucrandum Jubilæum præscripta, alioquin est indispositus & incapax absolutionis à peccatis reservatis & censuris annexis. Nam facultas absolvendi à peccatis & censuris reservatis non datur nisi in ordine ad Jubilæum pro petentibus absolutionem ex animo illum lucrandi, ac proinde præstandi omnia ad hoc necessaria. Pœnitens tamen qui cum hac intentione & bona fide absolutus fuisset à censuris & peccatis reservatis, sed postea omisisset etiam culpabiliter opus ad Jubilæum lucrandum requisitum, puta jejunium, vel communionem, quamvis Indulgentiam non lucretur, valet tamen absolutio à censuris & peccatis reservatis data, neque propter omissionem illam reincidit in similem censuram. Quia absolutio data fuit absolutè, & non ad reincidentiam, neque sub conditione effectus Indulgentiæ percipiendi: nam verba Bullæ non id exprimunt, sed simpliciter & absolutè dant facultatem absolvendi à reservatis pœnitentes Jubilæum lucrari & opera injuncta præstare volentes.

Porro juxta Suarem & alios peccat mortaliter, qui absolutus à reservatis, postea ex negligentia omittit aliquod opus præscriptum ad lucrandam Indulgentiam; quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi.

II. Transacto Jubilæo potest confessarius absolvere ab omnibus peccatis & censuris reservatis pœnitentes, quibus tempore Jubilæi, audita confessione absolutionem distulit, sicut ab iis absolvere poterat tempore ipso Jubilæi.

III. Jubilæus, aut quælibet alia Indulgentia aliis sive vivis, sive defunctis applicari, aut ejus fructus ad illos transferri non potest à Fidelibus qui opera ad Indulgentiam obtinendam injuncta exequuntur. Ita S. Thomas, in 4. dist. 20. qu. 1. art. 5. q. 3. ad 2. Ratio est, quia dispensatio thesauri

ſauri Eccleſiæ commiſſa eſt ſolis Eccleſiæ Principibus : ac proinde ejusdem theſauri applicatio pendet tantum ab illis, nec valet ultra eorum intentionem & conceſſionem ſigno externo ſignificatam.

QUÆSTIO VI.

Utrùm uſus Indulgentiarum ſit omnibus ſalutaris?

DIco. Indulgentia utilis eſt omnibus Fidelibus, etiam perfectis. Ita Catholici omnes contra Lutherum, qui præter alios errores hunc docuit, Indulgentias non eſſe utiles niſi publicis & ſceleſtiſſimis peccatoribus.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 25. in decreto de Indulgentiis, ubi ſimpliciter definit, *Indulgentiarum uſum*, *Chriſtiano populo* (id eſt, omnibus Chriſtianis) *maximè ſalutarem eſſe; eoſque anathemate damnat, qui eas inutiles eſſe aſſerant.*

2. *Ratione.* Nam valde utile & ſalutare eſt omnibus etiam perfectis, liberari ab eo, quod ſummi boni fruitionem retardat : cujuſmodi eſt reatus pœnæ temporalis, cum quo nemo decedens Deo frui poteſt, niſi priùs illum in Purgatorio expiaverit. Atqui Indulgentia hoc impedimentum tollit, cùm ſit remiſſio pœnæ temporalis juſtitiæ Divinæ debitæ, ut ſuprà probatum eſt. Ergo indulgentia eſt omnibus etiam perfectis valde utilis & ſalutaris.

Obj. 1. Perfectorum hominum eſt non fugere pœnas, ſed eas potiùs quærere. Ergo Indulgentia non eſt utilis perfectis.

Reſp. Diſting. antec. Perfectorum eſt non fugere pœnas, quæ juvant ad merendum, & ſalutem citiùs conſequendam, cujuſmodi eſt Martyrium, & aliæ pœnæ ſponte propter Deum ſuſceptæ, *conc. ant.* eſt perfectorum non fugere pœnas, quæ retardant à ſummi boni fruitione, *nego ant.* quin imò perfectorum eſt ad fruitionem Dei toto corde anhelare, ac proinde omnia ſuſcipere, quæ tollunt reatum pœnæ retardantem Dei fruitionem, ut hoc impedimento expediti, citiùs Deum videant, perfectiſſimè ament, & laudent.

Obj. 2. Perfecti viri modica indigent ſatisfactione. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quamvis enim perfecti viri modica ſatisfactione egeant, tamen pauci ſunt, qui non aliqua egeant, ac proinde cui non ſit utilis Indulgentia. Præterea nullus eſt, qui non putet ſe indigere, aut certò ſciat ſe non indigere ſatisfactione.

Obj. 3. Utilius eſt propriis operibus proſe ſatisfacere, quàm Indulgentias quærere.

Reſp. 1. Indulgentiæ non liberant à ſatisfactionibus à confeſſario injunctis, & aliis facultati ac infirmitati accommodatis & neceſſariis.

Reſp. 2. Utilius & tutius eſt utrumque præſtare, nempe & ſatisfactiones debitas peragere, & Indulgentias quærere, quàm præcisè ſatisfacere : nam nemo ſcire poteſt, an operibus ſuis bonis ac laborioſis plenè ſatisfecerit juſtitiæ Divinæ.

QUÆSTIO VII.

Quinam poſſint Indulgentias concedere?

DIco 1. Summus Pontifex poteſt quaslibet Indulgentias, ſive plenarias, ſive partiales in tota Eccleſia concedere, & quidem jure Divino. Ita omnes, & conſtat.

2. Ex Matth. c. 16. ubi Chriſtus Petro & ejus ſucceſſoribus ſingulariter & ſpecialiter dixit : *Tibi dabo Claves regni Cœlorum . . . . & quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cœlis.*

2. Ex

2. Ex Concilio generali Lateranensi IV. cap. 62. ubi dicitur Romanus Pontifex obtinere plenitudinem potestatis ad Indulgentias concedendas.

3. Ex usu. Nam ille solus plenarias Indulgentias tribuit.

Ratio est, quia potestas dispensandi thesaurum communem præcipuè convenit summo Principi, qui in Ecclesia visibili est summus Pontifex, supremus ac universalis Christi in terris Vicarius, & supremum caput visibile Ecclesiæ.

Dico 2. Episcopi possunt suis Diœcesanis Indulgentias concedere secundùm mensuram Canonibus præscriptam, hoc est, Indulgentias partiales tantùm. Nempe Episcopi in tota sua Diœcesi, & Metropolitani in tota sua Provincia possunt jure communi concedere Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, in anniversario autem dedicationis, vel ex alia causa, dierum duntaxat quadraginta, ut patet ex Conc. gener. Lateran. IV. cap. 62. & cap. *Indulgentiæ* de pœnitent. & remiss. in 6.

Confirmatur utraque assertio ex constitutione Martini V. in Concilio Constantiensi edita, ubi suspectos de hœresi Wicleffiana inter cætera interrogari jubet: *Utrùm credant, quòd Papa omnibus Christianis verè contritis & confessis, ex causa pia & justa possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum; & quòd singuli Episcopi suis subditis secundùm limitationem sacrorum Canonum possint etiam illas concedere.*

Dico 3. Cardinales etiam non Episcopi Indulgentias centum dierum concedunt ex tacita concessione summi Pontificis. Legati verò & Nuntii Apostolici possunt quoque Indulgentias largiri intra terminos suæ Legationis vel speciali summi Pontificis.

Dico 4. Summus Pontifex electus tantùm, & Episcopus electus & confirmatus, sed nondum consecratus, & Legati Apostolici, etsi non Sacerdotes, largiri possunt Indulgentias. Quia potestas concedendi Indulgentias non est potestas ordinis, sed tantùm jurisdictionis, quæ competere potest Clerico non Sacerdoti: ac proinde Indulgentiarum concessio est actus Jurisdictionis non Ordinis.

Dico 5. Summus Pontifex & Episcopi potestatem largiendi Indulgentias delegare possunt alteri, qui sit Clericus; quia hanc potestatem habent ratione officii, ideoque Ordinariam.

Dico 6. Episcopi Indulgentias concedere non possunt nisi suis Diœcesanis ac subditis, ex cap. *Quod autem* de pœnit. & remiss. quia Indulgentiarum concessio est actus jurisdictionis, qui non valet nisi in subditos. Possunt tamen illas largiri Religiosis exemptis in sua Diœcesi commorantibus; nam hi quoad hunc favorem possunt se subjicere Episcopo; suntque membra communitatis, in quos proinde sicut & in alios derivari potest dispensatio bonorum communium spiritualium.

Dico 7. Abbates Religiosorum, Prælati, & Parochi, non possunt concedere Indulgentias suis subditis. *Ita communiter cum S. Thoma, in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. quæst. 1.* sed possunt tantùm ex commissione Papæ vel Episcopi. Nam ex cap. *accedentibus* de excessibus Prælat. patet non licere Abbatibus, neque aliis quibuscumque inferioris Ordinis quàm Episcopalis Indulgentias largiri nisi ex speciali privilegio ad hoc obtento.

Ratio est, quia dispensatio thesauri Ecclesiæ competit solis Principibus Ecclesiæ, quales sunt soli Episcopi & summus Pontifex, qui est supremus totius Ecclesiæ Princeps. Nam (ut rectè notat Bellarminus post S. Thomam) Episcopi sunt propriè & absolutè Prælati

lati Ecclesiæ: ipsi enim soli sunt Rectores integri populi, & quasi Reges in parvo regno, atque ita præsunt hominibus omnium ordinum, ætatum, sexuum, conditionum. Abbates verò sunt quasi Patres unius familiæ & domus, & præsunt solis religiosis. Parochi quoque non præsunt nisi uni parœciæ quasi uni familiæ. At potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ non convenit nisi Principibus populi Dei. Ergo.

Obj. Martyres olim concedebant Indulgentias lapsis.

Resp. Non concedebant auctoritate propria & immediatè, sed duntaxat precibus & intercessione apud Episcopos.

QUÆSTIO VIII.

Utrùm ad valorem Indulgentiarum requiratur causa justa?

DIco 1. Ad valorem Indulgentiæ præter potestatem in concedente requiritur justa & rationabilis causa.

Prob. 1. Quia in Extravaganti Clementis VI. *Unigenitus* cùm dicitur summus Pontifex habere potestatem dispensandi thesaurum Indulgentiarum, additur, *ex propriis & rationabilibus causis.* Et Martinus V. in sua constitutione edita in Concilio Constantiensi suspectos de hæresi interrogari jubet, utrùm credant summum Pontificem habere potestatem concedendi Indulgentias *ex causa pia & justa.* Ergo summi Pontifices non agnoscunt potestatem concedendi Indulgentias nisi ex justa & rationabili causa, sine qua concedi non possunt: alioqui hanc conditionem non addidissent.

2. Quia summus Pontifex non est Dominus, sed tantùm dispensator thesauri Indulgentiarum: solus enim Christus est suorum meritorum Dominus. Ergo Papa non habet potestatem thesaurum illum dissipandi & prodigendi, nec proinde distribuendi sine justa causa. Enim verò omnis concessio sine justa causa facta à non Domino ipsius rei est invalida; quia non est actio dispensatoris, sed dissipatoris: nemo autem prudens dat alteri potestatem dissipandi & prodigendi bona sua.

Dico 2. Ad valorem Indulgentiæ requiritur causa proportinata Indultiæ, quæ conceditur, nempe major causa pro majore Indulgentia. *Ita communiter contra paucos.*

Prob. 1. Ex dictis. Nam ad valorem Indulgentiæ requiritur justa & rationabilis causa. At Indulgentia improportionata causæ, datur sine justa & rationabili causa: nam justa causa dici non potest, quæ nullam habet proportionem cum effectu. Præterea contra rectam rationem est ingentes divitias pro causa levissima impendere: nam in hoc est indiscreta prodigalitas & vera dissipatio.

2. Quia dispensator bona Domini sui dare valide non potest non solùm sine ulla causa, sed etiam sine causa proportionata donationi: non enim est dispensator, sed dissipator, si pro re minima pretiosos Domini sui thesauros profundit. Et verò tam, imò magis dissipat ille, qui pro exigua causa maximam Indulgentiam largitur, quam qui levem sine ulla causa.

3. Si quæcumque causa pia ad valorem Indulgentiæ sufficeret, nullæ Indulgentiæ dici possent indiscretæ: nam semper allegari potest aliqua causa pia. Hoc autem repugnat Concilio Lateranensi quarto, Can. 62. ubi Indulgentiæ à quibusdam Episcopis concessæ reprehenduntur tanquam indiscretæ & superfluæ, id est, sine justa & proportionata causa concessæ, ac proinde inanes.

Obj. 1. Indulgentiæ non nituntur justa causa operis injuncti, sed infinitis Christi

Christi satisfactionibus, quæ semper est causa sufficiens, imò transcendens omnem Indulgentiæ concessionem. Ergo ad valorem Indulgentiæ non requiritur alia causa proportionata.

Resp. Disting. anteced. Indulgentiæ nituntur infinitis Christi satisfactionibus, quæ tamen non possint sine justa causa applicari per ejus Ministros *conc. ant.* quæ possint sine justa & proportionata causa applicari per ejus Ministros, *nego ant.* propter rationes allatas. Indulgentiæ nituntur quidem veluti fundamento, thesauro meritorum ac satisfactionum Christi & potest validè sine rationabili causa dispensari per Ministros, qui non sunt illius Domini, sed tantùm dispensatores.

Obj. 2. In antiqua Ecclesia ad petitionem Martyrum concedebantur ab Episcopis Indulgentiæ sine opere injuncto.

Resp. Concedebantur quidem sine novo opere injuncto, sed solùm iis, qui jam aliquo tempore etiam longo, cum fervore pœnitentiam publicam egerant, quamvis eam nondum implevissent. Quia Ecclesia judicabat satis magnam causam esse petitionem Martyrum, ut videlicet fideles ad Martyrium accenderentur, cùm viderent tanti fieri Martyrum preces. Sic etiam in articulo mortis Indulgentia hominibus bene de Ecclesia meritis, Religiosis, & Sodalibus B. Virginis tribuitur, pronunciato nomine Jesu & Mariæ absque alio opere injuncto. Quia videtur causa esse satis justa ipsa necessitas extrema conjuncta cum præcedentibus meritis, ut alii ad bene de Ecclesia merendum, vel ad Religiosam vitam, vel ad Sodalitates in quibus plurima opera bona exercentur, hoc beneficio adducantur. Unde Indulgentia nunquam conceditur sine opere aliquo vel præterito, vel futuro ex parte suscipientis.

Obj. 3. Ex communi axiomate Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant: alioqui fideles deciperentur. Ergo non valent secundùm proportionem causæ, sed tantùm juxta intentionem concedentis exteriùs significatam.

Resp. Disting. anteced. Tantum valent, quantùm sonant, si habeant omnes conditiones requisitas tùm ex parte concedentis, tum ex parte suscipientis, *conc. antec.* secùs, *nego ant & conf.* ex parte autem concedentis præter auctoritatem requiritur in causa pietas & æquitas; quia potestas largiendi Indulgentias pendet à causa legitima: Christus enim non vult merita sua sine justa & rationabili causa applicari per suos Ministros, & pœnas justitiæ Divinæ debitas remitti.

Porrò si Indulgentia maxima, puta plenaria concederetur sine proportionata causa, non tamen sine aliqua, sed improportionata, quamvis non valeret quoad tantum effectum seu excessum, nihilominùs valeret pro minori effectu proportionato causæ. Nam tunc Indulgentia quoad minorem effectum habet causam proportionatam: & ea est concedentis intentio, ut valeat quantùm valere potest, & minor, quæ in majore continetur, simul cum majore conceditur.

Obj. 4. Juxta usum Ecclesiæ Indulgentiæ magnæ levi ex causa conceduntur, qualis est illa, quæ datur omnibus adstantibus ante fores Basilicæ Romanæ S. Petri, dum summus Pontifex die Paschatis solemniter populo benedicit.

Resp. Causa per se levis, potest ex adjunctis, & relatè ad magnum finem cui obtinendo apta sit, fieri magna, ut illa assistentia pro foribus Basilicæ S. Petri, quæ ut cujusque seorsim & singillatim spectata, leve quiddam est: magna tamen illa populi frequentia his Indulgentiis invitata magnum quid est, & aptum ac utile ad testificationem fi-

dei de capite Ecclesiæ, & ad honorem sedis Apostolicæ, quod est finis illius Indulgentiæ.

Obj. 5. Pro eadem causa interdum conceduntur inæquales Indulgentiæ, modo minores, modo majores. At hoc non fieret, si causa proportionata requireretur: Ergo.

Resp. Neg. min. Quia si propter eandem causam dentur Indulgentiæ inæquales, id fit, vel quia minores vim causæ non adæquabant, nam causa potest esse proportionata majori Indulgentiæ: vel quia illa causa moraliter non est eadem, sed diversa ex variis adjunctis ac circumstantiis: nam idem opus potest esse modò magis, modò minùs proportionatum fini Indulgentiæ, & utile ac necessarium: sic v. g. urgente magna necessitate eadem eleemosyna magis est necessaria ac utilis ad subsidium pauperum, & instante gravi periculo eadem eleemosyna cum jejunio conjungi deberet ad Deum placandum. Igitur idem physicè opus potest esse diversum moraliter pro diversitate personarum, locorum, temporum, causarum, rerum, &c.

Dico 3. Ad causæ proportionem non requiritur, ut opus injunctum sit ita de se satisfactorium, ut per se planè compenset & tollat debitum pœnæ. Nam tunc nulla fieret remissio per Indulgentias, & sic Indulgentiæ forent prorsus inutiles, sed requiritur & sufficit, ut sit proportio inter causam & Indulgentiam, ita ut causa sit ratio sufficiens concedendæ talis Indulgentiæ, & quælibet non sufficiat pro qualibet Indulgentia, sed proportione quadam pro majore Indulgentia requiritur major causa.

Ad causam autem justam & proportionatam duo ex Bellarmino requiruntur 1. Finis aliquis pius & Deo gratus, cujus assecutio magis placeat Deo, quàm satisfactio pœnalis, quæ per Indulgentiam relaxatur. Nam is fidelis & prudens dispensator Cœlestis thesauri est, qui fideliter agit causam domini & secundùm ejus voluntatem operatur. Hujusmodi autem fines esse solent promotio cultus Dei, fidei propagatio, peccatorum aut hæreticorum conversio, hostium Ecclesiæ subactio vel conversio, aut alterius Ecclesiæ necessitatis sublevatio, major sedis Apostolicæ reverentia, unio Principum catholicorum, pax Ecclesiæ, Templorum ac piorum locorum extructio, subventio pauperum, & his similia. Nam quæcumque causa, quæ in honorem Dei, & charitatem proximi vergit, pia censetur & grata Deo.

2. Requiritur opus aliquod, per quod revera finis ille probabiliter obtineri possit. Nam si finis quidem valde placeat Deo, sed per opus injunctum nullo modo obtineri possit, non est justa ac proportionata causa dandæ Indulgentiæ, ut v. g. si daretur Indulgentia plenaria iis, qui semel tantùm recitant orationem Dominicam pro conversione hæreticorum, causa illa non videtur proportionata. Nam quamvis hæreticorum conversio sit res maxima, & Deo gratior quàm pœnalis satisfactio multorum Fidelium; tamen non est probabile convertendos hæreticos per hanc solam brevissimam orationem. Necesse est igitur, ut opus injunctum sit medium aptum & utile ad consequendum finem, propter quem Indulgentia conceditur.

QUÆSTIO IX.

Quænam ad lucrandas Indulgentias requirantur ex parte suscipientis?

DIco 1. Ad Indulgentiam lucrandam requiritur ex parte suscipientis status gratiæ. *Ita communiter.*

Prob.

Prob. 1. Ex hoc generali principio, quia nempe homini inimico Dei, quandiu in peccati statu existit, nulla sit remissio: nam indignus est tali remissione, & nulla est Dei de illa promissio.

2. Quia Indulgentia est favor solis Dei filiis adoptivis & amicis destinatus: oritur enim ex paterna facilitate & benignitate in filios, ut patet ex Extrav. *Unigenitus*, ubi Clemens VI. de Christo sic ait: *Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater . . . . Quem quidem thesaurum. . . . Commisit . . . Verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum.*

3. Quia statum gratiæ, ut conditionem necessariam ex intrinseca ratione ipsius Indulgentiæ ad illius effectum percipiendum, satis declarat ipsa Pontificum perpetua consuetudo.

Dico 2. Ad Indulgentiam lucrandam, præter statum gratiæ, requiritur integra executio omnis operis à Pontifice præscripti. *Ita communiter cum S. Thoma.*

Prob. Quia Indulgentia non conceditur nisi sub tali conditione, qua non impleta simpliciter, nihil obtinetur, nam concessio conditionata non valet, nisi conditio impleatur. Ex communi autem sententia concessio Indulgentiæ est unica & quasi indivisibilis sub tali determinata conditione: ideoque qui totum opus præscriptum non implet, nihil consequitur, quia simpliciter non implet conditionem impositam; & per concessionis formam nihil promissum est ei, qui partem tantùm implet. Et verò Indulgentia, cùm sit favor maximè voluntarius, non valet nisi juxta voluntatem concedentis, quæ exigit simpliciter executionem omnis operis injuncti, non autem duntaxat partem.

Hinc qui etiam inculpatè, nempe vel ex absoluta impotentia, vel oblivione aut ignorantia invincibili omittit opus aliquod injunctum, vel partem ejus saltem notabilem nihil Indulgentiæ consequitur. Quare summi Pontifices, quando volunt Indulgentiam percipi ab iis, qui opera per Bullam præscripta perficere non possent, dant Episcopis vel confessariis facultatem hæc opera commutandi in alia.

Dico 3. Ad consequendam Indulgentiam plenariam omnium peccatorum etiam venialium, præter ista omnia, requiritur detestatio omnium istorum peccatorum venialium, & depositio affectus ad quodlibet veniale.

Prob. Quia pœna peccato veniali debita non remittitur sine remissione ejusdem peccati quoad culpam. Nullum autem peccatum veniale remittitur quoad culpam sine detestatione saltem virtuali, aut certè sine depositione affectus ad illud in Sacramentis.

Hinc intelliges, quàm pauci Indulgentias plenarias lucrentur: cum pauci sint, qui peccatum quodlibet veniale efficaciter detestentur, & nullum affectum ad ullum veniale servent, habeantque voluntatem efficacem & universalem nullum peccatum veniale deliberatè committendi, & omnes ejus causas & occasiones proximas tollendi per continuam sui abnegationem, & integram sensuum ac cupiditatum mortificationem.

QUÆSTIO X.

Quandonam requiritur status gratiæ.

Dico 1. Requiritur status gratiæ eo instanti, quo ultimum ex operibus injunctis perficitur. Nam requiritur status gratiæ eo instanti, quo Indulgentia applicatur. Atqui Indulgentia applicatur eo instanti, quo ultima conditio ponitur, seu instanti consummationis operum injunctorum: ergo eo instanti requiritur status gratiæ.

Dico. 2. Opera injuncta perfici debent in statu gratiæ, si Papa exigat opera facta in statu gratiæ: Nam potest Indulgentiam non concedere nisi sub tali conditione. Hinc juxta Bellarminum, cum in Bulla expressè habetur Indulgentiam concedi iis, qui verè pœnitentes & confessi visitabunt talem Ecclesiam, vel orabunt, &c. tunc oratio & visitatio Ecclesiæ fieri debet in statu gratiæ.

Imo aliqui post Cajetanum & Navarrum docent requiri semper, ut omnia opera in statu gratiæ perficiantur, etiamsi id non exprimatur in Bulla. Unde monent confessionem ante omnia alia opera semper faciendam esse.

Verum communis Doctorum sententia id negat, & docet sufficere statum gratiæ eo instanti, quo Indulgentia applicatur, id est, instanti consummationis ultimi operis, nisi Bulla Indulgentiæ expressè exigat, ut opera fiant in statu gratiæ. Ratio est, quia (inquiunt) ad finem Indulgentiæ obtinendum non requiritur opus meritorium, aut satisfactorium de condigno. Nam opus bonum, v. g. eleemosyna, jejunium, oratio in statu peccati, sed ex gratia actuali & sine ullo ad mortale peccatum affectu factum potest esse impetratorium apud Deum, & disponere hominem saltem remotè ad relinquenda vitia & gratiam impetrandam.

QUÆSTIO XI.

Utrùm ad Indulgentiam lucrandam requiratur confessio.

DIco 1. Requiritur confessio, quando Indulgentia conceditur sub hac forma, *Verè pœnitentibus & confessis*, vel aliis verbis exigitur. Nam tunc confessio exigitur ut conditio quædam, sive ut pars operis injuncti, & non solùm ad hoc, ut procuretur status gratiæ, qui semper necessarius est ad Indulgentiæ cujuslibet effectum percipiendum. Nec sufficit contritio perfecta: nam verba talis formæ prout sonant, confessionem præter pœnitentiam requirunt. Indulgentiæ autem non plus valent, quàm sonant.

Imo qui solorum venialium sibi conscius est, debet confiteri ad lucrandam Indulgentiam: nam hoc saltem tutius est, & multi hoc necessarium esse censent. Et verò Bulla neminem excipit.

Dico. 2. Ad consequendam Indulgentiam semper requiritur confessio in homine peccati mortalis conscio, quoties exigitur communio. Quia communioni necessariò præmitti debet confessio mortalium, nondum per Sacramentum Pœnitentiæ remissorum. Unde tunc, etiamsi in Bulla non exigeretur expressè confessio, tamen necessaria esset ratione communionis.

QUÆSTIO XII.

Quænam observanda sunt circa orationem, jejunia, eleemosynas, quæ à Pontifice præscribuntur?

DIco. 1. Secundùm communiorem sententiam requiritur oratio vocalis, contra alios qui putant sufficere mentalem, eo quod hæc sit propriè oratio, & tam oratio quàm vocalis. Sed tutiùs est miscere vocalem. Certum est autem non sufficere orationem cum voluntariis distractionibus factam; quia hæc non est devota, pia, nec apta ad impetrandum id, quod Pontifex intendit.

Præterea oratio fieri debet aliquandiu in loco, tempore, & ex intentione designatis. Locus est ordinariè ubi est Indulgentia, vel qui ab Episcopo designatur. Tempus est inter utrasque vesperas in communibus Indulgentiis.

Intentio

Intentio est pax inter Principes Christianos, extirpatio hæresum, hæreticorum & omnium aliorum infidelium conversio, exaltatio S. matris Ecclesiæ, spirituale bonum Papæ; nisi addatur alia.

Dico 2. Jejunium est plerumque trium dierum, nempe Mercurii, Veneris & Sabbati à Pontifice designatorum; nec fieri potest extra dies præscriptos aut Hebdomadam designatam: quia opus fieri debet, ut præscribitur. Modus servandi jejunii is est, quem singulæ Provinciæ legitimè servant tali tempore in jejuniis ab Ecclesia præceptis. Omnes autem, etiamsi aliàs ex præcepto Ecclesiæ ad jejunium non obligentur, ut pueri- infirmi, &c. jejunare debent, si Indulgentias lucrari velint, nisi jejunium ex Pontificis licentia in aliud opus à confessario vel Episcopo commutetur.

Dico. 3. Ex communi sententia eleemosyna debet esse corporalis. Si in Bulla non determinetur, dari debet secundùm regulas prudentiæ cum aliqua proportione ad dantis facultatem; unde levissima eleemosyna à divite data non sufficeret: nam parum pro nihilo reputatur, quando quis potest multum. Si in Bulla dicatur, prout unicuique devotio & charitas suggesserit, tunc habenda est ratio dictaminis interni suadentis plus vel minus.

Sufficit dare rem suam per alium. Si tamen eleemosyna non perveniret ad pauperem quacumque ex causa, sive casu, sive ex culpa alterius; juxta multos non perciperetur Indulgentia, quia non est sublevatus pauper. Si autem qui accepit eleemosynam non sit revera pauper, valet tamen eleemosyna ad lucrandam Indulgentiam; quia sufficit, si detur ad levandam miseriam hominis, qui prudenter existimatur pauper. Porro per pauperes intelliguntur etiam ii, qui carent omnino necessariis ad statum.

Observa. Si quis opera præscripta perficere nequeat, non potest ipse ea ne in melius quidem commutare, sed is solus, qui hanc à Pontifice potestatem accepit, nempe Episcopus, vel confessarius.

QUÆSTIO XIII.

Utrùm eodem opere possit quis lucrari plures & diversas Indulgentias?

DIco. Non potest, quia plures Indulgentiæ simul sumptæ faciunt unam Indulgentiam majorem, quàm sit unaquæque seorsim sumpta exigens tale opus. Ergo plures requirunt causam majorem, ideoque majus opus quàm unaquæque seorsim sumpta: nam ad quamlibet Indulgentiam requiritur causa proportionata. Ergo idem opus requisitum ad unam Indulgentiam, non sufficit ad plures, utpote pluribus improportionatum. Breviùs: quia Indulgentia aucta, seu major requirit causam auctam seu majorem, quæ sit illi proportionata.

QUÆSTIO XIV.

Utrùm ad lucrandam Indulgentiam plenariam, præter supradicta requiratur adhuc aliqua alia dispositio ex parte suscipientis?

CAjetanus, Navarrus, Reginaldus, & alii docent ad Indulgentiam plenariam integrè consequendam, præter statum gratiæ & executionem omnium operum in Bulla injunctorum, requiri propositum & sollicitudinem satisfaciendi Deo per satisfactiones congruas, peccatis & facultati ac infirmitati proportionatas; ita ut proportione hujus sollicitudinis tanquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessa-

necessariæ, percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus.

Probant. 1. Quia Indulgentiæ non sunt ad enervandam pœnitentialem satisfactionem, ut docet Concilium generale Lateranense IV. cap. 62. in quo Indulgentiæ à quibusdam Episcopis concessæ reprehenduntur ut indiscretæ & superfluæ, eo quod per illas pœnitentialis satisfactio enervetur, sic enim legitur: *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.*

2. Quia extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc est; opera pia & pœnalia, quæ satisfacere valeant pro peccatis, ut explicat Conc. Triden. à quo præcepto Ecclesia dispensare non potest, Imò ipsa Ecclesia contra hæreticos tuetur necessitatem satisfactionis pro pœna temporali. Et idem Conc. sess. 6. cap. 14. docet generaliter pœnitentiam Christiani lapsi præter contritionem & confessionem necessariò continere satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia. Atqui, inquiunt, valde enervaretur & fere tolleretur satisfactio illa congrua, si Indulgentia plenaria plurimorum peccatorum obtineretur duntaxat per opera aliqua pauca, non valde ardua, ut per visitationem Ecclesiæ, triduum jejunii, aliquam eleemosynam, confessionem & communionem.

3. Thesaurus Indulgentiarum à Christo concessus est, non ad tollenda opera satisfactoria, cùm ea præceperit, aut ad fovendum torporem fidelium, sed ad supplendam eorum impotentiam & infirmitatem: alioqui (inquiunt) Indulgentia redundaret non in ædificationem, sed in destructionem, fovendo negligentiam & torporem in satisfaciendo pro peccatis.

4. Ex Gregorio VII. qui Lincolniensi Episcopo Indulgentiam petenti concessit ea lege, ut pro viribus satisfaceret: *Absolutionem præterea peccatorum tuorum*, inquit, *sicut rogasti, auctoritate Apostolorum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantùm valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris.* „ Ut appareat „ (inquit Baronius hæc referens ad „ an. 1073.) Sedis Apostolicæ Indul„ gentias illis communicari, qui, quan„ tùm suppetunt vires, bene opera„ ri non prætermittunt: non autem „ ignavis, otiosis, ac negligentia tor„ pescentibus.

S. Antoninus de his, qui ita sentiunt, sic loquitur, 1. p. tit. 10. c. 3. §. 3. *Nec credunt, quòd propter has Indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita. Et horum dictum satis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Si objicias 1. Inde sequi inutiles esse Indulgentias: *Negant;* quia satisfactiones infirmitati ac fragilitati nostræ proportionatæ non adæquant, nec remittunt totam pœnam peccatis omnibus debitam. Unde magna superest adhuc pœna in Purgatorio persolvenda, quæ per Indulgentias remittitur. Quare plurimùm prosunt Indulgentiæ, quæ remittunt omnia debita, quæ præ impotentia & infirmitate humana non solvuntur: & sic Indulgentiæ sunt supplementum impotentiæ & infirmitatis humanæ, non negligentiæ.

Si dicas, saltem hanc doctrinam multùm derogare Indulgentiis plenariis, quæ nunc conceduntur: *Negant.* Quia per Indulgentiam plenariam benè dispositi integram pœnæ temporalis

lis remissionem consequuntur, quam sine hac Indulgentia non obtinerent; quamvis per eam non excludatur satisfactio congrua, & facultati ac infirmitati peccatoris proportionata, quæ lege divina præcipitur.

Si objicias 2. Indulgentia plenaria semel obtenta tollit necessitatem omnis satisfactionis postea peragendæ. *Negant.* Nam in hac sententia, qui post multa peccata justificatur, & opera omnia ad Indulgentiam plenariam consequendam requisita exercet cum proposito satisfaciendi Deo, is statim post operis injuncti executionem lucratur plenariam Indulgentiam hoc sensu, quod acquirat jus ad integram remissionem omnis pœnæ temporalis peccatis suis debitæ, sub conditione satisfactionis convenientis faciendæ, habita ratione suæ infirmitatis. Quare volunt illam Indulgentiam plenariam seu jus illud effectum suum producere successivè & secundùm proportionem satisfactionis.

Quòd si is ante peractam satisfactionem convenientem moriatur, retinens propositum satisfaciendi si diutiùs viveret; tunc integram remissionem pœnæ temporalis omnibus peccatis suis debitæ consequitur ex vi Indulgentiæ plenariæ, quam lucratus est. Nam tunc Indulgentia supplet ejus impotentiam, & sic non persolvet in Purgatorio pœnas peccatis suis debitas, nec propriis satisfactionibus remissas: quæ tamen ipsi persolvendæ fuissent, nisi Indulgentiam consecutus fuisset.

Fatentur adhuc Indulgentias non solùm impotentiam; sed etiam infirmitatem humanam ac fragilitatem supplere.

Si objicias 3. Olim per Indulgentiam remittebatur satisfactio injuncta. *Respondent*, in veteri Ecclesia numquam satisfactionem canonicam ab Episcopis remissam fuisse nisi iis; qui jam pœnitentiam aliquam magnam magno fervore peregissent: vel qui opus aliquod aliud magni apud Deum meriti præstitissent: vel iis qui vehementis contritionis & charitatis editis signis, præ infirmitate aut brevitate temporis propositum satisfaciendi perficere non poterant. Nunquam autem integra satisfactio remissa est valentibus satisfacere aut negligentibus. Unde Concil. Nicænum I. can. 12. sic ait: *Quotquot metu & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humaniùs cogitare.*

Quòd si quandoque in antiqua Ecclesia lapsis ante aliquam satisfactionem canonicam peractam concessa sit Indulgentia, ea tantùm lege concessa est, ut aliquali pœnitentia priùs perfungerentur: vel si infirmitate impediti essent, postea convalescentes, satisfacerent, ut constat ex S Cypriano.

Si objicias. 4. Summi Pontifices in concessione Indulgentiarum nihil aliud requirunt, quàm executionem operis alicujus omnibus communis; nec exigunt ullas alias satisfactiones. *Respondent.* Clemens VI. Extrav. *Unigenitus* declarat Christum Ecclesiæ thesaurum concessisse verè pœnitentibus applicandum; & sæpe alii Pontifices veram pœnitentiam expressè exigunt. Nemo autem est verè pœnitens, nisi qui habet propositum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc est, opera satisfactoria, ut explicat Conc. Trid. Præterea, inquiunt, summi Pontifices possunt tantùm exigere opera, quæ ad finem Indulgentiæ à se intentum requiruntur, semper tamen supponendo in suscipientibus dispositiones ad fructum Indulgentiæ integrè percipiendum necess-

necessarias, & aliarum obligationum executionem.

Corollarium.

Ex dictis sequitur ad lucrandas Indulgentias requiri has conditiones ex parte recipientis. 1. Ut sit baptizatus, & ut sit subditus concedentis: nam concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, qui valere non potest nisi erga subditos. 2. Ut immunis sit ab excommunicatione majore, quippe quæ privat communione seu participatione bonorum spiritualium, Ecclesiæ dispensationi subjectorum. 3. Ut sit in statu gratiæ; nam pœna non remittitur nisi remissa culpa, nec nisi amicis Dei. 4. Ut opus omne injunctum saltem moraliter totum & integrè impleatur: nam Indulgentia sub hac conditione conceditur, quibus omnibus meritò additur à multis propositum satisfaciendi Deo per opera bona satisfactoria peccatis suis & facultati ac infirmitati propriæ proportionata.

QUÆSTIO XV.

Utrùm Indulgentiæ valeant pro defunctis?

Nota. HIc agitur tantùm de animabus defunctorum in Purgatorio versantibus. Nam certum est 1. Animas jam beatas non indigere Indulgentiis, cùm nullum reatum pœnæ habeant: alioqui non esset beatæ; nam nemo fruitur Deo, nisi priùs divinæ justitiæ vel per se, vel per satisfactiones alienas satisfecerit. 2. Animas damnatorum esse incapaces Indulgentiæ, quia sunt incapaces omnis liberalis remissionis, cùm in inferno nulla sit redemptio. Prætereà nulla pœna peccati remittitur sine ejus culpa. At in inferno nullum peccatum remittitur quoad culpam, ergo nec quoad pœnam.

Dico. Indulgentiæ prosunt animabus defunctorum in Purgatorio versantibus.

Hæc assertio, inquit Suares, licèt olim non adeò declarata fuerit in Ecclesia, ut de illa dubitare non potuerint Catholici, nunc tamen ita certa est, ut sine errore negari non possit.

Prob. 1. Ex usu Ecclesiæ. Nam summi Pontifices concedunt Indulgentias mortuis applicandas, quæ in toto orbe Christiano recipiuntur, consentientibus & approbantibus Episcopis. Ergo universa Ecclesia sentit Indulgentias mortuis prodesse. Atqui Ecclesia universa in re tanti momenti errare non potest, nec Fideles decipere. Ergo. Porro ille usus jam est antiquus: nam Paschalis I. teste Bellarmino ante 700. annos Indulgentias pro defunctis concessit. Quod idem præstitere Sixtus IV. Innocentius VIII. Pius II. Calixtus, & posteriores Pontifices.

2. Ex declaratione Sixti IV. & ex Bulla Leonis X. contra Lutheri errores, ubi tanquam erronea damnatur hæc propositio: *Sex generibus hominum Indulgentiæ non sunt necessariæ, nec utiles, videlicet mortuis, &c.*

3. Suffragia vivorum, hoc est, orationes, eleemosynæ, Sacrificium Missæ, & alia opera bona & satisfactoria pro defunctis oblata, ipsis prosunt ad remissionem pœnarum, ut constat ex Scriptura & Traditione. Ergo illis quoque prosunt Indulgentiæ ab Ecclesia concessæ, cùm sint quoddam suffragium, quod æquè pro defunctis offerri & valere potest ac cætera. Nam eadem est ratio, nempe quòd sit communicatio bonorum spiritualium inter membra Ecclesiæ. Defuncti enim in statu gratiæ, cum vivis ejusdem fidei & charitatis vinculo conjuncti, unam Eccle-

Ecclesiam & unum corpus efficiunt. *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ est etiam nunc regnum Christi*, inquit S. Augustinus, lib. 20. de Civit. c. 9.

Et verò si privati homines juvare possunt defunctos tanquam membra ejusdem corporis suis propriis satisfactionibus per modum suffragii; cur eosdem juvare non posset summus Pontifex auctoritate publica de satisfactionibus Christi & Sanctorum, quæ sunt in spirituali Ecclesiæ thesauro, cujus ipse supremus dispensator est.

4. Denique quia thesaurus meritorum ac satisfactionum Christi & Sanctorum commissus Ecclesiæ, non minùs defunctis quàm vivis prodesse potest. Et aliunde charitas Ecclesiæ ad illos non minùs quàm ad hos debet se extendere. His adde unanimem Theologorum consensum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Potestas concedendi Indulgentias est potestas clavium. At potestas clavium non se extendit ad defunctos, ergo nec potestas concedendi Indulgentias.

Resp. Potestas clavium non se extendit quidem ad defunctos, quatenus est præcisè potestas ligandi & solvendi; sed ad eos se extendit; quatenus est potestas dispensativa thesauri spiritualis Ecclesiæ, ad quam pertinent animæ defunctorum. Potestas quipppe clavium non est solùm potestas ligandi & solvendi, sed etiam potestas dispensativa thesauri Ecclesiæ constantis ex meritis ac satisfactionibus Christi & Sanctorum, quæ tam possunt applicari mortuis quàm vivis, licèt diverso modo. Nam potestas clavium est potestas aperiendi Cœlum, ac proinde tollendi omne impedimentum consequendæ beatitudinis, qualis est reatus pœnæ temporalis retardans hanc consecutionem. Hoc autem impedimentum extra Sacramenta & Sacrificium Missæ tollitur per dispensationem thesauri Indulgentiarum, quæ non minùs defunctis quàm vivis communicari possunt, cùm defuncti sint membra Ecclesiæ, & illarum effectus capaces.

Nota. Per potestatem clavium intelligitur quæcumque potestas Ecclesiastica perducendi homines ad regnum Cœlorum, & tollendi omne impedimentum beatitudinis assequendæ, sive homines vocando & admittendo ad Ecclesiam: sive in eam jam admissos regendo, reconciliando Deo, & perficiendo: sive etiam defunctos juvando per thesaurum Ecclesiæ illis applicatum, ut liberentur à pœnis divinæ justitiæ debitis. Quæ potestas adæquatè sumpta, partim est ordinis, illa scilicet quæ per sacram Ordinationem confertur; partim est jurisdictionis, & auctoritatis dispensativæ. Auctoritas autem admittendi Catechumenos & juvandi defunctos per Indulgentias revocatur ad potestatem jurisdictionis, & sub illa moraliter comprehenditur; quia præsupponit eum, à quo manat, habere potestatem jurisdictionis in Ecclesia, & potestatem dispensandi thesaurum communem.

Inst. Potestas clavium nihil aliud est quàm potestas absolvendi à peccatis: ergo nullatenus extenditur ad defunctos.

Resp. Nego anteced. Nam potestas clavium adæquatè sumpta multiplex est ratione effectus: continet enim 1. Potestatem docendi cum auctoritate quæ ad fidem & mores pertinent. 2. Potestatem regendi Ecclesiam per leges & ordinationes. 3. Potestatem remittendi aut retinendi peccata, eaque puniendi in Sacramento Pœnitentiæ. 4. Potestatem ligandi & solvendi

per censuras ecclesiasticas. 5. Potestatem remittendi pœnas justitiæ Divinæ debitas, vel pro iis pretium offerendi per concessiones Indulgentiarum. 6. Denique potestatem dispensandi in votis & juramentis nomine Dei. Nam per potestatem clavium adæquatè sumptam intelligitur potestas perfecta perducendi hominea ad regnum Cœlorum, & tollendi omne impedimentum beatitudinis assequendæ. Aliquando tamen potestas clavium sumitur in sensu restricto, nempe pro sola potestate absolvendi à peccatis, & satisfactione pro illis imponendi.

Obj. 2. Potestas concedendi Indulgentias nititur hoc textu: *Quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis.* At hic textus significat tantùm potestatem absolvendi, quæ non extenditur ad defunctos. Ergo.

Resp. Nego min. Nam verbo *solvere* ibi significatur non solùm judiciaria absolutio, sed etiam debiti solutio, quæ fit per oblationem pretii ex thesauro Ecclesiæ; item omnis dispensatio, & remotio impedimenti consequendæ beatitudinis.

Obj. 3. Non potest probari ex Scriptura potestas largiendi Indulgentias pro mortuis. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam hæc potestas continetur in his Christi verbis, Matth. c. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis.* Nam hæc verba significant potestatem jurisdictionis, & potestatem dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiæ ex meritis ac satisfactionibus Christi & Sanctorum conflatum: qui thesaurus mortuis prodesse & applicari potest, ex eo offerendo Deo pretium solutionis pro defunctis, quod ipse pro sua benignitate acceptat pro iis, pro quibus vult.

Obj. 4. Conc. Trident. nullam facit mentionem Indulgentiarum pro mortuis: ergo iis non prosunt.

Resp. Nego conseq. Quamvis enim expressam mentionem Indulgentiæ pro mortuis non fecerit, sufficienter tamen & saltem implicitè docuit Indulgentias pro mortuis concessas, ipsis prodesse, cùm generatim definivit Indulgentias ab Ecclesia concessas, esse utiles. At Ecclesia non solùm pro vivis, sed etiam pro mortuis Indulgentias concedit. Ergo Indulgentiæ sunt utiles non solùm vivis, sed etiam mortuis.

Obj. 5. Sententia definitiva lata est de pœnis Purgatoriis subeundis. Ergo illæ pœnæ non possunt amplius remitti etiam mediatè.

Resp. Disting. anteced. Lata est sententia definitiva conditionata, *conc. ant.* absoluta, *nego antec. & conf.* sententia de pœnis Purgatorii nunquam est omnino absoluta; sed includit hanc conditionem. Ut anima tamdiu pœnas patiatur, nisi ipsi applicentur satisfactiones alienæ, quibus fiat solutio Divinæ justitiæ. Quare cùm anima pœnis illis liberatur, non propterea revocatur prior sententia; sed potiùs impletur, quia impleta est conditio sub qua non diuturniores pœnas decernebat.

Observa. Ut Indulgentiæ prosint defunctis, debent specialiter in forma concessionis pro illis concedi. *Ita S. Thomas, & Theologi communiter.* Ratio est, quia Indulgentiæ iis tantùm utiles sunt, pro quibus conceduntur: nam Indulgentiæ non pluribus nec aliis prosunt, quàm exprimant, sicut non plus valent, quàm sonant. Quod etiam patet ex usu Ecclesiæ: nam quoties Indulgentiæ ad mortuos extenduntur, expressa fit illorum mentio in forma concessionis.

Hinc

Hinc si Indulgentia generatim concedatur pro omnibus Fidelibus, in ea non comprehenduntur mortui. Nam ex usu Ecclesiæ nomine Fidelium simpliciter intelliguntur solùm viventes, vel quia illi soli simpliciter sunt in statu viatorum, vel quia illi soli subjiciuntur potestati clavium adæquatè sumptæ, & ab Ecclesia reguntur.

Imò Indulgentiæ etiam pro mortuis concessæ, ut illis prosint, debent ipsis à Fidelibus vivis applicari. Quia animæ defunctorum illas pro se lucrari non possunt, cùm opera injuncta per se præstare non possint. Unde Indulgentiæ fructus debet illis à Fidelibus vivis applicari, qui per executionem operis præscripti Indulgentiam lucrantur.

QUÆSTIO XVI.

Quomodò Indulgentiæ valeant pro defunctis?

DIco. Indulgentiæ valent pro defunctis per modum suffragii tantùm, non per modum absolutionis judiciariæ.

Prob. 1. Quia summi Pontifices sæpius declararunt, se Indulgentias pro defunctis concedere tantùm per modum suffragii. 2. Quia Ecclesia non habet jurisdictionem in defunctos, qui non sunt ampliùs ejus subditi. Ergo non potest mortuis Indulgentiam largiri per modum absolutionis, quod est exercere actum jurisdictionis. Antecedens constat ex variis Pontificum declarationibus in jure contentis. Et ratio est, quia animæ defunctorum non possunt ab Ecclesia judicari. Nam Ecclesia non potest eas citare, earum causam cognoscere, eas ligare, cogere ad obedientiam, nec proinde eas absolvere.

Præterea summus Pontifex non est Judex & Pastor nisi Ecclesiæ visibilis.

Igitur Indulgentiæ prosunt tantùm defunctis per modum suffragii & solutionis, non per modum absolutionis judiciariæ, sed ut hoc totum meliùs intelligatur, observanda sunt sequentia.

I. Indulgentia datur per modum absolutionis, cùm Indulgentiam concedens remittit proximè & immediatè pœnam tanquam minister Dei, & judex locum ejus tenens, interim solvens Divinæ justitiæ ex thesauro sibi commisso. Indulgentia verò datur tantùm per modum suffragii satisfactorii, cùm Indulgentiam concedens non remittit pœnam; sed offert Deo pretium ex thesauro meritorum ac satisfactionum Christi & Sanctorum, ut ipse remittat pœnam suæ justitiæ debitam. Itaque Indulgentiæ pro mortuis conceduntur per modum suffragii, quatenus offeruntur Deo satisfactiones Christi & Sanctorum quasi pretium, quo defunctorum animæ redimantur à pœna, quam Deus solus immediatè remittit. Hinc summus Pontifex solvit tantùm pro defunctis, non eos absolvit, nec iis pœnam immediatè remittit; sed præcisè offert Deo pretium de thesauro Ecclesiæ, Deus verò acceptat, & pœnam remittit.

II. Suffragium generatim juxta S. Th. est auxilium quoddam, quod unus Fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remissionem pœnæ temporalis vel aliquid ejusmodi. Unde hic suffragium est communicatio & applicatio alienæ satisfactionis pro defuncto ad ei obtinendam remissionem pœnæ temporalis debitæ Deo ob peccata jam quoad culpam remissa.

III. Suffragia tribus modis defunctos juvant, scilicet per modum meriti de congruo, per modum impetrationis, & per modum satisfactionis. Indulgentiæ autem juxta Bellarminum non prosunt mortuis nisi per modum

ſuffragii ſatisfactorii; quia ſunt tantùm, inquit, ſatisfactorii. Quemadmodum igitur qui dat eleemoſynam, vel jejunat pro defunctis, non abſolvit defunctos à reatu pœnæ, ſed offert Deo ſatisfactionem illam pro defunctis, ut Deus eam acceptans liberet defunctos à debito pœnæ quam perſoluturi erant: ſic Papa non abſolvit animas defunctorum à reatu pœnæ, ſed offert Deo ex theſauro ſatisfactionum, quantùm neceſſe eſt ad ſolutionem pœnarum; & Deus acceptans ſatisfactionem illam communicatam animabus defunctorum, eas liberat à debito illo pœnæ.

Hoc tamen diſcriminis intercedit inter ſuffragia privatorum, & Indulgentias. 1. Quòd ad Indulgentiam dandam requiratur jurisdictio ſeu auctoritas, quia theſaurum communem diſpenſare non poteſt niſi Princeps Eccleſiæ. At ad ſuffragia privata offerenda nulla requiritur jurisdictio. 2. Quòd qui ſuffragia offert, non poteſt ſemper tantum offerre, quantùm ſufficit ad remittendam totam pœnam animæ defuncti perſolvendam. At ſummus Pontifex offerre poteſt ex theſauro illo infinito, quantùm requiritur ad ſatisfaciendum integrè pro debito cujuscumque pœnæ: & ideò dicitur dare indulgentiam plenariam, atque liberare per modum ſuffragii, quia offert, quantùm ad plenam ſatisfactionem ſufficit.

Ex dictis colligi poteſtatem concedendi Indulgentias eſſe ſimul poteſtatem jurisdictionis, & auctoritatis cujusdam diſpenſativæ theſauri eccleſiaſtici, quæ circa vivos quidem adjunctam habet rationem abſolutionis judiciariæ; circa defunctos verò ſolam rationem diſpenſationis & ſolutionis factæ per modum ſuffragii. Quare Indulgentiæ pro mortuis, & Indulgentiæ pro vivis in eo conveniunt, quòd in earum conceſſione fiat diſpenſatio theſauri Eccleſiæ, & ſolutio ex Chriſti & Sanctorum meritis ac ſatisfactionibus applicatis. At in eo differunt, quòd reſpectu defunctorum fiat ſolutio tantùm, & applicatio ſatisfactionum à Deo acceptanda: reſpectu autem vivorum præter ſolutionem pretii fiat vera & judiciaria abſolutio.

QUÆSTIO XVII.

Utrùm Indulgentiæ infallibiliter proſint defunctis.

Ex dictis conſtat, Indulgentias prodeſſe defunctis, ſaltem aliquibus, nempe iis, quibus prodeſſe Deo placuerit. Sed aliqui Theologi negant eas infallibiliter prodeſſe ſemper illis, quibus ſpeciatim applicamus, ſed ſolùm quibus, quando, & quantùm Deus voluerit: quemadmodum dicunt de eleemoſynis, jejuniis, & ipſò Sacrificio Miſſæ, quæ pro defunctis Deo offeruntur.

S. Thom. verò, *S. Bonav. Suarez,* & alii plures docent Indulgentias infallibiliter valere pro iis, pro quibus à Fidelibus applicantur, idque propter pactum quoddam Dei cum Chriſto initum, & promiſſionem Chriſti abſolutè factam Petro & ejus ſucceſſoribus, Matth. cap. 16. *Tibi dabo claves regni Cœlorum . . . & quodcumque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Quibus verbis nititur poteſtas Indulgentiarum tàm pro defunctis quàm pro vivis: ac proinde æquè infallibiliter pro utrisque valet illius poteſtatis legitimum exercitium. Item conceſſio Indulgentiarum pro defunctis eſt exercitium poteſtatis clavium. Hujus autem poteſtatis exercitium ſemper eſt validum & ratum apud Deum, ſi fiat legitimè & ex rationabili cauſa, ſeu clave

non

non errante, ut ajunt. Nam clavis ſemper aperit, ſi non errat, hoc eſt, ſi rationabiliter id intendat: alioqui inepta eſſet clavis, & ſolum ex illius defectu & inefficacia non ſequeretur effectus, quod planè repugnat Chriſti verbis.

QUÆSTIO XVIII.

Quid requiratur ad hoc, ut Indulgentiæ proſint defunctis?

DIco 1. Ex parte concedentis requiritur præter auctoritatem, juſta & rationabilis cauſa, quæ ſit aliqua cauſa particularis ad honorem Dei & Eccleſiæ utilitatem pertinens, ſicut de Indulgentiis pro vivis dictum eſt: ita ut Papa judicet gratiorem eſſe Deo rem illam, propter quam Indulgentias largitur, quàm executionem juſtitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii. Quare pro cauſa non ſufficit utilitas illarum animarum, vel gloria Dei præciſè redundans ex animarum illarum liberatione: nam ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe jam omnes animas liberaſſet.

Dico 2. Ex parte ſuſcipientis Indulgentias pro defunctis requiritur 1. Integra executio operum injunctorum: quia Indulgentia non datur niſi ſub hac conditione, quæ impleri non poteſt, niſi vivente. 2. Ut tale opus fiat ex intentione lucrandi Indulgentiam defuncto: alioqui nullo modo factum eſſet pro illo, cui Indulgentia procuratur, quod tamen neceſſarium eſt ad effectum moralem, & in ipſa conceſſione Indulgentiæ poſtulatur. 3. Requiritur ſtatus gratiæ ſaltem in fine ultimi operis injuncti. Quia vivens applicat defuncto remiſſionem pœnæ temporalis, quam conſecutus eſt. Non poteſt autem illa conſequi niſi ſit in ſtatu gratiæ ſaltem in fine ultimi operis injuncti.

APPEN-

APPENDIX DE INDULGENTIIS.

Quæst. I. *Quid & quotuplex est Indulgentia?*

Resp. 1. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remissis debitæ, facta extra Sacramenta & sacrificium per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. Fide constat, ex Concilio Trid. Sess. 25. Indulgentiarum usum fidelibus maximè salutarem esse, easque concedendi potestatem in Ecclesia extare.

Resp. 2. Indulgentia alia est totalis seu plenaria, qua tota pœna temporalis remittitur; & alia partialis seu non plenaria, qua pars tantùm pœnæ remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentia unius anni, vel plurium, vel 40. dierum; per quam scilicet tantùm de pœnis remittitur, quantùm remitteret pœnitentia austera unius anni vel plurium, aut 40. dierum, secundùm antiquos canones facta.

Quæst. II. *Quinam habent potestatem concedendi Indulgentias?*

Resp. Papa potest jure divino Indulgentias qualescumque in tota Ecclesia concedere; cùm supremus sit vicarius Christi, & supremum caput visibile Ecclesiæ. Supremo autem Principi competit potestas dispensandi thesaurum communem sine limitatione. Episcopi verò in sua diœcesi, & Archiepiscopi in tota sua provincia possunt jure communi concedere tantùm Indulgentias unius anni in dedicatione Ecclesiæ, & in anniversario dedicationis, vel alia ex causa, dierum dumtaxat 40. ex Conc. gener. Lateran. IV. cap. 62. Cardinales etiam non Episcopi dicuntur concedere Indulgentias 100 dierum, ex concessione Papæ, saltem tacita.

Nota. Hæc potestas est jurisdictionis, non ordinis. Hinc 1. potest competere, & delegari clerico non Sacerdoti. 2. Indulgentiæ non possunt concedi, nisi subditis, cap. 4. *de pœnit. & remiss.* ubi ratio datur, quia sicut à judice non suo ligari nemo potest, ita neque absolvi. Possunt tamen exempti lucrari Indulgentias Episcopales, cum in ea re favorabili possunt se subjicere jurisdictioni ordinarii, ne quod in gratiam concessum est privilegium, in eorumdem dispendium cedat, ex Reg. 61. jur. in 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

Quæst. III. *Quænam requiruntur ad lucrandam Indulgentiam?*

Resp. Sequentia. I. Status gratiæ, saltem cùm ultimum opus completur. Quia tunc applicatur Indulgentia, quæ illum exigit: nam inimico Dei, quamdiu

diu in peccato existit, nulla fit remissio etiam quoad pœnam temporalem. Inimicus enim Dei, & reus pœnæ æternæ non est subjectum aptum, cui remittatur aliqua pœna; & nulla est promissio nisi pro justo. Unde Indulgentia numquam conceditur, nisi contritis & confessis, aut verè pœnitentibus. Imò aliqui putant necesse esse ut omnia opera in Bulla injuncta perficiantur in statu gratiæ. Sed alii communiùs docent sufficere, quòd bene fiant animo verè pœnitenti & sine affectu ad mortale: Quia Pontifex in concessione non exigit, ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ: & sine illo possunt esse utilia ad finem Indulgentiæ. Requiritur tamen status gratiæ eo instanti, quo ultimum ex operibus per Bullam injunctis perficitur. Nam requiritur status gratiæ eo instanti, quo Indulgentia applicatur. At Indulgentia applicatur eo instanti quo ultima conditio ponitur, seu instanti consummationis operum. Ergo eo instanti requiritur status gratiæ.

II. Omnia opera injuncta impleri debent integrè, in loco, & tempore, & ordine præscriptis, & propter finem præscriptum. Quia Indulgentia non conceditur, nisi sub hac conditione: qua proinde non impleta, simpliciter nihil obtinetur. Et Indulgentia solùm operatur secundùm intentionem concedentis expressam per verba concessionis. Hinc qui opus aliquod injunctum, vel partem ejus notabilem omittit, quamvis ex ignorantia aut oblivione invincibili, vel impotentia, nihil consequitur: quia simpliciter non implet conditionem, cui adstricta est Indulgentia.

III. Ad consequendam Indulgentiam plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur detestatio omnium illorum, & depositio affectus ad quodlibet. Nam pœna peccato debita non remittitur sine culpa: nullum autem peccatum etiam veniale remittitur quoad culpam, sine detestatione seu displicentia saltem virtuali; & depositione affectus ad illud. Quàm pauci ergo Indulgentiam plenariam integrè consequuntur?

Præter supradicta, *Cajetanus, Navarrus, Reginaldus & alii* docent ad Indulgentiam integrè consequendam requiri propositum, & sollicitudinem satisfaciendi Deo per satisfactiones congruas, & peccatis ac facultati pœnitentis proportionatas; ita ut proportione hujus sollicitudinis tamquam dispositionis ad Indulgentiæ effectum necessariæ, percipiatur major vel minor Indulgentiæ fructus. *Probant*: Quia 1. Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, à quo præcepto Ecclesia dispensare nequit. Et Conc. Trident. Sess. 6. cap. 14. docet generaliter pœnitentiam christiani lapsi, necessariò præter contritionem & confessionem, continere satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, &c. At, inquiunt, valde enervaretur, & ferè tolleretur satisfactio illa congrua, si Indulgentia plenaria plurimorum peccatorum obtineretur præcisè per opera aliqua pauca non valde gravia, ut per visitationem Ecclesiæ, triduum jejunii, aliquam eleemosynam, & confessionem ac communionem. 2. Thesaurus Indulgentiarum à Christo concessus est, non ad tollenda opera satisfactoria, cùm ea præceperit; aut ad fovendam negligentiam ac torporem fidelium; sed ad supplendam eorum impotentiam ac infirmitatem: aliàs, inquiunt, indulgentia redundaret non in ædificationem, sed in destructionem, fovendo negligentiam ac torporem in satisfaciendo pro peccatis, & minueret horrorem peccati. 3. Ex Gregor. VII. qui Lincolniensi Episcopo Indulgentiam petenti concessit ea lege, ut pro viribus

viribus satisfaceret: *Absolutionem præterea peccatorum tuorum*, inquit, *sicut rogasti, authoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Ut appareat, inquit Baronius hæc referens ad annum 1073. *Sedis Apostolicæ Indulgentiam illis communicari, qui quantùm suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.* De his qui ita sentiunt, sic loquitur S. Antoninus, 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 3. *Nec credunt quod propter has Indulgentias generales minùs teneantur agere pœnitentiam in hac vita; & horum dictum satis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Quæst. IV. *Quænam notanda sunt circa opera præscribi solita?*

Resp. Sequentia. 1. Dum in Bulla conceditur Indulgentia *contritis & confessis*, ad eam lucrandam secundùm multos confessio non est necessaria habenti sola venialia: quia putant eam designari tantùm ut medium ad gratiam & remissionem culpæ. Sed alii multi dissentiunt, quia tunc confessio requiritur tamquam unum ex operis præscriptis. Quare tutius est confiteri, idque consentaneum est praxi fidelium, præsertim tempore Jubilæi.

2. Oratio fieri debet per aliquod tempus in loco, tempore, & ex intentione designatis. Locus est ordinariè ubi est Indulgentia. Tempus est inter utrasque vesperas. Intentio est pax inter principes christianos, conversio infidelium, extirpatio hæresum, exaltatio S. Matris Ecclesiæ, bonum spirituale Papæ, nisi alia addantur. Secundùm multos debet esse vocalis, nec valet si fiat cum distractione voluntaria: nam talis oratio non est religiosa, nec apta ad impetrandum id quod Papa intendit.

3. Modus servandi jejunium est ille, quem singulæ provinciæ servant tali tempore in aliis jejuniis.

4. Eleemosyna, si non determinetur per Bullam, fieri debet juxta regulas prudentiæ, & dictamen internum: ita ut non detur quid minimum, spectata facultate dantis, nam minima non sunt in consideratione.

5. Non satisfit per communionem sacrilegam: nam communio præscribitur ut opus bonum, vivum & operativum gratiæ.

Quæst. V. *Quænam requiruntur ut Indulgentiæ prosint defunctis?*

Resp. Necesse est. 1. Ut pro illis in Bulla specialiter concedantur. Nam Indulgentiæ non prosunt pluribus, nec aliis, quantum prima concessio; & tantum valent quantum sonant. Nomine autem fidelium simpliciter in Bullis intelliguntur soli viventes, ut patet ex usu; quare quoties Indulgentiæ ad mortuos extenduntur, expresse additur: *Fidelibus vivis & defunctis.* 2. Ut fidelis vivens omnia opera injuncta ritè perficiat ex intentione lucrandi Indulgentiam pro mortuo, sitque in statu gratiæ, saltem cùm ultimum opus impletur, atque Indulgentiam applicet defuncto.

TRA-

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

EX SPECULATIVA.

EXTREMA UNCTIO est Sacramentum à Christo institutum ad conferendam ægroto, de vita periclitanti, gratiam, ad resistendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abstergendas, per Unctionem Olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Extrema-Unctio sit Sacramentum novæ legis.

Nota. EXtremam-Unctionem Sacramentum esse negarunt Waldenses, Wicleffus, Lutherus, & Calvinus contra quos;

Dico. Extrema-Unctio est verum ac propriè dictum novæ legis Sacramentum à Christo institutum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Jac. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ibi agitur de Extrema-Unctione, & traduntur omnia, quæ ad verum & propriè dictum Sacramentum requiruntur, videlicet symbolum externum, consistens tum in materia, nempe Unctione Olei, tum in forma, nempe oratione; promissio gratiæ contenta his verbis: *Alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei;* institutio Christi; nam solus Christus potuit certis rebus & verbis gratiæ promissionem, proindeque vim infallibilem gratiam producendi annectere; institutio denique permanens: nam verba Apostoli spectant omnes omnium temporum Christianos infirmos.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiant, Origenes, qui hom. 2. in Levit. ait: *Audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum .... est adhuc & septima, licèt dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum .... & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare*

care peccatum suum, & quærere medicinam, secundùm eum qui ait: dixi, pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum, &c.

S. Innocentius I. epist. ad Decentium, c. ult. postquam retulit Jacobi verba: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros, &c.* hæc subjicit: *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum.* Et infra: *pœnitentibus* (publicis) *istud* (Oleum Chrismatis) *fundi non potest, quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur concedi?* „ Hoc „ Innocentii I. testimonium (inquit „ Bellarminus, l. de Sacram. Extremæ „ Unctionis c. 4.) etiamsi solùm ex„ taret, sufficere deberet. Nam au„ ctor est antiquus, siquidem anno „ 402. sedere cœpit: estque vir „ Doctus & Sanctus, & ab Augustino, „ Hieronymo & Chrysostomo mirificè „ commendatus: & epistola ejus cer„ ta est: dicit expressè & clarè hanc „ Unctionem esse Sacramentum à Ja„ cobo explicatum, & ideo non dari „ iis, qui non sunt capaces aliorum „ Sacramentorum; nec ullus unquam „ veterum eum reprehendit, quòd „ Unctionem infirmorum Sacramen„ tum esse docuerit. „ Et paulo inferiùs hæc subjicit Bellarminus; *Ex hoc etiam testimonio colligimus, cur non extent multa hujus generis testimonia, id est, tam antiqua, & tam expressa: quia videlicet non habuerunt occasionem de hac re scribendi. Nam nec Innocentius de hac re scripsisset, nisi Episcopo Eugubino dubitatio illa in mentem venisset, utrùm Episcopus possit dare Sacramentum Unctionis Extremæ, an solus Presbyter . . . . alioqui enim de Sacramentis, quæ in usu quotidiano erant, non scribebant Patres, nisi coacti aliqua occasione, vel nisi hæreticis respondendum esset.* S. Augustinus, vel (ut alii volunt) S. Cæsarius, Serm. 215. de tempore. *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum ungat* (per Presbyterum) *ut illud quod scriptum est, impleatur in eo: infirmatur aliquis? inducat Presbyteros, & orent super eum ungentes eum Oleo, &c. videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum Indulgentiam merebitur obtinere.*

Prob. 3. Ex Conciliis, scilicet Regiaticino, anno 850. celebrato, Canon. 8. ubi clarè hæc veritas asseritur, & ex quo sensus & usus Ecclesiæ octo priorum sæculorum satis innotescit. Florent. in decreto pro Armenis: denique Trident. Sess. 14. de Extrema-Unctione, c. 1. & Canon. 1. ubi ait: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema sit.*

Prob. 4. Ex perpetua praxi Ecclesiæ in administranda infirmis Extrema-Unctione, quæ constat ex Origine, Innocentio I. Augustino: seu Cæsario, loc. cit. Gregor. Magno, l. de Sacramentis; Beda, in epist. Jacobi; & aliis.

Accedit ratio ex divina providentia desumpta, quam tradit Conc. Trid. Sess. 14.

14. in proemio doctrinæ de Extrema Unctione his verbis: *Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Dionysius, in l. de Ecclesiastica hierarchia, ubi de Sacramentis agit, nullam mentionem facit Extremæ Unctionis.

Resp. Scriptori illius operis, quisquis sit, propositum non fuit de omnibus legis novæ Sacramentis in illo libro tractare, unde nec ibi de Pœnitentia, nec de Matrimonio agit. Similiter aliis Patribus propositum non fuit in suis libris de omnibus Sacramentis agere, sed de illis solis, de quibus agendi necessitatem aliquam habebant.

Obj. 2. Non exstant exempla antiqua, quòd Sancti viri in extremis agentes, Extremam Unctionem petierint. Ergo illa non fuit in usu &c.

Resp. 1. Aliqua ejusmodi exempla habemus 1. Pro sexto sæculo apud Bollandum, Tresani Presbyteri exemplum, *Qui Oleum sanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate suscepit . . . Quæ postquam explevit, Viaticum petiit.* 2. Pro septimo sæculo, exemplum S. Hunegundis apud Surium, in ejus vita, ubi ait: *Illa conversa ad eos, qui illic assistebant, Presbyteros, Sacræ Unctionis Oleum, & Eucharistiam sibi petiit ministrari.* 3. Pro decimo sæculo, exemplum S. Osvvaldi Episcopi Eboracensis, in ejus vita. 4. Pro undecimo sæculo, exemplum S. Leonis IX. in ejus vita. 5. Pro sæculo duodecimo, exemplum S. Malachiæ, de quo S. Bernardus in ejus vita hæc refert: *Jubet se sacro Oleo ungi . . . ungitur; & sumpto Viatico fratrum se orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.*

Resp. 2. Nego conseq. Nam (ut ait Bellarminus) res notissimæ & quotidianæ scribi non solent, certè quis neget S. Bernardum hoc Sacramentum postulasse & suscepisse, cum ex vita S. Malachiæ ab eo scripta constet eum maximi illud fecisse, & simul constet eum habuisse summam commoditatem hujus Sacramenti percipiendi, quippe qui mortem suam & præviderit & prædixerit? Et tamen scriptum non est, ab eo susceptum fuisse hoc Sacramentum.

Obj. 3. Scriptura nullibi refert à Christo institutam fuisse Extremam Unctionem. Ergo non est Sacramentum &c.

Resp. Nego conseq. Quia non omnia dicta & facta Christi referuntur in Scriptura, & multa ex sola Traditione habemus. Christus autem hoc Sacramentum post resurrectionem suam instituit, cùm instituisset Sacramentum pœnitentiæ, *cujus consummativum existimatum est à Patribus*, inquit Conc. Trident.

Obj. 4. Extrema-Unctio, ut in Ecclesia datur, differt à ritu, de quo loqui-

loquitur Jacobus: nam Jacobus requirit plures Sacerdotes, & fidem in illis; præscribit eandem Unctionem, quam adhibuerunt discipuli, Marc. 6. quæ certè non fuit Sacramentum; & ejus effectum soli orationi tribuit, constituitque in sola curatione corporum, ad quam solam illa Unctio instituta fuit. Ergo &c.

Resp. Nego anteced. Et totam ejus probationem. Nam 1. Numerus pluralis pro singulari ab Apostolo usurpatur, quod sæpe contingit Scriptoribus Sacris. 2. Ibi dicitur oratio fidei, non quòd sine fide administrari validè nequeat, sed quia fidei mysterium continet, & sola fide intelligitur, & pro solis Fidelibus instituta est. 3. Unctio, quam adhibuerunt Apostoli, Marc. 6. fuit tantùm figura Unctionis à Jacobo promulgatæ, ut docet Conc. Trident. sess. 14. c. 1. de Extrema-Unctione. 4. Jacobus effectum tribuit orationi ut formæ Sacramenti applicatæ materiæ, ideoque toti Sacramento. Præterea sæpe in Scriptura, quod toti convenit, id parti tribuitur per Synecdochen, qua pars pro toto sumitur. 5. Illam Unctionem præcipuè institutam esse ad animæ sanctificationem & salutem, constat ex Traditione & ex his Jacobi verbis: *Alleviabit eum Dominus* (per gratiam scilicet,) *& si in peccatis sit, remittentur ei.*

Obj. 5. Extrema-Unctio non habet effectum infallibilem. Nam non semper, sed rarò curat morbos, ut experientia constat. Ergo non est Sacramentum.

Resp. Extrema Unctio, quantùm est ex parte sua, & nisi ponatur obex, semper & infallibiliter producit effectum suum primarium ac principalem, qui est gratia sanctificans, & sanans animam cum auxiliis gratiæ ad superandas dæmonis tentationes idoneis, quod sufficit ad rationem Sacramenti. Corporalis autem sanitas est effectus hujus Sacramenti secundarius tantùm ac minùs principalis, & conditionatus, nempe si saluti animæ expediat: qui effectus non est infallibilis, quia non semper animæ saluti expedit.

Inst. Jacobi verbis uterque effectus eodem modo promittitur: ergo est æqualiter infallibilis.

Resp. Nego anteced. Nam gratia sanctificans cum suis auxiliis absolutè promittitur infirmo, quia semper ei expedit; sanitas autem corporalis promittitur tantùm sub hac conditione, si expediat saluti animæ infirmi. Quæ conditio satis intelligitur ex natura Sacramenti, quod principaliter ad animæ sanctificationem & salutem institutum est.

Obj. 6. Unctionis cæremonia partim ab hæreticis nempe Valentinianis, partim ab Ethnicis originem ducit: ergo non est &c.

Resp. Nego anteced. Nam hæreticorum illorum ritus à nostro diversissimus fuit. Valentiniani enim (ut docet Bellarminus) mortuos ungebant aqua & oleo simul mixtis, ut esset illa Unctio loco Baptismi; & ungendo inauditis quibusdam & horribilibus verbis hebraicis utebantur. Nos verò solos morituros ungimus Oleo puro, adhibendo simul orationem simplicem à Christo quoad sensum institutam. Quod attinet ad Ethnicos, illi morem suum mortuos ungendi ab Israelitis sumpserunt, qui mortuorum suorum corpora ungere solebant, ut ex utraque Scriptura constat.

QUÆSTIO II.

Quænam sit materia Extremæ Unctionis.

Dico I. Materia remota hujus Sacramenti est oleum Olivarum; est de fide. *Prob.*

Prob. 1. Ex Jac. *Ungentes eum Oleo.* Nam Oleum simpliciter dictum est Oleum Olivarum. 2. Ex perpetua Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ praxi, quæ certò Traditionem ostendit. 3. Ex Conc. Florent. in decreto, in quo dicitur: *quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est Oleum Olivæ per Episcopum benedictum.* Et ex Conc. Trid. sess. 14. c. 1. Ubi ait: *Intellexit Ecclesia materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum.* Ratio à priori est voluntas Christi. Ratio congrua est, quia Oleum Olivarum ex se aptissimum est ad effectus hujus Sacramenti significandos: nam sanat, dolorem lenit, robur affert.

Obj. Innocentius I. Epist. 1. asserit Extremam Unctionem administrari solitam fuisse cum Chrismate. Et Conc. Trident. omisit vocem Olivarum.

Resp. Ad 1. Innocentius per Chisma intelligit Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum, cui fortasse tunc temporis aliquid Balsami admiscebatur.

Resp. Ad 2. Conc. Trident. explicari debet per praxim Ecclesiæ, quæ semper in hoc Sacramento Oleum Olivarum adhibuit. Præterea Oleum simpliciter dictum significat solum Oleum Olivarum.

Dico. 2. Illud Oleum debet essentialiter esse benedictum ab Episcopo; vel per se ipsum vel saltem per Presbyterum ex ejus commissione.

Prob. 1. Quia Concilia Florent. & Trident. laudata id expressè docent. Nec dici possunt hanc benedictionem exprimere, quia necessaria est ex præcepto Ecclesiæ. Nam aqua Baptismi ex præcepto Ecclesiæ benedici debet, & tamen Concilia non assignant pro materia Baptismi aquam benedictam; sed aquam simpliciter, vel aquam naturalem.

2. Quia Veteres omnes, qui materiam Extremæ Unctionis assignarunt, docuerunt esse Oleum ab Episcopo benedictum seu consecratum, scilicet Innocentius I. Epist. cit. S. Gregorius, lib. de Sacram. Beda, comment. in Epist. Jacobi; Concilium Cabilonense II. can. 4. Magister sententiarum. l. 4. dist. 23. S. Thomas, in 4. dist. 23. a. 3. & alii Veteres Theologi, uno excepto Franc. Victoria.

Obj. In Ecclesia Græca simplices Presbyteri ex antiqua consuetudine benedicunt istud Oleum, idque faciebant ante Schisma. Nec unquam de hac re reprehensi fuerunt ab Ecclesia Latina, imò hanc consuetudinem approbavit Clemens VIII. in instructione de ritibus Græcorum, anno 1595. edita.

Resp. Inde sequitur tantùm sufficere, quod Oleum sit benedictum ab Episcopo, vel per se ipsum, vel per Presbyterum ex ejus commissione & auctoritate delegata: ita ut simplex Sacerdos non possit auctoritate propria illud validè benedicere. Presbyteri autem Græci Oleum infirmorum benedicunt, non auctoritate propria, sed ab Episcopis per antiquam consuetudinem tacitè ipsis delegata.

Porro teste Arcudio Episcopi Græci istud Oleum per se semel in anno, more Latinorum, Feria quinta majoris hebdomadæ solemni ritu consecrant, quamvis illius benedictionem reliquo anni tempore Presbyteris committant.

Inst. Presbyteri non possunt etiam ex commissione Episcoporum consecrare Chrisma pro materia Confirmationis: quia nempe Episcopi consecratio est de essentia materiæ Confimationis.

tionis. Ergo à pari nec possunt benedicere Oleum &c.

Resp. Nego cons. Quia ex institutione Christi materia Confirmationis, qua Spiritus sancti plenitudo confertur, debet esse consecrata ab Episcopo per se ipsum immediatè. At Christus voluit ut materia Extremæ Unctionis consecraretur ab Episcopo vel per se ipsum, vel per Presbyterum ex ejus commissione & auctoritate delegata; quæ Christi institutio nobis innotescit ex praxi Ecclesiæ. Nam in utraque Ecclesia, Latina & Græca nunquam nisi ab Episcopis Chrisma consecratum fuit, quamvis Oleum infirmorum à simplicibus Presbyteris, potestati sibi ab Episcopis expresse vel tacitè delegata benedictum sit, & etiam nunc benedicatur in Ecclesia Græca.

Dico 3. Proxima materia Extremæ Unctionis est Unctio facta à Sacerdote.

Prob. 1. Ex Jac. 5. *Ungentes eum Oleo.* 2. ex verbis formæ. *per istam sanctam Unctionem &c.* 3. quia materia proxima Sacramentorum, quæ consistunt in usu, est applicatio materiæ remotæ. Applicatio autem Olei est Unctio seu actio inungendi.

QUÆSTIO III.

Quænam sit forma Extremæ-Unctionis?

DIco 1. Forma Extremæ-Unctionis hæc est: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et ita de aliis sensibus. Constat ex Conc. Flor. in decreto ex Trid. sess. 14. cap. 1. & Rituali Romano.

Quænam autem præcisè verba constituant totam essentiam formæ, dissentiunt Theologi. Alii volunt eam consistere in his verbis: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Alii verò in istis: *per istam Unctionem indulgeat tibi Deus;* eo quod hæc sola effectum Sacramenti sufficienter exprimant. Consentiunt omnes omnia verba, quæ in Rituali Romano continentur, ex præcepto proferri debere.

Dico 2. Forma Græcorum, ut patet ex eorum Euchologio, hæc est. *Pater sancte, medice animarum & corporum, qui misisti unigenitum filium tuum Dominum nostrum Jesum-Christum, omnem morbum sanantem, & à morte liberantem; sana quoque hunc servum tuum à corporali spiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Christi tui, potentia pretiosæ & vivificæ Crucis, precibus Dominæ nostræ Dei Paræ semper Virginis &c.* Quæ sequuntur continent invocationem Apostolorum, & aliorum Sanctorum, & addita sunt à Græcis posterioribus.

Verba autem hujus formæ essentialia hæc sunt: *Pater sancte, sana hunc servum tuum à spirituali infirmitate.* Ex quo patet formam Græcorum non nisi accidentaliter differre à forma Ecclesiæ Latinæ.

Dico 3. De essentia formæ Extremæ Unctionis est, ut sit deprecativa.

Prob. 1. Ex verbis Jacobi: *Orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum.* Quibus verbis Apostolus docet materiam & formam, ut declarat Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. at hæc verba (*Orent super eum: & oratio Fidei salvabit infirmum.*) manifestè formam deprecativam significant. 2. Ex praxi universalis Ecclesiæ. Nam tota Ecclesia

ſia Occidentalis utitur forma in Rituali Romano contenta, & tota Eccleſia Orientalis utitur forma in Græcorum Euchologio contenta; quæ utraque eſt manifeſtè deprecativa, cùm conſiſtat in orationibus ſupradictis. 3. Ex S. Thoma, in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 2. & S. Bonaventura, eadem diſt. a. 1. q. 4. & aliis Theologis communiter.

Obj. 1. S. Gregorius, in l. de Sacrament. hanc Extremæ-Unctionis formam tradit: *inungo te Oleo Sancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare, creatura Olei, in nomine Dei Patris, &c.* Et ſimilem formam exſcripſit Serrarius ex Vetuſto Halirgarii ad Ebonem Remenſem codice manuſcripto, quæ ſic habet: *Ungo te Oleo ſanctificato, ut more militum & præparatus ad luctamen, aereas poſſis ſuperare catervas. Operare, creatura Olei, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, ut non lateat hic ſpiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, ſed operetur in eum virtus Chriſti Filii Dei altiſſimi, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Resp. In his formulis verba, quæ totam formæ eſſentiam conſtituunt, ſunt hæc: *Operare, creatura Olei, in nomine &c.* proindeque forma eſſentialis deprecativa eſt. Priora autem verba ſunt tantùm diſpoſitio ad formam eſſentialem. Ita S. Thomas, in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 2. ubi ad hanc objectionem: *In quibuſdam Eccleſiis dicuntur hujuſmodi verba in collatione hujus Sacramenti.* Ungo hos oculos Oleo ſanctificato in nomine Patris &c. Sic reſpondet: *dicendum quod verba illa indicativi modi, quæ ſecundùm morem quorumdam præmittuntur orationi; non ſunt forma Sacramenti, ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam*, quæ ſcilicet ſequitur, & conſiſtit in oratione.

Dices. Olim Eccleſia Mediolanenſis utebatur hac formula, quam S. Bonaventura refert, & Ambroſianam vocat: *Ungo te Oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii & Spiritus-ſancti, ut more militis Uncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare catervas.* Item ex Palacio, in libro Sacramentali Eccleſiæ Venetæ legitur hæc forma Extremæ-Unctionis: *Ungo te Oleo Sancto, ut hac Unctione protectus, fortiter ſtare valeas adversùs varias catervas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.*

Resp. Hæc verba, quæ, ut forma Sacramenti objiciuntur, ſunt duntaxat præambulum veræ formæ Extremæ-Unctionis conſiſtentis in oratione, quæ verba illa ſubſequitur.

Obj. 2. Alia Sacramenta non habent formam deprecativam, ergo nec iſtud.

Resp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt inſtitutio Chriſti, qui voluit formam hujus Sacramenti, non aliorum, eſſe deprecativam, ut conſtat ex verbis Jacobi, & praxi Eccleſiæ. Chriſtus autem æque potuit infallibiliter gratiam formæ deprecativæ alligare ac indicativæ.

QUÆSTIO IV.

Quinam ſint effectus Extremæ-Unctionis.

Dico. Varii ſunt hujus Sacramenti effectus.

Conſtat 1. Ex Jacobi verbis ſuprà citatis. 2. Ex Conc. Florentino, in decreto: *Effectus eſt mentis ſanatio, & in quantum expedit ipſius etiam corporis.* 3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2.

c. 2. ubi ait: *Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur; & oratio Fidei ſalvabit infirmum* (primariò & abſolutè quoad animam ſecundariò & conditionatè quoad corpus;) *& alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti; cujus Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Igitur multiplex eſt Extremæ-Unctionis effectus.

Primus & primarius eſt gratia ſanctificans cum jure ad gratias actuales, quæ dantur ad alleviandum & corroborandum hominis ægrotantis animum contra morbi moleſtias ac dolores, & tentationes diaboli.

Secundus eſt abſterſio reliquiarum peccati, quæ ſunt non ſolùm pœnæ temporales peccatis debitæ, ſed etiam anxietates, infirmitates, torpor ſeu languor ad bonum, angor, timor, quæ ex peccatis commiſſis contrahuntur. Plus autem aut minus abſtergit pro diſpoſitione recipientis.

Tertius eſt remiſſio peccatorum tum venialium, tum etiam mortalium. Nam ſi quæ ſuperſint remittenda, remittit etiam quoad reatum culpæ, venialia quidem primario, mortalia verò ſecundariò & in certis caſibus.

Prob. 1. Ex Jac. 5. *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* 2. Ex Trid. c. 2. citato. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti; cujus Unctio delicta ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* 3. Ex forma ipſa: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti.*

Non tamen idcirco Extrema-Unctio eſt Sacramentum mortuorum niſi ſecundariò, ſecundùm quid, & cum addito reſtringente ad certos caſus, in quibus ſolis remittit mortalia, nempe quando vel peccata remiſſa non fuerunt per Sacramentum Pœnitentiæ propter occultum aliquem defectum miniſtri: vel poſt abſolutionem commiſſa ſunt, ſed memoria exciderunt, depoſito tamen affectu ad illa, & elicita contritione imperfecta: vel homo propter privationem uſus rationis & ſenſuum factus eſt incapax confeſſionis, nec antea habuit contritionem perfectam, ſed tantum attritionem cum amore Dei imperfecto. Enim verò ex inſtitutione Chriſti ad remiſſionem mortalium pœnitentiæ Sacramentum præmitti debet Extremæ-Unctioni, ſi poſſit: quòd ſi non poſſit, elicienda eſt contritio perfecta. Sed quia hæc difficilis eſt, & non raro abeſt, utriuſque defectum ſupplet Extrema-Unctio, modò adſit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in Sacramento Pœnitentiæ.

Ex quo patet, quanti ſint momenti Extremam-Unctionem recipere, cùm illius ope ſalvari poſſit, qui alioqui damnandus fuiſſet, ut docet Sanctus Carolus, in inſtructione de hoc Sacramento.

Quartus effectus. Sanitatem corporis interdum, ubi animæ ſaluti expedierit, confert, ut docet Conc. Trid. ſuprà cit. Unde non ſemper, ſed aliquando tantùm hunc habet effectum, nempe ſi animæ ſaluti expedierit. Quod etiam intellige ſecundùm Divinam providentiam, ſecundùm quam non ſemper expedit turbari rerum ordinem, & cauſarum naturalium exigentiam fruſtra-

frustrari. Quare hunc effectum impediunt, qui hoc Sacramentum non suscipiunt, nisi cùm morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeat.

QUÆSTIO V.

Quodnam sit subjectum Extremæ-Unctionis?

DIco. Iis solis, qui sunt in gravi mortis periculo, orto ex aliquo morbo, seu aliqua corporis infirmitate, validè administrari potest Extrema-Unctio. Ita omnes Theologi contra Græcos recentiores, qui eam pœnitentibus sanis administrant. Hancque assertionem nostram certam esse asserit Suarez.

Prob. 1. Ex Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis?* Quæ verba sanos excludunt, ut constat ex unanimi Doctorum sensu, & perpetua praxi Ecclesiæ, & verbum græcum significat graviter ægrotum. 2. Ex Conc. Florentino in decreto, ubi ait: *Hoc Samentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet.* 3. Ex Conc. Trident. sess. 14. c. 1. Ubi Extremam-Unctionem vocat *Unctionem infirmorum.* Et c. 3. ait: *Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam.* Et nullibi nisi infirmorum mentionem facit, cùm de subjecto hujus Sacramenti loquitur. 4. Ex Rituali Romano, qui de hoc Sacramento agens: ait: *At primùm excipiuntur, qui sano & firmo corpore sunt, iis enim Extremam-Unctionem tribuendam non esse, & Apostolus docet, cùm, inquit, infirmatur quis in vobis? Et ratio ostendit; si quidem ob eam rem instituta est non modò ut animæ, sed etiam ut corpori medicinam afferat, &c.*

Obj. In Euchologio Græcorum leguntur aliqua de ungendis sanis Oleo infirmorum.

Resp. 1. Ista à posterioribus Græcis inserta fuisse, testatur Arcudius.

Resp. 2. Quæ in Euchologio leguntur de sanis ungendis, significant tantùm pœnitentes sacramentaliter confessos absolutos, ungendos Oleo infirmorum, sed sine forma Sacramentali, ideoque sine Sacramento. Unde ungebantur Oleo benedicto, sicut nunc Fideles tingunt frontem aqua benedicta.

QUÆSTIO VI.

Quisnam sit Minister Extremæ-Unctionis?

DIco 1. Solus Sacerdos est Minister Extremæ Unctionis. Est de fide.

Prob. 1. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* 2. Ex Traditione, *cujus testis est perpetua praxis Ecclesiæ.* 3. Ex Conc. Florent. in decreto. 4. Ex Trid. sess. 14. can. 4. ubi ait: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate Seniores in quavis communitate: ob idque proprium Extremæ-Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; Anathema sit.*

Obj. 1. Innocentius I. epist. 1. c. 8. post verba Jacobi recitata, sic ait: *quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto Oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum.* Ergo ex Innocentio Fideles Laici sunt etiam Ministri, &c.

Resp. Nego conseq. Nam vel loquitur de usu passivo Olei benedicti; ita ut sensus sit Fidelibus omnibus & non solis Sacerdotibus licere recipere

Extremam-Unctionem, & accersere Presbyteros, qui eam sibi vel suis administrent. Vel si intelligatur de usu activo, sensus est; non solùm Sacerdotibus, sed etiam Laicis Fidelibus licere uti Oleo per Episcopum benedicto in sua vel suorum necessitate; sed cum hoc discrimine, quòd Fideles non Sacerdotes illo Oleo uti tantùm possint ad membrum morbe affectum vel frontem ungendum absque forma Sacramentali, ad modum scilicet quo tingebant frontem vel alias corporis partes aqua benedicta: Sacerdotes verò possint insuper illo Oleo uti ad efficiendum Sacramentum, addendo formam Sacramentalem super alios cum debita intentione. Fideles quippe olim utebantur Oleo benedicto fere ad modum, quo nunc aqua benedicta utuntur.

Obj. 2. Saltem plures requiruntur Sacerdotes ad ministrandum validè hoc Sacramentum: nam Jacobus dicit, *inducat Presbyteros.* Ergo unus Sacerdos non sufficit.

Resp. Nego anteced. Nam Jacobus pluralem numerum pro singulari usurpavit, usus communi modo loquendi, quemadmodum cùm dicitur: si quis morbo laborat, medicos accersat. Sic etiam Christus locutus est, cùm, Luc. 17. dixit: *Ostendite vos Sacerdotibus:* nam satis erat, si Leprosus uni Sacerdoti se ostenderet, ut constat ex Levit. c. 14. unum autem Sacerdotem hic sufficere constat ex Conc. Florent. & Trid. & praxi Ecclesiæ, quæ errare non potest in administratione Sacramentorum.

Dico 2. Omnis Sacerdos validè administrare potest Extremam-Unctionem. Quia in tali ministerio jurisdictio non est de substantia Sacramenti, nec illius principium; sed est solùm conditio necessaria, ut licitè fiat.

Dico 3. Extrema-Unctio non potest licitè administrari nisi à Pastore proprio, vel alio de ejus licentia. Nam administratio Sacramenti est officium Pastoris, quod usurpare propria auctoritate in materia gravi gravis est culpa; cùm id ei injuriosum sit, & repugnet recto regimini, ac debito ordini.

In casu tamen necessitatis, quo alioqui infirmus sine hoc Sacramento moriturus esset, quilibet Sacerdos potest & debet ex charitate illud ministrare: nam tunc Ecclesia hanc facultatem concedere censetur. Neque in Clement. I. de privileg. ubi excommunicantur Regulares, qui sine licentia Parochi illud Sæcularibus conferunt, hic casus necessitatis comprehenditur, alioqui esset in destructionem.

TRA-

TRACTATUS De EXTREMA-UNCTIONE.

EXtrema-Unctio est Sacramentum à Christo institutum ad conferendum ægroto de vita periclitanti gratiam ad resistendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abstergendas, atque etiam ad corporis sanitatem, si expediat, restituendam, per Unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

Quæst. I. *Quænam est materia & forma hujus Sacramenti?*

Resp. 1. Materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Concil. Tridentin. sess. 14. c. 1. (*a*) Renovari debet singulis annis, veteri exusto. Quòd si periculum sit, ne intra annum deficiat, neque possit haberi aliud benedictum, benedicto admisceatur non benedictum in minori quantitate. *Ita Rituale Romanum.* Materia verò proxima est Unctio. Hæc ex usu Ecclesiæ & præcepto Ritualium, debet fieri in forma crucis: quod tamen non est essentiale, sicut neque ut fiat immediatè pollice Sacerdotis; nam pestis tempore unctio fieri potest bacillo.

Resp. 2. Forma est hæc deprecativa; *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus. Ex Concil. Florent. & Trid. & Rit. Rom. Sunt, qui putant hæc sola verba, *Per istam Unctionem indulgeat tibi Deus,* esse essentialia; eo quod effectus sacramenti sufficienter exprimant, quamvis cætera ex præcepto sint addenda, (*b*)

Quæst.

(*a*) Vide SS. D. N. Tractatum de Synodo Diœcesana, in quo plura de Extrema-Unctione scitu digna explicantur, quorum nonnulla brevibus indicamus. Lib. VII. cap. 16. num. 3. de materia „ *ait:* Materia hujus „ Sacramenti est oleum simplex, saltem ex „ Ecclesiæ præcepto. Validitati tamen non „ obstat aliquid balsami admixtum, quod „ antiquitus factum quidam opinantur. Et „ *num.* 4. Oleum debet esse ab Episcopo „ benedictum. Dubitatur verò, num ex „ Christi institutione, an ex præcepto Ec„ clesiæ. De commissione Romani Ponti„ ficis potest à simplici Sacerdote præpa„ rari, ut fit apud Orientales.

(*b*) Capit. 17. *ait.* „ Formam hujus Sa„ cramenti non esse certis verbis à Chri„ sto præscriptam, ac deprecativa uti Lati„ nos, & Græcos; sed in controversia esse „ num sufficiat indicativa, & absoluta; „ quare cum nihil de ea definitum habea„ mus ab Ecclesia, non licere, concludit, „ in Synodo, vel Synodali instructione, „ ejus-

Quæst. II. *An essentiales sunt Unctiones quinque sensuum?*

Nota 1. Multi cum S. Thoma affirmant, & in Ecclesia Latina servantur: ac proinde in praxi adhiberi debent, quantùm fieri potest; præsertim cùm constet ea requiri ex præcepto. Non pauci tamen contendunt ad valorem Sacramenti sufficere unicam in quacumque corporis parte; & Rituale Mechliniense à facultate Lovaniensi approbatum præscribit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficere inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, aut detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Rituale verò Parisiense sic habet: *Si non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis dicatur: Per istam sacri olei Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* Sed utut sit, certum est id non licere extra necessitatem.

Porrò non est absolutè necessarium, utrumque organum ejusdem sensus specificè sumpti, v. gr. uterque oculus ungatur (quamvis ob receptam consuetudinem id fieri debeat:) quia Unctio dicitur applicata alicui sensui, puta visui, cùm facta fuerit in parte corporis, in quo sensus ille residet.

Pro praxi observa. 1. Ex præcepto saltem quinque corporis partes inungi debent, quæ sunt sensuum organa, nempe oculi, aures, nares, os & manus, quibus secundùm usum communem & Rituale Romanum, adduntur pedes; licèt pedum unctio non sit essentialis; unde in quibusdam locis omittitur. *Renum verò unctio in mulieribus, honestatis gratia semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Ita Rituale Rom.

2. Si quis careat aliqua parte corporis ex iis, quæ inungi debent, *pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma.* Rituale Romanum. Ut si manibus careret ungenda esset pars brachii proxima. Quòd si omnino careret sensu aliquo, puta visu, debet tamen inungi secundum sensum illum cum forma ei respondente: quia potuit appetere actus malos, qui per sensum illum perficiuntur.

3. *Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, sacerdos ungit; caveat ne altero ipsorum inungendo, sacramenti formam prius absolvat, quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit.* Rit. Rom.

4. *Si dum inungitur infirmus decedat, Presbyter ultrà non procedat. Quod si dubitet an vivat adhuc, unctionem prosequatur sub conditione pronuntiando formam dicens: Si vivis, per istam sanctam unctionem, &c.* Rit. Rom.

5. *In pestiferis uti licebit virga oblonga, oleo uncta, quæ deinde com-*

„ ejusmodi quæstionem commemorare, „ sed dumtaxat injungendum esse parochis, „ ut formam adhibeant, in Rituali præ„ scriptam, quæ certè sine gravi flagitio, „ non potest privata authoritate immu„ tari.

comburatur, aut servanda purgetur, ait Manuale Camerac. (*a*)

Quæst. III. *Quis potest & debet ministrare hoc sacramentum?*

Resp. 1. Fide constat solum sacerdotem esse illius ministrum, ex Conc. Trid. sess. 14. can. 4. Validè autem conferri potest à quolibet sacerdote. Quia

(*a*) Quum de unctionibus, plura scitu digna, & necessaria habeantur, quæ in Authore nostro desunt, integrum Cap. 18. referimus: „ Sed quoniam in decreto Eugenii, „ pro instructione Armenorum, in hujusce „ Sacramenti administratione septem un„ ctiones fieri jubentur, videlicet: *In oculis* „ *propter usum, in auribus propter auditum,* „ *in naribus propter odoratum, in ore propter* „ *gustum, vel loquutionem, in manibus pro*„ *pter tactum, in pedibus propter gressum,* „ *in renibus propter delectationem ibidem vi*„ *gentem:* earumque singulis respondere „ debeat forma, tunc à Ministro pronun„ tianda, hoc est: *Per istam sanctam un*„ *ctionem: & suam piissimam misericordiam,* „ *indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* „ *deliquisti,* cum inunguntur oculi *quidquid* „ *per auditum deliquisti,* cum inunguntur „ aures, & sic deinceps, quemadmodum fuse „ exponitur in Rituali Romano, hinc alia „ gravis suboritur controversia; utrum om„ nes prædictæ unctiones, & formæ prola„ tiones sint de Sacramenti substantia, de qua „ controversia multa habentur in citata dis„ sertatione *de suprema Unctione* Benedicti „ de Gaetanis *cap.* 8.

„ Ultro Doctores omnes fatentur cum „ Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 2. „ *num.* 6. duas postremas unctiones, pedum „ scilicet, & renum, necessarias non esse „ ad validam Sacramenti confectionem: „ tum quia non sunt in usu apud omnes Ec„ clesias: tum quia illa renum, honestatis, „ & pudoris causa, semper omittitur in femi„ nis, & interdum etiam in viris, morbique „ languores, dimoveri nequeunt sine gravi „ incommodo, quod adnotatur à Rituali „ Romano, atque à Cardinali Sanctorio *in* „ *suo Rituali pag.* 325. Haud difficulter quo„ que iidem admittunt, ceteras quinque „ sensuum unctiones, necessarias esse, „ necessitate præcepti, sed dissentiunt, „ & disputant, num necessariæ sint, neces„ sitate Sacramenti. Antiquiores Scho„ lastici existimarunt, omnes pertine„ re ad substantiam, & integritatem Sa„ cramenti, quod ex singulis, tamquam „ ex suis partibus essentialibus constitui, at„ que integrari, sunt opinati. Ita *in* 4. „ *dist.* 23. docuerunt S. Bonaventura, Ri„ chardus, Paludanus, Sotus, quibus sub„ scripsere Bellarminus *in Extrem. Unct. lib.* „ *unic. cap.* 10. Gregorius de Valentia *tom.* „ 4. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 2. §. *Secundo* „ *asserimus.* Gonetus *tom.* 5. *pag.* 466. alii„ que plurimi, præcipue ex Theologis mo„ ralibus: Citatur pro hac sententia San„ ctus Thomas, sed Auctor Supplem. 3. „ *part. quæst.* 32. *art.* 6. exponens Angelici „ Præceptoris mentem, dubitanter loquitur „ inquiens: *Illa unctio ab omnibus observatur,* „ *quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessi*„ *tate Sacramenti,* & dubitanter quoque „ loquitur Suarez *citat. disput.* 40. *sect.* 3. „ *num.* 16. quamvis sequenti *disputat.* 41. „ *sect.* 2. *in fin.* videatur in sententiam pro„ pendere, tunc temporis fere communi„ ter à Scholasticis receptam.

„ 3. Alii ex adverso validum censent ex„ tremæ Unctionis Sacramentum, si vel „ una tantum inungatur corporis pars, unica „ prolata, mox referenda forma universa„ li, omnes sensus complectente; ita Sil„ vius *in supplem. quæst.* 32 *art.* 6. *quæst.* 2. „ Nicolaus Serarius *tractat. de Extrema*„ *unctione cap.* 7. Becanus *in Summ. Theo*„ *log. de Sacram, in specie cap.* 27. *quæst.* 7. „ Estius *in* 4. *dist.* 23. §. 15. Natalis Alexan„ der *Theolog. dogmat. & moral. tom.* 5. *lib.* „ 2. *cap.* 5. *regul.* 6. Juvenin. *cit. dissert.* 7. „ *quæst.* 3. *cap.* 2. Tournely *cit. quæst.* 2. „ *art.* 1. *in fin.* Vanroy *in sua Theolog mo*„ *ral. part.* 4. *tom.* 2. *de Sacram. tract. de* „ *Extrema Unct. quæst.* 3. Piette *quæst Theo*„ *log. part.* 6. *quæst.* 3. *vers. Dico septimò,* „ aliique recentiores passim. Huic opinioni „ validissimum fundamentum præbet, di„ versa, in unctionum numero disciplina, „ quam in diversis Ecclesiis, sua ætate vi„ guisse affirmat Albertus Magnus *in* 4. *dist.* „ 23. *art.* 16. inquiens: *Diversarum Eccle*„ *siarum, & Ordinum, diversus est usus, quia* „ *in quibusdam Ecclesiis unguntur loca plura,* „ *in quibusdam pauciora.* Atque, exordiendo „ ab Ecclesia Orientali, licet Græci, teste „ Arcudio *concord. lib.* 5. *cap.* 7. nunc in„ ungant frontem, mentum, ambas genas, „ pectus

Quia in tali ministerio jurisdictio non est essentialis sacramento, nec illius principium; sed est solùm conditio necessaria, ut licitè fiat. At licitè ministratur à solo pastore proprio, vel alio de ejus licentia: nam administratio sacramenti est officium pastoris, quod usurpare propria authoritate in materia gravi gravis culpa est; cùm id ei injuriosum fit, & repugnet recto regimini ac debito ordini. In casu tamen necessitatis, quo aliquis infirmus sine hoc sacramento moriturus esset: quilibet sacerdos potest & debet ex charitate illud ministrare: nam tunc Ecclesia hanc facultatem concedere censetur. Neque in Clement. 1. *de privileg.* ubi excommunicantur religiosi, qui sine licentia parochi illud sæcularibus conferunt, hic casus necessitatis

„ pectus, & pedes: attamen ineunte sæculo IX. tres tantum unctiones, ab iisdem fieri consuevisse asserit Theodulphus Aurelianus Episcopus, *Capitular.* 2. *apud Baluzium tom.* 7. *miscellan.* in Ecclesia vero Occidentali, invenimus quidem in S. Gregorii Sacramentario, edito à Menardo, præscriptas unctiones quinque sensuum; at in codice Abbatis Rotaldi, illis additas legimus, unctionem colli, pectoris & scapularum; in veteri Pontificali Prudentii, Episcopi Tricassini, imperatam insuper reperimus *unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet;* antiquus codex Turonensis, unctionem fieri mandat *in genibus quoque, & in cruribus, suris. pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, seu in loco, ubi plus dolor imminet;* quæ omnia videri possunt apud Morinum *in append. ad tract. de Pœnit. &* Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 8. *num.* 8. Tanta autem in unctionum numero difformitas, non fuisset singularum Ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earumdem numerum Sacramenti validitas exposceret.

„ 4. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant: Siquidem Pastorale Mechliniense, cujus non levis est auctoritas, tum quia ab Academia Lovaniensi, an. 1588. approbatum, tum quia ab Octavio Frangipanio, Episcopo Tricariensi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio Apostolico, ad Diœcesis quoque Coloniensis usum protractum, hæc de Extrema Unctione statuit: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum:* In antiquo codice Remigio Remensi à Sambovio laudato, legitur ritus *abbreviatus*, conferendi hujus Sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In Rituali Parisiensi, prolato à Tournely *cit. art.* 1. dicitur: *Si non possit super infirmum fieri, nisi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud sensuum organum, & cæteris precibus prætermissis, dicatur: Per istam sacri Olei unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus*, eamdemque praxim approbant Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque Ecclesiarum Manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.

„ 5. Sed quoniam neque de hac quæstione, quæ sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodiit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo, aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timet, ægrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronunciando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus. Quinimmo in prædicto eventu consultius esse, ut caput, è quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali, inungatur, non immerito advertit Coninch *de Sacram. disput* 19. *dub* 3. *num.* 2. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit, ut Episcopus simul serio eosdem admoneat, à gravis culpæ reatu non excusari, qui extra casum veræ necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus prætermittit.

cessitatis comprehenditur; alioqui esset in destructionem. (*a*)

Resp. 2. Parochus, item Superior regularium tenetur ex justitia sub mortali Extremam-Unctionem administrare per se vel per alium subditis suis. Quia tenetur ex officio fidelibus suæ curæ commissis ordinaria media salutis à Christo instituta, & in communi usu Ecclesiæ posita subministrare. Idque etiam cum vitæ periculo, si subditus pœnitentiam non receperit, nec possit recipere; quia fieri potest ut Extrema-Unctio ei tunc ad salutem necessaria sit, si nimirum habeat tantùm attritionem cum imperfecto Dei amore. *Qui autem peste affectus non est confessus, nec potest confiteri, pastor teneatur illi Extremam-Unctionem, etiam cum periculo vitæ dare,* ait Synodus Mamurcensis, ann. 1639. tit. 14. cap. 10.

Quæst. IV. *Quinam sunt effectus hujus sacramenti?*

Resp. Ex Jac. 5. & Conc. Trid sess. 14. c. 2. multiplex est. Primus ac præcipuus est gratia sanctificans, ut connotans gratias actuales ad alleviandum seu confortandum animam contra morbi molestias, & tentationes diaboli.

Secundus est abstersio reliquiarum peccati; quæ sunt non solùm pœnæ peccatis debitæ: sed etiam anxietates, infirmitates, torpor seu languor ad bonum, angor, & timor, quæ ex peccatis commissis contrahuntur. Plus autem aut minus abstergit pro dispositione recipientis.

Tertius est peccatorum tum mortalium, tum venialium remissio. Nam si quæ supersint remittenda, remittit etiam quoad culpam: venialia quidem primariò & per se, mortalia verò secundariò & per accidens in certis casibus. *Prob.* 1. Ex Jac. 5. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* 2. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Ubi delicta distinguuntur à reliquiis peccati, & supponuntur non sem-

(*a*) In citato Lib. VII. de Synodo c. 19. plura de hujus Sacramenti Ministro tractantur, ac statuitur. Primò, administrationem solis esse commissam Sacerdotibus; atque unum sufficere, ex definitione Alexandri III, *in cap. Quæsivit, de verb. signif.* Secundò, quamquam unus sufficit, tamen plures olim in Ecclesia Latina adhibitos fuisse, constare ex pluribus antiquis Ritualibus, ac neminem ambigere, quin etiam nunc ratum sit, si à pluribus Sacerdotibus simul administretur, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, ac quilibet congruentem unctioni formam pronunciet. Tertiò, etiam spectata hodierna Ecclesiæ disciplina, nedum licitum, sed valde laudabile esse, ut uni Sacramentum administranti, alii plures assistant Sacerdotes ob rationem, quam adducit S. Thomas *c. 75. lib. 4. contra Gent.* ubi ait, *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Quartò, refertur Græcorum consuetudo, qui septem efferunt Sacerdotes, ac si septem præsto non sint, tres, quæ quidem consuetudo ab Ecclesia non improbatur, dummodo Græci nobiscum credant sufficere unum Sacerdotem ad valide conferendum, ut videre est in ejusdem SS. D. N. Constitutione, quæ in vol. 1. Bullarii est num. 57. ubi habetur: *Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum servata debita materia, & forma valide, & licite confici ab uno Presbytero. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet, ac prætera qui ungit; idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.*

ſemper adeſſe in infirmo. 3. Ex forma ipſa, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti*, quæ importat remiſſionem peccatorum, etiam quoad culpam.

Non tamen ideo Extrema-Unctio eſt ſacramentum mortuorum, niſi ſecundariò, ſecundùm quid, & cum addito reſtringente ad certos caſus, in quibus ſolis remittit mortalia, nempe quando vel peccata non fuerint remiſſa per ſacramentum Pœnitentiæ propter occultum aliquem defectum; vel poſt confeſſionem commiſſa ſunt, ſed memoria exciderunt; vel homo propter privationem uſus rationis & ſenſuum, factus eſt incapax confeſſionis, nec antea habuit contritionem perfectam, ſed tantùm attritionem cum Dei amore imperfecto. Enimverò ex inſtitutione Chriſti ad remiſſionem mortalium Pœnitentiæ ſacramentum præmitti debet Extremæ Unctioni, ſi poſſit; quòd ſi non poſſit, elicienda eſt contritio perfecta: Sed quia hæc difficilis eſt, & non raro abeſt, utriusque defectum ſupplet Extrema-Unctio: modò adſit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in ſacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet, quanti ſit momenti Extremam Unctionem recipere, cum illius ope ſalvari poſſit, qui alioqui fuiſſet damnatus, ut docet S. Carolus, in inſtruct. de hoc ſacramento.

4. Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, confert. Conc. Trid. loco cit. quod etiam intellige ſecundùm divinam providentiam, ſecundùm quam non ſemper expedit turbari naturalem rerum ordinem, & cauſarum naturalium exigentiam fruſtrari. Quare hunc effectum impediunt, qui hoc Sacramentum non percipiunt, niſi cùm morbus ita invaluit, ut jam ſine miraculo ſanari nequeat.

Quæſt. V. *Quænam ad recipiendum validè & cum fructu hoc ſacramentum requiruntur?*

Reſp. Sufficit in homine juſto generalis illa voluntas recipiendi, qua unuſquisque pœnitens, & bene diſpoſitus vult frui omnibus remediis ad ſalutem ſuam neceſſariis vel utilibus à Chriſto inſtitutis, quamdiu ſcilicet non eſt retractata. Conſtat ex Rituali Rom. & praxi Eccleſiæ illud conferentis improviſo aliquo morbo oppreſſis, & ſenſuum ac rationis uſu deſtitutis. Hanc autem voluntatem habere omnes Chriſtiani præſumuntur. Ut tamen omnium venialium remiſſionem obtineat, requiritur ſaltem depoſitio affectus ad illa. Sed quia nemo ſcit, an ſit in ſtatu gratiæ, & multa peccata occulta ex ignorantia aut inadvertentia culpabili committuntur, elicienda eſt ab omnibus contritio quam poteſt perfectiſſima.

Adde, quòd ab homine rationis compote recipi debet magna cum fide, fiducia, humilitate, conformitate cum voluntate divina, reverentia.

Homo verò ſibi mortalis culpæ conſcius, præter voluntatem recipiendi ſacramentum ſaltem illam generalem & habitualem, præmittere debet confeſſionem, ſi poteſt; vel ſi non poteſt, contritionem perfectam. *In quo illud in primis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramenta infirmis præbeantur*, ait Rit. Rom. (a)

Quæſt.

(a) Vide hac de re cap. 23. de Synodo &c. in quo de Ordine agitur, quo Extrema-Unctio infirmis ſit adminiſtranda, & de reiteratione adminiſtrationis ejusdem Sacramenti.

Quæst. VI. *Quibusnam potest & debet conferri Extrema Unctio?*

Resp. Iis solis, qui versantur in mortis periculo orto ex aliqua corporis infirmitate. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis, &c.* Ex Concil. Florent. & Trident, sess. 14. cap. 3. Item iis solis, qui habuerunt aliquando usum rationis, ita ut dari non possit nec debeat infantibus, & perpetuò amentibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ. Quia in illis locum habere non potest forma hujus sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; cùm fuerint incapaces peccati personalis. Et quia cùm hoc sacramentum sit consummativum pœnitentiæ, supponit eum cui confertur, esse capacem pœnitentiæ, tentationum & peccatorum actualium: in remedium enim horum institutum est. Hinc Rituale Rom. ait: *Debet hoc sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate* (cùm hæc sit gravis infirmitas) . . . *impœnitentibus vero, & qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis pœnitùs denegetur. Non ministretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.* At dari debet vulneratis lethaliter, aut iis qui potarunt venenum, nam hi habent intra se caussam proximam mortis, & sunt infirmi revera, undecumque infirmitas orta sit.

Observa 1. Non est expectandum, donec infirmus sit morti proximus: sed dari debet Extrema-Unctio, dum adhuc ratione utitur, ut majore cum reverentia & utilitate recipiatur; unde Catechism. Roman. dicit, parochos peccare mortaliter, dum eam differunt, donec infirmus privetur usu sensuum & rationis, quamvis supposita dilatione teneantur dare infirmis usu rationis destitutis.

2. Debet dari infirmis petere non valentibus ob privationem usus sensuum vel rationis. Quia sufficit habitualis

cramenti. Et ad Ordinem, quod spectat, apud veteres, *inquit*, aliquando consuetudinem fuisse, ut post pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, Extrema prius Unctio, & deinde sacra communio exhiberetur, ut ex antiquis Ritualibus constat: postea tamen ex generali consuetudine, quæ, & hodie universim in latina, & occidentali Ecclesia viget, factum esse, ut prius sacra communio, postmodum vero Extremæ-Unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Addit verò, nonnulla Ritualia permittere, ut extrema-Unctio ante Viaticum conferatur, si ægrotus, ex pio desiderio, se melius ad Eucharistiam præparandi, ita secum fieri expostulet; „ Sed quamquam hanc „ permissionem, *inquit*, non improbe„ mus . . . . , nihilominus in locis, in „ quibus hic mos obsolevit, vigetque „ disciplina à Concilii Tridentini Catechi„ smo præscripta, non facile permitteremus „ ab hac recedi solum ad indulgendum pri„ vatæ, & peculiari infirmi devotioni, sed „ potius Parochis injungeremus, ut extre„ mam Unctionem petentibus, ante Via„ ticum, suaderent, tutius, & utilius fore, „ Ecclesiæ Romanæ ritui, ac usui, à majori „ parte Ecclesiæ Catholicæ jam recepto, se „ accommodare.

Quod spectat ad reiterationem, decernit, pluries in diversis infirmitatibus ab eodem, rite suscipi, ac administrari debere; in eadem verò infirmitate, non esse reiterandum, nisi forte infirmitate remissa, iterum deinceps ingravescat, ac novum vitæ periculum accedat: imò Parochos monet, ne nimium scrupulose in hoc se gerant; sed si dubitent, an revera morbi status sit mutatus, seu nunc idem, vel diversum sit vitæ periculum, in quo ægrotus versetur, ut ad Sacramenti iterationem propendant, eo quod hæc iteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, & per eam novum spirituale subsidium, & levamen infirmo obveniat.

bitualis voluntas generalis recipiendi media salutis à Christo instituta, quam habent christiani, dum alia sacramenta suscipiunt, vel actus amoris aut spei eliciunt. Nam talis voluntas est voluntas implicita recipiendi hoc sacramentum, & tunc præsumendi sunt contriti, vel saltem attriti, nisi oppositum constet.

3. Extrema-Unctio, cùm non imprimat characterem, iterari potest & debet in diversis morbis periculosis, non tamen in eodem nisi infirmus convaluerit, & postea in novum periculum mortis relabatur. Concil. Trid. cap, cit. & Rituale Romanum. (*a*)

Quæst. VII. *An est obligatio recipiendi hoc Sacramentum?*

Resp. Constat esse grave peccatum, si omittatur cum scandalo aliorum, vel ex contemptu. *Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.* Conc. Trid. sess. 14. c. 3. Sed controversia est de præcepto præsertim divino, illud recipiendi. Hoc multi negant; at non pauci cum Toleto affirmant, & probant. 1. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* Quæ vox videtur præceptum sonare, & Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ex iis verbis infert, hanc unctionem mandatum Dei & promissionem gratiæ habere. 2. Ex Concil. Cabilon II. c. 48. *Secundùm beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi, oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Vox *debent* non exprimit merum consilium. Et ex Concil. Colonienf. anno 1536. *est autem Unctio impendenda cum expositione mandati apostolici,* 3. Ex praxi Ecclesiæ, quæ summa sollicitudine semper curavit & curat, ut ab omnibus infirmis suscipiatur. Item ex fidelium consuetudine & sensu: nam magnum scandalum paterentur, si viderent aliquem hoc sacramentum recusare; quod certè non fieret, si nullam obligationem illius recipiendi agnoscerent. 4. Quia est contra curam debitam salutis propriæ omittere sine justa causa medium per se certum & ordinarium, & *præsidium firmissimum* (ut ait Conc. Trid) à Christo institutum ad roborandum contra diaboli tentationes, quæ graviores sunt sub finem vitæ, ut idem docet, & ad liberandam animam æternæ damnationis periculo, in quo tunc maximè versatur.

TRA-

(*a*) De subjecto Extremæ-Unctionis tria capita habentur in cit. lib. VII. de Synodo; in primo, quod ordine est 20. statuitur, solos infirmos esse hujus Sacramenti capaces. „ Quod quidem licet clarè, & „ expressè non à Conciliis definitum, ex „ eorumdem tamen definitionibus legiti„ mè infertur: quoniam, Eugenius IV. de„ finiens, *nisi infirmis de quorum morte* „ *timetur dari non debere*, sanos profe„ cto exclusit . . . . Et idem, quod Eu„ genius, sibi voluit Tridentinum, cum di„ xit, esse hanc Unctionem, infirmis ad„ dendam. „ Quamobrem, jure atque merito gravis erroris insimulari, conclu dit, Græcos, si sanos sacro ungendos oleo, hujusmodi Sacramentum conficere contendunt, ac monet Episcopos, ut severe interdicant, ne Græci, si qui sint in eorum diœcesibus, eam Unctionem loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentibus injungant, quod Constitut. 57. §. 5. vetitum sit, hujusmodi verbis: *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios pro satisfactione pœnitentiæ Unctio aliqua solummodo injungatur, infirmis verò, juxta verbum Jacobi Apostoli, Unctio exhibeatur Extrema.* In duabus sequentibus capit. ea confirmat, & fusius probat, quæ sunt à nostro Authore explicata; monet verò Episcopos, ut ex nonnullorum rudium hominum mente errorem evellere studeant, quo credunt, actum esse de vita illius, qui sit Sancto Oleo inunctus, ac solum ei superesse sepulchrum; quod inter cæteros, quos Sacra Unctio producit effectus, conferat etiam corporis valetudinem, si hæc conferat ad animæ salutem.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

EX SPECULATIVA.

ORDO dupliciter sumitur: 1. pro gradu, seu statu Clericorum ad certa officia Ecclesiastica consecratorum; & sic sumptus, est quid permanens. 2. Pro ipsa Ordinatione, seu actione, qua homines in illo gradu, seu statu Clericorum constituuntur, & ad officia illa Ecclesiastica stabiliter consecrantur. Ordo sic desumptus, est aliqua actio transiens.

Ordinatio rectè describitur cæremonia sacra, qua stabiliter confertur potestas ad exercenda certa ministeria Ecclesiastica. Ordinatio autem spectata ut Sacramentum rectè definitur: Sacramentum novæ legis, quo stabiliter confertur potestas ad conficiendum Eucharistiam & alia Sacramenta, atque ad alia Ecclesiastica ministeria exercenda. Ordo verò est hujusmodi potestas stabiliter collata.

QUÆSTIO I.

Quot sunt Ordines?

DIco. In Ecclesia sunt septem Ordines, & ab initio fuerunt, videlicet Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii.

Constat ex Conc. Trid. sess. 23. c. 2. ubi ait: *Non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt . . . & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.* Enim verò Ignatius martyr horum Ordinum ut jam in Ecclesia primo sæculo usurpatorum, exceptis Acolythis, qui apud Orientales distincti non erant à Lectoribus, quorum proinde nomine comprehenduntur, meminit in sua ad Antiochenses epist. anno circiter 109. scripta, ubi ait: *Saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* Hos autem omnes septem Ordines, ut jam in Ecclesia Romana antiquitus usitatos enumerat Cornelius Papa circa ann. 250. in epist. ad Fabium Antiochenum, in qua hæc contra Novatianum anti-Papam ait: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica; in qua tamen sciebat . . . Presbyteros quidem esse quatuor & quadraginta; septem autem*

Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos. Eosdem quoque omnes recenset sæculo quarto Conc. Carthag. IV. multis canonibus : sæculo sexto S. Greg. in l. de Sacram. sæculo octavo Ordo Romanus. De posterioribus sæculis ne hæretici quidem dubitant.

Porro ex illis Ordinibus tres priores dicuntur tum majores, quia majorem potestatem conferunt, & hominem in altiori gradu constituunt : tum sacri, quia annexum habent castitatis votum. Quatuor posteriores vocantur minores & non sacri ; quia hominem in minori gradu potestatis constituunt, nec annexum habent castitatis votum, quo homo Deo specialiter consecratur.

Obj. 1. Dionys. Areop. lib. de Eccles. Hierar. c. 5. & Hieronymus, in c. 11. Isaiæ, tres tantùm recensent Ordines Ecclesiasticos nempe Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum.

Resp. Ideo tres tantùm illos Ordines ibi referunt, quia sufficiebant ad suum propositum, nec intendebant omnes Ecclesiasticos Ordines enumerare. Nam Dionysius, si tamen Dionysius est, intendebat tantùm referre numerum Hierarchiarum Ecclesiæ militantis : quæ tres sunt, nimirum Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Diaconi enim præsunt etiam plebi sub Episcopis & Presbyteris, ut docet Hieronymus, in c. 2. epist. ad Titum, & ante ipsum Ignatius, in epist. ad Trallianos.

Porro Hieron. alibi alios Ordines Ecclesiasticos commemorat ; Subdiaconos quidem, ep. 91. Acolythos & Lectores, ep. 2. Exorcistas denique & Ostiarios, quos æditnos appellat, in Comment. in c. 2. epist. ad Titum.

Obj. 2. Ignatius martyr, epist. ad Antiochenos, Concil. Laodicenum, & Epiphanius non ponunt Acolythos inter Ordines Ecclesiasticos. Præterea officia Acolythi, Lectoris, & Ostiarii sæpissimè à Laicis exercentur : ergo non sunt Ordines Ecclesiastici.

Resp. ad 1. Inde sequitur tantùm Acolythorum Ordinem non fuisse in Orientali Ecclesia, vel potiùs Acolythos in Orientali Ecclesia non fuisse distinctos à Lectoribus, qui Acolythorum munere fungebantur. At semper fuit in Ecclesia Occidentali Acolythi Ordo, & quidem ab aliis omnibus distinctus.

Resp. ad 2. Officia trium illorum Ordinum convenientiùs ab Ordinatis Clericis quàm à Laicis exercentur : quod sufficit, ut detur specialis Ordinatio ad illa ritè obeunda.

Obj. 3. Episcopatus est Ordo distinctus à Presbyteratu. Item prima tonsura, c. *Cum contingat*, de ætate præficiendorum, vocatur Ordo Clericalis. Ergo plures sunt Ordines quàm septem.

Resp. ad 1. Sacerdotium in assertione nostra genericè sumitur, nempe ut complectens Presbyteratum, & Episcopatum : qui sunt duæ species Sacerdotii, quarum ultima nempe Episcopatus adæquatè sumpta includit primam, non vicissim. Et idcirco Episcopatus non numeratur ut Ordo distinctus & specialis à Sacerdotali Ordine.

Resp. ad 2. Ordo ibi non sumitur propriè pro gradu scilicet Ecclesiastico, sed pro statu Clericali, in quo homo per tonsuram constituitur, & sic per eam distinguitur à Laico, & beneficiorum Ecclesiasticorum capax fit.

Obj. 4. Ignatius, epist. citata, inter Ordines Ecclesiasticos recenset cantores, & laborantes seu fossarios, quorum officium erat mortuos sepelire. Idem de laborantibus asserit Epiphanius.

Resp. Duplex est responsio : alii volunt à Patribus illis cum Ordinibus Ecclesiasticis commemorari cantores & fossores, ut mera officia, non ut Ordines. Sic Ignatius post Ordinatos nominat Confessores & Virgines, quia non

non intendebat solos Ordines commemorare. Alii censent cantores, & laborantes, seu fossores fuisse Ordines Ecclesiasticos in Orientali Ecclesia, non tamen in Occidentali: ideoque plures olim fuisse quàm septem Ordines apud Orientales, non autem apud Occidentales.

Porro consecratio Diaconissarum, de qua loquitur Concilium Epaomense, can. 20. fuit mera benedictio, nec fuit unquam Ordo Ecclesiasticus in Ecclesia Occidentali; quamvis hunc fuisse in Orientali doceant aliqui. Jam verò in Orientali Ecclesia à multis sæculis esse desierunt non solùm Diaconissæ, sed etiam cantorum & laborantium, imò & Exorcistarum atque Ostiariorum Ordines, ut patet ex Græcorum Euchologiis, in quibus nihil de horum omnium Ordinatione seu consecratione traditur.

QUÆSTIO II.

Quænam sint singulorum Ordinum officia?

DIco 1. Ex Pontificali Romano quinque sunt officia Presbyteri, nimirum *offerre* Sacrificium; *benedicere* populum, & alia quæ non exigunt benedictionem Episcopalem; sub Episcopo *præesse*, id est, Ecclesiam regere: *prædicare*, & *baptizare*; & Fideles absolvere. Quæ quidem Officia exercere non possunt Presbyteri nisi cum dependentia ab Episcopo.

Dico 2. Ex Pontificali Romano *Diaconum oportet ministrare ad altare, Baptizare, & Prædicare.* Diaconi igitur officia, ad quæ immediatè ordinatur, sunt, ut Sacerdoti in Sacrificio Missæ ministret, eumque in aliis divinis officiis adjuvet, & ex ejus commissione (accedente Episcopi licentia) prædicet, & in necessitate, vel ob gravem causam cum Episcopi licentia baptizet etiam solemniter. Quòd autem Evangelium solemniter canat in Missa, hoc provenit à determinatione Ecclesiæ, quæ ejusmodi cæremonias instituit.

Præterea Diaconi in veteri Ecclesia Eucharistiam deferebant & præbebant Laicis in absentia Sacerdotum; & pœnitentes publicos in absentia Episcopi & Presbyteri reconciliabant Ecclesiæ. Item bona Ecclesiastica administrabant, & eleemosynas dispensabant.

Dico 3. Ex Pontificali Romano, *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris præparare; Diacono ministrare; Pallas altaris & Corporalia abluere; Calicem & Patenam in usum Sacrificii eidem offerre;* Item Panem consecrandum in ea quantitate, quæ ad populum communicandum sufficiat in altari collocare, & epistolam solemniter canere cum Manipulo. Quare Subdiaconus ordinatur, ut Diacono, in iis quæ ad Sacrificium pertinent, ministret.

Dico 4. Acolythi officia sunt, *Ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.* Ita Pontif. Romanum. Ex eodem Pontificali Exorcistæ officia sunt, *abjicere dæmones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum* (aliis scilicet communicare volentibus) *& aquam in ministerio baptismi fundere.* Sed nunc exorcismi Ecclesiæ super Energumenos non leguntur nisi à Sacerdotibus.

Lectoris officia sunt, *Legere ea, quæ prædicat; & Lectiones cantare; & benedicere Panes, & omnes fructus novos.* Ita Pontificale Romanum. Sed hæc officia, quæ sine solemnitate & extra tempus Sacrificii olim à Lectoribus exercebantur, jam pridem ab illis non ampliùs exercentur.

Ostiarii denique officia ex eodem Pontificali sunt, *percutere Cymbalum & Campanam; aperire Ecclesiam,*

& sa-

& sacrarium; & Librum aperire ei qui prædicat.

QUÆSTIO III.

Utrùm Ordo, seu Ordinatio sit Sacramentum?

DIco 1. Ordo, seu Ordinatio saltem aliqua est Sacramentum. Est de fide contra Lutherum & alios hæreticos.

Prob. 1. Ex Scriptura, 2. Tim. c. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quæ verba significant Timotheum ordinatum fuisse certo quodam ritu sensibili, (nempe impositione manuum, conjuncta scilicet, cum certis verbis sacris) & gratiæ collativo, ideoque à Christo instituto, & quidem in Ecclesia semper duraturo, ut constat ex eod. Apostolo, 1. Timoth. c. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Ex quibus colligitur Timotheum habere potestatem ordinandi deinceps alios, ideoque aliis Episcopis eandem potestatem competere. Atqui ritus externus, gratiæ collativus, & à Christo permanenter institutus, est verum Sacramentum. Ergo Ordinatio aliqua est Sacramentum.

2. Ex Traditione Patrum apud Bellarminum. Pro omnibus sit S. Augustinus, l. 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 13. ubi contra Donatistas probat Sacramentum Ordinis semel acceptum amitti non posse, quia Baptismus amitti nequit, propter characterem scilicet utriusque indelebilem, & potestatem per illum acceptam, sic enim ait: *Ipsi explicent, quomodo Sacramentum Baptizati non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti.... Si enim utrumque Sacramentum est quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.*

3. Ex Conciliis Chalced. act. 15. can. 2. ubi Episcopus, qui propter pecuniam ordinat, *dicitur non venalem gratiam in venditionem deducere.* Florent. in decreto pro Armenis, & Trid. sess. 23. can. 3. *si quis dixerit, Ordinem sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum .... Anathema sit.*

Dico 2. Ordinatio Sacerdotis est verè & propriè Sacramentum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Trident. sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum-sanctum; aut per eam non imprimi Characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; Anathema sit.* 2. Quia est de fide aliquam Ordinationem esse Sacramentum. At nulla est in particulari, cui id magis competat; cum per Sacerdotis Ordinationem conferatur potestas maxima & supernaturalis, nempe potestas consecrandi Eucharistiam, & Pœnitentes subditos absolvendi à peccatis: idque maximè conveniens fuit, ut nempe tanta potestas daretur per Sacramentum collativum gratiæ sanctificantis cum jure ad specialia auxilia conjunctæ, & sic homo tanto ministerio dignè fungi possit.

De utraque hac assertione consentiunt Doctores omnes Catholici: sed inter se dissident de aliis Ordinationibus.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Ordinatio Episcopi sit Sacramentum?

DIco. Ordinatio Episcopi est verè ac propriè Sacramentum.

Prob. 1. Ex Scriptura, 1. Tim. c. 4. *Noli*

Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Quibus verbis significatur Ordinatio Episcopalis, ut consentiunt Interpretes. Atqui Ordinatio his verbis expressa est verum Sacramentum; nam est cæremonia externa, gratia collativa, ideoque à Christo instituta. 1. Est cæremonia externa, nempe impositio manuum cum certa verborum forma, quæ significatur nomine Prophetiæ, nam Prophetiæ nomen in Scriptura significat non solùm prædictionem rei futuræ, sed etiam quemlibet sermonem à Deo traditum, imò & Mysteriorum Divinorum explicationem, atque miraculorum patrationem. 2. Hæc cæremonia confert gratiam, ut patet ex verbis allatis. Ergo &c.

2. Ex Patribus. Pro omnibus sint S. Ambrosius, l. de dignitate Sacerdotali, c. 5. ubi ait: *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? . . . Deus; sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam . . . Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem* Et S. Leo epist. 87. *Dicente Apostolo, ut inter alias electionis regulas is Episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, ut etiam, &c. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam, Bigamum, ordinando Episcopum?*

3. Ex Concil. Trident. sess. 23. can. 2. ubi generaliter definit Episcopos ordinando non frustra dicere, *accipe Spiritum-sanctum.* Ergo in omni Ordinatione, in qua Episcopus ordinans dicit, *accipe Spiritum-sanctum,* revera Spiritum-sanctum dat: ac proinde omnis ordinatio, in qua Episcopus hæc verba profert, est Sacramentum; nam nulla cæremonia externa, nisi sit Sacramentum, conferre potest Spiritum-sanctum, nempe gratiam sanctificantem. Atqui Episcopus in Ordinatione Episcopi dicitur: *accipe Spiritum-sanctum.* Ergo Ordinatio Episcopi est Sacramentum.

Ratio est, quia Ordinatio Episcopalis dat potestatem conficiendi Sacramenta, nempe Ordinationem Sacerdotis, & Confirmationem, quæ sine statu gratiæ licitè & dignè conferri non possunt. Ergo exigit, ut per eam conferatur Ordinato gratia sanctificans cum jure ad gratias actuales ad potestatem acceptam dignè & licitè exercendam: ac proinde debet esse Sacramentum.

Obj. 1. Si ordinatio Episcopalis esset Sacramentum, Ordines essent plures quàm septem: nam Episcopatus est Ordo novus, distinctus à Presbyteratu. Falsum conf. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Non inde sequitur plures esse Ordines eo scilicet sensu, in quo dicuntur septem esse Ordines. Nam Ordines sumuntur ab habitudine, quam habent ad Eucharistiam, & dicuntur esse tantùm septem relatè ad illam conficiendam, ut constat ex Conc. Trident. relatè enim ad Eucharistiam, unum est genericè Sacerdotium, consistens præcisè in potestate conficiendi Eucharistiam. Sacerdotium autem sic sumptum dividitur in duas species, quarum una includit aliam, sed non vicissim, nempe in Sacerdotium majus quod est Episcopatus, & Sacerdotium minus quod est Presbyteratus. Nam potestas conficiendi Eucharistiam alia est conjuncta cum potestate communicandi aliis eandem potestatem: alia verò non est cum tali potestate conjuncta, sed est simplex potestas conficiendi Eucharistiam, & quidem cum dependentia à majore quoad usum.

Quare Ordo Sacerdotii genericè sumpti, ut sumitur, cùm septem tantùm Ordines numerantur, dividi potest in duos

duos Ordines seu gradus, quorum superior est Episcopatus, & inferior est Presbyteratus: & sic sunt octo Ordines, quorum duo primi continentur sub eodem genere, nempe sub Sacerdotio, quod relatè ad Eucharistiam est supremus Ordo, cùm relatè ad Eucharistiam non possit esse potestas major & excellentior potestate illam conficiendi, & dandi potestatem eandem conficiendi.

Obj. 2. Ergo erunt plusquam septem Sacramenta.

Resp. Disting. Sacramenta erunt plusquam septem in specie infima, *conc.* in specie superiori, *neg.* sunt septem Sacramenta in specie, id est, sunt septem species Sacramentorum. Unde Ordo est species Sacramenti, diversæ autem Ordinationes sunt diversæ Ordinis species infimæ.

Obj. 3. Episcopalis Ordinatio non confert potestatem consecrandi Eucharistiam: ergo non est Sacramentum.

Resp. Nego conseq. Nam confert potestatem dandi, potestatem conficiendi Eucharistiam, & confert etiam potestatem Chrisma conficiendi & confirmandi. Supponit etiam essentialiter potestatem conficiendi Eucharistiam. Nam Episcopatus quoad Ordinem spectatus, essentialiter includit Sacerdotium, seu potestatem consecrandi Eucharistiam; cùm Episcopatus nihil aliud sit quàm summum Sacerdotium, Episcopus enim est summus Sacerdos, ut docent Patres. Quare Episcopatus includit essentialiter tum potestatem conficiendi Eucharistiam, tum potestatem communicandi per Ordinationem aliis potestatem illam conficiendi, tum potestatem Chrisma conficiendi & confirmandi.

Obj. 4. Si Episcopatus est Sacramentum, certè characterem imprimit. Jam verò vel hic character est perfectior charactere Presbyterali, vel non. Neutrum dici potest. Ergo.

Resp. Nego min. Et dico characterem Episcopalem adæquatè sumptum esse perfectiorem & majorem extensivè Presbyterali: nam character Episcopalis adæquatè sumptus est complexum ex duplici charactere, quorum unus imprimitur per Ordinationem Presbyteri, alter per Ordinationem Episcopi: unde ad plura extenditur. Character autem Episcopalis inadæquatè sumptus, nempe pro charactere partiali per Ordinationem Episcopi impresso, est adhuc extensivè major ac perfectior charactere Presbyterali; qui ad plures effectus extenditur, & plures potestates constituit aut saltem significat: sed est minor & minùs perfectus intensivè, ut docet Bellarminus; quia character Presbyteralis est potestas conficiendi Eucharistiam, vel saltem signum hujus potestatis, quæ est inter omnes Ordinis potestates excellentissima.

Obj. 5. Si Episcopatus esset Sacramentum: posset Ordinari Episcopus, qui non esset Presbyter. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia Ordinatio Episcopi essentialiter præsupponit Ordinationem Presbyteri. Nam Ordinatio Episcopi est ea, qua quis ex Sacerdote simplici fit summus Sacerdos; & potestas communicandi aliis potestatem conficiendi Eucharistiam, per se & essentialiter præsupponit ipsam potestatem conficiendi Eucharistiam. Unde unum Sacramentum Ordinis pendet ab alio.

Inst. Qui non est Diaconus, potest validè ordinari Presbyter. Ergo à pari qui non est Presbyter, potest validè ordinari Episcopus.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quòd Diaconatus non sit pars essentialis Presbyteratus, sicut Presbyteratus est essentialis pars Episcopatus. Nam Presbyteratus Diaconatum non continet formaliter, seu secundùm se

& tanquam sui partem priorem, sed tantùm eminenter & virtualiter: Episcopatus verò Presbyteratum continet formaliter & tanquam sui partem. Unde potest quis Ordinari validè Presbyter, qui non sit Diaconus, quamvis carens Presbyteratu non possit Ordinari Episcopus.

Porro potest quis eodem tempore, sed successivè & per duas Ordinationes distinctas ordinari Presbyter & Episcopus. At nemo potest per unam eandemque Ordinationem Episcopalem fieri Sacerdos & Episcopus; quia Ordinatio Episcopalis & Ordinatio Presbyteralis sunt duo Sacramenta distincta, quæ proinde effectus distinctos producunt.

Obj. 6. Ordo Episcopalis non numeratur tanquam distinctus ab Ordine Presbyterali: ergo non est novum Sacramentum distinctum.

Resp. Nego conseq. Nam ideo non numeratur tanquam Ordo distinctus, quia Sacerdotalem Ordinem essentialiter includit; & Ordo Episcopalis adæquatè sumptus distinguitur tantùm inadæquatè ab Ordine Sacerdotali.

QUÆSTIO V.

Utrùm Ordinatio Diaconi sit Sacramentum?

DIco. Ordinatio Diaconi est verè ac propriè Sacramentum. Ita Theologi communiter contra Durandum & Cajetanum, quorum opinio à multis censetur temeraria.

Prob. 1. Quia, Act. c. 6. Diaconi Ordinantur ab Apostolis per manus impositionem, ideoque eadem cæremonia qua Episcopi & Presbyteri, & quidem adhibita certa oratione, seu verborum forma quæ dicitur oratio, quia est virtualiter deprecativa, quamvis sit formaliter indicativa. Constat ex his verbis: *Et orantes* (Apostoli) *imposuerunt eis manus.* 2. Ex Concil. Trident. sess. 23. can. 4. generaliter definiente: Episcopum in Ordinatione non dicere frustra, *accipe Spiritum-sanctum.* Ergo in omni Ordinatione, in qua Episcopi hæc verba proferunt, dant Spiritum-sanctum, alioqui ea frustra proferrent. Atqui Episcopi in Ordinatione Diaconi dicunt, *accipe Spiritum-sanctum*: ergo revera in Ordinatione Diaconi conferunt Spiritum-sanctum. Ergo Ordinatio Diaconi est Sacramentum: nam quælibet cæremonia sacra, qua confertur Spiritus-sanctus, nempe gratia sanctificans, est Sacramentum. Item in Ecclesia Græca eodem planè modo Diaconus ordinatur, quo Presbyter & Episcopus, mutata tantùm voce Presbyteri & Episcopi in vocem Diaconi. Nam Episcopus Diaconum ordinat, imponendo manum capiti Ordinandi, & dicendo: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Reverendum Subdiaconum in Diaconum.* Quæ verba non proferuntur in Ordinatione Subdiaconi, neque in collatione omnium Ordinum minorum. 3. Quia idem Conc. sess. 23. can. 6. dicit anathema iis, qui dicunt, *In Ecclesia Catholica non esse hierarchiam, divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris.* Qua postrema voce intelliguntur saltem Diaconi. Ergo Diaconatus à Deo institutus est: ergo etiam cæremonia qua confertur Diaconatus, instituta est à Christo: sicut cæremonia, qua Presbyteratus & Episcopatus conferuntur, instituta fuit à Christo, quia Christus Presbyteratum & Episcopatum instituit. Ergo, &c. 4. Quia Anastasius Papa II. in epist. ad Anastasium Imperatorem asserit in Presbyterorum & Diaconorum Ordinatione gratiam conferri, & utramque Ordinationem Sacramentum

vocat. Ratio est, quia Diaconus ordinatur, ut proximè ministret Sacerdoti in Sacrificio Missæ, & ex ejus commissione ac licentia Episcopi baptizet, prædicet, & Eucharistiam præbeat in necessitate aut ex gravi & justa causa aliqua urgente. Ergo maximè conveniens fuit, ut Diaconus in Ordinatione sua acciperet gratiam sanctificantem cum jure ad specialia auxilia, ut hæc omnia munia dignè obiret. Porro Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, licèt singuli sint Sacramenta; tamen unum moraliter Sacramentum Ordinis constituunt, propter communem habitudinem, quam habent ad Eucharistiam.

Obj. 1. Diaconatus institutus fuit ab Apostolis, Act. c.6. & quidem solùm ad ministerium corporale pauperum & viduarum, ergo non est Sacramentum.

Resp. Nego ant. Sed Apostoli supposita jam institutione Christi primos Diaconos ordinarunt ex occasione quidem ministerii corporalis, & curæ pauperum ac viduarum, non tamen ad hoc munus tantùm, sed præcipuè ad ministerium spirituale. Nam 1. Diaconi ab Apostolis instituti leguntur prædicasse & baptizasse: sic, Act. c.8. refertur Philippum unum ex primis Diaconis in Judæa prædicasse & baptizasse. 2. Tempore Apostolorum erant Diaconi Philippis, Ephesi, & in Creta, ut patet ex epistolis Pauli ad Tim. & Titum, & tamen in illis locis non vivebant Christiani in communi, ut opus esset ministerio mensarum. 3. Prioribus Ecclesiæ sæculis Diaconi erant ministri altaris & Sacramentorum, ut constat ex Justino, Tertull. & aliis antiquis auctoribus.

Obj. 2. S. Damasus Papa, ep.5. dicit duos tantùm Ordines à Christo institutos fuisse, unum scilicet Episcoporum, & alterum Presbyterorum.

Resp. Solum vult duos esse tantùm Sacerdotum Ordines, nempe majorum seu Episcoporum, qui succedunt Apostolis, & minorum seu simplicium Sacerdotum, qui septuaginta Discipulis succedunt. Idque dicit contra Chorepiscopos, qui supra simplices Sacerdotes sese extollebant & multa Episcopalia munia sibi vindicabant, quasi essent medii cujusdam Ordinis inter Episcopos & simplices Presbyteros. Chorepiscopi enim olim dicebantur simplices Sacerdotes, qui præficiebantur Ecclesiis quorumdam notabilium oppidorum; & ideo major illis quàm cæteris Presbyteris concedebatur ab Episcopis jurisdictio. Unde volebant se medium quemdam Ordinem inter Episcopos & simplices Sacerdotes constituere: & ideo hic redarguuntur à S. Damaso.

Erat tamen, ut docet Bellarminus, etiam aliud genus Chorepiscoporum, qui erant veri Episcopi, sed in aliena Diœcesi morabantur, ut nunc in Germania Suffraganei. De his solis loquitur Conc. Antiochenum, dum, can.10. dicit à Chorepiscopis ordinari posse Subdiaconos. Sed contra alios agebat Damasus.

Obj. 3. S. Cyprianum, epist. 38.

Resp. Ibi solùm vult Christum nullos Diaconos ordinasse, sicut ordinavit Episcopos & Presbyteros, sed inde non sequitur Diaconatum à Christo institutum non fuisse: sicut ex eo quòd Christus nulli Confirmationem & Extremam-Unctionem contulerit, minimè sequitur eas à Christo institutas non fuisse.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Ordinatio Subdiaconi, & Minorum Ordinum sit Sacramentum.

DIco 1. Probabile est, Ordinationem Subdiaconi esse Sacramentum.

Prob. 1. Quia ita sentiunt Theologi communiter, paucis exceptis. 2. Quia Conc.

Conc. Florent. dicit Ordinem esse Sacramentum, & hujus Sacramenti materiam assignando, Subdiaconatus materiam assignat perinde ac Presbyteratus; sic enim ait, in decreto pro Armenis; *Sextum Sacramentum est Ordinis; cujus materia est illud, per cujus Traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per . . . Diaconatus verò per . . Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum Patena vacua superposita traditionem.* 3. Quia Subdiaconatus imprimit characterem, cùm iterari non possit, & ab initio Ecclesiæ extitit, nam Ignatius mart. Subdiaconorum meminit in sua ad Antiochenses ep. 4. Quia annexum habet castitatis votum.

Sed qui negant Subdiaconatum esse Sacramentum, respondent ad 1. Inde sequi tantùm hoc habere majorem probabilitatem extrinsecam. Ad 2. Conc. Florent. materiæ Sacramenti Ordinis exemplum in Presbyteratu & Diaconatu ponere, & ex occasione data subjicere materiam Subdiaconatus, & indicare materiam Ordinum minorum, præscindendo an sint nec ne Sacramenta. Nam ad mentem Concilii sufficit, quòd vel una ex ordinationibus quarum materiam assignat, sit Sacramentum. Ad 3. respondent Subdiaconatum iterari non posse, sed solo jure Ecclesiastico, & quia est consecratio quædam, non verò quia characterem imprimit. Sic initerabilis est consecratio Vasorum, quamdiu res consecrata manet integra, quamvis non sit Sacramentum. Subdiaconatus autem institui potuit ab Apostolis, vel ab eorum successoribus immediatis; & sic extitit ab initio Ecclesiæ, quamvis non sit Sacramentum. Ad 4. denique respondent Subdiaconatum non semper annexum habuisse votum castitatis. Unde, c. *à multis* de ætate præficiendorum dicitur in primitiva Ecclesia non fuisse Ordo sacer.

Jam verò illi suam sententiam probant 1. Quia neque ex Scriptura, in qua nulla fit mentio Subdiaconatus, neque ex Traditione probari potest Ordinationem Subdiaconi esse Sacramentum. 2. Quia in Ecclesia Græca Ordinatio Subdiaconi fit sine forma Sacramentali Ordinationum, quæ apud Græcos continetur his verbis: *Divina gratia, quæ infirma curat, &c.* Sed solùm Episcopus imponendo manus, recitat Orationem, quæ non potest valere nisi ad Consecrationem quamdam. Hic autem ritus viget in Ecclesia Græca longe ante Schisma, cùm contineatur in Euchologiis Schismate antiquioribus. Unde in Ecclesia Orientali etiam ante Schisma Subdiaconi Ordinatio eodem ritu fiebat quo Diaconissarum Consecratio, quæ sanè numquam fuit Sacramentum. 3. Quia in Ecclesia Latina Ordinatio Subdiaconi nunquam facta est per manus impositionem; quæ tamen saltem prioribus Ecclesiæ sæculis fuit materia omnis Ordinationis Sacramentalis. 4. Quia Subdiaconus non ordinatur ad ea, quæ proximè spectant Eucharistiam. Imò primis Ecclesiæ sæculis non ei licebat Sacra Vasa etiam vacua tangere, ut patet ex can. 21. Concilii Laodiceni ubi dicitur: *Quòd non oporteat Subdiaconos Dominica Vasa tangere.*

Dico 2. De Minoribus Ordinibus minùs probabile est, quòd sint Sacramenta, quàm de Subdiaconatu. Quare plures negant eos esse Sacramenta, & probant 1. Quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari potest eos à Christo institutos fuisse, & gratiam conferre. 2. In Orientali Ecclesia plures fuerunt quàm quatuor Ordines. Nam præter Lectores, Ostiarios, & Exorcistas, inter Ordines Ecclesiasticos recensentur Cantores ab auctore constitut. Apostolic. l. 3. cap. 11. & laborantes à S. Epiphanio, in expos. fidei

Cathol. 3. In Ecclesia Orientali longè ante schisma desierunt omnes Ordines Minores, excepto Lectore; qui ordinatur sine forma Sacramentali à Græcis adhibita in ordinibus, quæ Sacramenta esse existimant, nempe Episcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. 4. In Ecclesia Latina Minores Ordines conferuntur sine manus impositione, quæ tamen est essentialis materia saltem partialis ordinationum, quæ sunt Sacramenta. 5. Minorum Ordinum munera nunc passim à Laicis exercentur.

Nihilominus probabile est, Ordinationem, qua conferuntur Minores Ordines, esse Sacramentum. Nam. 1. *Ita communiùs sentiunt Theologi.* 2. Quia Conc. Florent. postquàm dixit Sacramentum Ordinis esse sextum Sacramentum, & materiam hujus Sacramenti esse id, quod porrigitur in Ordinatione, & posuit exempla de Ordinatione Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, subjicit: *Et similiter de aliis (Ordinibus,) per rerum ad Ministeria sua pertinentium assignationem.* 3. Conc. Trid. sess. 23. postquam, c. 2. septem Ordines enumeravit, sic, c. 3. ait: *Dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*, sed sententiæ negativæ Patroni respondent ad 1. & 2. Id quod supra dictum est. ad 3. Respondent Conc. Trid. c. 3. citato loqui de Ordinatione, quæ fit per manus impositionem saltem ut materiam partialem; nam Concil. probat Ordinationem esse Sacramentum ex his Apostoli verbis: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum:* sic enim, ait: c. 3. *dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, inquit enim Apostolus: admoneo te ut resuscites, &c.* Unde Conc. ibi sumit Ordinationem, non generaliter pro ea omni quæ fit in Ecclesia, sed particulariter pro ea, quæ fit per impositionem manuum.

Donec Ecclesia hanc quæstionem definierit, quisque opinionem, quæ ei probabilior videtur, eligat.

QUÆSTIO VII.

Quænam sit materia & forma Ordinationis Presbyteri?

§. I.

Prænotanda.

I. Circa materiam Presbyteratus gravis est controversia inter scholasticos Doctores ob diversitatem rituum Ecclesiæ Latinæ & Græcæ. Nam in Ecclesia Latina præter manuum impositionem adhibetur porrectio alicujus instrumenti, quæ à Græcis omittitur. Hic quippe ritus ab Eccl. Lat. usurpatur in Presbyteri Ordinatione. 1. Episcopus imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi successivè, nihil dicens: idem etiam faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt. Quo facto Episcopus & Sacerdotes tenent manus dextras extensas super Ordinandos. Posteà Episcopus conversus ad Altare dicit: *oremus.* Et mox conversus ad Ordinandos dicit: *Exaudi nos, quæsumus, Deus noster, & super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem.* 2. Stolam Ordinandi ante pectus decussat in formam Crucis, singulis dicens: *Accipe jugum Domini: jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.* 3. Imponit cuilibet successivè Casulam, singulis dicens: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur: potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem,*

tem, & opus perfectum. 4. Ambas manus ejusque ordinandi inungit Oleo Cathecumenorum dicens: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam Unctionem & nostram benedictionem &c.* 5. Calicem cum Vino & Patenam superpositam cum Hostia porrigit successivè cuilibet Ordinando, singulis dicens: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine, &c.* R. *Amen.* 6. Celebratur Missa ab Episcopo, & quilibet sic Ordinatus unà cum illo formam Consecrationis pronuntiat. 7. Post Communionem Episcopus iterum ambas manus super capita singulorum imponit, sed solus: dicens singulis: *Accipe Spiritum-sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta sunt.*

In Ecclesia autem Græca hic ritus servatur, ut patet ex Euchologiis. 1. Episcopus Ordinandi caput ter signat. 2. Imposita manu unà cum Pallio, dicit: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus.* 3. Rursus signans eum ter Pontifex: Varias orationes super eum recitat. Ex quo ritu patet Ordinandum apud Græcos completè constitui Sacerdotem per impositionem manus dexteræ cum prædicta forma, *Divina gratia, &c.* Reliqua enim per se satis apparent accidentalia.

II. Certum est in Ecclesia Latina decussationem Stolæ, impositionem Casulæ, & Unctionem manuum non esse de essentia Ordinationis Presbyteri, sed esse cæremonias merè accidentales. Nam nulla est ratio solida asserendi ista esse essentialia.

III. Tota difficultas est in assignanda materia essentiali Ordinationis apud Latinos. Nam constat formam consistere in verbis, quæ materiam essentialem comitantur saltem moraliter, eamque determinant ad significationem Sacramentalem. Unde assignata materia essentiali, hoc ipso patet quænam sit forma.

Circa hoc tres sunt sententiæ. Prima materiam essentialem constituit in sola instrumentorum porrectione; secunda in sola manus vel manuum impositione; tertia verò in utraque simul, ita ut duæ sint materiæ essentiales partiales, unam totalem constituentes, cum duabus formis partialibus his materiis respondentibus.

§. II.

Dico 1. Traditio instrumentorum videlicet Calicis cum Vino & Patenæ cum Hostia, & forma isti traditioni respondens, sunt in Ecclesia Latina de essentia Ordinationis Presbyteri. *Ita longè communiùs Doctores.*

Prob. 1. Ex Conc. Flor. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum Vino & Patenæ cum Pane porrectionem,* & infrà, *forma Sacerdotii talis est*: accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: hoc autem decretum approbante Conc. Flor, editum fuisse ab Eugenio IV. patet tum ex his verbis initio decreti; *Per hoc decretum sacro hoc approbante Flor. Conc. traderemus:* tum ex istis verbis in fine decreti: *Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata anno &c.* Quare Clemens VII. in instru-

instructione de ritibus Græcorum hoc decretum tribuit Conc. generali Florent. *Utantur*, inquit, (Presbyteri Græci) *forma absolutionis in generali Concil. Florent. præscripta*, scilicet in hoc decreto, nam alibi non extat forma absolutionis. Certè dici non potest Concilium pro materia & forma assignasse aliquid accidentale: nam materia & forma sunt partes essentiales Sacramentorum. 2. Quia facta hac traditione, & prolata forma ei respondente, sic Ordinati in Pontificali Romano dicuntur Ordinati Sacerdotes, & jubentur simul cum Episcopo pronuntiare verba Consecrationis; quia nempe cum eo consecrant. 3. Hæc instrumentorum traditio apertè adhibetur, ut cum verbis ei respondentibus, Sacramentaliter significet collationem potestatis offerendi Sacrificium. Et revera per hanc materiam & formam aptissimè significatur potestas conficiendi Eucharistiam, quæ est præcipua Presbyteratus potestas.

Observa. Omnia instrumenta necessario tangi debent ab Ordinando. Nam (ut ait S. Thomas, supplem. q. 34. art. 5. ad 3.) *Ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: accipe hoc vel illud.* Et quidem physicè tangi debent. Nam quamvis multi putent sufficere moralem contactum Patenæ, quo nempe quis Calicem tangens, censetur etiam Patenam superpositam tangere; tamen quia hoc non est certum, in praxi curandum est, ut semper immediatè tangantur Calix & Patena, & hæc cum Hostia.

Obj. 1. Apostoli ordinarunt per solam manuum impositionem cum unica forma ei respondente; & hunc solum ritum semper servavit Ecclesia Orientalis. Ergo instrumentorum porrectio non est materia Ordinationis.

Resp. 1. Quamvis S. Paulus in Orientali Ecclesia per solam manuum impositionem cum forma ei respondente ordinaverit; attamen S. Petrus Romæ & in Ecclesia Occidentali non solùm manuum impositionem, sed etiam instrumentorum traditionem adhibuit in Ordinatione cum duplici forma, ut nunc fit. Nam cùm in Ordine Romano utraque materia assignetur in ritu Ordinationis, ut jam antiquitus recepta, nec hanc inveniamus ab aliquo Pontifice aut Concilio institutam, hunc ritum ab Apostolo Petro Ecclesiæ Romanæ traditum esse, necesse est.

Resp. 2. *Esto antecedens, nego consequen.* quia Christus non determinavit saltem pro tota materia Ordinationis solam manuum impositionem; sed reliquit Ecclesiæ potestatem vel hanc solam adhibendi, vel aliam addendi qua potestas tradita expressiùs ac perfectiùs significaretur: imò eligendi aliam quamlibet materiam aptam.

Obj. 2. Materia Sacramentorum invariabilis est perinde ac institutio Christi. Ergo sola manuum impositio est essentialis materia Ordinationis in Eccl. Lat. perinde ac in Græca.

Resp. Nego cons. Quia Christus non determinavit in specie ultima materiam & formam Sacramenti Ordinis, sed tantum secundùm rationem genericam signi sensibilis apti ad significandam potestatem Sacerdotalem, nempe potestatem consecrandi & absolvendi. Nam instituit tantùm generatim, ut Ordo conferretur per aliquam actionem externam & sensibilem Ordinantis, significativam potestatis quæ Ordinato traditur, & per aliqua verba quæ eamdem potestatem magis determinatè & clarius significarent: illius verò actiones seu materiæ & verborum illorum in specie determinatio-

minationem reliquit Ecclesiæ. Ecclesia autem Orientalis solam manuum impositionem adhibuit pro materia cum verbis ei respondentibus, quem ritum retinuit Ecclesia Græca, Latina verò Ecclesia adhibet partim manuum impositionem, partim instrumentorum traditionem magis significativam potestatis quæ traditur.

Inst. Ergo alterutra Ecclesia non servat Institutionem Christi.

Resp. Nego. Itaque in utraque Ecclesia servatur institutio Christi. Nam in utraque Ecclesia Ordo confertur per actionem sensibilem Ordinantis, & verba sufficienter significantia potestatem quæ traditur. Et determinatio in specie ultima facta est ab Ecclesia seu ab Apostolis, quia Christus instituit, ut sic fieret.

Obj. 3. In Ecclesia Latina sicut in Græca sola manuum impositio sufficit ad Ordinationem. Ergo, &c.

Resp. Nego ant. Quia supposita determinatione & electione duplicis dictæ materiæ ac formæ in Ecclesia Latina facta; in Ecclesia Latina traditio instrumentorum facta, est necessaria ad essentiam Sacramenti ob determinationem Ecclesiæ seu Petri Apostoli, non item in Græca, in qua sufficit manus impositio cum sua verborum formula.

Inst. Ergo materia & forma Ordinationis Presbyteri est diversa apud Latinos ab ea, quæ à Græcis adhibetur.

Resp. Est tantùm diversa materialiter, seu in ratione alicujus rei & verborum aliquorum quæ adhibentur; non vero formaliter seu in ratione legitimi signi potestatis traditæ. Nam eadem potestas per utriusque Ecclesiæ materiam & formam legitimè significatur & confertur, & servatur institutio Christi. Diversitas autem materialis non officit unitati Ecclesiæ.

Obj. 4. Si in Ecclesia Latina requiritur traditio instrumentorum, Ecclesia Latina aliquid mutavit circa substantiam Sacramenti Ordinis. Falsum conseq. nam ex Conc. Trident. sess. 21. c. 2. Ecclesia nihil potest mutare circa substantiam Sacramentorum. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia 1. Ecclesia Latina suum ritum à S. Petro Apostolorum Principe accepit, ergo nil immutavit. 2. etiamsi Ecclesia Latina postea aliquid addidisset materiæ essentiali, non tamen mutasset substantiam Sacramenti, nam Sacramenti substantia consistit in materia & forma, quales instituit Christus. Ecclesia autem Latina adhibet materiam & formam, quales Christus instituit. Nam Christus instituit tantum generatim pro materia Ordinationis actionem aliquam externam & sensibilem Ordinantis significativam potestatis, quæ Ordinato traditur, & pro forma aliqua verba eamdem potestatem determinatiùs ac clarius significantia, relicta Ecclesiæ potestate determinandi in specie actionem illam & verba. Quæ omnia servantur in Ecclesia Latina & Græca.

Nota. Etiamsi porrectio instrumentorum ab Ecclesia Latina non semper usurpata fuisset, inde non sequitur eam nunc esse accidentalem; quia sicut Ecclesia pro potestate à Christo sibi tradita talem materiam determinavit, potuit determinatæ aliquid addere vel etiam determinatam mutare.

Inst. 1. Ecclesia Latina prioribus sæculis solam manuum impositionem cum sua forma adhibebat. Ergo postea mutavit ritum Sacramenti, si traditio instrumentorum nunc requiritur, &c.

Resp. 1. *Nego ant.* Nam Ecclesia Latina à S. Petro ritum suum Ordinandi per traditionem instrumento-

rum & manuum impositionem accepit. In Ordine enim Romano qui octavo sæculo jam extabat, traditur ille ritus ut jam pridem usitatus, nec ostendi potest ab aliquo Pontifice aut Concilio institutus.

Resp. 2. Ex antecedente sequitur aliquid mutatum fuisse materialiter tantum, non vero formaliter, nec contra institutionem Christi, qui Ecclesiæ reliquit determinationem actionis sensibilis & verborum ad significandam potestatem traditam.

Porro cùm Christus nullam materiam & formam Ordinationis in specie definierit, quidni Ecclesia posset novum aliquid pro materia & forma opponere, cujus defectus Sacramentum reddat irritum: sicut novas conditiones apposuit in Matrimonio, quorum defectu sit nullum.

Inst. 3. Solùm sæculo undecimo cœpit in Ecclesia Latina adhiberi instrumentorum traditio: ergo hanc non accepit à S. Petro.

Resp. Nego ant. Nam in Ordine Romano continetur hæc instrumentorum porrectio, ut patet ex his ejus verbis, quæ in Ordinatione Presbyteri leguntur: *Hoc facto* (nempe ambabus Ordinandorum manibus Unctione consecratis) *accipiat* (Pontifex) *Patenam cum Oblatis*, *&* *Calicem cum Vino*, *&* *det eis*, *dicens*: *accipite potestatem offerre Sacrificium Deo*, *Missamque celebrare tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Igitur octavo sæculo Ecclesia Romana Instrumentorum traditionem cum verbis ei respondentibus adhibebat, imò jam longè antea adhibuerat; Nam Ordo Romanus non novos ritus tradit, sed ritus jam diuturno usu in Ecclesia Latina usurpans præscribit.

Dices. In. l. Sacram. S. Gregorii verba citata leguntur tantum in Ordinatione Episcopi.

Resp. Manifestum est mendum exscriptoris seu interpolatoris, & revera verba illa pertinent ad Ordinationem Presbyterorum. Nam præterquam quod Ordo Romanus fere exscribit lib. Sacramentorum, hæc verba ponuntur post Episcopi Consecrationem, & evidenter significant solam potestatem Presbytero in Ordinatione collatam, & nullatenus Episcopalem potestatem: & frustra omnino Episcopus Consecrator diceret ei, qui jam est Presbyter: *Accipe potestatem offerre Sacrificium, &c.* Quare ista pertinere non possunt ad Ordinationem Episcopi.

Inst. 3. Conc. Carthagin. IV. can. 5. dicit Subdiaconum, quia manuum impositionem non accipit, Ordinari per instrumentorum Traditionem. Ergo hoc ipso indicat Presbyterum & Diaconum, quia manus impositionem accipiunt, tunc Ordinatos non fuisse per instrumentorum Traditionem.

Resp. Nego conf. Quia Concilium ibi hoc dicit tantùm relative ad Diaconum, de quo agitur, can. 4. unde sequitur tantum in Africa prioribus sæculis Diaconum per solam manus impositionem integrè ordinatum fuisse.

Obj. 5. Si traditio instrumentorum sit de essentia Ordinationis Presbyteri, non est idem Sacramentum Ordinis in Ecclesia Latina & Græca. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego seq. maj. Nam non obstante diversitate partiali materiæ, manet eadem significatio & efficientia Sacramentalis. Instrumentorum enim traditio cum manuum impositione conjuncta idem prorsus in Ecclesia Latina significat & efficit, quod in Orientali Ecclesia significat & efficit sola manus impositio, nempe eumdem characterem & eamdem gratiam.

Obj. 6.

Obj. 6. Christus dum Apostolos instituit Sacerdotes, usus est determinata materia & forma. Ergo hæc sola una essentialis est, nec potest esse essentialis. Ergo, &c.

Resp. 1. *Nego anteced.* Quoad materiam. Nam Christus Sacerdotium Apostolis contulit his solis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem;* ut docet Conc. Trident.

Resp. 2. *Nego conseq.* Quia non omnia, quæ Christus determinatè adhibuit, sunt de essentia Sacramenti. Sic in confectione Eucharistiæ determinatè adhibuit azymum panem, & tamen azymus non est sola materia essentialis Eucharistiæ, cùm fermentatus ad validam consecrationem sufficiat.

§. III.

Dico 2. Secunda manuum impositio super caput Ordinandi, cum hac forma ei respondente (*Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris, retenta sunt*) est etiam de essentia Presbyteratus. *Ita communiter.*

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ hanc Ordinationem exprimit per impositionem manuum, ut, 1. Tim. c. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Imò omnis ordinatio, quam refert Scriptura, dicitur ab ea fieri per impositionem manuum, conjunctam scilicet cum certa forma verborum, quæ non exprimit Scriptura, sed quæ certò nobis innotescunt ex Traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ: nam utraque Ecclesia semper adhibuit verba effectum Sacramenti clariùs significantia. Absurdum est autem dicere Scripturam de Ordinatione loquentem, numquam eam exprimere nisi per cæremoniam accidentalem. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint, S. Hieron. in c. 58. Isaiæ, ubi ait: *Ordinationem, non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impleri manus.* Et S. Augustinus, l. 5. de Baptismo, cap. 20. *Quomodò exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem .... super capita eorum, quibus manus imponitur* in Ordinatione? 3. Ex antiquis Conciliis. Nam Ordinationem Presbyteri Nicænum I. can. 9. Ordinationem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Antiochenum, Can. 10. manuum impositionem vocant. Et Carthaginense IV. can. 2. 3. & 4. dicit Episcopum Presbyterum, & Diaconum Ordinari debere per manus impositionem. 4. Ex Conc. Trid. Sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere,* accipe Spiritum-sanctum .... *Anathema sit.* Ergo hæc verba ab Episcopis in Ordinatione prolata (*accipe Spiritum-sanctum, &c.*) sunt gratiæ & characteris collativa: nam per Spiritum-sanctum hic intelliguntur dona Spiritus-sancti in Sacramento collata. Ergo hæc verba (*accipe Spiritum-sanctum &c.* (sunt forma essentialis saltem partialis Ordinationis. Ergo impositio manuum, quam comitantur hæc verba, est materia essentialis saltem partialis Ordinationis: nam forma essentialis non cadit nisi in materiam essentialem. Item sess. 14. cap. 3. dicit Extremæ-Unctionis *ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. Quo nomine eo loco .... intelligendi veniunt, aut Episc pi. aut Sacerdotes ab ipsis ritè Ordinati per impositionem manuum Presbyteri.*

Hinc materia essentialis adæquata Ordinationis Presbyteri consistit in triplici partiali materia, videlicet in prima manuum impositione facta ab Episcopo sine prolatione verborum, traditione instrumentorum nempe Calicis

cum vino & Patenæ cum pane, & secunda manuum impositione.

Forma verò adæquata Ordinationis Presbyteri consistit in duabus partialibus supradictis, nempe in his verbis, *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, &c.* quæ traditionem instrumentorum comitantur, & in istis, *accipe Spiritum sanctum, &c.* Quæ in secunda manuum impositione proferuntur.

Observa. Ex dictis & ex Pontificali Romano patet Presbyteratum integrè conferri duabus Ordinationibus partialibus; quarum una independenter ab alia datur potestas consecrandi & offerendi sacrificium cum uno charactere, altera verò datur potestas absolvendi à peccatis cum alio charactere. Quare in Ecclesia Latina Ordinatio integra Presbyteri duobus Sacramentis perficitur, quorum primum significat & confert gratiam sanctificantem & characterem Presbyteri ut Sacerdotis: secundum verò significat & confert gratiam ac characterem Presbyteri ut judicis in foro interno. Hinc etiam integer Presbyteratus character compositus est ex duobus partialibus hæterogeneis. Hæc tamen duo Sacramenta unum totale moraliter constituunt, quantenus simul conferunt unum Ordinem totalem Presbyteratus.

In Orientali autem Ecclesia ordinatio Episcopi, Presbyteri, & Diaconi unam & simplicem materiam & formam habet, nempe impositionem manus cum forma ei respondente. Quare Presbyteratus integrè confertur per unicam & simplicem Ordinationem: quæ tamen duos characteres partiales, unum integrum ac totalem Presbyteratus constituentes, confert, sicut in Ecclesia Latina, & tantam gratiam producit, quantam duæ Ordinationes partiales Ecclesiæ Latinæ.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Concil Florent. in decreto pro materia Presbyteratus assignat tantùm instrumentorum porrectionem. Ergo impositio manuum non est materia essentialis etiam partialis Presbyteratus.

Resp. Nego conseq. Quia Synodus Armenos docere voluit instrumentorum porrectionem esse in Ecclesia Latina de essentia Ordinationis Presbyteri: quod illi ignorare facilè poterant, cùm apud eos sola impositio manus adhiberetur. Omisit autem manuum impositionem, quia Armeni circa eam nulla instructione indigebant, cùm jam eam usurparent.

Obj. 2. Cap. *Presbyter* de Sacrament. non iterand. Gregorius IX. dicit Ordinationem Presbyteri & Diaconi factam sine manuum impositione, non esse iterandam, sed supplendum quod omissum fuit. Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis.

Resp. Nego conseq. Imò per hoc confirmatur nostra sententia. Nam si impositio manuum esset tantùm cæremonia accidentalis, non necessariò postea supplenda esset. Itaque Pontifex ille vult solùm partialem Ordinationem factam per instrumentorum porrectionem & formam ei respondentem, non esse tunc iterandam; quia nempe fuit valida, & verè contulit potestatem conficiendi Eucharistiam; sed solùm supplendam esse partialem alteram Ordinationem, qua per manuum impositionem confertur potestas absolvendi à peccatis. Ex quo tantùm sequitur, validè conferri posse potestatem consecrandi seorsim à potestate absolvendi: quia consecrandi potestas non pendet essentialiter à potestate absolvendi, quamvis absolvendi potestas essentialiter supponat potestatem consecrandi, ita ut sine illa esse nequeat.

Obj. 3. Per traditionem instrumentorum & formam ei respondentem homo jam factus est Sacerdos, nam consecrat

cum

eum Episcopo; & in Pontificali Romano post illam traditionem Sacerdotes dicuntur Ordinati.

Resp. Est Sacerdos, sed non omninò completè. Dicitur tamen simpliciter Sacerdos, quia hæc denominatio petitur principaliter à potestate offerendi Sacrificium, quæ præcipua est, & quam tunc habet, licet necdum habeat potestatem absolvendi, per quam potiùs judex quàm Sacerdos constituitur. Igitur cùm duplex illa potestas diversa sit, convenienter datur per diversam partialem materiam & formam, & utrique respondet suus partialis character: per unam Ordinatus constituitur Sacerdos, per alteram verò judex.

Obj. 4. Si secunda manuum impositio est essentialis materia partialis Ordinationis Presbyteri, prima manuum impositio, qua Episcopus caput Ordinandi tangit, nihil dicendo, est quoque materia essentialis partialis primæ Ordinationis, qua confertur potestas consecrandi Eucharistiam.

Resp. Ita videtur, nam impositio manuum Episcopi super caput Ordinandi est essentialis materia saltem partialis cujuslibet Ordinationis Sacramentalis. Materia tamen integra primæ Ordinationis Presbyteri non est simpliciter illa manuum impositio, sed est impositio manuum Episcopi super caput Ordinandi, conjuncta cum instrumentorum traditione. Quare materia integra primæ ordinationis est composita ex duabus partialibus moraliter inter se unitis.

Inst. Prima illa manuum impositio est cæremonia accidentalis, instituta tantùm in signum consensus Ecclesiæ, ut is ordinetur, super quem manus imponuntur. Nam 1. fit non solùm ab Episcopo, sed etiam à Presbyteris ei assistentibus. 2. Nulla ei respondet verborum forma; Episcopus enim nil dicit tangendo caput Ordinandi. Ergo.

Resp. Nego anteced. Ad 1. Prob. *Resp.* Illa manuum impositio facta à Presbyteris, est quidem accidentaria, sed non impedit, quo minùs manuum impositio priùs facta ab Episcopo legitimo Ministro sit essentialis Ordinationi. Ad 2. *Resp.* Prima manuum impositio fit quidem sine prolatione verborum, unde sola non est materia sufficiens primæ Ordinationis; sed tamen conjuncta est moraliter formæ illius primæ Ordinationis. Nam illæ duæ partiales materiæ cum forma moraliter inter se uniuntur & continuantur per intermedias actiones, quibuscum unam moraliter actionem totalem constituunt.

Obj. 5. Præter primam manuum impositionem & ultimam, quam secundam vocamus, est alia media, qua Episcopus manum dexteram extendit super omnes ordinandos simul. Atqui hæc sola est essentialis Ordinationi. Ergo duæ aliæ non sunt essentialis materia.

Resp. Nego min. Et dico hanc novam aliquorum recentissimorum opinionem esse prorsus falsam, & omnino rejiciendam. Nam 1. Hæc manus extensio non est vera manus impositio; per eam enim non ponitur manus super caput Ordinandi. Unde, c. *Presbyter* de Sacrament. non iter. vocatur manus suspensio, & distinguitur à manus impositione propriè dicta. 2. Non est ea manus impositio, per quam Patres & Concilia dicunt Ordinationem Sacramentalem fieri. Nam Patres per illam manus impositionem, qua uniuscujusque Ordinandi caput tangitur; ut patet ex Conc. Carthaginensi IV. Canon. 2. 3. & 5. tum ex c. *Presbyter* de Sacrament. non iter. ubi Gregorius IX. sic ait: *Presbyter & Diaconus, cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiunt.* 3. Post illam manus extensionem, quam adversarii

rii manus impositionem vocant, & orationes quas Episcopus recitat in Pontificali Romano, Sacerdotes non dicuntur Ordinati, & tamen post instrumentorum traditionem sub hac forma (*accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.*) Sacerdotes dicuntur Ordinati, quamvis tunc nondum completus sit totius Ordinationis ritus. 4. Quia proxima materia Presbyteratus debet omnibus Ordinandis singillatim applicari.

Porrò illæ orationes adhibentur, non ad significandam gratiam & potestatem Sacerdotalem, sed solum ad obtinenda Ordinandis specialia & efficacia auxilia. Nam Sacramentum non dat auxilia efficacia, sed ad idonea tantùm determinanda, pro Dei beneplacito.

QUÆSTIO VIII.

Quænam sit materia & forma Ordinationis Diaconi?

Nota. IN Ecclesia Latina sic Ordinatur Diaconus. 1. Solus Episcopus manum dexteram ponit super caput Ordinandi dicens: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus in nomine Domini.* 2. Imponit ei stolam super humerum sinistrum cum oratione. Deinde eum induit Dalmatica cum alia oratione propria. 3. Tradit omnibus lib. Evangeliorum, quem manu dextra singuli tangunt, dicens, *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine, &c.* 4. Conversus ad Ordinatos varias preces fundit.

In Ecclesia autem Græca hic ritus servatur. 1. Episcopus Ordinandi caput ter signat. 2. Habens manum impositam capiti Ordinandi dicit: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi spiritus.* Rursus signat ter ejus caput, & habens manum impositam super caput Ordinati, sic peccatur: *Deus salvator noster . . . . hunc servum tuum, quem dignum fecisti, ut munus subiret Diaconi, imple omni fide, & charitate, &c.*

Dico. Duæ sunt apud Latinos partiales materiæ & formæ in Ordinatione Diaconi. Prima partialis materia est impositio manus dextræ super caput Ordinandi, cum hac forma partiali: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, in nomine Patris, &c.* Patet ex dictis. Secunda partialis materia est traditio libri Evangeliorum, cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis & defunctis, &c.* ut docet Conc. Florent. in decreto pro Armenis.

Hinc Ordinatio Diaconi est composita ex duabus Ordinationibus partialibus, moraliter inter se unitis per intermedias actiones, quibuscum propter continuitatem, quam cum illis habent, unam moraliter actionem totalem nempe validam, integram, & congruam Ordinationem constituunt; & simul ac indivisibiliter significantibus, proindeque efficientibus gratiam & characterem Diaconatus, Deum ad utrumque effectum producendum movendo eo instanti, quo secunda partialis Ordinatio existit secundùm ultimam sui partem: nam eo instanti tota Diaconi Ordinatio moraliter existit.

QUÆSTIO IX.

Quænam sit materia & forma Subdiaconatus, & minorum Ordinum?

DICO 1. Duæ sunt in Ecclesia Latina partiales materiæ & formæ Ordinationis Subdiaconi. Prima partialis materia est traditio Calicis vacui & Patenæ

Patenæ vacuæ, cum hac forma: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, &c.* Altera partialis materia est traditio libri Epistolarum, hac cum forma: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Dei.*

Dico 2. In Ordinatione Acolythorum materia est partim traditio urceorum vacuorum, partim traditio candelabri cum cereo extincto: in Ordinatione Exorcistarum, traditio libri Exorcismorum: in Ordinatione Lectorum, traditio libri Lectionum: in Ordinatione Ostiariorum, traditio clavium. Formæ autem horum minorum Ordinum sunt verba, quæ quamlibet traditionem comitantur, & collatam cuique potestatem significant.

QUÆSTIO X.

In quo consistat tota essentia Ordinanationis Episcopi?

Nota. EX Pontificali Romano sic in Ecclesia Latina ordinatur Episcopus. 1. Consecrator Episcopus, & alii duo assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum sanctum.* Quo facto Consecrator orat pro consecrando. 2. Consecrator caput Consecrati inungit sancto Chrismate, dicens: *Ungatur & consecretur caput tuum Cœlesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, &c.* Denique inungit ambas manus, dicens: *Ungantur manus istæ de Oleo sanctificato & Chrismate sanctificationis: sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ita ungantur & consecrentur, in nomine Patris, &c.* 3. Consecrator Baculum Pastoralem consecrando tradit, dicens: *Accipe Baculum Pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis piè serviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.* R. *Amen.* 4. Annulum in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum quatenus Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias.* R. *Amen.* 5. Tradit librum Evangeliorum Consecrato tangenti illum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade: prædica populo tibi commisso: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit & regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum.* R. *Amen.* 6. Missa finita, Consecrator imponit Mitram capiti consecrati, dicens: *Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis, & Agonistæ tui, galeam munitionis.* 7. Denique imponit Chirothecas manibus consecrati, dicens: *Circumda, Domine, manus hujus Ministri tui munditia novi hominis.*

In Ecclesia autem Græca servatur hic ritus. Absoluto trisagio hymno consecrandus à tribus Episcopis adducitur ad Consecratorem Episcopum, qui una cum Pallio imposita manu super caput Ordinandi, dicit: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum à Deo custoditæ civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus.* Deinde facta trina Cruce in capite illius, impositaque manu, sic precatur. *Domine Deus noster .... Hunc, qui suffragiis electus èst, & dignus factus, qui subiret jugum Evangelicum, & Pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris, & præsentium Ministrorum & Coepiscoporum adventu & virtute, ac gratia sancti tui Spiritus corrobora ... Ac irreprehensibilem ipsius Pontificatum demonstra.* Quæ oratio manifestè supponit

ponit Ordinationem perfectam, ideoque non est forma Ordinationis, sed sola priora verba, *Divina gratia, &c.*

§. I.

Dico 1. Certum est impositionem manuum facta ab Episcopo consecratore super caput Ordinandi, esse materiam essentialem Ordinationis Episcopi, saltem partialem: formam vero essentialem saltem partialem esse hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum.* Ita Doctores communiter.

Prob. 1. Pars. Nam à Patribus & Conciliis Ordinatio Sacramentalis, & speciatim Episcopalis, dicitur fieri per manuum impositionem. Item ex Scriptura, *1. Tim. cap. 4.* Timotheus ab Apostolo ordinatus est per manuum impositionem, ut patet ex his verbis: *Noli negligere gratiam; quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* At credibile non est, Ecclesiam Latinam adhibere ut accidentariam cæremoniam quam Apostoli ut essentialem adhibebant.

Prob. 2. Pars. Nam ex Conc. Trid. Sess. 23. Can. 4. Episcopi Ordinando non frustra dicunt: *Accipe Spiritum sanctum.* Ergo hæc verba ab Episcopo in Ordinatione Episcopi prolata conferunt Spiritum sanctum; alioqui frustra ab eo proferrentur: ergo sunt forma essentialis saltem partialis, nam sola forma essentialis potest producere gratiam. Præterea hæc verba manifestè significant collationem gratiæ. At quamvis sint generalia, tamen ex circumstantiis sufficienter determinantur ad significandam gratiam Ordinis Episcopalis.

Dixi, *saltem partialem.* Quia non pauci Doctores censent traditionem instrumentorum, Baculi scilicet, Annuli & libri Evangeliorum, aut saltem libri Evangeliorum, cum verbis tali actioni respondentibus, esse etiam de essentia Ordinationis Episcopalis. Quod probant 1. Quia prima manuum impositio est signum valde confusum & generale, nec per verba quibus subest, determinatur ad sufficienter significandum gratiam & characterem Episcopalem, cùm verba illa per se indeterminatam habeant significationem Sacramentalem. 2. Quia traditio instrumentorum manifestè adhibetur ad significandum characterem Episcopatus proprium: ac proinde in ea consistit partialiter significatio & efficacia Sacramentalis Ordinationis Episcopi; atque prima manuum impositio per eam completur in esse signi effectum Sacramentalem Episcopatus proprium significantis. 3. Ex Conc. Florent. in decreto, ubi postquam pro forma Sacerdotii assignavit verba, quæ profert Episcopus, dum tradit instrumenta, nempe Calicem & Patenam, hæc subjicit: *Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur.* Ergo ex Conc. omnium aliarum Ordinationum forma consistit saltem partialiter in verbis, quæ profert Episcopus, dum instrumenta singularum Ordinationum propria tradit. Ergo ex Conc. traditio instrumentorum in omni alia Ordinatione est materia saltem partialis: nam materia est signum, in quod forma cadit.

Sed Doctores, qui totam essentiam Ordinationis Episcopi in manuum impositione & verbis illam comitantibus constituunt, hæc omnia sic diluunt. Respondent 1. Impositionem manuum per verba supra dicta in talibus circumstantiis prolata, determinari sufficienter ad gratiam & characterem Episcopalem significandum: nam verba illa habent ex circumstantiis significationem sufficienter determinatam ad utrumque effectum. Ad 2. traditionem instrumentorum esse cæremoniam accidentariam; & quamvis adhiberetur ad distinctiùs & clariùs Ordinationis effectus

ctus significandos, non ideo esse essentialem Ordinationi, cùm effectus illi jam sufficienter significentur per cæremoniam præcedentem, ex circumstantiis ad hanc significationem sufficienter determinatam. Ad 3. Conc. Florent. ibi loqui tantùm de Ordinibus Sacerdotio inferioribus, de quibus ibi solùm agit.

§. II.

Dico 2. Non est de essentia Ordinationis Episcopi, ut fiat à tribus Episcopis; sed ad validam ejus Ordinationem sufficit unicus Episcopus, saltem ex dispensatione summi Pontificis.

Prob. 1. Quia credibile non videtur Apostolos, qui tot Episcopos in tam variis & inter se dissitis regionibus Ordinarunt, nullam unquam absque aliorum duorum Episcoporum concursu ordinasse. 2. Quia auctor Constitutionum Apostolicarum praxim circa Episcopales Ordinationes in Ecclesia Orientali ante schisma usitatam referens, testatur, lib. 8. c. 27. in casu necessitatis, Episcopum ab uno Episcopo ordinari potuisse, accepta Episcoporum Provinciæ commissione. 3. Synesius, epist. 67. refert Siderium ab uno Episcopo consecratum fuisse Episcopum, qui tamen postea à S. Athanasio sine nova Consecratione ad Ecclesiam Metropolitanam evectus est. 4. ex S. Gregorio Magno, qui, l. 12. epist. 31. ad octavam Augustini Cantuariensis Episcopi interrogationem sic respondet: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes.* Deinde jubet, ut ordinet Episcopos in vicinis locis, ut tollatur necessitas ordinandi Episcopum sine consortio trium Episcoporum. 5. Teste præposito, Gregorius XIII. permisit recens à se constituto Æthiopiæ Patriarcha è Societate Jesu, ut ab Episcopo ordinaretur; & teste Henriquez eidem concessit; ut solus sine assistentibus posset novos Episcopos consecrare. 6. Ex praxi hodierna; nam teste Fagnano, ad cap. 7. de temporibus Ordinationum, num. 20. in litteris pro Consecratione Episcoporum in Indiis apponitur hæc clausula: *Tibi Presbytero, ut à quocumque malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis in hoc illi assistentibus duabus vel tribus dignitatibus munus Consecrationis recipere valeas.* 7. Quia ex tribus Episcopis, qui adsunt in Ordinatione Episcopi, unus totum Sacramentum Episcopatus conficit. Nam in veteri Ordine Romano unus dicitur Ordinator, is nempe qui fundit benedictionem super caput Ordinandi; & in Pontificali Romano unus Consecrator, & alii duo semper assistentes appellantur. Item à S. Gregorio, epist. cit. Episcopi assistentes dicuntur adesse ut testes. *Nam quando*, inquit, *de Galliis Episcopi veniunt, illi in Ordinationem Episcopi testes tibi assistent.*

Obj. 1. Jacobus à tribus Apostolis, Petro, Jacobo & Joanne ordinatus fuit Hierosolymæ Episcopus, ut testatur Clemens Alexandrinus apud Eusebium. Item ex multis Conciliis & summis Pontificibus Ordinatio Episcopi fieri debet à tribus saltem Episcopis. Ergo essentialiter requiruntur tres Episcopi ad Ordinationem Episcopi.

Resp. Nego conseq. Nam ex antecedente sequitur tantùm concursum trium Episcoporum requiri jure Ecclesiastico, ab Apostolis constituto. Apostoli enim ut Ecclesiæ Præsules varias cæremonias in Sacramentorum administratione instituerunt, ut ea majori cum solemnitate & dignitate administrarentur.

Obj. 2. Damasus Papa, epist. 5. sic ait: *Quòd Episcopi non sint; qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet.*

Resp. Solùm vult eos non esse Episcopos quoad potestatem jurisdictionis; & quoad usum licitum ac legitimum potestatis Ordinis; quia jurisdictione Episcopali privantur, & ab omni Ordinis Episcopalis exercitio prohibentur per Canones, ut satis patet ex verbis quæ subjicit: *Quoniam prohibitum à Sanctis est Patribus, ut qui ab uno vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt?*

Porro Epistolæ Aniceti ad Galliæ Episcopos, & Joannis III. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ à Viris eruditis censentur spuriæ.

Obj. 3. Concilium Regense, can. 2. ait: *Itaque Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis Comprovincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est.*

Resp. Concilium solùm vult Ordinationem illam nullam esse, quantum ad jurisdictionem, & jus regendi Ecclesiam, pro qua quis sic ordinatus est Episcopus contra Canones. At non intendit invalidam esse Ordinationem quoad potestatem Ordinis & characterem Episcopalem: nam certum est ad valorem Ordinationis quoad utramque non requiri Comprovincialium Episcoporum & Metropolitani consensum.

QUÆSTIO II.

Utrùm Episcopus jure Divino sit Presbytero superior?

Nota. Sacerdotes jure Divino superiores esse Diaconis & aliis Clericis, nemo negavit. Ratio est, quia Sacerdotes vi Ordinationis suæ, ideoque jure Divino habent potestatem tum conficiendi Eucharistiam, tum pœnitentes sibi subjectos absolvendi à peccatis, qua carent reliqui inferiores Ordines; & hæc potestas est maxima quædam dignitas ac præeminentia. Sed Episcopum jure Divino esse Presbytero superiorem, negarunt Aetius, Wicleffus, & Calvinus, contra quos.

Dico 1. Episcopus jure Divino superior est Presbytero quoad dignitatem, & potestatem Ordinis. Est de fide.

Prob. 1. Ex Patribus apud Bellarminum docentibus Episcopos successisse Apostolis, Presbyteros verò septuaginta Discipulis; & speciatim ex Epiphanio & Augustino, qui Aetium id negantem recensent inter hæreticos. 2. Ex Conc. Trid. sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem . . . Anathema sit.* 3. Quia Episcopus, cùm jam sit Presbyter, habet omnem potestatem, quam habet Presbyter; & insuper ex Ordinatione sua, ideoque ex institutione Christi, & jure Divino, habet potestatem qua caret simplex Presbyter, & potest aliqua alia quæ simplex Presbyter non potest nisi ex commissione & tanquam extraordinarius Minister. Nam Episcopus ex Ordinatione sua potest ordinare Sacerdotes, & conficere Chrisma in materiam Confirmationis, quod omnino non potest Presbyter; item potest Episcopus confirmare, quod non potest Presbyter nisi ex commissione & tanquam Minister extraordinarius.

Dico 2. Episcopus est etiam jure Divino superior Presbytero quoad jurisdictionem.

Prob. 1. Ex Scriptura, Act. c. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus-sanctus posuit Episcopos*

scopos regere Ecclesiam Dei. Hic intelligi veros Episcopos constat ex antiquis Patribus, & ex Conc. Trid. sess. 23. c. 4. ergo Episcopi jure Divino sunt Rectores Ecclesiæ, ideoque etiam Presbyterorum, qui sanè tam sunt membra Ecclesiæ quàm Laici: ac proinde Episcopi jure Divino sunt Presbyteris jurisdictione superiores. Item, 1. Tim. cap. 5. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo Episcopus est judex Presbyterorum, ideoque jurisdictione superior. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Ignatius martyr, Apostolorum discipulus, in Epist. ad Philadelphios, ubi ait: *Boni sunt Sacerdotes, sed præstantior Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum,* & Epist. ad Trallianos: *quid enim aliud est Episcopus, quàm is, qui omni principatu & potestate superior est?* & Epist. ad Smirnæos: *sine Episcopo nemo quicquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant . . . Ubi utique apparet Episcopus, illic multitudo sit; quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, ibi Catholica Ecclesia. Non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque Agapen facere: sed quod utique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum; ut stabile sit & firmum omne quod agitur.* 3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua omnia Concilia à solis Episcopis ut judicibus jure Divino, & Ecclesiæ Principibus celebrata sunt. Et si quandoque Presbyteri sententiam dixerunt, non suo, sed Episcoporum absentium, quos repræsentabant, nomine dixerunt. In Conciliis autem maximè exercetur jurisdictio Ecclesiastica: nam in iis leges conduntur, & pœnæ contra violatores decernuntur. 4. Quia Episcopi jure divino sunt Apostolorum successores, & summi Sacerdotes, & Ecclesiæ Patres ac Principes. Ergo jure divino sunt Presbyteris jurisdictione superiores: nam Apostolorum successoribus, summis Sacerdotibus, & Ecclesiæ Patribus ac principibus debetur jurisdictio superior jurisdictione simplicium Presbyterorum, qui succedunt tantùm septuaginta Discipulis, qui erant in omnibus inferiores Apostolis. *Prob. anteced.* nam nemo constitui potest successor Apostolorum, nisi ab eo, qui Apostolos constituit, nempe Christo. 5. Illi jure divino sunt Presbyteris dignitate & jurisdictione superiores, qui in hierarchia à Christo instituta primum locum obtinent. Tales autem sunt Episcopi, ut constat ex Conc. Trid. sess. 23. can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; Anathema sit.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Scriptura confundit nomina Episcopi & Presbyteri; ita ut simplices Presbyteri appellentur Episcopi, & vicissim Episcopi vocentur Presbyteri. Ergo nulla est inter illos distinctio.

Resp. Nego conseq. Quia tunc hæc nomina non strictè, sed latè accipiuntur. At constat est Scriptura & Traditione majores Sacerdotes, qui nunc Episcopi tantùm appellantur, esse & fuisse semper simplicibus Sacerdotibus superiores tùm potestate Ordinis, tùm potestate Jurisdictionis; & inter eos, qui Presbyteri vocantur, semper fuisse alios aliis majores.

Obj. 2. Paulus, Phil. c. 1. ait: *Paulus omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* At per Episcopos ibi intelligit Presbyteros, nam unus erat Episcopus Philippensis.

Resp. Quamvis Apostolus per Episcopos ibi intellexisset Sacerdotes omnes

Philippensis Ecclesiæ; tamen inter illos Sacerdotes unus erat summus, & & cæterorum princeps, quem vocamus Episcopum: cæteri verò erant simplices Presbyteri, quos ideo Paulus Episcopos appellat, quia una cum Episcopo regebant Philippensem Ecclesiam & Jurisdictionem in Fideles exercebant, ut Episcopi adjutores, & cum debita subordinatione ac dependentia ab illo. Nam Episcopus vi nominis idem est ac Inspector vel Superintendens; sed hæc vox nunc solùm primum gradum hierarchiæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ principem significat.

Obj. 3. S. Chrysostomus, homil. 11. in cap. 3. 1. ad Timoth. ait: *Postquam de Episcopis dixit, eosque formavit, quidnam illos habere conveniat . . . omisso interim Presbyterorum ordine, ad Diaconos transit. Cur id, quæso? Quia scilicet inter Episcopum atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est; & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm, plus quàm Presbyteri habere videntur.* Ergo Episcopus non est jure divinò jurisdictione major Presbytero.

Resp. Nego conseq. Nam solùm vult Episcopos excepta potestate Ordinandi Sacerdotes & Diaconos, & chrisma conficiendi, nihil habere ita sibi proprium, ut Presbyteris communicari nequeat. Cùm autem dicit Presbyteris Ecclesiæ curam permissam esse, subintelligit, cum subordinatione & dependentia ab Episcopis: nam vox *permissa* significat concessionem facultatis dependentis & subordinatæ.

Obj. 4. S. Hieronymus, in cap. 1. Epist. ad Titum ait: *Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ; communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii, relegat,* &c. & inferiùs. *Hæc propterea ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim verò ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.*

Resp. Ex illo loco inferri tantùm potest Hieronymum sensisse Episcopos solo jure Ecclesiastico esse Presbyteris jurisdictione majores, quod tamen falsum est. At S. Doctor censuit Episcopos esse Presbyteris potestate Ordinis superiores, ut patet ex ejus epistola ad Evagrium, ubi ait: *Quid enim facit, excepta ordinatione,* (hoc est, potestate Ordinis) *Episcopus, quod Presbyter non faciat?*

Obj. 5. Sanctum Ambrosium, in Commentario in cap. 4. epist. ad Ephesios.

Resp. Hic commentarius non est Sanct. Ambrosii fœtus, sed auctoris ignoti, qui in eo opere multos sparsit errores.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

Quisnam sit minister Ordinationis?

Dico 1. Solus Episcopus est ordinarius minister omnium Ordinum. Est contra Aetium & Wicleffum.

Prob. Tum ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Minister ordinarius hujus Sacramenti* (Ordinis) *est Episcopus.* Tum ex Conc. Trid. sess. 23. can. 7. suprà cit. & c. 4. ubi ait: *S. Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere; & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei eosque Presbyteris superiores esse; ac sacramentum Confirmationis conferre; Ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.*

Dico 2. Solus Episcopus sic est minister Episcopatus & Sacerdotii, ut nemo alius possit illos Ordines validè conferre.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ significat vel supponit Ordinationem Episcoporum & Sacerdotum ad solos Episcopos pertinere. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Epiphanius, hæresi 75. ubi contra Aetium hæc ait: *Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet: hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio.* 3. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, in qua nullus unquam Episcopus, aut Presbyter ordinatus fuit à simplici Sacerdote. Et verò maximè conveniens est, ut primarios Ecclesiæ Ministros, qui populo præsunt, à solis Ecclesiæ principibus ordinari & constitui possint.

Obj. 1. Conc. Florentinum dicit Episcopum esse ordinarium Ministrum Ordinis. Ergo simplex Sacerdos potest esse extraordinarius minister Sacerdotii, &c.

Resp. Nego conseq. Nam ideo solùm Conc. addidit ordinarium, quia loquebatur de omnibus ordinibus, & simplex Sacerdos potest ex concessione summi Pontificis conferre minores Ordines & Subdiaconatum.

Obj. 2. S. Leo, epist. 92. dicit Ordinationes à Pseudo-Episcopis facta, ratas haberi posse scilicet quoad executionem Ordinationum collatarum, si cum consensu & judicio præsidentium factæ sint.

Resp. Ibi Pseudo-Episcopos vocat eos, qui verè sed illegitimè & contra Canones ordinati fuerant Episcopi.

Obj. 3. Conc. Antiochenum, can. 10. & Ancyranum, can. 13. vetant Chorepiscopis, ne Presbyteros & Diaconos ordinent sine expressa licentia Episcopi, cui subjecti erant.

Resp. Hæc Concilia loquuntur de Chorepiscopis, qui Episcopalem Ordinationem acceperant, cujusmodi multi erant in Orientali Ecclesia; qui cùm Episcopi sine propria Diœcesi eis attributa ordinarentur, in aliena Diœcesi Chorepiscopi munere fungebantur.

Dico 3. Simplex Sacerdos potest ex concessione summi Pontificis conferre minores Ordines, & sic esse extraordinarius horum Ordinum minister.

Prob. 1. Ex praxi recepta: Nam Cardinales non Episcopi in propriis Ecclesiis, & aliqui Abbates minores Ordines suis subditis reipsa conferunt. 2. Ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 10. id manifestè supponente, nam ibi sic ait: *Abbatibus, & aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum . . . . cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre.*

Idem dico de Subdiaconatu. *Prob.* 1. ex Gelasio I. epist. 9. ubi loquens de Chor-

Chorepiſcopis, qui omnes in Eccleſia Occidentali erant ſimplices Sacerdotes, ait; *Nec ſibi meminerit ulla ratione concedi, ſine ſummo Pontifice, Subdiaconum, aut Acolythum jus habere faciendi.* 2. Ex Conc. Meldenſi, can. 44. ubi dicitur: *Ut Chorepiſcopus modum ſuum juxta canonicam inſtitutionem teneat . . . neque Eccleſiaſticos* (Ordines) *qui per impoſitionem manus tribuuntur, id eſt, non niſi uſque ad Subdiaconatum, & hoc jubente Epiſcopo, & in locis, quibus Canones deſignant., agere præſumant.*

Idem multi dicunt de Diaconatu, nempe conferri poſſe à ſimplici Sacerdote ex diſpenſatione ſummi Pontificis. Pro qua refertur Bulla Innocentii VIII. qua Abbatibus Ciſtercienſibus facultatem concedit ſuis Monachis omnes Ordines ad Diaconatum incluſivè conferendi.

QUÆSTIO XIII.

Quodnam ſit ſubjectum Ordinationum.

Dico *1.* Maſculus omnis baptizatus eſt ſubjectum capax Ordinationis validæ, ſaltem ſi rationis uſum habeat. Conſtat apud omnes. Dixi, *ſaltem ſi rationis uſum habeat.* Quia aliqui, pauciſſimi illi quidem, uſum rationis requirunt in ſacris Ordinibus, quòd annexum habeant caſtitatis votum. S. Thom. verò ſupplem. q. 34. a. 2. ad valorem Ordinationis non exigit uſum rationis niſi pro Epiſcopali.

Dico 2. Mulieres ſunt jure divino incapaces Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. Eſt de fide.

Prob. 1. Jure divino horum Ordinum incapax eſt, quicumque jure divino prohibetur præeſſe in Eccleſia; nam Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus præſunt populo Chriſtiano, cùm ex his Eccleſiaſtica hierarchia conſtituatur, ut conſtat ex Conc. Trident. ſeſſ. 23. can. 6. atqui mulier jure divino prohibetur præeſſe in Eccleſia, ut patet ex Apoſt. 1. Cor. c. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe.* Et 1. Tim. c. 2. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto.* Ergo, &c. Item mulier eſt incapax Ordinum, quorum munia obire non poteſt ſine poſitiva indecentia. Atque mulier ſine poſitiva indecentia non poteſt obire munia Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, nam ex Apoſt. 1. Cor. c. 14. *Turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia:* & à fortiori turpe eſt mulierem conſecrare & adminiſtrare Euchariſtiam, abſolvere à peccatis, Confirmare, Ordinare, prædicare verbum Dei publicè, Baptizare ſolemniter, &c. Ergo.

2. Ex perpetuo ſenſu Eccleſiæ: nam ſtatim ab Eccleſia damnati ſunt ut hæretici, qui mulieribus ſacros Ordines concedebant; cujuſmodi fuere Pepuziani, & Collyridiani, Epiphanio teſte.

3. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ nullam unquam mulierem ordinavit ad Sacerdotium & ſacrum Miniſterium.

Idem dic de Subdiaconatu. Nam per ſe turpe ac indecens eſt mulierem fungi officio Subdiaconatus, nempe ſolemniter miniſtrare Diacono in Sacrificio Miſſæ, &c. item dic etiam de minoribus Ordinibus, præſertim cùm nunc conferantur ut quidam gradus & præparatio ad ſacros Ordines.

Obj. 1. Mulier eſt capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ: nam cap. *dilecta* de majoritate, &c. de Abbatiſſa dicitur: *Quòd cùm ipſa plerumque Canonicas ſuas, & Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, propter inobedientias & culpas eorum, officio, beneficioque ſuſpendat; iidem confiſi ex eo, quòd eadem Abbatiſſa eos excommunicare non poteſt,*

test, suspensionem hujusmodi non observant. Ergo.

Resp. Neg. antec. Nam ibi non agitur de suspensione propriè dicta, cujus nempe violatione contrahatur irregularitas, nec de jurisdictione Ecclesiastica. Sed per suspensionem ibi intelligitur præcisè prohibitio, & per jurisdictionem intelligitur tantùm potestas præcipiendi. Nam Honorius III. ibidem Abbati cuidam mandat, ut Canonicas & Clericos illi Abbatissæ subjectos ad Reverentiam & Obedientiam ei debitam censura Ecclesiastica compellat: *Quo circa* (inquit Pontifex, Abbatem, cui respondet, alloquens) *mandamus, quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatissæ præfatæ Obedientiam & Reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita & mandata observent, Ecclesiastica censura compellas.* Ergo Abbatissa illa non habebat potestatem ferendi censuras. Enimverò, c. *Nova* de pœnitentiis, &c. Innocent. III. sic ait: *licèt Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni Cœlorum commisit.* Unde glossa sic habet: *officium clavium non cadit in sexum femineum.*

Obj.2. In antiquis Canonibus multæ mulieres dicuntur Episcopæ, Presbyteræ, Diaconæ. Ergo.

Resp. Neg. cons. Quia non sic vocatæ sunt ratione alicujus Ordinis sacri, sed solum quia earum mariti ad Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum promoti fuerant.

Obj.3. In Ecclesia multis sæculis fuerunt Diaconissæ, quæ ad varia pia officia consecrabantur; & S. Epiphanius testatur fuisse Ordinem Ecclesiasticum.

Resp. In Ecclesia Latina Diaconissæ nunquam fuerunt Ordo Ecclesiasticus: fuisse quidem in Orientali Ecclesia Ordinem Ecclesiasticum scribit S. Epiphanius, sed non ad altaris ministerium, nec ad munia sacra Diaconorum propria; nam sic ait, hæresi 79. *Quamquam verò Diaconissarum in Ecclesia Ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur, &c.*

Igitur Diaconissæ illæ erant mulieres probatæ virtutis, quæ per aliquam benedictionem deputabantur, non ad altaris ministerium, sed ad quædam pia officia erga mulieres exercenda, nimirum ut assisterent instructioni & baptismo mulierum, vel etiam eas privatim docerent; ut præessent januis, per quas mulieres ingrediebantur in Ecclesiam, in qua singulis debitum locum assignabant; ut comitarentur illas, quæ Episcopum vel Presbyterum adibant; denique ut pauperum viduarum curam gererent.

Quod spectat ad effectum Sacramenti Ordinis, jam constat ex dictis de Sacramentis in genere duos esse, nempe characterem cum speciali potestate ad sacra quædam ministeria, cujusque Ordinis propria, & augmentum gratiæ habitualis cum jure ad gratias actuales idoneas ad sacra illa munia dignè & sanctè obeunda.

TRA-

TRACTATUS DE ORDINE.

ORdo sumitur dupliciter. 1. Pro speciali quadam potestate stabili exercendi aliquod officium relatè ad conficiendam Eucharistiam, certo ritu sacro solemni collata. Et hoc sensu est quid permanens. 2. Pro ipsa Ordinatione seu ritu sacro, quo potestas illa confertur. Et hoc sensu est quid transiens, & sacramentum; definiturque sacramentum novæ legis, quo stabiliter confertur potestas ad consecrandam Eucharistiam, & ad alia Ecclesiastica ministeria, ad eam aliquo modo spectantia, ritè obeunda.

Quæst. I. *Quot sunt Ordines?*

Resp. Septem; scilicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus. Ex Conc. Florent. & Trid. sess. 23. cap. 2. Tres priores dicuntur majores & sacri, tum ob votum solemne castitatis annexum, tum quia propius pertinent ad Eucharistiam. Primus Ordo seu Sacerdotium subdividitur in duos Ordines tamquam in duas species, nempe in Sacerdotium majus, seu Episcopatum, & Sacerdotium minus, seu Presbyteratum: Prima Tonsura non est strictè Ordo, sed prima dispositio ad Ordines; nam per eam non traditur potestas ad ullum ministerium pertinens ad Missæ sacrificium; sed solùm confertur aliqua dignitas, qua homo constituitur in statu clericali, fitque capax recipiendi beneficia Ecclesiastica, & Ordines. Unde cum cap. 11. *de ætat. præfic.* dicitur per eam conferri Ordinem clericalem, Ordo ibi sumitur latè pro statu clericali, seu nota per quam quis ex statu laicorum evehitur ad statum clericalem.

Quæst. II. *Suntne singuli Ordines Sacramentum?*

Resp. Est de fide, quòd Ordo generatim sumptus, sive Ordinatio aliqua, sit verè & propriè Sacramentum. Ex Concil. Trident. sess. 23. can. 3. Secundùm omnes catholicos Presbyteratus est verum Sacramentum. Idem nunc sentiunt plerique de Episcopatu ut distincto à Presbyteratu. Certum etiam multis videtur Diaconatum esse verum Sacramentum. Idem multi, paucis exceptis, docent de Subdiaconatu. Sed non pauci id negant de Minoribus. (*a*)

Quæst.

(*a*) Vide cap. 24. de Synodo Diœcesa na, in quo fusim hæc controversia tractatur, & monentur Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui cum con scientia peccati lethalis Ordines, Diaconatu inferiores suscipere non reformidant, ne tali pacto, controversiam ignorare aut illam videantur decidere.

Quæst. III. *Quænam est materia & forma Ordinum?*

Resp. Certum est illorum formam esse verba prolata ab Episcopo illorum ministro, dum materiam essentialem applicat. Sed Theologi dissentiunt circa essentiam materiæ Presbyteratus, & Diaconatus. In praxi diligenter observanda sunt ea omnia, quæ in Pontificali Romano præscribuntur: tum quia id tutius est ad valorem; tum quia ritus integer necessarius est saltem ex præcepto. Hinc si quid fortè omissum fuerit, illud cautè supplendum ex cap. 1. & ult. *de sacram. non iterandis.* (*a*)

Quæst. IV. *An ad validam ordinationem requiritur contactus physicus instrumentorum?*

Resp. Quamvis multi putent sufficere contactum moralem patenæ, quo quis calicem tangens censetur, & patenam superpositam tangere; tamen quia hoc non est omnino certum, in praxi curandum est, ut semper immediatè ac physicè tangantur & calix, & patena cum hostia. Idem dic de aliis: nam circa Sacramentorum valorem tenemur sequi in praxi partem tutiorem, relicta incerta licèt probabiliore.

Quæst. V. *Quisnam est Minister Ordinis?*

Resp. Solus Episcopus est minister ordinarius omnium Ordinum ex Concil. Florent. & Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Ex commissione tamen Papæ simplex Sacerdos conferre potest. 1. Tonsuram & minores Ordines, ex Concil. Trident. cap. 10. Id apertè supponente, & ex praxi recepta. Nam Cardinales in propriis Ecclesiis, & Abbates eos de facto conferunt. 2. Subdiaconatum, ut fatentur omnes, & de facto hoc privilegium Abbatibus pluribus concessum est. De Diaconatu negant multi.

Episcopatum verò & Sacerdotium numquam conferri nisi ab Episcopo, constat ex Traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, in qua numquam ab alio collata sunt.

Quæst. VI. *Quosnam Episcopus potest licitè ordinare?*

Resp. Solos suos subditos, vel habentes dimissorias, vel speciale ad id privilegium, ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 8. ubi ordinans subditum alienum sine concessu & testimonio proprii Ordinarii de probitate, & moribus ordinandi, suspenditur ad annum à collatione Ordinum: ordinatus verò ab executione Ordinis suscepti, quamdiu videbitur proprio Ordinario. Item non licet Episcopo ordinare etiam suos in Diœcesi alterius sine hujus consensu.

Porrò ex triplici capite quis censetur subditus alicujus Episcopi, ut possit ab eo ordinari. 1. Ratione originis, quia nempe in ejus Diœcesi natus est: *Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm & naturalis patris origo erit attendenda.* Ita Innocentius XII. constit. *Speculatores.* 2. Ratione domicilii, quia in ejus Diœcesi habitat

(*a*) Eodem lib. VII. cap. 25. plura hac de re explicantur, & *num.* 1. 12. & 13. legitur Sacr. Congregationem Concilii aliquando respondisse, iterandam sub conditione Ordinationem Presbyteri, in qua ordinandus non accessit ad porrectionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hostia.

tat animo ibi perpetuò manendi. 3. Ratione beneficii, quod in ejus Diœcesi possidet ex cap. 3. *de tempor. ordin.* in 6. In Gallia tamen haberi solet ratio solius originis.

Nota. Omnis & solus mas baptizatus potest validè ordinari, non tamen invitus. (*a*)

Quæst. VII. *An servanda sunt interstitia?*

Resp. Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 11. statuit, ut Minores Ordines per temporum interstitia conferantur, *nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.* Inter ultimum autem Ordinem minorem usque ad sacros Ordines annus interjiciatur: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat*, ibid. A Subdiaconatu ad Diaconatum, & ab hoc ad Sacerdotium similiter annus interjici debet, ex cap. 13. & 14. Circa quæ interstitia Episcopus dispensare potest ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Sed non potest sine dispensatione Papæ duos Majores Ordines una die conferre, ex cap, 12. cit. & cap. *Litteras* de tempor. Ordin.

Porrò Minores Ordines conferri possunt Dominicis & aliis festivis diebus. Sacri verò solùm Quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabato de Passione, cap. 3. *de tempor. Ordin.* Tonsura autem clericalis quocumque die & hora. (*b*)

Quæst. VIII. *Quænam requiruntur, ut quis licitè ordinetur?*

Resp. Sequentia 1. Confirmatio, & Tonsura, quæ ex Conc. Trid. sess. 13. c. 4. non debet conferri nisi iis, qui fidei rudimenta callent, & sciunt legere ac scribere, & de quibus probabilis conjectura sit, eos clericatum elegisse ut Deo fidelem cultum præstent.

2. Certa ætas. Pro Minoribus nulla à jure definitur; sed Concil. Trident. statuit solùm ut non conferantur, nisi iis qui saltem linguam latinam calleant, cap. 11. Pro Subdiaconatu requiruntur anni 22. pro Diaconatu 23. Pro Presbyteratu 25. ex Conc. Trid. cap. 12. sufficit ex usu recepto, ut hi anni sint inchoati. Pro Episcopatu requiruntur anni 30. completi, cap. 7. *de elect.* in Gallia sufficit annus 27. inchoatus, ex Concordat.

3. Immunitas ab omni censura & irregularitate.

4. Status gratiæ, morum probitas, bona fama, vocatio divina, intentio gloriæ Dei promovendæ, serviendo Ecclesiæ.

5. Certa scientia. Concil. Trident. requirit, ut suscepturi Subdiaconatum & Diaconatum sint literis, & eis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, ut suscepturi Sacerdotium possint populum docere necessaria ad salutem, & sciant necessaria ad sacramenta ritè administranda. sess. 33. cap. 13. & 14. Item ex Patribus & Conciliis

(*a*) Ex cap. 26. ejusdem libri Episcopus, Ordines collaturus, laudabiliter sub censuris præcipit, ne quis canonico impedimento irretitus, aut sine legitimo patrimonio ad Sacros Ordines accedat. Sed improbatur Episcopi protestatio, se non habendi intentionem ordinandi irregulares, censuris innodatos, legitimo patrimonio, aut beneficio &c. carentes *num.* 1. Si quis aliquo ex iis impedimentis detentus, ordinetur sub tali protestatione, cui allegata fuerit Episcopi intentio, erit iterum absolute ordinandus; si dubia sit Episcopi intentio, Ordinatio sub conditione erit iteranda.

(*b*) Lib. VII. cap. 63. num. 5. refert, Sacram Congregationem Concilii respondisse, Ordines minores, & Subdiaconatum eodem die non esse conferendos.

ciliis debent Scripturas sacras & Canones ediscere & scire.

6. Sæcularis non potest licitè ordinari, nisi titulum sustentationis habeat ex beneficio, vel patrimonio, vel pensione sufficienti ad victum honestum; ita ut si quis fingat titulum, aut pactum ineat de restituendo, vel non exigendo eo quod datur illi in titulum, peccet mortaliter, & suspensus sit, ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. ubi antiquorum canonum pœnas super his innovat; & ex Urbano VIII. Constit. *Secretis.* Idque teste Fagnano declaravit S. Congr. Cardinalium. Nec obstat cap. *Cùm secundùm* de præbend. Nam ibi agitur solùm de iis, qui nullo requisito titulo ordinati sunt, non autem de eis qui titulum finxerunt, quibus fraus patrocinari non debet. Nec ordinato licet sine licentia Episcopi resignare, aut alienare titulum ad quem promotus est, nisi aliunde habeat, unde commodè vivat, ex Concil. Trident. cap. 2. cit. Quod si quem Episcopus absque titulo ordinaret, teneretur ei necessaria ad sustentationem suppeditare, cap. 4. & 16. *de præbend.* (*a*)

Gggg 2 *Nota.*

(*a*) Lib. VII. cap. 71. num. 6. de Synodo. „ Aliud nunc adducendum superest „ exemplum, respiciens *Titulum* sacræ „ Ordinationis, quod, ut rite exponatur, atque ad propositum referatur, non „ nulla sunt præmittenda. Nemo ex Clero „ Sæculari Sacris Ordinibus initiari potest, „ nisi prius *legitime constet, eum Beneficium* „ *Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè* „ *sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium* „ *verò, vel Pensionem obtinentes ordinari non* „ *poterunt, nisi quos Episcopus judicaverit* „ *assumendos, pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum,* quemadmodum „ totidem verbis sancitum est à Concilio „ Tridentino *Sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Ut „ huic decreto morem gererent Episcopi, „ fere omnes in suis Synodis certam præscripserunt quantitatem redituum, qui in „ ea diœcesi censerentur sufficientes, ad „ honestam sustentationem Clerici; id quippe non potuit à Tridentino determinari, „ cum à regionum pendeat varietate; curarunt præterea obviare fraudibus, quæ „ nimium frequenter ab iis committuntur, „ qui ad titulum patrimonii promoveri petunt, quibus etiam aditum occludere studuit sacra Congregatio Conciliis, pluribus „ sanctionibus, & decretis, quæ nos retulimus *in nostra Notific.* 26. Et quoniam „ majus fraudis periculum, quod in patrimonii constitutione timetur, est, ne illud „ fictum sit, aut à quodam Tertio assignatum, cum pacto inter se, & Clericum „ inito, ut hic ad sacros Ordines promotus, si aliunde acquirat, unde honeste „ victitare queat, Bona sibi in patrimonium „ assignata, eorumque usumfructum domino restituat, & relinquat; propterea sacra „ Congregatio, ad hanc fraudem longius „ propellendam, sæpius definivit, non solum „ non licere Clerico patrimonium distrahere, ad cujus titulum est ordinatus, sed „ neque cum aliis Bonis cujuscumque generis, sine Episcopi licentia, illud permutare, „ quod ex pluribus constat decretis *in cit.* „ *Notific.* allegatis, quibus alia hic subnectimus, nimirum in Terracinen. 20. Julii „ 1619. & die (*lib.* 12. *decretor. pag.* 17.) „ & die 16. Novembris 1656. *lib.* 36. *decretor. pag.* 449) ubi hæc leguntur: „ *Quæritur, an verba illa Concilii in cap.* 2. „ *Sess.* 23. *Atque deinceps alienari, intelligenda sint, ut postquam Ordinatus adeptus* „ *fuerit, unde vivere possit, requiratur etiam* „ *licentia Episcopi. Sacra Congregatio censuit, requiri licentiam, quamvis Ordinatus sit adeptus;* Quod quidem responsum „ sacra Congregatio dandum voluit ad similem quæstionem die 12. Julii 1687. hisce „ verbis propositam: *An bonis ad commodam sustentationem postea acquisitis, vel Beneficio sufficienti adepto, statim patrimonium evanescat; vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum seu Beneficii assequuti ab Episcopo facienda, qua subrogatione expresse non facta, patrimonium adhuc vigeat, nec expiret, prædicta clausula non obstante.*

„ 2. Hæc obiter, ad titulum vero Beneficii, quod speciatim attinet, Innocentius „ XII. in celebri Constitutione *Speculatores* „ (*tom.* 6. *Bullar. pag.* 575.) sancivit, neminem posse, ad titulum Beneficii in „ aliena

Nota. Qui ordinatur per saltum, hoc est qui suscepit Ordinem superiorem inferiore priùs non recepto, peccat mortaliter, & manet suspensus ab

„ aliena diœcesi obtenti, ab istius Episco-
„ po Ordinibus initiari, nisi Beneficium tot
„ ei annuos reditus subministret, qui, de-
„ tractis oneribus, ad congruam ejusdem
„ sustentationem sufficiant. Excitata dein-
„ de controversia, an sufficientia esset præ-
„ finienda, ad normam taxæ Synodalis vi
„ gentis in diæcesi, ubi situm est Benefici-
„ um; sacra Congregatio, ut eam dirimeret,
„ hanc adhibuit distinctionem: Aut Bene-
„ ficium continuam exposcit, & perpetuam
„ residentiam, aut ejusmodi obligationis
„ vinculo Beneficiarium non obstringit: Si
„ primum, sufficientia erit desumenda à taxa
„ Synodali, præfinita in loco, ubi Bene-
„ ficiarius domicilium habet; si alterum, à
„ taxa præscripta in diœcesi, in qua Bene-
„ ficium possidet, sicuti colligitur ex re
„ sponsis datis in Alatrina, die 9. Julii 1701.
„ (*lib.* 51. *decretor pag.* 393. *à tergo*) in
„ Romana, seu S. Agathæ Gothorum 27.
„ Maji 1713. (*lib.* 63. *decretor. pag.* 219. *à*
„ *tergo.*) Huic eidem distinctioni adhæsit,
„ eamque suprema sua auctoritate corrobo-
„ ravit Innocentius XIII. In sua Constitutio
„ ne incipien. *Apostolici ministerii*, inquiens,
„ *Cum etiam juxta memoratam Innocentii*
„ *XII. Prædecessoris Constitutionem, ratione,*
„ *ac titulo Beneficii in aliena diœcesi obtenti,*
„ *non aliter liceat Ordines ab Episcopo ejusdem*
„ *diœcesis suscipere, quam si Beneficium sit*
„ *ejus reditus, ut ad congruam vitæ susten-*
„ *tationem, detractis oneribus, per se suffi-*
„ *ciat; declaramus, sufficientiam hujusmodi*
„ *præfiniendam esse, non juxta taxam Syno-*
„ *dalem, sive morem, pro promovendis ad*
„ *Sacros Ordines, vigentem in loco prædicti*
„ *Beneficii (nisi tamen illud continuam, &*
„ *præcisam residentiam requirat) sed juxta*
„ *taxam, vel, ea deficiente, juxta morem*
„ *in alio loco domicilii vigentem.*

„ 3. Hisce decretis facile alicui persuasum
„ erit, omnes diremptas quæstiones, sacræ
„ Ordinationis titulum respicientes; Verum
„ non ita se res habuit: Etenim cum Bene
„ ficio, ad cujus titulum quis promoveri
„ exposcit, plerumque annexum sit onus
„ celebrandi plures Missas: alia supererat
„ enodanda difficultas; Num scilicet ad de-
„ finiendum, an Beneficiario tot ex bene-
„ ficio obveniant reditus, quot, juxta taxam
„ Synodalem, vel regionis consuetudinem,
„ reputantur sufficientes, ad vitam honestè
„ traducendam, detrahenda sint onera Mis-
„ rum, quibus Beneficium prægravatur:
„ An potius soli sint æstimandi Beneficii
„ fructus, nulla habita ratione adjecti oneris
„ Missarum.

„ 4. Non una erat hac in re Doctorum
„ sententia. Opinabantur plerique, onera
„ Missarum esse detrahenda, cum liberum
„ est Beneficiario illis, vel per se, vel per
„ alium satisfacere; secus vero cum Missa
„ per se ipsum celebrare tenetur; Siqui-
„ dem in primo casu, si in morbum inci-
„ dat, quo à celebrando præpediatur, debet
„ alteri Sacerdoti consuetam eleemosynam
„ elargiri, ut Missas faciat: ac proinde,
„ si morbus diuturnus sit, periculum erit,
„ ne Beneficiarius, ad extremam redigatur
„ mendicitatem, cui sacri Canones, ac
„ præcipue Tridentinum obviare voluerunt,
„ cum titulum, sive patrimonii, sive Be-
„ neficii in Clerico Sæculari exegerunt, ut
„ ad sacros Ordines valeat promoveri; ejus-
„ modi autem periculum, iidem Doctores
„ abesse ajunt, in secundo casu, qui enim
„ tenetur Missas, celebrare per se ipsum,
„ tempore, quo ægrotat, aut alio detine-
„ tur legitimo impedimento, nulla afficitur
„ obligatione, celebrandi per alium, quem-
„ admodum, aliis allegatis, tradit Leander
„ *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 7. *qu.* 19.

„ 5. Arbitrabantur alii, Missarum onera,
„ in neutro casu esse detrahenda: Etenim
„ cum eleemosyna, quæ Sacerdoti datur,
„ sit *quasi stipendium suæ sustentationis*, uti
„ ait D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad*
„ 2. nulla ratio patitur, excludere à censu
„ redituum, qui sufficientem sustentatio-
„ nem Sacerdoti suppeditant. Neque in
„ contrarium facit, quod tempore infirmi-
„ tatis Sacerdos, cui liberum est celebrare
„ per alium, huic teneatur elargiri stipem,
„ ad sui cæteroquin alimoniam, necessa-
„ riam; hic siquidem casus infrequens est,
„ quem jura non respiciunt: secus in con-
„ stitutione patrimonii, habenda pariter
„ esset ratio ingruentis belli, imminentis
„ alluvionis, similisque infortunii, cui ob-
„ noxia sunt prædia in patrimonium assigna-
„ ta. Ad hæc etiam Sacerdotem, cui onus
„ incumbat celebrandi, per se ipsum, si
„ impediatur infirmitate, quæ sit diutur-
„ na, teneri suæ obligationi satisfacere per
„ alium,

ab usu Ordinis sic suscepti, cap. un. *de clerico per saltum promoto.* Si tamen non ministraverit, potest Episcopus ex legitima causa cum eo dispensare, Concil. Trident. sess. 23. cap. 14.

„ alium, rectius docent Gardinalis de Lu-
„ go *de sacram. Eucharist. disp.* 11. *sect.* 2.
„ *num.* 48. & 49. Diana *in edit. cood. tom.* 2.
„ *tract.* 1. *resolut.* 59. Passerin. *de stat. homin.*
„ *tom.* 2. *quæst.* 587. *art.* 4. quorum senten-
„ tiam sectata est sacra Congregatio Conc.
„ in Romana Celebrationis Missarum 3. Ju-
„ nii 1689. atque in alia Romana 2. Octo-
„ bris 1721. ac proinde nullum, quantum
„ attinet ad rem præsentem, videtur po-
„ nendum discrimen, inter eum, qui tene-
„ tur Missas per se ipsum celebrare, ac al-
„ terum, cui potestas est, celebrandi per
„ alium.

„ 6. In hac opinionum varietate satius
„ duxerunt aliquot Episcopi sacræ Congre-
„ gationis Concilii sententiam efflagitare,
„ & Nos, qui eidem eramus à Secretis, ut
„ Patres unico intuitu omnia inspicerent,
„ quæ ad materiam pertinerent, quod sem-
„ per consuevimus, cum difficilior occur-
„ reret examinandus causæ articulus, di-
„ ligentem exaravimus dissertationem, quæ
„ extat *tom.* 2. *Thesaur. resolut. pag.* 214.
„ ubi cujuslibet ex diversis, quas retulimus,
„ Auctorum sententiis, præcipua expendi-
„ mus rationum momenta. Actum fuit de
„ hac quæstione die 8. Augusti 1722. ite-
„ rumque, die 24. Aprilis 1723. ac tandem
„ die 17. Julii ejusdem anni decisum, rem
„ permittendam conscientiæ, & arbitrio
„ Ordinariorum, qui spectatis locorum, &
„ personarum conditionibus, vel in particu-
„ laribus eventibus, vel etiam in Synodo,
„ per modum legis, decernant, an onera
„ Missarum sint, aut non sint detrahenda è
„ reditibus Beneficii, è quibus Ordinandus
„ suam honestam sustentationem est per-
„ cepturus.

„ 7. Quamobrem, absque periculo ob-
„ viandi juri communi, & sacro Concilio
„ Tridentino, tuto poterit Episcopus in sua
„ Synodo non solùm præfinire quantitatem
„ proventuum, qui censeantur sufficientes,
„ ad alimoniam subministrandam Clerico,
„ suam incolenti diœcesim, sed etiam sta-
„ tuere, & determinare, num inter ejus-
„ modi proventus sit numeranda, an potius
„ detrahenda stipes, respondens numero
„ Missarum, ad quas celebrandas Clericus,
„ sive per se, sive per alium adigitur, lege
„ sibi indicta à Fundatore Beneficii, quod
„ possidet.

TRACTATUS DE SACRAMENTO MATRIMONII. EX SPECULATIVA.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm Matrimonium sit verum Sacramentum?

Nota 1. MAtrimonium dupliciter sumitur, nempe pro contractu, & pro vinculo per talem contractum inducto. Matrimonium pro contractu acceptum, rectè definitur: contractus, quo vir & femina, nulla lege impediti, mutuum dominium in sua corpora sibi tradunt & accipiunt ad actum conjugalem. Atque ad mutua obsequia se obligant. Matrimonium verò pro vinculo acceptum, communiter definitur: *Viri & mulieris conjunctio maritalis, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Conjunctio hìc sumitur pro vinculo & nexu; nam intelligitur conjunctio jam facta, & habitualiter permanens. Hæc autem conjunctio dicitur maritalis; quia per illam vir in corpus mulieris, & vicissim mulier in corpus viri potestatem habet in ordine ad carnalem copulam generationi aptam. Cætera verba significant indissolubilitatem vinculi, & mutuam obligationem ad vitæ societatem, atque ad alia mutua debita & obsequia.

Matrimonium verò sumptum pro Sacramento, est contractus supradictus, gratiæ significativus & collativus.

Nota 2. Matrimonium pro vinculo sumptum dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum vocatur illud, quod mutuo ac legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est; quale etiam nunc est inter non baptizatos, & olim fuit in Lege naturæ & Mosaica. Unde ut tale non est Sacramentum, aut saltem præscindit à ratione Sacramenti. Ratum dicitur, quod est legitimum, & insuper Sacramentum, sed necdum carnali copula consummatum; sive est illud, quod inter baptizatos contractum est, & ideo majorem firmitatem & insolubilitatem obtinet. Consummatum dicitur illud, quod per carnalem copulam extrinsecè completum est.

Nota 3. Matrimonium, & ejus usum esse per se licitum & honestum, fide

fide constat contra Simonem Magum, Saturninum, Marcionem, Tabiænum, Encraticas, Manichæos, Priscillianistas, & Albigenses, qui omnes Matrimonium ut rem intrinsecè malam damnarunt. Nam Deus, Genes. c. 2. Matrimonium instituit; & Christus, Matth. 19. de conjugibus ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apostolus, 1. Cor. c. 7. ait: *Si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quàm uri. Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere . . . si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit . . . . qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, meliùs facit.* De usu verò Matrimonii hæc ibidem habet: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro, &c.* Idem docent Patres, qui non usum Matrimonii vituperant, sed ardorem concupiscentiæ in eo præsertim se exerentem. Qui ardor turpis & indecens est, sed per accidens cum usu Matrimonii conjunctus est, & in statu innocentiæ ab eo sejunctus fuisset, nec imputatur ad culpam ei, qui illum coercere conatur ex auxilio gratiæ.

Nota 4. Matrimonium initio mundi & statim post diluvium fuit à Deo præceptum; quia tunc ad conservationem & propagationem generis humani necessarium erat. Sed desiit hoc præceptum humano genere sufficienter multiplicato. Imò in nova lege per se laudabilius & melius est abstinere à Matrimonio, & virginitatem perpetuò servare, ut constat tum ex Apostolo, 1. Cor. cap. 7. virginitatem Matrimonio tanquam aliquid meliùs præferente & suadente: tum ex ipso Christo, Matth. c. 19. tum ex Traditione, cujus testes sunt Patres: tum ex constanti Ecclesiæ sensu, & praxi in innumeris Sanctis.

Dico. Matrimonium est verè ac propriè Sacramentum novæ legis. Est de fide contra Lutherum, & Calvinum, & alios antiquiores hæreticos supra recensitos, qui Matrimonium damnarunt.

Prob. 1. Ex Script. Ephes. c. 5. Apost. de Matrim. dicit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quæ verba significant Matrimonium fidelium esse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia per gratiam sanctificantem, & ipsius proinde gratiæ sanctificantis, à Christo institutum. At signum gratiæ à Christo permanenter institutum, est signum efficax, ideoque gratiæ, quam significat, collativum: & consequenter est Sacramentum.

2. Ex Traditione, cujus Patres sunt testes. Pro omnibus sit S. Augustinus, lib. de bono conjugali c. 18. ubi ait: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quàm fecunditas uteri.* Et c. 24. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.*

3. Ex Conc. Florent. in decreto. *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundùm Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, &c.* & ex Trid. sess. 7. can. 1. Matrimonium inter septem Sacramenta propriè dicta novæ legis recensente, & sess. 24. initio sic ait. *Cùm igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, meritò inter novæ legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docue-*

docuerunt. Deinde, can. 1. *Si quis dixerit. Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia invectum, neque gratiam conferre, Anathema sit.*

Ratio est institutio & voluntas Christi, qui convenientissimè gratiam sanctificantem cum jure ad auxilia gratiæ addixit Matrimonio fidelium, ad illius status officia & onera valde gravia sanctè obeunda.

Confirm. Ex consensu utriusque Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ: nam Græci semper, & etiam nunc post schisma Matrimonium inter septem Ecclesiæ Sacramenta numerant, & semper recensuerunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Matrimonium Adami & Evæ erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, & tamen non erat Sacramentum. Ergo etiamsi Matrimonium Christianorum sit tale signum, non idcirco est Sacramentum.

Resp. Matrimonium Adami & Evæ, si conjunctionem Christi cum Ecclesia significavit, tantùm ut futuram significavit. At Matrimonium Christianorum significat præsentem Christi cum Ecclesia conjunctionem, unde majorem efficaciam habere debet: ideoque gratiam sanctificantem, quam simul significat, conferre debet ex opere operato non ponentibus obicem.

Porro Christus non infidelium, sed solorum baptizatorum Matrimonium ad esse Sacramenti evexit.

Obj. 2. Matrimonium pugnat cum Sacerdotio. Ergo non est Sacramentum.

Resp. Non pugnat ex natura sua & ratione sui, sed tantùm jure Ecclesiastico ab Apostolis statuto, & propter impedimenta, quæ necessariò ex ejus usu sequuntur, & quæ animum à rebus divinis multùm avocant.

Obj. 3. In Sacramentis omnibus tria reperiuntur, videlicet id quod est Sacramentum tantùm, id quod est res tantùm, & id quod est res simul & Sacramentum. At hæc tria assignari non possunt in Matrimonio: ergo non est Sacramentum.

Resp. Nego min. Nam contractus Matrimonialis est Sacramentum tantùm, quia significat & non significatur: gratia sanctificans est res tantùm, quia significatur & non significat: vinculum verò Matrimoniale est res & Sacramentum, quia significat & significatur; nam significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, & significatur per contractum, quo efficitur.

Obj. 4. Matrimonium licitè contrahitur cum pacto de danda certa pecunia. At hoc pactum esset simoniacum, si Matrimonium esset Sacramentum Ergo.

Resp. Nego min. Quia pecunia illa non datur, nec exigitur pro Sacramento, sed pro sustinendis Matrimonii oneribus.

QUÆSTIO II.

Utrùm Matrimonium baptizatorum semper sit Sacramentum?

DIco. Matrimonium baptizatorum semper esse Sacramentum, longè communiùs docent Theologi, nempe qui negant Sacerdotem esse ejus ministrum.

Prob. 1. Quia ita sentiunt S. Thomas, 4. ad Hannib. dist. 27. q. un. a. 2. S. Bonaventura in 4. dist. 27. a. 2. q. 2. & omnes veteres Theologi, uno Guillelmo Parisiensi excepto 2. Quia Conc. Trid. sess. 24. can. 1. definit sine ulla exceptione Matrimonium baptiza-

baptizatorum esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis. Ergo omne matrimonium baptizatorum est Sacramentum. 3. Ex Conc. Florent. in decreto, ubi dicit, *Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundùm Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ergo omne Matrimonium, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, hoc ipso est Sacramentum. Atqui omne Matrimonium baptizatorum est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; & idcirco est omnino insolubile, postquam consummatum fuit, quia tunc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, non solùm per charitatem, sed etiam per incarnationem. Ergo omne Matrimonium baptizatorum est Sacramentum.

Obj. 1. Matrimonium inter absentes contractum per Procuratorem, est verum Matrimonium, & tamen non est Sacramentum. Ergo non omne Matrimonium baptizatorum est Sacramentum.

Resp. Neg. 2. p. antecedent. Quia hoc ipso quòd est verus contractus Matrimonialis, est etiam verum Sacramentum. Nam Christus ipsum Matrimonii contractum in Baptizatis evexit ad Sacramenti dignitatem absque ullo speciali ritu; cùm omnis Matrimonialis contractus inter baptizatos sit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Inst. 1. Matrimonium per Procuratorem initum, iteratur in Ecclesia: ergo non est Sacramentum.

Resp. Nego anteced. Nam tantùm confirmatur à præsentibus, & celebrantur solemnitates ac cæremoniæ accidentales omissæ.

Inst. 2. Ergo quis dormiens, & nihil cogitans poterit ministrare & recipere Sacramentum. Absurdum conseq. Ergo.

Resp. Nego min. Quia cùm Christus Matrimonium Baptizatorum evexerit ad esse Sacramenti, nullo speciali ritu instituto, eodem modo potest administrari & suscipi hoc Sacramentum, quo potest fieri contractus Matrimonii validus. Atqui contractus Matrimonii inter absentes & dormientes per Procuratorem validè celebrari potest. Ergo.

Inst. 3. Actio Sacramentalis debet proficisci à Ministro. Ergo Matrimonium per Procuratorem contractum non potest esse Sacramentum.

Resp. Nego cons. Quia in hoc casu sicut actio contrahendi, ita & actio Sacramentalis est à Ministro mediatè, nempe mediante Procuratore tanquam suo instrumento. Quod quidem est speciale huic Sacramento sed mirum esse non debet, quia Christus nullum ritum specialem instituit pro hoc Sacramento; sed solùm voluit, ut omnis contractus Matrimonialis validus inter Baptizatos esset hoc ipso Sacramentum, nempe signum efficax gratiæ sanctificantis, quæ semper ex opere operato conferretur contrahentibus non ponentibus obicem.

Obj. 2. Matrimonium inter Baptizatos contractum sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est verum Matrimonium, & tamen non est Sacramentum. Ergo non omne Matrimonium, &c.

Resp. Nego anteced. Quod falsum supponit. Nam quivis Baptizatus non potest validè Matrimonium contrahere sine intentione saltem virtuali & implicita faciendi, quod facit Ecclesia, quia Baptizatus non potest validè Matrimonium contrahere sine intentione illud verè contrahendi; nec potest habere intentionem verè contrahendi Matrimonium sine intentione faciendi rem à Christo

Christo evectam ad dignitatem Sacramenti, cùm revera Christus Matrimonium Baptizatorum evexerit ad esse Sacramenti. Quare in Baptizatis intentio contrahendi Matrimonium, vi institutionis Christi est simul & indivisibiliter implicita saltem intentio faciendi Sacramentum, & id quod facit Ecclesia.

Inst. Potest ablui corpus infantis cum prolatione horum verborum (*Ego te Baptizo, &c.*) sine intentione etiam implicita faciendi Sacramentum. Ergo potest etiam fieri contractus Matrimonialis sine hac intentione.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia Christus rationem Sacramenti non annexuit omni ablutioni conjunctæ cum verbis formæ Baptismi, sed ei soli quæ fit ut cæremonia à Christo instituta & ab Ecclesia usurpata, ideoque cum intentione faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia facit. At Christus rationem Sacramenti inseparabiliter annexuit omni contractui Matrimoniali valido inter baptizatos celebrato, cujus proinde ineundi intentio est simul indivisibiliter implicita saltem ac virtualis intentio faciendi Sacramentum. Unde Baptizati etiamsi non cogitent de Sacramento, illud tamen implicitè & virtualiter facere intendant, hoc ipso quòd volunt verè contrahere Matrimonium.

Obj. 3. Potest quis velle Matrimonium contrahere, & expressè nolle facere Sacramentum. At tunc erit Matrimonium sine Sacramento. Ergo.

Resp. Nego min. Nam si contrahentes Matrimonium cum voluntate non faciendi Sacramentum, putant se posse validè contrahere sine Sacramento, tunc faciunt Sacramentum: quia illorum voluntas non faciendi Sacramentum est tantum conditionata ac inefficax, & superatur ab alia voluntate absoluta & efficaci faciendi Sacramentum, implicita quidem & virtuali, contenta in voluntate verè contrahendi, sed sufficienti. Si verò non putant se posse contrahere sine Sacramento, tunc non verè sed apparenter tantùm contrahunt defectu voluntatis absolutæ & efficacis contrahendi: unde nullum est Matrimonium sicut nec Sacramentum.

Observa. Fideles generatim & confusè intendunt Matrimonium contrahere secundùm legem Christi. Cùm autem Christus voluerit, ut Matrimonium Fidelium esset Sacramentum, Fideles contrahendo Matrimonium, hoc ipso intendunt confusè & implicitè facere Sacramentum.

Quæres 1. *An Matrimonium contractum inter baptizatum & non baptizatam, vel contra, sit Sacramentum ex parte baptizatæ, in casu quo tolleretur impedimentum dirimens?*

Resp. Theologi communiùs negant, quia unicus est duorum contractus: ac proinde unicum quoque est in duobus Sacramentum: & consequenter vel ex utraque parte vel ex neutra Matrimonium est Sacramentum. Atqui Sacramentum non est ex parte conjugis non baptizati, ergo nec ex parte baptizati. Et verò ex neutra parte potest claudicare contractus Matrimonii, nec proinde Sacramentum.

Quæres 2. *An Matrimonium non baptizatorum fiat Sacramentum, cùm postea baptizantur?*

Resp. Multi docent id esse valde probabile: modò tunc coram Parocho & testibus Matrimonium ratificent. Quia Matrimonium à baptizatis sic ratificatum & confirmatum evehitur à Christo ad esse Sacramenti, cùm sit Matrimonium novum æquivalenter: sicut votum iteratum, seu ratificatum est novum æquivalenter.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quænam sit materia & forma Sacramenti Matrimonii?

Nota. Circa hoc multiplex est sententia. Aliqui docent materiam esse consensum contrahentium exteriùs expressum: formam verò verba, quæ profert Sacerdos, qui proinde ejus Minister est. Alii longè communiùs contendunt ipsos contrahentes ponere materiam & formam, ideoque esse ejus Ministros. Sed in assignanda illa materia & forma inter se dissident. Alii docent materiam esse mutuam corporum traditionem, formam mutuam corporum acceptationem, utramque sensibilem, seu signo aliquo externo expressum. Alii censent materiam hujus Sacramenti esse corpora habilia, formam mutuum conjugum consensum. Plerique constituunt materiam hujus Sacramenti in mutuo consensu interno contrahentium, formam verò in verbis vel aliis signis externis hunc consensum exprimentibus.

Dico. Materia Sacramenti Matrimonii consistit in mutuo consensu interno legitimo contrahentium, forma verò in verbis vel in aliis signis hunc consensum exprimentibus.

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in decreto ubi dicitur: *septimum est Sacramentum Matrimonii .... causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ibi manifestè loquitur de Matrimonio, ut est Sacramentnm, ut ostendunt verba decreti, & intentio Concilii, quod hoc septimo paragrapho intendit instruere Armenos solùm de Sacramento Matrimonii, sicut aliis sex prioribus paragraphis nihil aliud eos docet, quàm quæ ad sex priora Sacramenta pertinent. Causam autem efficientem hic latè accipit, nempe pro causa efficiente rem formaliter, seu pro causa rei constitutiva: quo sensu dicitur gratia nos efficere sanctos, albedo efficere parietem album, id est, constituere. Nam causa efficiens Sacramenti strictè sumpta est ejus minister. Igitur ex Conc. causa constitutiva Sacramenti Matrimonii, ideoque ejus materia & forma, est consensus mutuus, per verba regulariter expressus. At in illo constitutivo verba aut signa eis æquivalentia sunt forma: nam ex eodem Concilio Sacramenta perficiuntur verbis tanquam forma. Ergo materia est consensus mutuus internus contrahentium, & forma sunt verba vel alia signa externa hunc consensum significantia. 2. Quia in Matrimonio illud se habet instar materiæ, quod completur ab alio in esse signi sensibilis, & illud se habet instar formæ, quod aliud complet in esse signi sensibilis in contractu Matrimoniali. Atqui mutuus consensus internus contrahentium completur in esse signi sensibilis, per verba aut alia signa externa quibus exprimitur. Ergo mutuus contrahentium consensus est materia, & verba vel alia signa externa hunc consensum exprimentia sunt forma hujus Sacramenti. 3. Quia hoc expressè docet S. Thomas, in 4. sent. ad Hannibald. dist. 26. q. un. art. 1. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd verba exprimentia consensum de præsenti, sunt forma hujus Sacramenti* (Matrimonii) *non autem Sacerdotalis benedictio, quæ non est de necessitate Sacramenti, sed de solemnitate. Pro materia verò habet actus contrahentium Matrimonium.*

Obj. 1. Conc. Florent. dicit tantùm causam efficientem Matrimonii esse *regulariter* mutuum consensum per verba de præsenti expressum. Ergo hic consensus per verba expressus, non est essentialiter materia & forma Sacra-

menti Matrimonii: nam essentia rerum est invariabilis.

Resp. Nego conseq. Quia vox *regulariter* non cadit in consensum signo aliquo externo expressum, sed in consensum ut per verba expressum; quia consensus aliquando per nutum, aliudve signum externum, verborum vicem gerens exprimitur, ut in mutis, nam consensus per nutum sufficienter expressus æquivalet consensui per verba expresso. Unde sensus Concilii est, causam constitutivam Sacramenti Matrimonii esse consensum expressum per verba, vel per aliud signum externum verbis in ordine ad consensum Matrimonialem exprimendum æquivalens.

Obj. 2. Forma Sacramenti Matrimonii sunt hæc verba, *Ego vos in Matrimonium conjungo*, quæ profert Parochus. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam verba formæ Sacramenti proferri debent à ministro Sacramenti. Parochus autem non est minister hujus Sacramenti, sed contrahentes. Præterea posito præcisè mutuo contrahentium baptizatorum consensu per verba expresso, ponitur signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, nempe vinculum conjugale baptizatorum, ideoque Sacramentum.

Obj. 3. Consensus internus non est sensibilis. Sed materia cujuslibet Sacramenti debet esse sensibilis. Ergo consensus, &c. non est materia Sacramenti Matrimonii.

Resp. Sufficit, quòd materia hujus Sacramenti sit sensibilis per aliud, nempe per verba vel alia signa, quæ sunt ejus forma. Quia hoc Sacramentum nullum habet ritum specialem, & distinctum à legitimo contractu Matrimonii, quem Christus ad Sacramentum evexit, nihil aliud exigendo. Quare quod sufficit ad validum Matrimonii Fidelium contractum, sufficit quoque ad Sacramentum. Unde Matrimonii Sacramentum differt ab aliis, in quibus Christus specialem ritum instituit.

QUÆSTIO IV.

Quisnam sit minister Sacramenti Matrimonii?

§. I.

DIco. Minister Sacramenti Matrimonii non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes. *Ita communiter Theologi contra Melchiorem Canum, Estium, Sylvium,* & Recentiores non paucos, docentes ministrum esse Sacerdotem, & assignantes pro materia Sacramenti consensum verbis, aut aliis signis expressum, pro forma verò hæc Sacerdotis verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.*

Prob. 1. Ex Conc. Florent. in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Septimum est Sacramentum Matrimonii . . . causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Unde sic argumentor. Illi soli sunt ministri matrimonii, qui ponunt causam efficientem seu constitutivam illius. Atqui soli contrahentes ponunt causam efficientem seu constitutivam Matrimonii, nempe mutuum consensum per verba de præsenti expressum, qui ex Conc. est causa efficiens, seu constitutiva Sacramenti Matrimonii: nam Concilium ibi agit de Matrimonio ut Sacramento, ut patet ex primis verbis textus citati, & ex scopo decreti, in quo traditur doctrina de Sacramentis. Et verò alioqui Concilium non traderet materiam & formam hujus Sacramenti, sicut tradidit de aliis omnibus Sacramentis, sicque manca esset ejus doctrina circa hoc Sacramentum. Ergo.

Prob. 2. Ex Concil. Trident. quod, Sess. 24. Sacramentum Matrimonii accuratè

curatè explicans nullum discrimen quoad ritum & constitutivum ponit inter Matrimonium, ut est Sacramentum novæ legis, & Matrimonium ut fuit ante legem Evangelicam; sed præcisè dicit Matrimonium in lege nova veteribus connubiis præstare virtute conferendi gratiam, ideoque esse Sacramentum novæ legis verum & propriè dictum. Ergo ex Concilio Matrimonium ut est Sacramentum novæ legis non habet aliam materiam & formam, nec alium ministrum, quam habebat ante legem Evangelicam. Atqui ante legem Evangelicam Matrimonii minister erant ipsi contrahentes. Ergo contrahentes sunt etiam nunc minister Matrimonii ut est Sacramentum. 2. Idem Conc. Can. 1. absque ulla exceptione definit Matrimonium baptizatorum esse Sacramentum. Atqui Matrimonium coram duobus testibus & Parocho nulla verba proferente contractum, est verum Matrimonium: ergo est Sacramentum, licèt Parochus non fungatur officio ministri, sed solùm testis, nec proferat verba, in quibus adversarii formam hujus Sacramenti constituunt. 3. Idem Concil. c. 1. sic ait: *Dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta; rata, & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant.* Atqui Matrimonium ratum ex usu Ecclesiastico, & in sensu Ecclesiæ ac juris Canonici, in quo sanè Concil. Trident. has voces accipiebat, est Matrimonium quod est verum Sacramentum. Nam Matrimonium dicitur ratum ratione Sacramenti, ut patet ex cap. *quanto* de divortiis, ubi Innocentius III. sic ait: *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit. Quia Sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Ergo ex Conc. clandestina Matrimonia fuerunt etiam Sacramenta: ac proinde Parochus non est minister hujus Sacramenti, cùm clandestinis Matrimoniis non adsit.

Prob. 3. Ex unanimi veterum Theologorum consensu, qui ante Canum scripserunt, uno Guillelmo Parisiensi excepto, qui pro opposita sententia citatur. Hic sufficiat. S. Thom in 4. dist. 28. ad Hannibald. dist. 26. quæst. un. art. 1. ad 1. supra cit. & dist. 28. quæst. 1. art. 3. ubi ait: *Dicendum, quod sicut in aliis Sacramentis quædam sunt de essentia Sacramenti, quibus omissis non est Sacramentum: quædam autem ad solemnitatem Sacramenti pertinent, quibus omissis verum perficitur Sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum Matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti. Alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut Matrimonium convenientiùs fiat: unde si omittantur, verum Matrimonium est.* Ideoque Sacramentum. Et dist. 28. quæst. un. art. 2. ad 1. sic ait: *In aliis Sacramentis id quod est ex parte Ministrorum, est de essentia Sacramenti: non autem in Matrimonio, sed solùm de solemnitate . . . unde absque Ministris Ecclesiæ potest fieri Matrimonium, non autem alia Sacramenta.*

Prob. 4. Ratione. Hoc ipso ponitur Sacramentum Matrimonii, quod ponitur signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: nam hoc ipso quòd existit hoc signum, existit signum gratiæ & chari-

charitatis, ideoque Sacramentum. Atqui hoc ipso quod ponitur verus Matrimonii contractus inter baptizatos, secluso quocumque alio, ponitur signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: nam hoc ipso ponitur conjunctio conjugalis quæ est tale signum. Ergo hoc ipso quod ponitur contractus Matrimonii inter baptizatos, ponitur Sacramentum Matrimonii. Ergo Sacramentum Matrimonii ponitur à solis contrahentibus: ac proinde soli contrahentes sunt minister hujus Sacramenti.

Porro conjunctio conjugalis, seu vinculum conjugale in fieri seu consideratum ut fit, non distinguitur realiter ab ipso contractu Matrimoniali, cujus est effectus formalis primarius.

§. II.

Solvuntur Objectiones petitæ ab auctoritate.

Obj. 1. Conc. Florent. docet Sacramenta rebus & verbis perfici. At Sacramentum Matrimonii non perficitur essentialiter verbis, si verba, quæ profert Sacerdos in Benedictione Nuptiarum, non sint ejus forma. Ergo.

Resp. Cùm Conc. Florent. dicit Sacramenta perfici verbis tanquam forma, intelligi debet cum hoc addito, (saltem communiter pro Sacramento Matrimonii,) ut patet paragrapho *septimum*, ubi de hoc Sacramento in particulari agens, dicit causam ejus efficientem esse regulariter consensum per verba de præsenti expressum. Nam hanc vocem *regulariter* addidit, ut significaret non semper perfici Matrimonium consensu per verba propriè dicta expresso, sed aliquando effici consensu per nutum, aut aliud signum verborum vicem gerens expresso. Quare sensus Conc. est, Sacramenta, verbis propriè dictis tanquam forma perfici, essentialiter quidem sex priora Sacramenta, communiter verò Matrimonium, quod tamen sine verbis aut aliquo alio signo externo verborum vicem gerente, ad consensum conjugalem exprimendum eis æquivalente perfici non possit.

Dices. Idem dici poterit de formis aliorum Sacramentorum, nempe quod loco verborum sufficere possit nutus aut aliquod signum externum.

Resp. Nego. Ratio disparitatis est, quia Christus matrimonium baptizatorum ad esse Sacramenti evexit, nullum specialem ritum instituendo, sed præcisè ei vim significandi & efficiendi gratiam tribuendo: ac proinde ad Sacramentum Matrimonii nihil aliud requiritur quàm id, quod ad contractum Matrimonialem requiritur. Ad hunc autem contractum sufficit legitimus consensus non solùm verbis, sed etiam nutu aut aliquo signo externo, verbis æquivalente expressus. At Christus ritum aliquem saltem genericè sumptum instituit pro cæteris Sacramentis; voluitque ut sine verbis propriè dictis perfici non possint, cum ad illorum convenientem administrationem requirantur verba. Hæc autem disparitas nobis certo innotescit per Traditionem, & praxim ac sensum Ecclesiæ.

Obj. 2. Multi summi Pontifices, ut Siricius, Hormisdas docent Matrimonium esse propriè Sacramentum, si Sacerdotis ministerium interveniat. Ergo Sacerdos est minister hujus Sacramenti.

Resp. Solum reprehendunt clandestina Matrimonia, quæ sine testibus & Sacerdotali benedictione contra Ecclesiæ prohibitionem fiunt, & quæ proinde non sunt Sacramenta actu gratiam conferentia ob indispositionem contrahentium.

Obj. 3. Nicolaus I. Can. Lotharius 31. quæst. 2. docet Matrimonium inter Lotharium & Gualdradam initum, nullum

nullum esse, si non fuerit cum benedictione Sacerdotis celebratum.

Resp. Non hoc præcisè dicit, sed sic ait: *Si minimè probatum fuerit Gualdradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundùm morem celebratis, per benedictionem scilicet Sacerdotis, filio nostro Lothario extitisse conjunctam, suggerite illi, ut non molestè ferat legitimam sibi reconciliari uxorem.* Ibi autem loquitur Pontifex secundùm præsumptionem fori externi, in quo non reputatur Matrimonium verum esse, quòd à partibus probari palam nequit. Præterea certum est hoc tempore Matrimonia clandestina esse valida saltem in ratione contractus, nec dissolvi posse. Quare hæc objectio solvenda est adversariis.

Obj. 4. Sanct. Ambrosius, epist. 7. docet conjugium esse sanctificatum benedictione Sacerdotali.

Resp. Loquitur de sanctificatione accidentali, non Sacramentali. Vel si loquatur de sanctificatione Sacramentali, solùm vult sine benedictione Sacramentali ab Ecclesia præcepta non conferri gratiam sanctificantem ob indispositionem conjugum violantium Ecclesiæ præceptum.

Obj. 5. Varios Canones decreti, & Clementinam *Religiosi*, de privil. in 6.

Resp. Ex his Canonibus & aliis juribus id unum evinci potest, nempe Sacerdotalem benedictionem adhiberi solere, atque etiam debere in nuptiis. Quod verum est, quamvis hæc benedictio non sit de essentia Sacramenti: sicut cæremoniæ Baptismi præceptæ sunt, & adhiberi debent, quamvis non sint de illius essentia.

Obj. 6. Concil. Lateranense, c. 9. de Simonia sic ait: *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus ponendis in sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam nec non pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur.* Ergo benedictio nubentium est Sacramentum, nam ibi inter Sacramenta numeratur, ut patet ex voce *aliis.*

Resp. Nego conseq. Et ejus prob. nam hæc vox *aliis* non est hìc relativa, sed est absoluta perinde ac vox *alii* in hoc textu, Luc. 23. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo.* Nam si vox illa *aliis* esset ibi relativa, esset etiam relativa ad exequias mortuorum, sicut dicitur esse ad benedictionem nubentium; sicque hæc omnia essent Sacramenta. Quare sensus est, seu aliis rebus sacris, qualia sunt Sacramenta.

Obj. 7. Concil. Carthaginense IV. Can. 13. ait: *Sponsus & Sponsa . . . cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* At hoc non præciperetur sponsis, nisi per benedictionem conferretur Sacramentum. Ergo.

Resp. Nego min. Sed Concilium consulit tantùm conjugibus; ut prima nocte virginitatem servent ob reverentiam benedictionis; quia hæc benedictio est sacra & solemnis cæremonia ab Ecclesia instituta, quæ proinde digna est hac reverentia, quamvis ipsa Sacramentum non efficiat; sed supponat jam factum.

Obj. 8. Rituale Romanum, Concilium Cameracense anni 1567. S. Carolus, in actis Ecclesiæ Mediolanensis; Manuale Yprense & Mechliniense, & Enchiridium Concilii Coloniensis Sacerdotem vocant ministrum Sacramenti Matrimonii.

Resp. Sacerdos eo sensu appellatur minister hujus Sacramenti, quatenus contrahentes non possunt hoc Sacramentum licitè nec solemniter perficere,

re, nisi Sacerdote præsente & ipsos contrahentes benedicente, imò nec validè nisi ipso Sacerdote assistente. Quare Sacerdos est minister hujus Sacramenti quoad solemnitatem accidentalem, atque etiam quatenus est testis essentialiter ab Ecclesia requisitus ut ipsius Ecclesiæ minister. At Sacerdos eo sensu non dicitur minister hujus Sacramenti, quòd verba quæ profert, sint ejus forma essentialis, ut patet ex his Enchiridii objecti verbis: *Verbum hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas & fœmina cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant accipiuntque, non quovis modo, sed in Dei nomine conjunguntur & copulantur.* Ergo verbum, quo fit Sacramentum Matrimonii, à contrahentibus profertur: proindeque contrahentes sunt hujus Sacramenti minister applicans formam essentialem, non Sacerdos.

Dices. Sacerdotale Romanum Sacerdotem vocat ministrum hujus Sacramenti in sensu proprio & stricto, nam sic habet apud Sylvium: *Si estis consanguinei vel affines usque ad quartum gradum inclusivè, &c. Quibus sigillatim respondentibus quod non, Sacerdos proferat verba, quæ sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque.*

Resp. Sacerdotale hoc loco sumit Sacramentum Matrimonii integraliter, nempe secundùm suam essentiam & solemnitatem accidentalem, sive ut solemniter celebratum. Forma autem integra hujus Sacramenti ut solemniter celebrati & integraliter sumpti constat tùm ex contrahentium verbis ejus essentiam constituentibus, tùm ex Sacerdotis verbis ad ejus solemnitatem pertinentibus.

Obj. 9. Evaristus Papa, c. *alter* 30. quæst. 5. ait: *Connubia sine Sacerdotis benedictione contracta seu præsumpta, non Conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potiùs quàm legitima Conjugia esse.*

Resp. Ibi agitur de connubiis clandestinis, in quibus non intervenit mutuus contrahentium internus consensus. Ut patet ex his verbis, quæ statim subjiciuntur: *Nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Et verò alioqui Canon ille manifestum errorem contineret: nam repugnaret Conc. Trid. Sess. 24. c. 1. declarante *clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.*

Obj. 10. Ex Conc. Coloniensi anno 1536. Matrimonium accedente Sacerdotali benedictione confert gratiam.

Resp. Hoc dicit, quia qui benedictionem Sacerdotis ab Ecclesia præscriptam omittebat, peccabat mortaliter, ideoque non accipiebat gratiam Sacramentalem. Contra verò hac benedictione accepta gratiam accipiebat, si nil obstaret.

Obj. 11. S. Thomam multis locis. I. Sanct. Doctor, 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 6. dicit: *Dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum: & ideo secundùm jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur.*

Resp. S. Thomas ibi clarè distinguit Sacramentum Matrimonii à benedictione nubentium; & ex eo quod jure naturali illicitum sit dare pecuniam pro Sacramento Matrimonii, rectè concludit ab Ecclesia meritò prohiberi, ne aliquid exigatur pro benedictione nubentium; quia nempe hæc benedictio est res Sacramentalis, & solemnitas Sacramenti: cujus proinde reverentia exigit, ut benedictio nubentium non tractetur tanquam res profana & temporalis, exigendo pretium pro illa.

II. Dicit, 3. p. q. 83. a. 3. ad 8. *Dispensatio Sacramentorum pertinet ad Ministros Ecclesiæ.*

Resp. Revera ad Ministros Ecclesiæ pertinet dispensatio Sacramentorum sive quoad essentiam simul & solemnitatem; ut sex priorum, sive quoad solemnitatem tantùm, ut fit in Matrimonio. Quod sufficit ad scopum S. Doctoris; nam ibi vult solùm probare Ministros Ecclesiæ nihil statuere posse circa Sacramentorum substantiam, sed tantum circa usum Sacramenti & modum celebrandi, ut patet ex contextu: *Dispensatio Sacramentorum pertinet ad Ministros Ecclesiæ: sed Consecratio eorum est ab ipso Deo: & ideo Ministri Ecclesiæ non habent aliquid statuere circa formam Consecrationis, sed circa usum Sacramenti, & modum celebrandi.*

III. In supplem. q. 8. art. 1. ait: *Solus ille Minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet Ministerium super corpus Christi verum, quod est solius Sacerdotis.*

Resp. S. Doctor nomen *Sacramentorum* hìc accipit in suppositione particulari, non universali; & intelligi debet de majore numero Sacramentorum, non de omnibus. Nam certum est simplicem Presbyterum, *qui tamen habet Ministerium super corpus Christi verum*, non esse Ministrum Sacramenti Ordinis saltem Sacerdotalis & Episcopalis; item certum est Laicum posse esse Ministrum Baptismi; de Matrimonio verò loquens S. Thom. suppl. q. 42. a. 1. ad 1. sic ait: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt formæ hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Et ad 2. *Sacramentum Matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur.*

IV. S. Thomas, in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. docet verba esse de essentia Matrimonii ut est Sacramentum.

Resp. Nego. Nam ibi ad 5. sic ait: *Matrimonium secundùm quod est in officium, & Pœnitentia secundùm quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundùm quod utrumque est Sacramentum, in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consistens; utrumque habet aliqua verba: sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ: in Pœnitentia autem est absolutio Sacerdotis verbotenus facta.* Juxta autem S. Doctorem utrumque Sacramentum in dispensatione Sacerdotis existit, sed diverso modo. Nam Pœnitentia in ejus dispensatione consistit quoad substantiam & formam essentialem: Matrimonium verò tantùm quoad solemnitatem accidentalem, nempe quoad benedictiones ab Ecclesia institutas, quæ proinde non possunt esse de essentia Sacramenti. Unde, ad dist. 18. q. 1. art. 3. ait: *Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia Sacramenti.*

V. I. 4. contra gentes, c. 78. Probat Matrimonium esse Sacramentum, ex eo quòd dispensetur à Ministro Ecclesiæ.

Resp. Loquitur de dispensatione quoad solemnitatem accidentariam. Nam ibidem docet Matrimonium dispensari à Ministro Ecclesiæ per solam benedictionem, quam pluries docet non esse de essentia Sacramenti.

§. III.

Solvuntur Objectiones à ratione petitæ.

Obj. 1. Verba ex quibus constant formæ Sacramentorum, debent esse sacra. At hæc verba (*accipio te in meam*

meam, accipio te in meum :) non sunt sacra, sed profana. Ergo non sunt forma, &c.

Resp. Disting. min. Hæc verba non sunt sacra, si spectentur præcisè secundùm se & independenter ab institutione Christi, *conc. min.* si spectentur instituta à Christo ad significandam & efficiendam gratiam, *nego min.* nam hoc ipso à Christo evecta sunt ad Ordinem rerum sacrarum.

Obj. 2. Matrimonium solis conjugum verbis contractum non significat nec repræsentat effectum Sacramentalem : ergo non est Sacramentum. Ergo, &c.

Resp. Nego anteced. Nam repræsentat spiritualem conjugum per mutuam charitatem conjunctionem.

Obj. 3. Matrimonium seclusa benedictione Sacerdotali, nihil habet sacri. Ergo.

Resp. Dist. anteced. Nihil habet sacri in non baptizatis, *conc. ant.* in baptizatis, *nego ant.* nam Matrimonium solis conjugum baptizatorum verbis contractum, à Christo evectum est ad Sacramenti dignitatem, ideoque ad ordinem rerum sacrarum. Igitur Matrimonium consideratum præcisè secundùm se, est quid merè naturale : at consideratum ut à Christo ad Sacramenti dignitatem evectum, est aliquid sacrum, spirituale, ac supernaturale

Obj. 4. Minister debet esse diversus à suscipiente. Ergo non contrahentes, sed Sacerdos est Minister Sacramenti Matrimonii.

Resp. Equidem in aliis Sacramentis, quæ in usu consistunt, diversus est Minister à suscipiente, non tamen est in Sacramento Matrimonii. Ratio disparitatis est, quia hoc Sacramentum consistit adæquatè in contractu Matrimoniali evecto ad dignitatem Sacramenti : cujus cùm contrahentes sint simul causa efficiens & subjectum, sunt etiam causa efficiens & subjectum Sacramenti Matrimonii. At nihil simile occurrit in aliis Sacramentis.

Obj. 5. Parochus, postquam exquisivit mutuum viri & mulieris consensum, dicit: *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* At hæc verba sunt falsa, si Parochus non est Minister Sacramenti. Ergo.

Resp. Neg. min. Nam horum verborum sensus est : ego Matrimonium vestrum auctoritate Ecclesiæ ratum habeo, & confirmo : unde conjungit approbativè, non efficienter. Et verò ante Conc. Trident. hæc verba in variis Ecclesiis à Sacerdote non adhibebantur, sed alia quoad sensum diversa, nempe hæc : *Quod Deus conjunxit, homo non separet ;* & tamen Conc. suum cuique Ecclesiæ ritum proprium quoad hoc expressè permittit, sess. 24. c. 1. ubi ait : *Parochus viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat : Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii & Spiritus-sancti : vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Certè non idem diceret de verbis Sacramento essentialibus.

Obj. 6. Gratis dicitur Sacramentum Matrimonii consistere in solo legitimo consensu conjugum per verba de præsenti, vel aliud signum externum expresso.

Resp. Neg. Nam hoc nobis ex Traditione sufficienter constat. Patres enim & Concilia dum docent Matrimonium Fidelium esse Sacramentum, nullam unquam mentionem faciunt ritus novi pro hoc Sacramento à Christo instituti : unde sentiunt Sacramentum Matrimonii adæquatè consistere in ipso Matrimonio, seu consensu Matrimoniali. Imo Concilia, ut Florent. & Trident. cùm ex professo agunt de hoc Sacramento nihil aliud ad ejus essentiam requi-

quirunt quàm contractum legitimum. Nec aliud discrimen inter marimonium Fidelium, & vetera connubia constituit Conc. Trid. quàm quod Matrimonia Fidelium habeant vim conferendi gratiam, quam non habueruntconnubia in lege naturæ & Mosaica. Vera autem Traditio in Conciliorum Generalium doctrina certò continetur.

Obj. 7. Contrahentes personam Christi non gerunt, ergo non sunt Ministri, &c.

Resp. Contrahentes personam Christi gerunt, quatenus per mutuam suorum corporum traditionem & acceptationem, ex institutione Christi significant unionem Christi cum Ecclesia, & gratiam sibi conferunt.

QUÆSTIO V.

Utrùm Matrimonium sit indissolubile, & quo jure?

DIco. Quodvis Matrimonium absolutè contractum, est & semper fuit jure Divino tum positivo, tum etiam naturali indissolubile quoad vinculum, ita ut nunquam dissolvi potuerit & possit sine concessione Divina.

Prob. De jure Divino positivo, ex Matth. c. 19. ubi Christus Matrimonium ad suam primævam institutio nem revocans, sic ait: *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos; & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus postremis verbis Christus declarat Matrimonium semel contractum non posse nisi auctoritate Divina, seu à Deo accepta dissolvi.

Prob. De jure Divino naturali. Nam solubilitas vinculi Matrimonii adversatur finibus Matrimonii, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, & arctissima inter conjuges animorum conjunctio. Enim vero alioqui nullam quoad hæc esset discrimen inter fornicationem jure naturali vetitam, & legitimum Matrimonium; atque proles debita educatione careret, & sæpe sine certo patre relinqueretur.

Confirmatur ex Conc. Trident. sess. 24. ubi ait: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu pronunciavit, cùm dixit:* hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hæc autem verba Adamus nulla lege positiva duce, & ante lapsum, ideoque ante consummationem Matrimonii protulit. Unde patet Matrimonium etiam ante consummationem ex prima sua institutione & ex natura sua indissolubile esse: ac proinde postea nulla auctoritate merè humana dissolvi posse, etiam ante consummationem, enim verò quamvis non sit consummatum, ordinatur tamen ex se ut consummetur & proles procreetur.

Obj. Si Matrimonium esset jure naturali indissolubile, Deus non posset illud dissolvere. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia Matrimonium non est jure naturali indissolubile auctoritate Divina, sed solum auctoritate merè humana, seu non accepta à Deo. Deus igitur quodlibet Matrimonium etsi consummatum dissolvere potest etiam quoad vinculum, tanquam Supremus creaturarum omnium & jurium illarum Dominus, atque rerum omnium Provisor, auferendo utrique conjugi dominium in corpus alterius, & suâ providentia impediendo incommoda inde sequi nata, aut suppeditando media ad ea vitanda.

Inst. Deus non potest dispensare propriè in lege naturali. Ergo non potest concedere potestatem dissolvendi Matrimonium, si illud sit jure naturali indissolubile.

Resp. *Nego conseq.* Quia (ut jam dixi) Matrimonium non est jure naturali & ex natura sua indissolubile auctoritate Divina, sed solum auctoritate quæ non sit à Deo accepta. & ex solo consensu contrahentium propter rationes allatas. Deus enim pro summo suo in res omnes dominio & pro sua omnipotenti providentia potest de juribus hominum & de ipsis hominibus disponere, & impedire incommoda alioqui oritura, & suppeditare media ad ea avertenda ac vitanda, atque supplere defectus omnes creaturarum.

QUÆSTIO VI.

Utrùm in lege veteri Matrimonium verè dissolveretur per libellum repudii?

DIco. In lege Mosaicâ per libellum repudii verè solvebatur Matrimonii vinculum ex dispensatione Divina. Ita Scotus, Bellarminus, & alii multi contra alios non paucos existimantes repudium permissum fuisse, non ut licitè, sed solum impunè fieret, ad vitanda majora mala.

Prob. 1. Ex Deuter. c.24. *Si acceperit aliquam uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Nam hæc verba (*cumque egressa alterum maritum duxerit*) satis clarè significant concessam uxori dimissæ licentiam nubendi alteri, ideoque prius Matrimonium per libellum repudii dissolutum fuisse: alioqui mulier repudiata, plures simul maritos habuisset, quod nunquam licitum nec validum esse potuit. Item posteriora verba significant, aut saltem apertè supponunt mulierem repudiatam desiisse esse uxorem prioris mariti: nam verba (*non poterit recipere eam in uxorem*) significant in sensu proprio & obvio, non poterit iterum eam ducere; seu cum ea Matrimonium inire. 2. Lex Mosaica non puniebat mulieres repudiatas, quæ alteri nubebant, ut patet ex eodem capite, & tamen puniebat mulieres adulteras, nempe jubebat illas lapidari. Ergo mulieres repudiatæ aliis viris nubentes, non erant adulteræ. Ergo verum Matrimonium cum aliis viris contrahebant: ac proinde prius Matrimonium dissolutum fuerat per libellum repudii: nam mulier neque licitè neque validè duos maritos habere unquam potuit. 2. Alioqui mulieres repudiatæ debuissent perpetuam continentiam servare, & quidem ob defectum aliquem sibi non imputabilem, nempe difformitatem aliquam, quod sanè credibile non est.

Obj. 1. Deut. cap. 24. Mulier repudiata, quæ alteri viro nupsit, dicitur polluta & abominabilis facta coram Domino.

Resp. Ibi agitur de pollutione & abominatione legali, & quidem relatè ad priorem virum: quæ pollutio legalis sine culpa contrahi poterat. Itaque mulier repudiata, per matrimonium cum altero quamvis licitè contractum, contrahebat pollutionem & abominationem legalem relatè ad priorem virum, à quo repudiata fuerat, ita ut huic non liceret eam recipere in uxorem. Ratio fuit, ne si reciperetur, videretur ad tempus dimissa, & quasi

quaſi alteri viro commodata, quod eſt abominabile.

Obj. 2. Matth. c. 19. Chriſtus ait: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, &c.*

Reſp. Chriſtus ibi ſolùm docet duritiam cordis Judæorum fuiſſe occaſionem conceſſionis à Deo per Moyſem factæ dimittendi uxores ſuas per libellum repudii: ideoque juſtam habere ſe cauſam revocandi ejuſmodi conceſſionem.

QUÆSTIO VII.

Utrùm Matrimonium conſummatum baptizatorum ſit omnino indiſſolubile?

Nota. Græci à multis ſæculis docent Matrimonia quælibet propter ſolum adulterium diſſolvi, & conjugibus alia contrahendi Matrimonia facultatem concedunt. Idem docet Calvinus. Lutherus verò & Bucerus volunt Matrimonii vinculum non ſolùm propter adulterium, ſed etiam propter plures alias cauſas ſolvi poſſe.

Dico. Matrimonium fidelium conſummatum nullo caſu diſſolvi poteſt, vivente utroque conjuge. Eſt dogma catholicum.

Prob. 1. Chriſtus generaliter & abſque ulla exceptione dicit, Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur. Et qui dimiſſam à viro ducit, mæchatur.* Et Marc. 10. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur.* Idem docet Apoſtolus, 1. Cor. c. 7. v. 10. 11. & 39.

Prob. 2. Ex Traditione Patrum. Secundo ſæculo. S. Juſtinus martyr, in 2. Apologia pro Chriſtianis: *Qui dimiſſam* (uxorem ob cauſam fornicationis) *ab altero viro ducit, adulteratur.* Athenagoras, in apologia pro Chriſtianis. *Secundum conjugium* (vivente altero conjuge contractum) *illuſtre eſt adulterium. Quicumque enim, inquit* (Chriſtus) *uxorem ſuam dimiſerit, & aliam duxerit, mæchatur.*

Tertio ſæculo. Tertullianus, l. 4. contra Marcionem, cap. 34. Marcioni objicienti Chriſtum prohibere repudium in veteri lege permiſſum, ſic reſpondet: *Dico illum* (Chriſtum) *conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideo quis dimittat uxorem ut aliam ducat. Qui dimiſerit, inquit, uxorem, & aliquam duxerit, adulterium commiſit, & qui à marito dimiſſam duxerit, æquè adulter eſt, ex eadem utique cauſa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur.* Clemens Alexandrinus, l. 2. ſtromatum in fine. *Quòd . . . . Scriptura . . . . nec à conjugio unquam permittit diſcedere, legem apertè conſtituit: non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat conjungi Matrimonio, vivo altero ex ſeparatis.* Ob fornicationem, ob quam ſcilicet ſolam Clemens putat licitum eſſe divortium quoad thorum & habitationem in perpetuum. Origenes, tract. 7. in Matthæum. *Scio quoſdam, qui præſunt Eccleſiis, extra Scripturam permiſiſſe aliquam nubere, viro priori vivente, & contra ſcripturam quidem fecerunt dicentem:* mulier ligata eſt, quanto tempore vivit vir ejus. *Item,* vivente viro, adultera vocabitur, ſi facta fuerit (uxor) alteri viro.

Quarto ſæculo. S. Baſilius, l. de Virginitate. *Non audis, quòd etiam qui dimiſſam ducit, adulterium committit? etſi enim, inquit, dimiſſa eſt propter cauſam, attamen vivet vir ipſius . . . quòd ſi is qui eam ducit,* quæ

quæ à mortali viro dimissa est, adulterium committens impiè facit, multo magis impiè per omne tempus adulterium committit is, qui immortalis viri sponsam numquam dimissam corrumpere audet. S. Chrysostomus, l. de Virginitate. *Quid si vir uxore, continenter aversus perpetuò abhorreat? perferas,* inquit (Apostolus,) *omnem istam servitutem. Tantùm enim tui juris futura es, cùm is à vita migravit . . . numquam licet nubere sic nuptæ, tantùm conjuge mortuo.* Et Homil. 17. in Matth. de eo qui uxorem propter adulterium dimisit, sic ait: *Ille enim etsi alteram non duxerit; hoc ipso se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex conjuge,* (permittendo illam alteri nubere) *Hic verò excipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas; quia illam alter ejecit: nam expulsa quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat.* S. Hieron. epist. ad Amandum. *Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissimè definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit . . . quandiu vivit vir, licèt adulter sit, licèt Sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.*

Quinto sæculo S. August. l. 1. de adulterinis conjugiis, c. 9. *Nec tamen ideo illum, qui propter fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus; sed utrosque mæchos esse minimè dubitamus. Nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, & alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus. Ambos enim mæchos esse cognoscimus.* Et l. de bono conjugali, c. 7. *usque adeo fœdus illud initum nuptiale, cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat.* Et c. 5. *Semel initum connubium in civitate Dei nostri* (id est in Ecclesia) . . . *nullo modo potest nisi alicujus eorum* (qui illud contraxerunt) *morte dissolvi.*

His adde plurima Concilia, nimirum Eliberitanum anno 305. can. 9. Arelatense I. can. 30. Milevitanum an. 416. can. 10. Foro Juliense an. 781. cap. 10. Nannetense an. 900. cap. 12.

Prob. 3. Ex Conciliis generalibus, Flor. in decreto pro Armenis, in quo dicitur: *Quamvis ex causa fornicationis liceat Thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cùm Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et Trident. sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere; mæcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; Anathema sit.* Ergo juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, quæ est verbum Dei, etiam propter adulterium, Matrimonii vinculum dissolvi non potest.

Ratio autem: cur Christus voluit, ut Matrimonium consummatum baptizatorum nunquam dissolvi posse, est, quia hoc Matrimonium est signum perfectum conjunctionis Christi cum Ecclesia per incarnationem, ex c. 5. de Bigam. quæ conjunctio est indissolubilis, Verbum enim humanitatem assumptam nunquam dimittet.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud, Matth. c. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.*

Resp.

Resp. Sensus est: quicumque dimiserit uxorem, videlicet quoad thorum & cohabitationem absolutè ac in perpetuum, nisi ob fornicationem, mæchatur, id est, reus est mæchiæ alienæ, seu *facit eam mæchari*, ut habetur, Matth. c. 5. & qui aliam duxerit quacumque ex causa, mæchatur mæchia scilicet propria. Quare Christus duo hic docet, nempe & propter solum adulterium dimissionem absolutè & in perpetuum quoad thorum & cohabitationem fieri posse ex vi contractu Matrimonii, & facta tali dimissione non posse iniri novum Matrimonium vivente conjuge. Nam Christus ipse ea, quæ hìc obscurè dixerat ad vitandas interrogantium calumnias, alibi Discipulis clarè exponit: nempe, Matth. c. 5. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari.* Et Marc. 10. *ait illis* (Discipulis) *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.*

Nihilominus Christus satisfecit interrogationi factæ de dimissione quoad vinculum. Nam cùm dimissio quoad vinculum includat potestatem dimittendi unam, & ducendi alteram; Christus has duas dimissiones sejungens, priorem concessit, posteriore negata; & priorem dimissionem absolutam ac perpetuam & vi contractus Matrimonialis factam restrinxit ad solam fornicationem.

Obj. 2. Justinus martyr, in 1. Apologia narrat mulierem quamdam Christianam à viro libidinoso, *ne impietatis illius fieret particeps, misso illi repudii libello, ab eo sejunctam esse.*

Resp. Narrat illam mulierem à marito suo libidinoso sejunctam esse quoad thorum & cohabitationem scilicet, non verò quoad vinculum conjugale; & ipsa ab eo se separavit, non ut eo vivente alium duceret, sed dumtaxat *ne impietatis illius fieret particeps:* ad quod sufficiebat separatio quoad thorum & cohabitationem.

Obj. 3. S. Chrysostomus, homil. 19. in c. 7. 1. Ad Cor. dicit post fornicationem alterius conjugum nuptias esse dissolutas, maritum non esse amplius maritum.

Resp. S. Doctor has locutiones intelligit tantùm quoad jus exigendi debitum, atque etiam jus utendi Matrimonio, non verò quoad vinculum conjugale. Et solùm vult per adulterium alterius conjugum nuptias dissolvi, & maritum desinere esse maritum, quantùm ad jus exigendi debitum, imò utendi Matrimonio: nam putabat per adulterium alterius conjugum usum Matrimonii reddi illicitum, juxta illud Apostoli, 1. Cor. c. 6. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Unde inferebat maritum ad uxorem adulteram, & vicissim uxorem ad maritum adulterum accedere licitè non posse ampliùs.

Obj. 4. Sanctum Gregorium Nazianzenum, orat. 31. & S. Epiphanium. hæresi 59.

Resp. Ad 1. Nazianzenus solùm vult perpetuam separationem quoad Thorum & habitationem à Christo permissam fuisse propter solam fornicationem.

Resp. Ad 2. Locus Epiphanii objectus est manifestè depravatus; unde ex eo nihil colligi potest.

Obj. 5. Pœnitentiale Romanum in causa adulterii permittit conjugi innocenti aliud Matrimonium contrahere, quod sonti prohibet.

Resp. Permittit quidem conjugi innocenti aliud Matrimonium, sed tantùm post mortem compartis. Sonti verò id denegat in pœnam criminis.

Sic intelliges can. *quædam* & can. *si quis*, causa 32. q. 7. Nam hi Canones

nes intelligi debent secundùm can. *hi verò* ead. q. ubi dicitur : *Hi verò qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum nec eam, aliam uxorem accipere, vel alium virum, quandiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, vir ejus si vult nubat, tantùm in Domino : adultera verò numquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus.*

Obj. 6. Can. *Concubuisti*, 32. q.7. ubi Zacharias Papa sic ait : *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas : & si illa quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem & adultera sine spe conjugii permaneatis, &c.*

Resp. Zacharias hoc loco per nomen *uxoris* intelligit sponsam de futuro, ut colligitur ex verbis, *neutram habeas.* Sororem autem sponsæ adulteram vocat; quia sponsus cum ea fornicando, fidem conjugalem promissam violavit. Vel hæc verba *(nubat in Domino cui velit)* intelligenda sunt post mortem conjugis, quod semper subintelligi debet ex sensu & praxi Ecclesiæ Romanæ.

Obj. 7. Leges antiquæ imperatoriæ propter adulterium permittunt repudium & aliud Matrimonium.

Resp. Hæ leges sunt per se injustæ, ideoque nullæ, cùm adversentur juri divino, quod nulla humana potestas abrogare potest.

Observa. Separatio quoad thorum & habitationem quandoque vocatur à Scriptoribus Ecclesiasticis dissolutio vinculi conjugalis; quia nempe erat ejusmodi dissolutio quoad actus conjugales. Patet ex Conc. Foro Juliensi ann. 791. celebraro, quod, c. 10. sic statuit : *Item placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quandiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.*

QUÆSTIO VIII.

Utrùm Matrimonium baptizatorum non consummatum dissolvi possit?

DIco. Matrimonium Baptizatorum, sed non consummatum dissolvitur per solemnem professionem in religione approbata. Est de fide.

Prob. Ex c. *Verum* 2. &c. *Ex publico* 7. de conversione conjugatorum, & ex Conc. Trident. sess. 26. can.6. ubi definit : *Si dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, Anathema sit.*

Ratio est, quia hæc conditio (nisi religionem profiteatur ante consummationem) jure saltem Ecclesiastico apposita est contractui Matrimonii, in favorem boni communis, cui persona privata cedere debet. Imò secundùm aliquos canonistas, & Theologos dissolvitur etiam per auctoritatem summi Pontificis tamquam supremi Dei in terris vicarii ob causam valde gravem.

Obj. 1. Illud Christi, Matth. cap. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Resp. Hæc verba spectant Matrimonium consummatum, quo solo conjuges fiunt una caro. Nam horum sensus est : quod Deus conjunxit in una carne, homo non separet. Præterea cùm summus Pontifex Matrimonium ratum dissolvit, illud dissolvit non ut homo, sed ut Dei Vicarius & potestate à Deo immediatè accepta, ideoque divina.

Obj. 2. Matrimonium fidelium consummatum est prorsus indissolubile, quia est Sacramentum, ergo & ratum.

Resp. Matrimonium consummatum nullo casu solubile est, non quia præcisè est Sacramentum, sed quia est Sacramentum perfectè significans unionem

nem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. Quæ unio est omnino indissolubilis ex vi decreti divini.

Quæres, *Utrùm solvatur Matrimonium ratum per susceptionem ordinis Sacri?*

Resp. Nego. Patet ex Extravaganti Joannis XXII. *Antiquæ*, de voto, ubi sic ait: *De fratrum nostrorum Concilio præsenti declaramus Edicto, quòd licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac dirimendum si post contractum fuerit, secundùm statuta Canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per Sacros reperiamus Canones hoc statutum, invalidum est censendum.* Ratio est, quia homo per susceptionem Ordinis Sacri non moritur civiliter sicut religiosus. Neque hæc conditio (nisi Ordo sacer suscipiatur) apposita est contractui Matrimoniali.

QUÆSTIO IX.

Utrùm infidelium Matrimonium etiam consummatum dissolvi possit, si unus fidem Christianam amplectatur.

DIco. Ex Dei dispensatione, in gratiam religionis Christianæ concessa, conjux ad fidem conversus potest dissolvere prius Matrimonium etiam consummatum, & aliud contrahere cum fideli, si alter infidelis nolit ei cohabitare, aut non velit nisi cum creatoris contumelia, vel eum pertrahendo ad peccatum.

Prob. 1. Ex 1. Cor. c. 7. ubi Apostolus, v. 10. & 11. de baptizatis ait: *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere* (sine justa causa) *quòd si* (etiam ex justa causa) *discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* De infidelibus vero Matrimonio junctis, v. 12. 13. & 15. hæc subjicit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater* (ad fidem conversus) *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo* (pacificè,) *non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis* (ad fidem conversa) *habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa* (pacificè,) *non dimittat virum .... quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Hic Deus præcipit uxorem à viro non discedere, & vicissim virum ab uxore, sine justa causa scilicet: quòd si alteruter discesserit etiam ex justa causa, manere innuptum. De infidelibus verò Deus non idem præcipit; ac proinde respectu infidelis ad fidem conversi cessat præceptum divinum de indissolubilitate Matrimonii. Imò si conjux infidelis discedat, hoc est, nolit omnino, aut nolit pacificè habitare, dicitur conjux fidelis non esse servituti subjectus, hoc est, non manere obligatus vinculo Matrimonii, ut exponit Innocentius III. cap. *Quanto*, de divortiis, & exponunt omnes Doctores.

Prob. 2. Ex c. *Quanto* 7. de divortiis, ubi Innocent. III. sic ait: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.*

Obj. 1. Illud Christi, Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Et illud, Matth. 16. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Resp. Hoc intelligitur de Matrimonio inter fideles contracto, & seclusa dispensatione divina in gratiam religionis Christianæ concessa, ut constat ex Apostolo, 1. Cor. c. 7. supra citato.

Obj. 2. Matrimonium inter baptizatos contractum dissolvi nequit, etiamsi alter conjugum in hæresim vel apostasiam labatur, ut constat ex dictis, & ex cap. *Quanto* de divort. ubi Innocentius III. ait: *Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.* Et ex Conc. Trid. sess. 24. can. 5. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.* Ergo idem est de Matrimonio inter infideles contracto, quamvis alter conjugum convertatur ad fidem.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd Christus noluit Matrimonium baptizatorum consummatum dissolvi umquam posse, quia hoc Matrimonium ex institutione Christi est perfectum signum indissolubilis conjunctionis verbi cum Ecclesia per incarnationem, ad quod requiritur omnimoda indissolubilitas. At Christus in gratiam religionis Christianæ voluit, ut infidelium Matrimonium etsi consummatum dissolvi posset altero conjugum ad fidem converso, quia infidelium Matrimonium non est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Observa. Matrimonium non dirimitur, si uterque conjux ad fidem convertatur; *Cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur*, ait Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divort. nam tunc cessat ratio dispensationis divinæ. Et hoc ipso quòd tales communi consensu baptizantur, dant signum externum, quod consentiant in Matrimonium præcedens, ut juxta Christi institutionem sit insolubile.

Sed quid, si infidelis velit pacificè & sine injuria creatoris cohabitare cum fideli, potestne fidelis discedere & aliud Matrimonium contrahere?

Resp. Circa hoc dissentiunt Theologi. Mihi videtur probabilius fidelem conjugem posse validè contrahere aliud Matrimonium, sed non licitè, si inde sequeretur odium religionis Christianæ, aut scandalum, vel si remanendo sit probabilis spes convertendi infidelem.

Prob. 1. Pars. Ex 1. Cor. c. 7. citato, ubi Apostolus dicit Deum præcipere uxorem fidelem à viro fideli non discedere, & si discesserit manere innuptam, aut viro reconciliari: hoc autem de infidelibus Deum non præcipere, quando unus ad fidem convertitur. Et cùm monet fidelem, ut remaneat cum infideli volenti pacificè & sine scandalo cohabitare, non addit debere si discedat, manere cœlibem.

Prob. 2. Pars. Quia lex charitatis obligat ad impediendum odium religionis & scandalum, atque ad salutem proximi procurandam, saltem quando sine gravi incommodo & periculo id fieri potest.

Utraque pars confirmatur ex Sanct. Augustino, l. 1. de adulterinis conjugiis, c. 13. ubi ait: *Non propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo, recedit ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat.*

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Utrùm Polygamia ſimultanea ſit jure divino prohibita?

Nota. LUtherus & Melancton docuerunt pluralitatem uxorum ſimultaneam eſſe etiam in lege Evangelica licitam; idque ſcripſerunt Philippo Landgravio Haſſiæ, qui eorum auctoritate nixus vivente adhuc priore uxore, alteram duxit, ut conſtat ex monumentis à doctiſſimo Boſſuetio Meldenſi Epiſcopo relatis, lib. 6. Hiſtoriæ Variationum. Calvinus verò ſenſit polygamiam ſimultaneam nunquam fuiſſe licitam, & veteres Patriarchas peccaſſe plures ſimul uxores habendo, ipſis tamen utpote prædeſtinatis adulterii crimen imputatum non fuiſſe.

Quamvis autem apud omnes Doctores Catholicos conſtet polygamiam ſimultaneam lege Evangelica prohiberi; tamen aliqui eam legi naturali non adverſari cenſent contra communiorem ſententiam.

§. I.

Dico. Polygamia, ſeu pluralitas uxorum ſimultanea jure divino poſitivo à Chriſto prohibita, & irrita facta eſt. Fide conſtat.

Prob. 1. Ex Scriptura, Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur.* Ergo à fortiori mæchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Et Matth. c. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos* (unicum cum unica conjungens) *Propter hoc dimittet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una &c.* ubi Chriſtus licentiam antiquis Patriarchis & Iſraelitis factam revocat, & Matrimonium ad primævam inſtitutionem reducit. Et *non dixit tres vel plures, ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed uxori,* ait Innocentius III. cap. 8. de divort. 2. Ex perpetua Eccleſiæ traditione & praxi. Nam uxorum pluralitas ſimultanea ſemper in Eccleſia ut jure divino illicita habita eſt, & nunquam permiſſa fuit. 3. Ex Tridentino, ſeſſ. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Eſſe etiam irritam polygamiam ſuprà docet his verbis. *Hoc autem vinculo duos tantummodò copulari & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, &c.* Nam nemo habet facultatem contrahendi verum Matrimonium niſi quantam & qualem Deus conceſſit.

Obj. 1. Socrates, l. 4. de hiſt. c. 31. refert à Valentiniano ſeniore legem latam fuiſſe, ut cuivis liceret duas uxores habere legitimas, & lege per ſingulas civitates divulgata, ipſam Juſtinam duxiſſe uxorem vivente & retenta priore uxore Severa.

Reſp. Hæc Socratis narratio falſa eſt. Nam neque Ammianus Marcelinus, qui Valentiniani geſta fusè proſecutus eſt, neque ullus alius ſcriptor hoc ſingulare factum narravit. Et lex illa Valentiniani nuſquam legitur niſi apud Socratem, qui non ſemel falſa narravit. Præterea ſi hoc factum verum eſt, Valentinianus graviter peccavit, & lex ejus iniqua fuit, ideoque nulla, nec unquam recepta fuit.

Obj. 2. Can. *Quod propoſuiſti 23. q. 7.*

Reſp. Ibi Gregorius II. cuidam juveni concedit aliam ducere uxorem, quia prior erat impotens, ideoque Matrimonium cum ea contractum, erat invalidum, nec ipſa erat vera uxor.

§. II.

Dico 2. Simultanea uxorum pluralitas ſine licentia Dei, adverſatur legi naturali.

Prob. 1. Ex Script. Genes. c.2. Adamus nulla lege positiva duce, sed divini Spiritus instinctu sic pronuntiat: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Duorum autem in una carne conjunctio simultaneam uxorum pluralitatem excludit, qua non jam duo, sed tres vel etiam plures essent in carne una. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Hieronymus, in cap. 19. Matth. ubi ait Christum *Adducere in testimonium sacram Scripturam, & naturalem legem,* ut unitatem uxoris statuat. 3. Ratione duplici. 1. Quia polygamia simultanea per se talem communiter bonam prolis educationem, & pacem domesticam ad eam necessariam impedit. Nam vix fieri potest, ut non sit aliqua prædilectio; & distinctio, & neglectus aliquarum uxorum; nec invidia, jurgia, rixæ inter illas, aliaque mala inde nascantur, idque ex natura rei, spectato fœminarum nativo ingenio, & seclusa speciali Dei providentia & gratia. 2. Æqualitas contractus Matrimonii, ideoque ejus justitia exigit, ut sicut uxor tradit totaliter dominium sui corporis, sic suum totaliter tradat vir uxori: ita ut uterque eo æqualiter uti possit, nec alteri tradere sine injuria alterius. Nam vir & uxor pares sunt quoad thorum, ut patet ex 1. Cor. cap. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde Innocentius III. cap. 8. de divortiis ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Ergo ex natura rei homo non habet hanc facultatem, quam tamen haberet, si polygamia per se licita esset citra concessionem divinam.

Hinc infideles ad Baptismum admitti non possunt, nisi unam tantùm uxorem primo loco acceptam retineant, cæteris ut legitimis dimissis, cap. 8. de divort. si tamen alia fidem susciperet, præferenda esset: potest quippe conversus omnibus uxoribus infidelibus dimissis, aliam fidelem ducere.

§. III.

Dico 3. Nihilominus antiqui Patriarchæ post diluvium, & Israëlitæ licitè plures simul uxores habuerunt, ex concessione divina, ad multiplicandum populum Dei.

Prob. 1. Exemplo virorum Sanctorum & Deo gratorum, qui plures simul uxores habuerunt. Nam Abraham duas simul habuit uxores, Saram & Agar, Genes. c. 16. Jacob quatuor Liam, Rachelem, Balam, & Zelpham, Gen. c. 29. & 30. & David præter Michol, Achinoam & Abigail, accepit adhuc concubinas & uxores de Hierusalem, postquam venerat de Hebron, lib. 1. Reg. c. 5. 2. Ex Patribus, scilicet Ambros. l. 1. de Abraham, c. 4. Hieron. ep. ad Oceanum; & Chrys. hom. 56. in c 30. Genes. ubi ait: *Tunc enim* (quando Jacob plures simul uxores habebat,) *quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus misceri, ut genus humanum propagaretur.* Et August. l. 3. de doctrina Christiana, c. 12. ubi ait: *Sufficienda prolis causa, erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* Et l. 22. contra Faustum, c. 47. de polygamia simultanea post diluvium & ante legem Evangelicam loquens dicit: *Nulla lege prohibebatur,* Deo scilicet dispensante. 3. Ex cap. *Gaudemus,* de divortiis, ubi Innocentius III. dicit propter divinam concessionem, *Patriarchæ & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

Obj. 1. Polygamia simultanea juri naturali adversatur. Ergo Deus in ea non potuit dispensare cum Patriarchis, &c.

Resp. Disting. antec. Juri naturali adversatur, seclusa concessione divina. *conc. ant.* posita concessione divina, *nego ant. & conseq.* Polygamia simultanea juri quidem naturali adversatur seclusa concessione divina; quia illa seclusa, bonæ educationi prolis & juri uxoris repugnat. At posita concessione Dei, jam neutri repugnat: Nam tunc Deus suppeditat media, ne inde bona educatio & pax familiarum impediatur, & ut supremus creaturarum omnium, & earum jurium Dominus dividit in plures uxores jus, quod una ex natura contractus Matrimonialis habebat totaliter in corpus mariti. Unde polygamia simultanea ut à Deo permissa, per se non repugnat rectæ educationi prolis, nec juri prioris uxoris, nec proinde jam adversatur juri naturali.

Inst. Deus non potest dispensare in lege naturali.

Resp. Disting. Manentibus iisdem circumstantiis, sub quibus lex naturalis aliquid vetat aut jubet, *conc.* non manentibus iisdem circumstantiis, *neg.* posita autem concessione divina, jam non manent eædem circumstantiæ, sub quibus polygamia per se repugnat bonæ educationi prolis, & juri alterius. Nam hoc ipso quòd à Deo suppeditantur media ad bonam educationem prolis, & à supremo omnium jurium Domino dividitur jus unius uxoris in plures; tunc nihil est, quod per se repugnet rectæ educationi proli, & juri prioris uxoris.

Dices. Quod est per se tale, semper est tale.

Resp. Disting. Quod est per se tale in quibuslibet circumstantiis, semper est tale, *conc.* Quod est per se tale in aliquibus tantùm circumstantiis, & non in aliis, semper est tale, *nego.* Polygamia autem simultanea non adversatur juri naturali, nisi quando est sine concessione divina; quia tunc Deus non tenetur suppeditare media ad impedienda mala, quæ ex ea sequi nata sunt, & fit injuria uxori. Secus, quando est ex concessione divina.

Porro aliqua sunt intrinsecè mala tantùm in certis circumstantiis, non in omnibus. Sic occisio innocentis est per se mala sine auctoritate divina, qua posita jam non est per se mala.

Obj. 2. Pluralitas virorum simul ita juri naturali repugnat, ut nunquam possit esse licita, nec Deus possit in ea dispensare. Ergo talis est etiam pluralitas uxorum simul.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia simultanea pluralitas virorum adversatur fini primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ saltem ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur: & quando non impeditur, incertum reddit patrem prolis, quod prolis educationi semper adversatur. At simultanea pluralitas mulierum non impedit generationem, & cùm habetur ex concessione divina, suppeditantur à Deo media, ne inde recta educatio prolis impediatur, & alia mala sequantur.

Obj. 3. Mulieres illæ, quas Patriarchæ uxori adjungebant, vocantur in Scriptura concubinæ, earumque liberi hæredes non fuerunt. Nam, Genes. c. 25. dicitur: *Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filii autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret.* Ergo mulieres illæ non erant uxores legitimæ.

Resp. Nego conseq. Nam eædem mulieres, quas Scriptura concubinas vocat, appellantur etiam ab eadem

Scriptura uxores. Sic, Genes. c. 16. Sara dicitur ancillam suam Agar dedisse viro suo uxorem. Et cap. 25. Abraham dicitur Ceturam duxisse uxorem, quæ paulo post concubina appellatur.

Igitur apud Hebræos & Gentiles duo fuerunt genera uxorum: nam aliquæ ad bonorum communitatem, ac rei domesticæ administrationem admittebantur, & matres familias vocabantur, & soli earum liberi hæredes erant. Aliæ verò assumebantur tantum ad procreandos liberos, qui tamen hæredes non erant: hæ autem erant veræ uxores, utpote legitimo Matrimonio viris suis copulatæ, & aliquando uxores, sed sæpius concubinæ vocabantur. Igitur omnes erant uxores, sed gradu, honore, & bonis inter se diversæ, non vinculo.

Obj. 4. S. Ambrosium, l. 1. de Abraham, cap. 4. & S. Leonem, epist. 92.

Resp. Non negant Abrahamum & alios Patriarchas licitè habere potuisse plures uxores. Imo Ambrosius ibi asserit conjunctionem Abrahæ cum Agar caruisse culpa. Leo verò loquitur de Matrimonio contracto cum serva, quod secundùm legem Ecclesiasticam tunc vigentem irritum est.

Obj. 5. Joann. cap. 8. Judæi dicunt: *Nos ex fornicatione non sumus nati*: quasi dicerent nos non ex Agar concubina, sed ex Sara legitima uxore originem ducimus.

Resp. Judæi ibi loquuntur non de carnali, sed de spirituali fornicatione, id est, de idololatria. Nam, ut patet ex contextu, sensus est: nos non sumus idololatræ, sed unum verum Deum colimus. Neque enim ab idololatris oriundi sumus, sed ab Abrahamo, qui semper unum Deum sanctissimè coluit.

Observa. Post Diluvium veteres Patriarchæ per revelationem, seu inspirationem Divinam cognorunt sibi à Deo concessam licentiam plures simul uxores habendi, multiplicandi populi Dei causa. Dico, *post Diluvium*: nam ante Diluvium licita non erat hæc pluralitas, ut docent Tertullianus, l. de exhortatione castitatis, c. 5. Hieronymus, lib. 1. contra Jovinian. c. 8. & Nicolaus I. epist. ad Lotharium Regem, qui Lamechum adulterii crimine arguunt, quod duas simul uxores accepisset, Genes. c. 4.

Utrùm autem post Diluvium usque ad legis Evangelicæ promulgationem facultas plures simul uxores habendi extenderetur ad gentiles, controversia est inter Theologos. Affirmat Bellarminus, l. de Matrim. c. 11. & probat tum ex facto Estheris religiosissimæ mulieris, quæ Assuero gentili plures uxores habenti nupsit, probante Mardochæo viro probo: tum ex S. Augustino, qui, lib. 22. contra Faustum, c. 47. dicit Jacob plures uxores inculpabiliter accepisse, quia tunc in regione illa, in qua accepit, & quæ sanè gentilium erat, ut patet ex Labano idololatra illius incola, mos erat unum virum plures simul uxores habere; *quando enim mos erat*, inquit: *crimen non erat .... illo tempore, atque in illis terris* (in quibus Jacob Labani filias uxores duxit) *hoc factitabatur ... nulla lege prohibebatur.*

QUÆSTIO XI.

Utrùm secundæ & ulteriores Nuptiæ sint licitæ?

DIco. Jure Divino licet viro plures uxores, & mulieri plures maritos habere successivè. Est de fide contra Montanistas & Novatianos secundas nuptias damnantes ut illicitas.

Prob. 1.

Prob. 1. Ex Scriptura, 1. Cor. c. 7. *Mulier alligata est legi* (Matrimonii) *quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino.* Hoc autem pariter de viro necessariò intelligi debet, cùm par sit pro utroque ratio. Porro Apostolus indefinitè & sine limitatione loquitur: *si dormierit vir ejus, cui vult nubat.* Ac proinde tam hoc intelligi debet de viro secundo, tertio, &c. quàm de primo. Item, 1. Tim. c. 5. *volo ergo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare.*

Prob. 2. Ex Patribus. Antiquissimus auctor libri Pastoris à Patribus antiquioribus approbati, lib. 2. sic ait: *Si vir vel mulier decesserit, & nupserit aliquis illorum, nunquid peccat? qui nubit, non peccat.* S. Ambrosius. l. de viduis: *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas,* (sicut nec damnamus.) *Neque enim quidquid licet, & decet .... Licet ergo nubere* (pluries.) *sed pulchrius est abstinere.* S. Hieronymus, in apologia ad Pammachium: *non damno bigamos, imo nec trigamos, &, si dici potest, octogamos.* Et inferiùs: *ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam: & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo viro nubere.* S. Augustinus, l. de bono viduitatis, c. 12. *de tertiis, & de quartis, & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*

Prob. 3. Ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis. Ibi: *Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tanquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundùm Apostolum, mortuo viro, mulier sit ab ejus lege soluta, & nubendi cui vult, in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo, vel secundo, vel tertio: declaramus non solum secundas, sed tertias, & quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse, &c.*

Prob. 4. Ex praxi Ecclesiæ Latinæ, quæ non solum secundas, sed tertias, & ulteriores nuptias tanquam licitas permittit, & habet tanquam vera Sacramenta. Ecclesia autem Latina in fide & moribus errare non potest, cum sit longè maxima pars Ecclesiæ Catholicæ, quæ certè in his errare nequit. *Confirm.* Ex Conc. Nicæno I. can. 8. ubi ait: *Hoc autem pro omnibus eos* (Catharos) *scriptis convenit profiteri, quid Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant & sequantur, id est, & bigamis se communicare, & his, &c.* Ubi docet esse dogma Catholicum secundas nuptias esse licitas, & verum Matrimonium; eadem est autem ratio pro tertiis & quartis nuptiis.

Obj. 1. Aliquos Patres Græcos, ut Basilium, & Gregorium Nazianzenum.

Resp. Hic Patres & alii clarè docent secundas nuptias esse licitas: nimirum Basilius, in epist. canonica ad Amphilochium, can. 42. Epiphanius, hæresi 59. Chrysostomus, homil. 19. in cap. 7. epist. 1. ad Cor. Gregorius Nazianz. orat. 31.

Obj. 2. In Ecclesia Græca bigami pœnitentiæ subjiciebantur, ut patet ex Concil. Neocæsariensi, can. 1. & ex S. Basilio.

Resp. Equidem secundùm disciplinam Ecclesiæ Græcæ pœnitentia aliqua levis imponebatur bigamis, non quod secundæ nuptiæ per se haberentur illicitæ, sed propter incontinentiæ speciem, quam per se ferre videtur.

tur. Et aliqui Patres, qui eas damnare videntur, reipſa tamen eas ut illicitas non damnant, ſed ſolum ut continentiæ poſtponendas, & nimiam in voluptatem carnis propenſionem redolentes.

Porro Eccleſia ſemper optavit, ut Fideles à ſecundis, & maximè ab ulterioribus ſeſe abſtinerent.

Obj. 3. S. Gregorius Nazianz. orat. 31. Dicit ſibi videri Apoſtolum *ſecundas nuptias averſari & prohibere.*

Reſp. Intelligit averſari & prohibere impropriè, id eſt, dehortari, & ab illis tanquam à re minus perfecta & chriſtianis conveniente homines avertere, atque ad continentiam ut meliorem inducere; nam ſubjicit: *primum* (Matrimonii) *lex eſt*, *ſecundum indulgentia*, *tertium iniquitas.*

Dices. Gregorius Nazianz. orat. 31. cit. Trigamiam vocat iniquitatem, addens: *Quod autem hunc numerum excedit, porcina vita eſt.* Et S. Baſilius, epiſt. ad Amphiloc. loquens de Trigamia dicit: *Non amplius conjugium, ſed polygamiam appellant* (Patres,) *vel potius fornicationem caſtigatam.*

Reſp. Ideo ſic loquitur de nuptiis tertiis & ulterioribus, non quod per ſe & jure Divino ſint illicitæ, ſed quatenus plerumque ſunt ſignum maximæ & effrænatæ cupiditatis voluptatum; & quia qui tertium & ulterius Matrimonium inibant, præſumebantur non finem honeſtum Matrimonii, ſed ſolam voluptatem veneream intendere, & in ea finem ultimum ponere. Unde in Eccleſia Græca trigamis major Pœnitentia imponebatur.

Obj. 4. Chriſtus, Joann. c. 4. Samaritanæ reſpondit: *Bene dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.*

Reſp. Sic reſpondit Chriſtus, quia Samaritana illa Matrimonium cum ſexto illo homine non contraxerat, ſed illi fornicaria conjunctione copulata erat.

EX RECTO DECUS

TRA-

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

De sponsalibus, quæ sunt præparatio ad illud.

Quæst. I. *Quid sunt sponsalia?* *Resp.* Sponsalia sunt promissio mutua & legitima Matrimonii, *l. 1. §. de sponsal.*

Quæst. II. *Quænam requiruntur, ut sponsalia sint valida?*

Resp. Sequentia. 1. Verus consensus datus cum animo se obligandi, & per verba vel alia signa externa declaratus, & acceptatus. Nam hæc ad veram promissionem obligantem requiruntur.

2. Deliberatio sufficiens ad mortale: nam Sponsalia obligant sub mortali ad contrahendum Matrimonium.

3. Mutua promissio, ut constat ex definitione: Quia hic contractus est onerosus, & una pars non censetur velle se obligare, nisi altera vicissim repromittat: unde promissio unius includit hanc conditionem, *Si tu repromiseris*; & ideo dicuntur sponsalia, & *l. 1. §. de sponsal.* repromissio, hoc est reciproca promissio. Hin si Titius Matrimonium promittat Bertæ, & hæc promissionem acceptet, sed non repromittat, non sunt Sponsalia.

4. Habilitas utriusque ad contrahendum Matrimonium validè & licitè: nam promissio de re impossibili, vel illicita, nulla est. Hinc habentis votum simplex castitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines sacros, invalida sunt sponsalia, licèt jurata, cap. 6. *Quæ clerici &c.* Idem dic de sponsalibus personæ catholicæ cum hæretica sine dispensatione factis: nam sunt promissio rei illicitæ.

5. Jure canonico septennium completum, c. 4. & 5. *de desponsat. impuber.* Tamen juxta multos valent, si malitia suppleat ætatem, id est, si ante septennium apertè constet, sponsos habere sufficientem usum rationis ad talem contractum. Controvertitur, an inita ex metu gravi injustè incusso à parte contrahente valeant. Sed constat ea posse à metum passo rescindi: quia habet jus ut restituatur in priorem suam libertatem.

Sed quid si sponsalia contracta sint ab impeditis, v. gr. consanguineis, sub conditione, si Papa dispenset?

Resp. Non valent, si sciverint Papam non solere dispensare in tali impedimento: quia tunc conditio censetur impossibilis: Quòd si dispensari soleat, sed absit justa causa dispensationis, debere dissolvi; cùm tunc illicitum sit dispen-

diſpenſationem petere & dare. Si verò Papa ſoleat in tali caſu diſpenſare, & adſit juſta cauſa, juxta multos valent ſponſalia, & poſita diſpenſatione fiunt abſoluta: quia ſunt ſub conditione poſſibili, honeſta & relata ad tempus quo perſonæ erunt habiles.

Nota. Sponſalia filiorumfamilias inconſultis parentibus contracta, ſunt illicita, utpote contra præceptum honorandi parentes. Imò ſervari non debent, ſi inde grave ſcandalum timeatur. Idem dicunt aliqui, ſi parentes juſta de cauſa contradicant, cùm Matrimonia invitis rationabiliter parentibus ſint illicita; ſecùs, ſi poſtea conſentiant.

Quæſt. III. *Quomodo contrahuntur ſponſalia?*

Reſp. Multipliciter. 1. Expreſſè, dicendo, *Accipiam te in conjugem. Promitto tibi Matrimonium*: vel tacitè, ut ſi parentes promittant pro liberis præſentibus, nec contradicentibus poſt pubertatem, cap. unico *de deſponſat. impub. in 6.* Nam hæc liberorum taciturnitas cenſetur tacitus conſenſus. 2. Inter præſentes, vel inter abſentes per procuratorem, aut litteras, &c. 3. Abſolutè, vel conditionatè. Sed conditionatè contracta non pariunt obligationem, nec impedimentum, niſi conditione impleta, cujus eventum expectare tenentur promittentes, ex cap. un. *de ſponſal. in 6.* at hac poſita fiunt abſoluta. 4. Publicè, vel clandeſtinè: nam ad illa jure communi non requiritur præſentia parochi & teſtium, ut teſte Fagnano declaravit Sacr. Congregatio Cardin. quia Conc. Trid. nihil ſtatuit, nec immutavit circa ſponſalia, quæ ante illud clandeſtinè contractta valebant, cùm ante illud ipſa Matrimonia clandeſtina eſſent valida, ideoque & ſponſalia, quæ, ſunt quid acceſſorium & præparatio ad Matrimonium. A jure autem veteri non eſt diſcedendum, niſi per novum exprimatur, l. 32. cod. *de appellat.* Jure tamen particulari multarum diœceſeon, præſertim Galliæ & Belgii, ſponſalia celebrari debent coram parocho & teſtibus. In quibus diœceſibus, ſi coram parocho non fuerint contracta, ſunt nihilominus rata & obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honeſtatis, juxta Rituale Cameracenſe & Synod. Mechlinienſem, cùm à Conc. Trident. ſint relicta intacta, atque ita relicta in terminis & diſpoſitione juris communis.

Quæſt. IV. *Quos effectus habent Sponſalia?*

Reſp. Tres 1. Eſt gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito; aut ſi nullum tempus per ſponſos vel per conſuetudinem conſtitutum ſit, parte una opportunè id exigente, niſi altera juſtam habeat cauſam differendi. Nam omnis contractus oneroſus obligat ex juſtitia, ideoque ſub mortali in re gravi. *Hi qui de Matrimonio contrahendo pure & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent,* ait Innocentius III. cap. 2. *de ſponſal.* Hinc qui culpabiliter reſilit à ſponſalibus, perdit ſuas arrhas, & tenetur reddere alteri parti ſuas, imò & ei reſtituere impenſas factas, & damna, ſeu quanti ejus intererat talem contractum impleri: quia in hoc injuriam fecit.

2. Eſt jus inchoatum ad rem in corpora mutua, quo fit ut quamvis uſus ſit ſponſis illicitus, tamen ſi ſponſus fornicetur cum alia, vel ſponſa cum alio, peccet contra caſtitatem ſimul & juſtitiam. Nam abuſus rei ex juſtitia alteri debitæ eſt contra juſtitiam. Ergo cum corpus ſponſorum ſit ipſis ſponſis

ſponſis ex juſtitia debitum, licèt nondum traditum, abuſus ejus alteri conceſſus eſt contra juſtitiam. Quæ injuſtitia, utpote in re gravi, mortalis eſt, ideóque explicanda in confeſſione. Sed in ſponſa longe gravior eſt, cùm ipſa per fornicationem longè vilior, ac deterior fiat.

3. Eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Quæſt. V. *Quibus ex cauſis diſſolvuntur Sponſalia?*

Reſp. Diſſolvuntur, 1. Mutuo ſponſi & ſponſæ conſenſu, cap. 2. *de ſponſal.* ſicut alii contractus. Nam ſinguli poſſunt cedere juri ſuo; *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, cap. 1. *de reg. jur.* idque etſi fuerint juramento firmata: quia in omni juramento promiſſorio ſubintelligitur conditio: *Niſi promiſſarius remittat.* Modò tamen ambo ſint puberes; nam impuberes ante pubertatem reſilire non poſſunt, cap. 7. *de ſponſal. impuber.* Quod ſtatutum eſt, ne ob inconſtantiam ac levitatem ſæpius nova contrahant ſponſalia, & rurſus diſſolvant. Sed impubes, cùm pervenerit ad pubertatem, poteſt pro libito illa diſſolvere; niſi intervenerit, copula, cap. 8. eod. tit. vel niſi fuerint jurata, cap. 10. *de ſponſal.*

2. Per Matrimonium validè contractum cum alia perſona, quamvis fuerint jurata, ex cap. 22. & 31. *de ſponſal.* Quia res tradita per contractum indiſſolubilem, non poteſt amplius tradi priori promiſſario. Sed pars, quæ ſic contraxit, altera ratio nabiliter invita, peccat mortaliter violando contra juſtitiam fidem datam: unde, in cit. cap. dicitur quòd ei eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda. Nec ſecundùm multos ſponſalia poſtea reviviſcunt, cùm per illud Matrimonium extincta ſint. Obligatio autem ſemel extincta non reviviſcit, ex lib. 98. *de ſolut.* Non tamen diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia etiam jurata: quia hæc nulla ſunt, cum ſint promiſſio de re illicita præſtanda.

3. Per ſuperveniens impedimentum matrimonii dirimens, v. gr. affinitatem inter ſponſos contractam, ex unius fornicatione cum perſona conſanguinea alterius in primo & ſecundo gradu, c. 2. *de eo qui cognovit, &c.* Nam tunc res promiſſa fit illicita, & jure impoſſibilis.

4. Per diſceſſum unius in regionem longinquam ſine conſenſu alterius, cap. 5. *de ſponſ.* nam cenſetur juri ſuo cedere.

5. Secundùm multos, per notabilem moram culpabilem ſponſi vel ſponſæ in contrahendo Matrimonio intra tempus conſtitutum. Quia qui eſt in tali mora, cenſetur alteri obligationem remittere; quamvis ipſe ex parte ſua adhuc teneatur, ſi alter velit Matrimonium inire: nam culpa non liberat eum ab obligatione contracta: aliàs commodum ex culpa reportaret.

6. Per fornicationem ſponſi, vel ſponſæ cum tertia perſona poſt ſponſalia etſi jurata, cap. 25. *de jurejur.* Quia in ſponſalibus intelligitur hæc conditio, *Niſi contra legem ſponſalium feceris.* Et quia fornicans frangit fidem, & ſuſpectus alteri redditur de fide in futurum ſervanda. Præterea tunc eſt notabilis mutatio. Item dicunt multi, ſi ſponſa permiſerit ſe ab alio impudicè tangi: quia per hoc fit notabiliter vilior, & ingerit metum ne fidem marito non ſervet. Quod etiam extenditur ad ſponſum, ſi exercuerit actus turpes circa aliam valde frequentes. Sola tamen pars innocens, libera eſt, nec privatur jure ſuo ob alterius culpam. Sponſus verò, qui

cognito suo jure resiliendi cognovit carnaliter sponsam, tenetur illam ducere: nam per hoc censetur suo juri renuntiasse, & sponsalia renovasse.

7. Per professionem unius in religione approbata, aut per susceptionem Ordinis sacri: nam utraque Matrimonii incapacitatem parit. Tamen secundùm multos non licet sponso sacros Ordines suscipere, quia frangeret fidem alteri datam in materia gravi justitiæ. At licet ingredi religionem: quia vel ex natura rei, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ hæc conditio in sponsalibus includitur. *Nisi voluero ingredi religionem.* Cùm autem una pars ingreditur religionem, altera juxta multos potest ante ejus professionem resilire: quia ingrediens religionem hoc ipso censetur renuntiare sponsalibus, vel saltem dare alteri causam justam resiliendi, ob incommodum quod pati deberet, expectando per annum ut ei nubat. Sed si egrediatur, tenetur Matrimonium contrahere cum parte id exigente: nam quamvis jura ingressum religionis sponsis permittant, nusquam tamen eos liberant simpliciter ab obligatione sponsalium, & quamvis ingrediens cedat juri suo, manens in sæculo non cedit. Imò ex communi sententia votum religionis post sponsalia etiam jurata factum obligat ad ingressum religionis, & sic ipsa sponsalia dissolvit, quia directè tendit ad altiorem perfectionis statum, quem impedire non debent sponsalia de futuro. Enimvero Matrimonium nondum consummatum non impedit vim & obligationem hujus voti etsi post illud emissi.

8. Ob quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem sponsalibus, quæ si priùs extitisset, à sponsalibus meritò absterruisset, & ob quam consensus datus non censeatur secundùm prudens judicium extendi ad talem casum: ut si superveniat notabilis deformitas, aut infirmitas, morbus contagiosus, mutilatio, ex cap. 25. *de jurejur.* Item infamia, graves inimicitiæ inter utramque familiam vel inter ipsos sponsos ortæ, paupertas, sponsæ corruptio, etsi per vim, defectus dotis promissæ, magna mutatio morum in pejus; hæresis ob periculum subversionis in se vel in prole, &c. Quia hæc est intentio virtualis spondentium, qui non censentur voluisse se obligare ad standum promissis in his casibus, & superveniente notabili mutatione, qua prævisa judicio prudentum promissio non esset facta. Promissio autem non obligat ultra intentionem promittentis, nisi ratione deceptionis aut alterius injustitiæ.

Porrò diversa est ratio in sponsalibus ac in aliis contractibus. Nam ipsa majorem libertatem postulant, cùm ad mutuum amorem, & ad contrahendum vinculum indissolubile Matrimonii ordinentur. Idque etiam si jurata essent: quia juramentum intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus, & includit omnes conditiones contractus cui adjicitur.

Idem dic,' si quid istorum vel simile antea latens detegatur post sponsalia: ut si quæ putabatur legitima, vel nobilis, vel dives, vel virgo, talis non sit, ex l. 5. eod. *de sponsal.* ubi resiliens ex sponsalibus ob causam præcedentem ignoratam, non amittit suas arrhas, quas amitteret, si injustè resiliret. Ratio est, quia respectu ignorantis res sunt notabiliter mutatæ spectata priore ejus voluntate, cùm denuò inveniat defectum notabilem priùs ignoratum: & in jure res cùm primùm innotescit, idem præstat ac si tum fieret, ex cap. 4. *de except.* Secùs esset, si aliquid istorum ante sponsalia

ſalia non latuerit, cum eo non obſtante ſciens ac volens promiſerit, excepta hæreſi. Non poſſunt tamen diſſolvi ſponſalia ob hæreditatem alterutri obvenientem: quia alter per hoc non eſt factus deterioris conditionis.

9. Si ex Matrimonio mali exitus timeantur ex cap. 17. *de ſponſal.* vel grave ſcandalum, perturbatio, &c. Nam tunc executio eſt illicita. Nec fuit intentio ſpondentium ſe in tali caſu obligare.

Porrò pœna in ſponſalibus primo reſilienti appoſita non obligat juſtè reſilientem: quia pœna juſta ſupponit culpam, & innocenti injuſtè infligeretur. At obligat in conſcientia injuſtè reſilientem, quia infert injuriam, propter quam debet ex pacto pœnam promiſſam ſubire.

Sed an ſponſalia diſſolvuntur per ſubſequens votum ſimplex perpetuæ caſtitatis in ſæculo ſervandæ?

Reſp. Alii aſſerunt, quia putant ſponſalia fieri ſub hac tacita conditione. *Niſi me Deus ad ſanctioris vitæ rationem vocaverit.* Alii cum S. Antonino negant, tum quia id neque ex natura rei, neque ullo jure probari poteſt; nec fiunt ſub conditione prædicta, ſed ſolùm niſi ſtatus religioſus eligatur. Nam nullo jure nec traditione oſtenditur ineſſe ſponſalibus hanc tacitam conditionem: tum quia ex cap. 5. *Qui clerici, &c.* fœminæ, quæ Matrimonium promiſit, pœnitentia imponitur de fide mentita, quamvis poſt ſponſalia votum caſtitatis emiſerit: tum quia Deus non acceptat promiſſionem rei priùs promiſſæ & debitæ alteri, tamquam factam in damnum & contra jus illius. Sic obligatio dandi domum promiſſam Petro diviti, non ſolvitur per votum dandi illam hoſpitali. Igitur, inquiunt, qui poſt ſponſalia vovit caſtitatem, nec poteſt ab altera parte obtinere remiſſionem ſponſalium, tenetur Matrimonium inire, & debitum petenti reddere; ſed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus, quæ injurioſa non ſunt: unde ſponſalibus, vel Matrimonio diſſolutis tenetur ſervare continentiam.

Porrò ex communi ſententia votum ſimplex caſtitatis vel religionis ſponſalia præcedens facit illa irrita, ex cap. 6. *Qui cleric. vel voventes.* Quia tunc ſunt promiſſio rei illicitæ faciendæ, nempe ineundi Matrimonium, & executio eſt peccatum.

Nota. Ad diſſolvenda ſponſalia requiritur authoritas judicis eccleſiaſtici in his caſibus. 1. Si moraliter non conſtet de ſufficientia vel veritate cauſæ diſſolvendi: aliàs enim diſſolvens ſe committeret probabili injuſtitiæ periculo; imò eſt injuſtitia, in dubio privare alterum jure per illa acquiſito. 2. Si ſponſalia ſint publica, cauſa autem diſſolvendi occulta, ex cap. 7. *de ſponſal.* nam debitus ordo, & evitatio ſcandali id exigunt. (*a*)

(*a*) Huic loco addendam cenſuimus doctrinam, quæ in lib. VII. c. 29. cit. tract. de Synodo explicatur, qua ratione ſe gerere debeant Parochi, cum iis, qui doctrinam Chriſtianam ignorant, & matrimonium contrahere contendunt; „ in Synodo Bononienſi, habita anno 1534. dicitur, non „ poſſe viros, & fœminas à Matrimoniis „ contrahendis, hoc nomine prohiberi, „ quod doctrinam Chriſtianam ignorent, „ quamvis deceat, ut Parochus ejusmodi „ prohibitionem illis comminetur, quo „ facilius eosdem inducat ad Fidei rudimenta addiſcenda. Idem ſentit Romaguera, „ in notis ad Conſtitutiones Synodales Gerundenſes *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 2. ubi cum „ in hanc offenderit Synodalem ſanctionem: *Renovantes Conſtitutionem, in ultima Synodo editam, circa doctrinam Chriſtianam, ſtatuimus & ordinamus quod de* „ *cætero*

CAPUT II.

De natura & proprietatibus Matrimonii.

Quæst. I. *Quid est Matrimonium? Resp.* Matrimonium dupliciter accipitur, nempe pro contractu, & pro vinculo per talem contractum inducto. Matrimonium pro contractu acceptum rectè definitur: Contractus legitimus, quo vir & fœmina sibi mutuo tradunt & acceptant potestatem corporum in ordine ad actum generationis, & se obligant ad se mutuò juvandum & perpetuò cohabitandum.

„ *cætero ad sponsalia, per verba de præsenti,* „ *non admittantur, qui doctrinam Christianam nescierint, & confirmati non fuerint,* „ loco eam illustrandi, uti alias solet, tacite „ impugnat, docens, fas non esse Episcopo, „ quemquam à Matrimonio arcere, hanc „ solam ob causam, quod doctrinam Christianam ignoret; sed dumtaxat posse blandis verbis, atque adhortationibus, eum „ inducere, ad Matrimonium differendum, „ donec Christianis imbuatur institutis; nec „ dissimilia sunt, quæ in hanc rem adduxit „ Marcellus Severoli *in suo voto, impresso* „ *part.* 14. *Rec. decis.* 535. *num.* 52. & 53.

„ 2. Fulcitur hæc opinio quorumdam „ Theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint, in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta, Matrimonium impedientia, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse, ob illam solam, „ à Matrimonio celebrando cohiberi; ita „ docuit Thomas Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 15. *num.* 9. inquiens: *Nescio* „ *tamen, qua ratione possit* (Episcopus) *ob* „ *hanc ignorantiam arcere aliquos à Matrimonio contrahendo, cum ipsius non sit* „ *impedimenta Matrimonii statuere, nec hoc* „ *impedimentum ab Ecclesia statutum sit,* & „ sequitur Diana *edit. coord. tract.* 6. *tom.* 2. „ *resol.* 95.

„ 3. Verum huic doctrinæ, & Rituale „ Romanum, & Sanctus Carolus Borromæus, & quam plurimæ Episcopales „ Synodi, ac Summorum Pontificum edicta adversantur, etenim Rituale Romanum *tit. de Matrim,* de iis loquens, „ qui matrimonio sunt jungendi, ait: *Uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde* „ *filios suos docere debeant.* S. Carolus *in* „ *Concilio Provinciali Mediolanensi V. p.* 5. „ (*Act. Eccl. Mediol. part.* 1. *pag.* 286.) hæc „ statuit: *Parochus quos Sponsos, experiundo* „ *viderit doctrinæ Christianæ rudimenda plane* „ *ignorare, ne Matrimonio illos ante jungat,* „ *quam ea item ratione cognovit didicisse,* „ *quæ eo de genere illos plane scire oportet.* „ Quæ verba advertens Franciscus Amatus „ Pouget *instit. Catholic. tom.* 2. (*part.* 3. „ *sect.* 1. *cap.* 8. §. 5. *num.* 6.) inquit: *Non* „ *accedendum prius ad connubii legem, quam* „ *teneantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio, & conjugatorum officia* „ *probe noscantur:* In Archiepiscopali Bononiensi Cardinalis Gabrielis Palæoti *part.* 3. „ *pag.* 157. cavetur, ne Parochus ad tertiam deveniat Matrimonii denuntiationem, nisi certo noverit, Sponsos principalia Fidei nostræ mysteria didicisse, & „ saltem *Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum,* „ *& Præcepta Decalogi memoriæ mandasse.* „ Idem edixere innumeræ Synodi, collectæ „ à Genetto *Theolog. moral. tom.* 5. *tract.* „ 9. *cap.* 2. *quæst.* 17. quibus addimus Synodum Farfensem, habitam anno 1685. „ à Cardinali Barberino: Cesenatensem, „ habitam anno 1693. à Cardinali Denoff. „ Neapolitanam, habitam anno 1694. à „ Cardinali Cantelmo; Ariminensem, habitam anno 1724. à Cardinali de Via: „ Neapolitanam, habitam anno 1726. à „ Cardinali Fignatello, Sabinensem habitam anno 1736. à Cardinali Albano, omnes *ad titulum de Matrimonio:* ac demum „ in Congregatione, habita coram san. mem. „ Innocent. II. anno 1697. decretum est, „ non esse à Parochis Matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea Sponsos „ repererint in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit à fel. „ rec. Clemente XI *in suo Bullario p.* 326. „ Idem edixit Cardinalis de Rohan. *in suo* „ *Rituali Argentinensi, ad tit. de Matrimonio pag.* 254. ubi Parochos diligenter investigare jussit, *an Matrimonio jungendi* „ *teneant rudimenta Fidei.* Ac denique Nos „ ipsi in nostra encyclica epistola, ad universos Episcopos (quæ est 42. *in nostro* „ *Bullario* §. 11.) hæc scripsimus: *Verum,*

„ *cum*

dum. Matrimonium verò pro vinculo acceptum, communiter definitur: Maris & fœminæ conjunctio maritalis ac legitima, individuam vitæ consuetudinem retinens, ex cap. 11. de præsumpt. Sumptum autem pro Sacramento est contractus modò dictus gratiæ significativus & collativus.

Matrimonium pro vinculo sumptum dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum est illud, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est: quale etiam nunc est inter non-baptizatos. Unde ut tale non est Sacramentum, aut saltem præscindit à ratione Sacramenti. Ratum

---

„ *cum Matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit, marem, seu fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, & huic si desint, negligentiæ repetant pœnas.*

„ 4. Quamobrem cum doctrina tradita in citata Synodo Bononiensi anni 1634. à communi Ecclesiæ sensu, & praxi discordet, est omnino reformanda & corrigenda, sicuti reapse correcta fuit in alia Synodo Diœcesana Bononiensi, celebrata à Cardinali Boncompagno anno 1609. *lib.* 2. *c.* 9. atque iterum à Nobis *Notific.* 9. & *Notific.* 46. ubi ad Matrimonium contrahendum, neminem admitti præcepimus, Christianis institutis, nondum satis edoctum.

„ 5. Neque in contrarium facit, quod ajebat Sanchez, nimirum non posse Episcopum, nova impedimenta, Matrimonium impedientia statuere: huic enim difficultati in primis reponimus; ab Episcopo, repellente à Matrimonio contrahendo, ignorantes Christianæ religionis necessaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari, & inculcari, quo iidem jam detinentur: Enimverò cum Matrimonium inter Fideles unum sit ex septem novæ Legis Sacramentis, à Christo Domino institutis, atque è numero eorum, qui dicuntur *vivorum*, nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest, in statu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias *super* 4. *Decret. part.* 2. *de Matrim. c.* 6. *in princ.* inquiens: *Existens in mortali crimine, non potest, absque novo peccato, Matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum:* nec Parochus licitè eidem Matrimonio assistit; Quamvis enim juxta communiorem, magisque receptam sententiam non sit Sacramenti Matrimonii Minister: ut *in præcedenti capite* diximus, nihilominus in multis comparatur Ministro, nec licite sua præsentia, & authoritate firmare potest contractum, quem scit, à Contrahentibus sacrilege iniri, quemadmodum prosequitur Cardinalis Lauræa *in* 4. *sent. tom.* 3. *disp.* 22. *art.* 22. *num.* 549. & pluribus Franciscus Maria Muscettola, Archiepiscopus Roffanensis *in sua dissert. de Sponsalibus, & Matrimoniis*, quæ extat post secundam impressionem *observat bon. mem. Zauli ad statuta Faventina*, iterumque edita est Neapoli año 1742. Qui autem Fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito à Matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez *cit. disp.* 15. *num.* 3. & *lib.* 7. *disp.* 6. *num* 6. Basilius Pontius *de Matrim. lib.* 6. *cap.* 7. Caspar Hurtado *disp.* 25. *difficul.* 1. *num.* 1. & Perez *de Matrim. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 1. non solum in Episcopo, sed etiam in Parocho facultatem agnoscunt, impediendi ad tempus Matrimonium, ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem, nec tamen inde confici autumant, verum, & proprium impedimentum, eorum authoritate, Matrimonio apponi; Siquidem illa prohibitio temporaria est, atque, ablato scandalo, & detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione, cessat, & extinguitur. Idem autem contingit in re nostra: Episcopus enim ignorantibus Christianæ religionis instituta, & præcepta, Matrimonium interdicit, solum ad tempus, donec scilicet illa addiscant; quod si hæc prohibitio diuturna sit, & perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri, aut recusant, aut negligunt.

„ 6. Unum

Ratum dicitur, quod est & legitimum & Sacramentum, sed necdum copula carnali consummatum: tale est inter solos baptizatos.

Consummatum est illud, quod accedente copula carnali extrinsecè completur.

Quæst. II. *Quænam est materia, & forma, & minister hujus Sacramenti?*

Resp. Circa hoc dissentiunt Theologi. Aliqui docent materiam esse consensum contrahentium exteriùs expressum: formam verò verba, quæ profert Sacerdos, qui proinde ejus Minister est.

Alii longè communiùs contendunt ipsos contrahentes ponere materiam & formam, ideoque esse ejus ministros: sed in assignanda illa maria & forma inter se dissident. Secundùm multos materia est mutua corporum traditio: forma verò mutua corporum acceptatio, facta signo sensibili consensum internum exprimente. Secundùm alios, materia est consensus internus contrahentium, forma sunt signa externa consensum illum exprimentia. Demum secundùm alios materia sunt corpora habilia, forma est mutuus conjugum consensus.

Quæst. III. *An & qualis requiritur consensus ad valorem Matrimonii?*

Resp. Requiritur verus consensus internus, mutuus, de præsenti per verba & alia signa sensibilia expressus, plenè deliberatus, in se liber, & immunis à metu gravi injusto, ex Conc. Florentino. Itaque

1. Requiritur verus consensus internus & mutuus: nam *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum*, cap. 25. *de sponsal.* Consistit enim in contractu legitimo, qui est essentialiter duorum consensus. Hinc si consensus sit ex alterutra parte fictus, nullum est Matrimonium, cap. 26. *de sponsal.* Qui tamen fictè consensit, peccavit graviter, tum contra reverentiam Sacramenti, falso, & sine intentione adhibendo ejus signa; tum contra justitiam, quia in contractu oneroso; si unus bona fide ponat partem

„ 6 Unum tamen advertendum addimus, „ quod recte consideravit Giribaldus *de Sacram. Matrim. tract.* 10 *cap.* 3. *dub.* 13. „ *num.* 111. nimirum quandoque evenire, „ ut quis præcipua Fidei nostræ mysteria, „ & sciat, & credat, cetera pariter, quæ „ necessitate præcepti sunt addiscenda, ali- „ quo saltem rudi modo, perceperit, sed „ quia hebetis est ingenii, & exilis memo- „ riæ, post omnem adhibitam diligentiam, „ illa memoria retinere, & recitare non „ valeat: in hoc autem rerum statu, non „ debet perpetuo arceri à Matrimonio, „ quod institutum in officium naturæ, & „ propterea nemini, sine propria culpa, est „ denegandum, sed curabit Parochus, ut „ qui eo memoriæ defectu laborat, fre- „ quenter audiat, quæ semel crasse didicit, „ ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter „ celeberrimas Constitutiones Gibertinas, „ editas à Joanne Matthæo Giberto, Episco- „ po Veronensi, quas alibi commendavimus, „ *tit.* 5. *cap* 23. legitur: *Cùm autem qui-* „ *libet Christianus Orationem Dominicam,* „ *Symbolum Apostolorum, & Præcepta Dei,* „ *atque Ecclesiæ scire debeat, retinendo sal-* „ *tem sensum, & Sacerdotibus, ac Prædica-* „ *toribus munere sibi imposito, prout tenen-* „ *tur, fungentibus, nullus se in veritate ex-* „ *cusare poterit, quod à quo necessaria ad* „ *salutem addiscere possit, non habeat. Ideo* „ *præmissa nescientes, ut magis confundantur* „ *&c. in faciem Ecclesiæ ad Matrimonium* „ *contrahendum non admittantur,* ubi Car- „ dinalis Augustinus Valerius *in notis* ad rem „ subdit. *Adverte non esse arcendos &c. qui* „ *ut necessaria ad salutem perdiscant faciunt* „ *quod in se est, sicut qui scholas doctrinæ* „ *Christianæ frequentant; quia non ob incu-* „ *riam, aut negligentiam, sed ob ingenii,* „ *memoriæve imbecillitatem, ea non addiscunt.*

partem suam, habet jus ut etiam alter adjiciat suam, & sic ponatur æqualitas. Unde tenetur injuriam resarcire, & damna compensare, imò & tollere deceptionem, verè consentiendo & contrahendo; nisi aliqua causa gravis obstet, qualis est magna conditionis inæqualitas, vel si gravia mala, capitales inimicitiæ, diffidia, scandalum grave ex tali Matrimonio meritò timeantur: quo casu sufficiet pecuniaria compensatio. Excipiuntur etiam hi casus, nempe si tanta fuerit evidentia fictionis, ut mulier censeatur voluntariè decepta fuisse, quia volenti non fit injuria: vel si mulier decepta ipsum etiam deceperit simulando se esse virginem, cùm non esset.

2. Consensus debet esse de præsenti, ex cap. 31. *de sponsal.* Quia per sola verba de præsenti, fit traditio, in qua consistit Matrimonium, quo traditur mutua corporum potestas; nam per verba de futuro fit solùm promissio. Ideóque debet esse mutuo acceptatus, ex cap. 3. *de sponsal. duorum*: nam traditio non est completa, nec dat jus sine acceptatione. Porrò iisdem omnino verbis, quibus conjuges proprium consensum exprimunt, significant etiam se acceptare obligationem & consensum ab altero expressum, nam hæc verba, *accipio te in meum, vel in meam*, aut æquivalentia utrumque significant, nempe & obligationem propriam, & acceptationem obligationis alterius conjugis; nec possunt unum sine altero velle & exprimere; cùm enim sit contractus constans essentialiter ex utriusque obligatione, non potest vir, v. gr. dicere, *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat virtualiter, & implicitè: *Volo te habere in uxorem*, & consequenter volo te habere mihi obligatam, sine qua obligatione non esset uxor, nec vir ejus maritus. Item non potest vir velle accipere mulierem in legitimam uxorem, quin simul velit esse ejus maritus, ideóque se ei ut uxori obligare; cùm nequeat habere illam uxorem, nisi ipse velit esse ejus maritus, & se ei obligare. Idem est de uxore.

3. Debet esse plenè deliberatus, hoc est, factus cum advertentia de re sufficienti ad mortale. Nemo enim potest obligationem gravem sibi liberam contrahere, nisi plenè consentiat. Item debet esse in se liber; nam omnis contractus humanus exigit esse in se liber, & non in causa tantum. Unde non valet, si datus sit in ebrietate voluntaria, in qua fuerit prævisus: nec debet esse extortus ex metu gravi injusto, nam consensus sic extortus invalidat Matrimonium, ut dicetur infra.

4. Utriusque consensus debet esse simul moraliter; ita ut unius partis consensus perseveret moraliter, nec revocatus sit, dum exprimitur consensus alterius: alioqui non esset mutuus duorum in idem consensus. Sufficit tamen si consensui unius physicè præterito non revocato, accedat consensus alterius, licèt interposito intervallo; nam id omni contractui sufficit; & aliàs non posset iniri Matrimonium per litteras, vel procuratorem.

5. Ille consensus debet signo aliquo externo exprimi: quia est contractus humanus, ideóque non nisi modo sensibili perficiendus; & quia mutua requiritur consensus acceptatio. At non potest acceptari nisi cognoscatur, nec cognosci nisi per aliquod signum externum declaretur. Quamvis autem ad ejus valorem sufficiat quodvis signum sufficienter eum manifestans, ex Catech. Rom. & ex Conc. Florent. quod non requirit verba absolutè, sed cum addito *regulariter*; tamen verbis propriè dictis exprimi debet, dum potest; quia verba vocalia meliùs ac cla-

riùs quàm alia ſigna conſenſum exprimunt; proinde uſurpari debent in contractu tanti momenti, dum poſſunt.

Quæſt. IV. *An ad Matrimonii valorem requiritur, ut intendatur copula?*

Reſp. Neg. Sed ſufficit, quòd intendatur ſaltem implicitè & confuſè translatio dominii corporum in ordine ad actum conjugalem, ſeu jus ad copulam. Quia 1. Matrimonium nihil eſt aliud eſſentialiter quàm mutua traditio & acceptatio poteſtatis corporum, in ordine ad copulam, dando & recipiendo jus ad copulam. Unde copula ſupponit jam Matrimonium conſtitutum. Item eſſentia Matrimonii conſiſtit in conjunctione animorum per mutuam traditionem poteſtatis corporum ad finem Matrimonii ſaltem confuſè cognitum. 2. B. Virgo & S. Joſeph ex communi ſenſu Eccleſiæ, verum contraxerunt Matrimonium, licèt non intenderint copulam, imò ſe per votum obligarint ad ſe abſtinendum ab ea. 3. Validè initur Matrimonium cum voluntate ingrediendi religionem ante illius conſummationem.

Quæſt. V. *An ſufficit conſenſus conditionatus?*

Reſp. Valet Matrimonium, ſi conditio ſit de præſenti, & extet; vel de præterito & extiterit: quia poſita conditione conſenſus tranſit in abſolutum, cùm ſit aut fuerit id, ad quod ut præſens aut præteritum conſenſus alligatus eſt. Secùs, ſi conditio non ſubſiſtat, nam tunc abeſt conſenſus: quippe contrahentes ab initio conſentire nolunt niſi ſtato tempore impleatur conditio. Si autem conditio honeſta & poſſibilis ſit de futuro contingenti, non perficitur Matrimonium, donec impleatur conditio, ex cap: 5. *de condit.* quia non perficitur niſi conſenſu, quo contrahentes ſibi mutuò tradunt actu poteſtatem ſuorum corporum, in ordine ad actum generationis: at non tradunt niſi conſenſu abſoluto, aut in abſolutum tranſeunte, ut patet ex aliis contractibus; nam voluntas non vult tradere niſi poſita conditione. Itaque valor matrimonii ſuſpenditur uſque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes expectare, & eum non impedire, ſi conditio non ſit turpis.

Hinc qui ſub conditione de futuro unam duxit, ſi autem ante impletam conditionem aliam abſolutè ducat, valebit hoc ultimum Matrimonium, licèt ſit illicitum. Si autem duxerit duas ſub tali conditione, valebit cum illa, cum qua conditio prius implebitur. Si verò conditio non impleatur, nullus eſt contractus, cap. 3. *de condit.*

Porrò quamvis ſecundùm multos, adveniente conditione Matrimonium perficiatur ſine novo conſenſu, modò prior conſenſus non fuerit revocatus, quia cæteri contractus conditionati poſita conditione fiunt abſoluti: tamen in praxi curandum eſt, ut ſic contrahentes impleta conditione conſenſum renovent, & quidem coram parocho & teſtibus: ne fortè ab alterutra parte revocatus fuerit; & quia multi alii novum conſenſum abſolutè exigunt. Item contrahentes debent coram Parocho & teſtibus affirmare conditionem eſſe impletam, niſi hi ejus impletioni interfuerint, quia Concil. Trident. exigit, ut intelligant Matrimonium verè contractum eſſe.

Reſp. 2. Si conditio appoſita repugnet naturæ, indiſſolubilitati, vel fini Matrimonii, aut ejus bono ac fidei, irritum eſt Matrimonium, ex cap. ult. *de condit.* ibi: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, putà ſi alter dicat alteri, contraho tecum, ſi generationem prolis evites,*

vel donec inveniam aliam ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Ratio est, quia nihil potest sine sua substantia subsistere: at substantia Matrimonii ex institutione divina consistit in consensu & obligatione ad perpetuam societatem, & ad fidem conjugalem sibi servandam, & ad prolem non impediendam, sed suscipiendam & educandam.

Si conditio non adversetur substantiæ & fini Matrimonii, non illud irritat in foro externo, licèt sit turpis; ut si quis dicat: Contraho tecum ea conditione, ut victum furto quæras; vel etiam sit absolutè impossibilis, ex cap. cit. ibi: *Licèt aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Quæ constitutio, ex Delugo, valet etiam in foro interno, quando aliunde non constat de carentia consensus. Quamvis enim Ecclesia non possit supplere consensum matrimonii si desit, (cum nulla potestas humana possit dare potestatem tui corporis ad usum conjugii sine tuo consensu) tamen cùm præsumantur contrahentes (nisi aliud constet) voluisse contrahere Matrimonium secundùm leges, & sensum, quo verba in jure intelliguntur, rectè censetur implicitè voluisse, non obstante conditione impossibili aut turpi, contractum valere. Cæterum in foro conscientiæ standum est dicto contrahentis, an habuerit verè intentionem contrahendi, non obstante tali conditione: quam si non habuerit, nullum est Matrimonium ob defectum consensus; nam consensus sub conditione non est actu nisi posita conditione: si ergo conditio non potest poni, nunquam erit consensus.

Quæst. VI. *An ad valorem matrimonii requiritur consensus parentum?*

Resp. Neg. Ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. ubi *eos anathemate damnat, qui falsò affirmant matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Sed addit ea semper fuisse ab Ecclesia prohibita. Sunt etiam præceptum divinum honorandi parentes, nisi ipsi suum consensum rogati, sine justa causa denegent, ita ut non sint rationabiliter inviti. Ratio autem, cur ejusmodi Matrimonium sit validum, est quia omnis homo sufficienti ratione & legitima ætate præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus suum, independenter à parentibus.

Porrò in Gallia matrimonia sine consensu parentum contracta, non censentur invalidè contracta, nisi quoad aliquos effectus civiles, ut declaravit Ludovicus XIII. & habetur in actis Cleri Gallicani, tom. 3. Imò valent etiam quoad illos: si filiifamilias excedant annos 30. & filiæ 25. modò scriptis requisierint consensum parentum, ex edicto Henrici II. (a)

 Quæst.

(a) Addidimus huic quæstioni, quæ hac de re luculenter exposita sunt in lib. VII. de Synodo Diœcesana cap. 37. ubi *num.* 2. indicantur civiles leges, quibus irrita declarantur inita à servis, & filiis familias sine consensu parentum, vel dominorum matrimonia, *Num.* 3. Canones recensentur, quibus Ecclesia ratas quondam habuit hujusmodi civiles leges. *Num.* 4. sequenti modo res exponitur. „ Verum postea consultius visum est Ecclesiæ, præfatas civiles leges, „ pluribus sæculis à se, aut approbatas, aut „ toleratas corrigere, & abrogare, statuitque, ut deinceps nuptiarum validitas à „ solo

Quæst. VII. *An Matrimonium validè contrahitur per procuratorem, & inter absentes?*

Resp. Affirm. Quia 1. Ecclesia sic contrahi permittit, ut patet ex praxi præsertim inter Principes. 2. Alii contractus validè fieri possunt inter absentes per procuratorem, vel per litteras: ergo & Matrimonium: nam Christus evehendo contractum Matrimonii ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. 3. Sic validè contrahebatur ante Conc. Trid. ut patet ex cap. ult. *de procur. in 6.* ubi Bonifac. VIII. id expresse declarat. Conc. autem Trident. non irritavit, nisi matrimonia clandestina: at ea, quæ per procuratores fiunt coram parocho & testibus, non sunt clandestina.

Sed ex eod. cap. ultim. *de procurat. in 6.* ad tale matrimonium tria requiruntur. 1. Ut procurator ad hoc habeat mandatum speciale. 2. Ut procurator alium sibi non substituat, nisi hoc ei sit specialiter commissum. 3. Ut procurator antequam contraxerit, non fuerit à domino revocatus: alioqui matrimonium nullum est, etiamsi tam ipse, quàm pars quacum contrahit, revocationem ignoret: quia tunc deest consensus illius, cujus nomine procurator contrahit: qui consensus suppleri non potest à jure in matrimonio, sicut potest suppleri in aliis contractibus: nam alii contractus per procuratores facti valent etiam revocato mandantis consensu, modò revocatio neque procurari neque parti iñotuerit, l. 15.

„ solo penderet Contrahentium consensu, „ nequaquam autem à nutu eorum, sub „ quorum dominio, vel potestate Contrahentes existunt, quod generatim sancitum „ legimus *in c. Cum locum*, de *sponsal. & matrim. in cap. Licet: & in cap. Tua, de sponsa duorum*; speciatim vero de servis, „ rescripsit Adrianus Papa ad Archiepiscopum Salisburgensem *in cap. Dignum, de conjugio servorum: Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, &, si dominis contradicentibus, & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc Ecclesiastico judicio dissolvenda*; ac tandem de filiisfamilias, post alias sanctiones „ indicatas ab Juenin *cit. dissert.* 10. *quæst.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. definivit Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* ubi „ anathemate perculit, *qui falso affirmant, matrimonia à filiisfamilias, sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.*

„ 5. Quamobrem non licet hodie easdem „ civiles leges jamdiu ab Ecclesia rescissas, „ excitare, earumque obtentu, firmitatem „ adimere, aut servorum, aut filiorum familias connubiis, quibus domini, vel parentes non annuerunt. Quod autem affirmat Boemerus *jura Eccles. Protestantium lib.* 4. *tit.* 9. §. 6. nempe in Pomerania, Westphalia, & Boemia, ubi ad „ huc remanent vestigia antiquæ servitutis, „ & etiam hodie reperiuntur *homines proprii*, hoc est existentes sub dominorum „ proprietate, istorum connubia non aliter „ esse valida, quam ex dominorum consensu, „ aut est accipiendum de servorum conjugiis, quoad effectus civiles, aut non „ est admittendum à Catholicis, illis in „ regionibus degentibus, qui sanctioribus „ Ecclesiæ legibus reguntur. Intra fines „ pariter pœnarum civilium concluditur „ edictum, à Christianissimo Rege Henrico III. in Comitiis Blesensibus anni 1579. „ *art.* 10. promulgatum, atque à Ludovico XIII. anno 1629. & 1639. renovatum, „ quo nulla, & invalida declarantur matrimonia, à filiisfamilias contracta, sine „ consensu parentum; illud siquidem verbum *invalida non esse aliter explicandum, quam per solam relationem ad Contractum civilem*, ejusdem Ludovici nomine, Clero Gallicano responderunt Regii Commissarii, uti habetur *tom.* 3. *rerum, & decretorum Cleri Francisci*, testaturque „ Lovetus, in Parisiensi Senatu Consiliarius *tit.* 6. *litt. M*, scribens: *Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit articulus* 40. *Blesensis Constitutionis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit: non agitur de Sacramento matrimonii, aut essentialibus*

.15. §. *Mandati.* Post Concil. Trident. autem requiritur etiam præsentia parochi & duorum testium.

Dices. Si hoc ita sit, quare ergo sponsi postea præsentes in facie Ecclesiæ conjunguntur? *Resp.* hoc fit, non quòd Matrimonium reputetur invalidum, sed vel ad supplendas solemnitates omissas, vel ad confirmandum contractum, vel ad majorem securitatem, ne fortè alteruter consensum, antequam procurator contraxerit, revocaverit.

Item valet Matrimonium per litteras contractum, modò coram parocho & testibus legantur litteræ significantes utriusque consensum de præsenti, de quarum veritate satis illis constet, nam contractus sic facti valent. Hic tamen contrahendi modus non est usurpandus sine gravi necessitate, quæ rarissimè potest contingere. Qui autem sic contraxerunt, postea coram positi contractum ratum habeant, ne fortè consensus ab alterutro fuerit revocatus.

Quæst. VIII. *An Matrimonium est indissolubile quoad vinculum, seu translationem dominii?*

Resp. 1. Quodvis Matrimonium absolutè contractum, est & semper fuit, sine speciali licentia Dei, insolubile, ex cap. un. *de voto in 6.* & ex Conc. Trid. sess. 24. idque tum jure divino naturali; nam solubilitas vinculi repugnat finibus Matrimonii, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, & arctissima inter conjuges animorum conjunctio: Et licèt non sit consummatum, ordinatur tamen ex se ut consummetur & proles procreetur. Tum jure divino positivo, ex Matth. 19. ubi Christus Matrimonium

Mmmm 3 ad

„ *cæremoniis, sed de validitate conventio-* „ *num matrimonialium, de accessoriis matri-* „ *monii, de dotis validitate, & communitate* „ *inter virum, & uxorem, quæ conditiones* „ *non dependent ex Theologicis decisionibus,* „ *sed ex edictis in Parlamento verificatis.* „ Idem ostendit Isaacus Habertus Episcopus „ Vabrensis *in libro de justitia connubialis* „ *edicti* à Ludovico XIII. conditi, ubi hæc „ habet: *Non multum laborandum est, de* „ *conciliandis Regiis edictis cum Ecclesiæ sen-* „ *tentia: nullo siquidem edicto matrimonia* „ *filiorumfamilias invalida, ac nulla esse,* „ *absque consensu parentum tutorumve, con-* „ *stitutum est, etsi hic error multis imposue-* „ *rit. Prohibita quidem sunt, sed invalida,* „ *& nulla esse, haudquaquam definitum.* „ *Unde etiam Decessorum suorum vestigiis* „ *insistens Rex Christianissimus Ludovicus,* „ *ea iterum prohibuit, ac austerius inter-* „ *dixit: invalida tamen, ac nulla esse, con-* „ *tra Tridentinæ Synodi decretum, ac Theo-* „ *logorum unanimem in Regno suo senten-* „ *tiam, minime sanxit.* Idem tradit Ca- „ bassutius *in theor. & praxi jur. Canon.* „ *lib. 3. cap. 26. n. 6. & 7.* ubi Brodeum „ carpit, quod Regium edictum, ad ipsam „ etiam Sacramenti rationem protraxerit. „ Idem docet Gerbasius in libro, quem „ inscripsit *Tractatus pacificus &c. p. 504.* „ Idem Natalis Alexander *Theolog. dogm.* „ *& moral. tom. 6. lib. 2. de Sacrament.* „ *Matrim. cap. 3. art. 3. prop. 1.* Quo- „ circa nescimus, qua ratione Juenin *cit.* „ *dissert. 10. cap. 2. art. 2.* metuerit, suum „ calculum adjicere tot Doctorum Galli- „ canorum sententiæ, Regis etiam decla- „ ratione firmatæ, & decidere noluerit, „ an revera in Gallia matrimonia inita à „ filiisfamilias, sine consensu parentum, „ sint valida quoad substantiam, etsi ci- „ vilibus effectibus destitui, nemo dubitet. „ Neque extra institutum vagati sumus, dum „ hæc prolixius enarravimus: Siquidem „ verebamur, ne Episcopi prædicti Juenin, „ aliorumque contra communem sapien- „ tiorum Galliæ Doctorum sensum idem „ scriptitantium authoritate decepti, non „ audeant in suis Synodis declarare, ma- „ trimonia à filiisfamilias, invitis, ac in- „ sciis parentibus contracta, etsi illicita, „ valida tamen esse, ac proinde integrum „ non esse Contrahentibus, quamdiu eo- „ rum alter superstes est, alias nuptias „ inire; quam profectò Synodalem de- „ clarationem, ad consulendum animarum „ saluti, non solùm utilem, sed maximè „ necessariam, reputamus.

ad suam primævam institutionem revocans, sic ait: *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Deus tamen quodlibet Matrimonium, etsi consummatum, potest etiam quoad vinculum dissolvere tamquam supremus creaturarum omnium & jurium illarum dominus, auferendo utrique conjugi dominium in corpus alterius, & sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata.

Resp. 2. Matrimonium consummatum baptizatorum nullo casu dissolvi potest ab hominibus. *Prob.* 1. ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, & Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*, & 1. Cor. 7. *Iis qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere in nuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat, &c.* 2. Ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ id nunquam permisit. 3. Ex Conc. Florent. decreto de Sacrament. *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est; cum Matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et ex Conc. Trident. sess. 24. can. 5. & 7. Ratio est, quia hoc Matrimonium est signum perfectum conjunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem, ex cap. 5. *de bigam.* quæ conjunctio est indissolubilis, Verbum enim nunquam humanitatem assumptam amittet.

Porrò absoluta illa insolubilitas est ex præcepto Christi addito juri naturali.

Non obstat illud, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Nam sensus est. Quicumque dimiserit uxorem, videlicet quoad thorum & cohabitationem absolutè ac in perpetuum, nisi ob ejus fornicationem, mœchatur, hoc est, reus est mœchiæ alienæ, seu *facit eum mœchari*, ut habetur Matth. 5. & qui aliam duxerit quacumque ex causa, mœchatur mœchia scilicet propria. Unde Christus duo ibi docet, nempe & propter solum adulterium dimissionem absolutè & in perpetuum quoad thorum & cohabitationem fieri posse per se & vi contractus Matrimonii; & facta tali dimissione non posse novum inire Matrimonium vivente conjuge. Nam Christus ipse ea, quæ hic obscurè dixerat, ad vitandas interrogantium calumnias; alibi discipulis clarè exponit, nempe, Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, & Marc. 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor* &c.

Nihilominus Christus satisfecit interrogationi factæ de dimissione quoad vinculum. Nam cùm dimissio quoad vinculum includat potestatem dimittendi unam, & ducendi alteram, Christus has duas dimissiones sejungens, priorem concessit, posteriore negata, prioremque dimissionem absolutam ac perpetuam & vi contractus Matrimonii factam, quoad thorum scilicet & habitationem restrinxit ad solam fornicationem, seu adulterium.

Resp. Matrimonium infidelium non dissolvitur hoc ipso quòd unus conjugum ad fidem convertitur, altero remanente in infidelitate, cùm fuerit validum, etiamsi contractum sit in gradu ab Ecclesia prohibito: quia infideles non

non subjiciuntur legibus Ecclesiæ. At ex Dei dispensatione in favorem religionis Christianæ concessa, conjux fidelis habet jus dissolvendi illud etsi consummatum, & contrahendi aliud si infidelis nolit ei cohabitare, vel si velit quidem cohabitare, sed non sine creatoris injuria, Christum blasphemando, religionem christianam contemnendo, vel si non patiatur fidelem christianè vivere, aut ad infidelitatem aliudve peccatum inducat. Patet ex cap. *Quanto, de divort.* & ex 1. Cor. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Dissolvitur autem per aliud Matrimonium conversi ad fidem. Quòd si conversus non ineat aliud Matrimonium, non potest infidelis aliud contrahere: quia dissolubilitas est solùm concessa in gratiam fidei.

Imo multi docent Matrimonium infidelis ad fidem conversi dissolvi posse si alter converti nolit, quamvis velit cohabitare pacificè, ex c. *Judæi*, & can. *Sæpe* 28. q. 1. Si verò uterque infidelis conjugatus baptizetur, eorum Matrimonium fit ratum per baptismum; nam hoc ipso quòd tales communi consensu baptizantur, dant signum externum, quòd consentiant in Matrimonium præcedens, ut juxta Christi institutionem sit insolubile, & si consummetur post baptismum, fit absolutè indissolubile. (*a*)

Resp.

(*a*) Vide cap. 4. lib. VI. ejusdem Tractatus de Synodo, in quo SS. D. N. clarius hujusmodi controversiam exponit *num.* 3. „ Quod plus negotii, *inquit*, facessit Episcopis, est matrimonium ab Hebræis in „ Infidelitate contractum, & consummatum, „ de quo disputatur, an & quando, per „ conversionem alterutrius conjugis ad „ Christianam Fidem, dirimatur. Certum „ est Infidelium conjugium, ex privilegio „ in fidei favorem, à Christo Domino con„ cesso, & per Apostolum Paulum 1. *ad* „ *Corinth. cap.* 7. promulgato, dissolvi, cum „ conjugum alter Christianam Fidem am„ plectitur, renuente altero, in sua infide„ litate obdurato, cohabitare cum con„ verso, aut cohabitare quidem volente „ sed non sine contumelia Creatoris, hoc „ est non sine periculo subversionis conju„ gis Fidelis, vel non sine execratione san„ ctissimi nominis Christi, & Christianæ „ religionis despicientia; ex hoc vero fit, „ integrum non esse conjugi converso, „ transire ad alia vota, prius quam Infi„ delis interpellatus, aut absolute recusa„ verit cum eo cohabitare, aut animum „ sibi esse ostenderit, cum illo quidem co„ habitandi, sed non sine Creatoris contu„ melia, uti colligitur ex celeberrima De„ cretali Innocentii III. *in cap. Quanto de* „ *divortiis*, notantque Sanchez *de Matrim.* „ *lib.* 7. *disp.* 74. *num.* 12. Salmanticenses „ *tract.* 9. *de matrim. cap.* 4. *num.* 48. Car„ dinalis de Lauræa *de matrim. disp.* 16. *num.* „ 198. Clericatus *de Sacram. matrim. decis.* „ 21. *num.* 24. At quandoque evenit, con„ jugem Infidelem in longinquas abiisse „ regiones, aut ita latitare, ut interpellari „ nequeat, & tunc dubitatur, an inter„ pellatione omissa, fas sit converso alias „ inire nuptias. Affirmant plerique, qui„ bus adstipulantur Sanchez *citat. loc. num.* „ 14. Genuensis *in prax. Cur. Archiep. Nea*„ *pol. cap.* 27. *num.* 20. Riccius *in prax.* „ *part.* 1. *resol.* 421. alii ex adverso, inter „ quos Pontius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 48. „ *num.* 22. in eo rerum statu, necessariam „ putant dispensationem Summi Pontificis, „ cujus est declarare, in quibusnam cir„ cumstantiis desinat obligare præceptum „ Divinum, quo prædicta interpellatio ante „ rescissionem matrimonii, videtur injun„ cta; atque huic posteriori sententiæ in „ quadam causa Florentina discussa 17. Ja„ nuarii 1722. adhæsit sacra Congregatio „ Concilii, cujus judicio Nos omnia subje„ cimus rationum momenta, quæ à diffi„ dentibus inter se Doctoribus, in utram„ que partem afferuntur, uti legere est „ *tom.* 2. *Thesaur. Resolut. pag.* 117. *& seqq.* „ Nec Sedes Apostolica difficilem se præ„ bet eam petentibus dispensationem, quam „ urgens causa suadeat concedendam: et„ enim, sicuti in præfata causa Florentina „ animadvertimus, Gregor. XIII. locorum „ Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Mis„ sionariis

Reſp. 4. Matrimonium baptizatorum ratum, ſed non conſummatum, diſſolvitur in duobus caſibus, 1. Per profeſſionem ſolemnem in religione approbata: ex cap. *Verum*, & cap. *Ex publico de converſ. conjug.* & ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 6. Quia hæc conditio (Niſi religionem profitear ante conſummationem) jure ſaltem ecclesiaſtico appoſita eſt contractui Matrimonii, in favorem boni communis, cui perſona privata cedere nequit. Dum autem unus conjugum religionem ingreſſus eſt, alter non poteſt cum altero contrahere, niſi poſt profeſſionem prioris, cùm per hanc ſolam diſſolvatur Matrimonium.

Nota.

„ ſionariis Societatis Jeſu in Angola, Æthiopia, & Braſilia degentibus, poteſtatem fecit diſpenſandi cum quolibet conjuge, qui Chriſtianæ religioni nomen dedit, ut novum poſſit matrimonium inire, omiſſa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem conſtat legitimè interpellari non poſſe; & Nos ipſi, ad Petri Cathedram evecti, facultatem conceſſimus Apoſtolico Nuntio, Venetiis commoranti, ut in ſimili rerum eventu, poſſit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges converſos, exiſtentes in loco pio Catechumenorum, ejusdem Civitatis Venetiarum, quod habetur *in noſtra Conſt.* 3. *noſtri Bullarii tom.* 1

„ 4. Sed alia hinc oritur controverſia, de temporis momento, quo reſcindatur fœdus connubii, de quo eſt ſermo: plerique Doctores ſentiunt, interpellato conjuge infideli, eoque, aut expreſſe abnuente legitimè cohabitare cum Fideli, aut intra terminum, ſibi in interpellatione præfixum, nihil reſpondente, diſſolutum ſtatim cenſeri vinculum conjugii, quo erant ambo conſtricti: alii arbitrantur, tunc primum dirimi, cum conjux converſus alteras nuptias contrahit; ab iſtius autem controverſiæ deciſione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non ſemel contigit, in Eccleſiaſticis Foris diſputari. Fingit Titium Hebræum Chriſtianam Fidem amplecti; poſtquam fuit Baptiſmate ablutus uxorem ſuam Næviam, quam in Judaiſmo pertinacem reliquit, interpellet, an velit ſecum cohabitare, ſine Creatoris contumelia: Nævia aut expreſſe renuit, aut intra præfinitum ſibi temporis intervallum, nihil reſpondeat; aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Nævia Titius autem Chriſtianus cælibem ſtatum eligat. Fingite rurſus, poſt aliquot annos, Næviam, cum ſuo ſecundo viro, ad Chriſtianam Fidem converti, colente adhuc Titio cœlibatum; gravis ſtatim excitatur quæſtio, an Nævia redire debeat ad Titium ſuum primum virum, an potius permanere cum ſecundo. Hujus autem quæſtionis deciſio ab alia pendet, quam antea proponebamus: Etenim ſi matrimonium Titii cum Nævia reſciſſum fuit, ſtatim ac Nævia interpellata renuit cum Titio legitimè cohabitare, uti opinantur Doctores primæ ſententiæ, validè profecto potuit eadem Nævia alteri ſe copulare viro, cum quo propterea perſeverare debet, etiam cum ambo Chriſtianorum Sacris ſunt initiati; at ſi matrimonium, in Infidelitate contractum, tunc non ſolum diſſolvitur, quando conjux converſus aliud conjugium init, uti exiſtimant Doctores ſecundæ ſententiæ, cum Titius, in caſu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certè fuit novum matrimonium à Nævia, nondum à priori vinculo ſoluta contractum, atque idcirco cum Chriſtianam Fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum cum res contigerit Florentiæ anno 1726. & de ea diſceptaretur in ſacra Congregatione Concilii, Nos, pro noſtro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere, diſſertationem elucubravimus, qua luculenter oſtendimus, ex enunciatis ſententiis, poſteriorem eſſe, tam inter antiquos, quam inter recentiores Theologos, & Canoniſtas, fere communiter receptam, ex quo concluſimus, virum Hebræum, de quo res erat, quique cum ſecunda uxore, quam, juxta præmonſtratam caſum, duxerat, Baptiſmum petebat, poſt illum ſuſceptum teneri redire ad primam, jampridem Chriſtianam factam, & adhuc perſeverantem innuptam; & ſacra Congregatio nec latum quidem unguem à noſtra ſententia receſſit, eoque libentius eam eſt amplexata, quod, Nobis pariter ſuggerentibus, compererit: ita, conſentientibus

Theo-

Nota. Conjugibus ante consummationem conceduntur duo menses ad deliberandum de religione suscipienda, ex cap. *Ex publico* cit. intra quod tempus conjux cogitans de religione non tenetur consummare, nec potest sine injuria ad id cogi. Sed hoc exacto tenetur reddere debitum, si exigatur ab altero. Tamen quamdiu Matrimonium non est consummatum, tamdiu liberum est conjugibus religionem ingredi; & uno profitente potest alter ad alias nuptias transire, ex cap. *Verum.* cit. Secùs, si Matrimonium consummetur, etiam per vim & primo mense.

2. Ex Canonistis & Theologis plurimis dissolvitur per authoritatem Papæ, qui tanquam supremus Vicarius Dei potest, ob causam valde gravem, solvere tale Matrimonium.

Prob. 1. Ex facto plurium Pontificum, qui in hoc dispensarunt, ut Martini V. Eugenii IV. teste S. Antonin. 3. part. tit. 1. c. 21. §. 3. Pii II. & Pii IV. teste Navarro, Greg. XIII. teste Præposito; & Clementis VIII. & Urbani VIII. teste Conrado, &c. 2. Quia cùm possit Papa dispensare professione religiosa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, cur non posset in Matrimonio ipso rato? Nam professio religionis est fortius vinculum, quàm sit vinculum Matrimonii rati; cùm professio religionis hoc vinculum dissolvat, juxta illud juris axioma: *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.* 3. Talis potestas expedit bono Ecclesiæ & saluti animarum. At Christus dedit suo Vicario omnem potestatem, quæ bono

---

„ Theologis, in consilium adhibitis, fuisse „ ab eadem definitum anno 1679. & 1680. „ in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat; quæ omnia legenda sunt *in Thesaur. Resolut. tom.* 3. *pag.* 346. & 352. „ *ac seqq.*

„ 5. Alter ejusdem causæ articulus, sacræ „ Congregatiois discussioni tunc quoque „ propositus, indecisus remansit; quærebatur itidem, an saltem jus esset Summo „ Pontifici, primum matrimonium, in Infidelitate contractum, & consummatum, suprema sua auctoritate relaxandi veniamque concedendi conjugi, tardius ad Fidem converso, ut in prædictis „ rerum circumstantiis, posset cum secunda uxore permanere. Opportuna etiam „ de hac, longè utique graviori, quæstione, fuit à nobis exarata dissertatio, quæ „ extat *tom.* 4. *cit. Thesaur. Resolut. p.* 30. „ *& seqq.* in qua plures allegavimus Doctores; hanc potestatem Pontifici asserentes, simulque contendentes, eam reipsa „ exercuisse, S. Pium V. & Gregor. XIII. „ sicut cit. dissertatione fusè habetur, sed „ sacra Congregatio satius duxit à sententia ferenda se abstinere, quoniam, etiam „ data Pontifici potestate rescindi prius vinculum conjugii, in Infidelitate contracti, „ nihilominus, quod Nos sacræ Congregationi insinuare non prætermisimus, „ merito dubitabatur; num eæ adesset gravissimæ causæ, quæ necessariæ sunt, ut per „ Apostolicam dispensationem dirimatur.

„ 6. Itaque Episcopus diœcesi præsidens, „ in qua ob admixtionem Christianorum „ cum Hebræis, interdum casus occurrant, „ de quibus disseruimus, utiliter de iisdem „ sermonem instituet in sua Synodo, salubriter in ea formam inseret interpellationis à conjuge converso, alteri faciendæ in sua persistenti perfidia, quam formulam integram refert Clericatus *loc. cit.* „ prudenter denique suis Parochis doctrinam tradet, à Sacra Congregatione „ Concilii approbatam, secundum quam „ dijudicare debeat; an, & quando, per „ conversionem alterutrius conjugis ad „ Christianam Fidem, alter in Infidelitate „ relictus libertatem nanscifcatur à vinculo „ matrimonii, quo erat obstrictus. Irrepserat intolerabilis abusus, quod maritus „ Hebræus ad Fidem conversus libellum „ repudii juxta ritum Judaicum ad uxorem „ transmittebat in sua Infidelitate persistentem, cujus ope libelli uxor Hebræa „ ad alia vota transibat. Adversus autem „ hunc abusum edita est à Nobis Constit. quæ incipit: *Apostolici ministerii,* edita die 16. Septembr. 1747. in secundum „ tomum nostri Bullarii inserenda. Futiliter „ autem hæ pertractarentur in Synodo diœcesis, à qua Hebræi coguntur perpetuo „ exulare, nec proinde unquam in ea casus „ eveniunt, de quibus hactenus.

bono Ecclesiæ & saluti animarum expediret.

Nec obstat illud Christi; *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. Quia hæc verba spectant Matrimonium consummatum, quo solo conjuges fiunt una caro, ut docet Alexander III. cap. *Ex publico.* Unde Matrimonium est quidem insolubile, sed ab ipsis contrahentibus & potestate merè humana, qualis non est hæc potestas Papæ, qui non dissolvit illud ut homo, sed ut Vicarius Christi, & ejus dispensator. Cùm autem matrimomonium ratum sit dumtaxat signum unionis Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ in multis justis dissolvitur, non debet esse ita insolubile sicut consummatum, quod est signum unionis Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quæ numquam dissolvetur, cap. *Debitum* de bigam.

Nec inde sequitur Matrimonium consummatum posse etiam dissolvi authoritate Papæ: nam hoc est omnino indissolubile ob perfectam significationem unionis Christi cum Ecclesia per assumptionem humanitatis. Et hoc Matrimonium à rato differt integraliter, sicut perfectum ab imperfecto seu minus perfecto in ratione signi. Nam Matrimonium ratum caret integrali perfectione, quæ complet consummatum in sua perfecta significatione unionis Christi cum Ecclesia per assumptam carnem: quam quidem perfectionem habet Matrimonium consummatum.

Nec obstat, quòd Matrimonium ratum sit Sacramentum. Nam licèt sit Sacramentum, pendet tamen à contractu humano tamquam fundamento, super quo contractu potestatem habet Ecclesia: quamvis Ecclesia nil possit circa Sacramenta à contractu humano independentia.

Quæst. IX. *An & quando licitum est divortium, seu separatio conjugum, quoad thorum dumtaxat & habitationem, manente vinculo conjugali?*

Resp. Ob varias causas licitè fieri potest, ex Conc. Trid. sess. 24. can. 8. & ex jure canonico, tit. *de divortiis.*

1. Quidem licitè fit in perpetuum ob alterius conjugis fornicationem, per quam intelligitur non solùm adulterium, sed etiam omnis illicitus concubitus cum alio supposito, ut incestus, sodomia, bestialitas; his enim criminibus frangitur fides conjugalis, ex Matth. 5. & cap. 5. & 8. *de divort.* Imò tenetur divortium facere, nisi uxor resipiscat, ex Prob. 8. *Qui tenet adulteram, stultus est, & impius,* & ex cap. 3. *de adult.* Nam alioqui fieret particeps ejus peccatorum, tegumentum ei præbendo; & *ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit,* ait S. Thom. Aliud est de uxore, nisi ipsa certò sciat virum adulterum ex divortio emendandum; quia uxor cùm non sit superior, non tenetur illum punire, nec censetur ejus adulterio connivere.

Porrò est æquale jus divortii in utroque conjuge ob adulterium. Nam quoad thorum, fidem ac debitum conjugale, pares sunt vir & uxor, ex 1. Cor. 7. & nemo tenetur debitum promissum præstare ei, qui pactum primus violavit.

Divortium tamen non est licitum in his casibus. 1. Si adulterium condonatum sit etiam tacitè, exercendo actum conjugalem, postquam cognitum est: nam ex cap. *Si illic* 23. q. 4. injuria condonata non potest postea puniri. 2. Si vir ipse uxorem prostituerit, ex cap. 6. *de eo qui cognovit &c.* aut si fornicandi causam dederit, v. gr. denegando ei injustè debitum; nam par non est, ut qui causam crimini injustè

justè dedit, ex eo commodum percipiat. 3. Si adulterium non fuit culpabile, ut si uxor bona fide alteri nupserit, putans virum suum esse mortuum: nam privatio debiti est pœna, ideóque supponit culpam. 4. Si uterque conjux adulterium patravit, cap. 4. & 5. *de divort.* ita ut pars quæ post compartis adulterium fornicata est, teneatur ad hanc redire, eique debitum reddere; *cùm Matrimonii jus in utroque læsum consistat, & paria de licta mutua compensatione tollantur,* cap. 6. *de adulter.*

Nota 1. Conjux innocens potest privata authoritate se separare quoad thorum, modò ei constet de alterius adulterio; cùm debitum negari possit sine scandalo, & jus negandi habeat ob violatam sibi fidem contractus Matrimonii. At separatio quoad habitationem (quod est propriè divortium) cùm sit publica, requirit authoritatem judicis ecclesiastici, ex cap. 3. & 6. *de divort.* alioqui scandalum & perturbatio oriretur. Posset tamen authoritate privata fieri ad tempus ob grave periculum animæ, vel corporis imminens, quod aliter declinari nequeat. Parti autem ob adulterium dimissæ non licet ingredi religionem, vel suscipere sacros Ordines sine consensu partis innocentis, quæ habet semper jus revocandi alteram.

2. Licitum est divortium supradictum ob compartis hæresim supervenientem, cap. 6. *de div.* vel ob sævitiam, vel ob alia crimina, ex quibus imminet animæ corporisve periculum. Nam Matrimonium non tollit jus naturale vitandi proprium periculum animæ & corporis. Non tamen licitum est ob alia crimina, quæ neutrum periculum secum afferunt cap. 2. *de divort.* Porrò post sententiam divortii non perpetui, sed ad tempus, v. g. donec nocens mores emendarit, innocens non potest mutare statum per professionem religiosam, vel sacrum Ordinem suscipere: quia nocens saltem emendatus potest authoritate judicis repetere conjugem. Imò cessante periculo omni, & conjuge emendato, uxor ad virum redire debet: nam *cessante necessitate illud quoque cessat, quod pro necessitate factum est.* cap. *Ordinationes 9.* quæst. 1.

3. Fieri potest ex mutuo consensu, studio vitæ perfectioris in religione, ex Matth. 10. *Omnis qui reliquerit domum . . . aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.* Quòd si unus post consummatum Matrimonium religionem ingredi velit, debet & compars ingredi, cap. 4. *de convers. conjugat.* nisi in sæculo manens castitatem voveat, nec sit de incontinentia suspecta; c. 8. eod. tit. Ut autem vir sacros Ordines suscipiat, sufficit, si uxor castitatem in sæculo voveat, cap. 5. eod. tit.

Quæst. X. *An Polygamia seu pluralitas uxorum simultanea est licita?*

Resp. Est illicita & irrita post Evangelium promulgatum. *Prob. 1.* Ex Luc. 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ergo à fortiori mœchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Et, Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos,* (unicum cum unica conjungens:) *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duò in carne una, &c.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis & Israelitis factam revocat, & Matrimonium ad primævam institutionem reducit. Et non dixit; *Tres, vel plures, sed duo;* nec dixit; *Adhærebit uxoribus, sed uxori,* ait Innocentius III. cap. 8. *de divort.* 2. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione & praxi. 3. Ex Conc. Trid. sess. 24. c. 2. *Si quis dixerit licere*

cere christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. Esse etiam irritam polygamiam suprà docet his verbis: *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Christus Dominus apertiùs docuit, &c.*

Imò polygamia, sine licentia Dei, adversatur legi naturali. Quia 1. Impedit saltem communiter bonam prolis educationem, & pacem domesticam ad eam necessariam; Nam vix fieri potest, ut non sit aliqua prædilectio & distinctio, vel neglectus aliquarum uxorum; nec invidia, jurgia, rixæ inter illas uxores, aliaque mala inde nascantur, idque ex natura rei, spectato fœminarum nativo ingenio. Quare uxorum pluralitas adversatur pacificæ cohabitationi conjugum, ac gubernationi domesticæ: qui est secundarius Matrimonii finis, ut docet Aristoteles. Uxor quippe non subditur viro ut famula, sed ut socia & comprincipium, & in domestica gubernatione cum viro & sub viro principatum tenens. 2. Æqualitas contractus Matrimonii, ideóque ejus justitia exigit; ut sicut uxor tradit totaliter dominium sui corporis: sic suum totaliter tradat vir uxori: ita ut uterque eo æqualiter uti possit, nec alteri tradere sine injuria alterius. Unde Innocentius III. cap. 8. *de divort.* ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.* Et S. Hieron. in cap. 19. Matth. ait Christum *adducere in testimonium sacram Scripturam & naturalem legem*, ut unitatem uxoris statuat.

Hinc infideles non possunt ad baptismum admitti, nisi unam tantùm uxorem primo loco acceptam retineant, cæteris ut illegitimis dimissis, cap. 8. *de divort.* Si tamen alia fidem susciperet, præferenda esset: nam potest conversus, omnibus uxoribus infidelibus dimissis, aliam fidelem ducere.

Deus tamen polygamiam Patriarchis licitam reddidit, ad multiplicandum populum Dei, dividendo in plures uxores jus quod ex natura contractus una habebat totaliter in corpus mariti, & suppeditando media, ne inde bona educatio & pax familiarum impediretur, & alia mala sequerentur.

Nunquam autem conjunctio ejusdem fœminæ cum pluribus viris permissa fuit. Quia hæc adversatur fini etiam primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam, vel saltem rarissimè sequatur, ut patet in meretricibus. Et quando non impeditur, incertum reddit patrem prolis, quod prolis educationi adversatur. Finis autem primamarius Matrimonii est tum generatio prolis, tum ejus educatio.

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta Matrimonii alia sunt impedientia tantùm, quæ reddunt illud solummodo illicitum. Alia dirimentia, quæ insuper efficiunt invalidum, si fuerit attentatum, unde sic vocantur, non quòd Matrimonium semel validè contractum dirimant, cùm Matrimonium semel validum sit insolubile, sed quia faciunt, ne validè contrahi possit. Porrò semper dirimunt non obstante ignorantia invincibili, sive juris, sive facti circa illa. Quia non sunt pœnæ, quæ culpam supponunt, sed inhabilitates morales ad Matrimonium ob bonum commune statutæ, quæ non requirunt cognitionem sui ut contrahantur, cùm bonum commune postulet, ut etiam ab ignorantibus contrahantur. Infideles tamen; cùm non sint

ſint ſubjecti legibus Eccleſiæ, non aſtringuntur impedimentis ſolius juris Eccleſiaſtici: unde ob illa ſeparari non debent, ſi convertantur.

Quæſt. I. *Quot ſunt impedimenta impedientia tantùm?*

Reſp. Sunt quatuor, quæ nunc certò vigent, & ſub mortali obligant, cùm materia præcepti ſit gravis. Hoc verſu continentur.

Eccleſiæ vetitum, tempus, ſponſalia, votum.

Primum itaque eſt Eccleſiæ vetitum, id eſt, prohibitio ab Epiſcopo vel parocho facta de non contrahendo, ob dubium impedimenti alicujus donec veritas innoteſcat, cap. 2. *de matrim. contract. &c.* & cap. ult. *de clandeſt. deſponſat.* Item prohibitio à Conc. Later. IV. & Trident. facta, ne contrahantur ſine præviis denuntiationibus, vel earum diſpenſatione.

Secundum eſt tempus, quo nuptiæ ſunt interdictæ, quod jure novo Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 10. eſt ab Adventu uſque ad diem Epiphaniæ excluſivè, & à die Cinerum uſque in octavam Paſchæ incluſivè. Sed quia ibi loquitur de ſolemnibus nuptiis, jure communi ſecundùm multos ſolùm prohibetur hoc tempore ſub mortali ſolemnitas nuptiarum, nempe benedictio ſponſi & ſponſæ, traductio ſponſæ ad ædes ſponſi, choreæ, & convivia nuptialia. Unde Rituale Rom. dicit ſolùm hoc tempore *ſolemnitates nuptiarum prohibitas eſſe; ut nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt.* Matrimonii tamen conſummationem tunc prohiberi declaravit S. Congregatio, teſte Fagnano, eo quod hæc non conveniat tempori devotioni & pœnitentiæ dicato. Imò ex conſuetudine, vel jure particulari multarum diœceſum, Matrimonii celebratio dicitur etiam tunc non permitti abſque ſpeciali cauſa, & licentia Epiſcopi.

Tertium, ſponſalia priùs cum alio contracta & nondum diſſoluta. Quia tunc violaretur in re gravi fides alteri data, & promiſſio oneroſa ei facta & ab eo acceptata, quæ obligat ex juſtitia graviter in re gravi, ex c. *Atho* 27. quæſt. 2.

Quartum eſt votum ſimplex caſtitatis in ſæculo ſervandæ, vel ingrediendi religionem, vel ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, vel nunquam nubendi, cap. 6. *Qui clerici &c.* Nam votum jure divino naturali obligat ad ſui obſervationem, ne fides Deo data violetur. Validum tamen eſſe Matrimonium, ex cap. cit. Nam ex natura rei res alicui promiſſa poteſt alteri validè licèt illicitè dari. At votum ſimplex non corporis traditionem, ſed ſolam promiſſionem complectitur. *Poſt votum ſimplex adhuc remanet homo dominus corporis ſui, & ideo poteſt ipſum dare alteri, ſcilicet uxori.* S. Thom. in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 2. quæſt. 2.

Quæſt. II. *Quænam obſervanda ſunt circa Banna, ſeu denuntiationes futuri Matrimonii?*

Reſp. Sequentia. 1. Licèt ad valorem Matrimonii non requirantur, cùm nullo jure ob earum defectum irritetur; tamen graviter præcipiuntur à Concil. Later. IV. & Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. Quare qui ſine illis, vel legitima diſpenſatione Epiſcopi contrahunt, & parochus aſſiſtens, peccant mortaliter. Quia violant præceptum Eccleſiæ in re gravi, ubi agitur de graviſſimis malis impediendis: niſi tamen excuſaret urgentiſſima neceſſitas, qualis reperitur in articulo mortis; ut ſi concubinarius brevi moriturus velit & debeat contrahere Matrimonium cum concubina, tunc ſi nequeat adiri Epiſcopus vel ejus vicarius, parochus per

epichiam poterit interpretari legem illam in tali casu non obligare.

2. Ex præcepto fieri debent tribus diebus festivis continuis, non tamen immediatis, ab utriusque contrahentis parocho, vel parochis in Ecclesia inter missarum solemnia, nisi ex causa justa ordinarius dispenset, ex Concil. Later. IV. cap. 51. & Trid. sess. 24. cap. 1. Quare si contrahentes sint diversarum parochiarum, debent fieri denuntiationes in utriusque parochia: & tunc unus parochus non potest Matrimonio assistere, nisi habeat testimonium alterius parochi de illis factis. Quòd si alteruter sponsus non ita pridem in aliqua parochia commoretur, denuntiationes fieri debent, eo in loco ubi diutiùs manserit, ut faciliùs impedimenta, si quæ fuerint, detegantur: Quoad vagos verò parochus nihil debet agere sine licentia ordinarii, ut jubet Conc. Tridentinum (*a*).

3. Inter singulas proclamationes, item inter ultimam & ipsam Matrimonii celebrationem intercedere debet aliquod intervallum, juxta cujusque diœcesis statuta.

4. Est mortale, si una è tribus omittatur, nisi probabilis adsit suspicio Matrimonium posse malitiosè impediri; tunc enim Concil. Trident. permittit unicam denuntiationem præmitti, aut etiam nullam de licentia ordinarii, si hoc putetur necessarium ad amovendum periculum.

5. Si intra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, illæ repetantur, ni aliter Episcopo videatur. Ita *Rituale Rom.* quia interea

---

(*a*) In VII. cit. Tract. cap. 69. num. 2. de publicatione matrimonii in Ecclesia facienda: hæc habentur: „ Et ne recedamus ab exemplo matrimonii, cui hactenus institimus. Innocent III. in Concilio Generali Lateranensi *relat. in cap. cum inhibitio, de clandestin. desponsat.* matrimonium priusquam celebretur, publicè in Ecclesia denunciari præcepit: eamdemque publicationem, ter faciendam statuit Tridentinum *cit. cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.* nisi Episcopus, aut omnes, aut earum aliquam omittendam censuerit, quod ejusdem judicio, & prudentiæ relinquitur; Parochus autem matrimonio interesse præsumens, cui legitimæ non præcesserint denuntiationes, suspensione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur *in cit. cap. Cum inhibitio*, §. *final.* à qua quidem suspensione, cujus tempus est à jure determinatum, non posse eumdem, intra triennium, ab Episcopo absolvi docent Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disp.* 52. *num.* 2 Guttierez *de matrimon. cap.* 75. *num* 22. & Pontius *lib.* 5. *cap* 37. *num.* 11. Ipsis vero Contrahentibus, quia Ecclesiæ mandatum, in re sane gravi, contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam, *in eod. cit.* §. *final.* statuitur: Testibus tamen, qui ejusmodi matrimoniis assistunt; nulla pœna, neque à Concilio Lateranensi, neque à Tridentino reperitur imposita: nihilominus pleræque Diœcesanæ Synodi in illos duxerunt animadvertendum, pœna excommunicationis latæ sententiæ; quamvis porro Soto *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. §. *Quo igitur* absonum visum sit, à particulari Synodo illam in prædictos testes irrogari pœnam, à qua infligenda Concilia Generalia abstinuerunt, ac proinde præfatas Constitutiones irritas existimaverit; rectius tamen earumdem validitatem propugnat, atque à Soti argumentis vindicat Sanchez *cit. lib.* 3. *disputat.* 46. *num.* 8. etenim cum testes præfati authoritatem præstent matrimonio ab Ecclesia interdicto, graviter profecto in Ecclesiæ leges delinquunt: quapropter Synodales Constitutiones eorum culpam, debita coercentes pœna, nihil agunt contra Canones, sed Canones ipsos tuentur, ac fovent; sicuti animadvertit etiam Fagnanus *in cit. cap. Sicut olim num* 78. *de accusat.* ubi loquens de Synodo Provinciali, quod in re, quam in præsens versamus, non plus auctoritatis habet, quam Diœcesana; ait: *Non tamen horum potestas adeo restringitur, quin multa statuere possint circa ea, quæ totam provinciam concernunt, præter jus commune . . . suisque decretis jus commune adjuvare, addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.*

interea possent sponsi contraxisse aliquod impedimentum.

6. Qui extra confessionem novit aliquod impedimentum, etiam occultum, inter nupturientes, tenetur sub mortali illud detegere, tum ex præcepto Ecclesiæ, tum jure naturali. Nam tunc agitur de bono communi, salute proximi, & valore Sacramenti; & quisque graviter tenetur, præsertim jubente Superiore, impedire grave damnum proximi, qualis est nullitas Matrimonii, ex qua plura peccata & incommoda oriuntur, ut concubinatus, illegitimitas filiorum. Unde Concil. Camerac. ann. 1565. jubet excommunicari eum, qui verum impedimentum sciens reticuerit, sicut qui falsum finxerit.

Nec obstat, quod nequeas probare impedimentum; nam unus testis fide dignus Matrimonium impedit, ex cap. 27. *de sponsal.* donec oppositum probetur. Quòd si inde oriretur infamia denuntiato, teneris privatim admonere, ut à Matrimonio desistat: quòd si nolit, teneris monere parochum. Item quisque tenetur declarare, si alteruter habeat impedimentum prohibens, ob præceptum Ecclesiæ; & quia quisque tenetur impedire peccatum proximi & peccati executionem, cùm potest saltem sine suo gravi damno.

7. Parochus cognito impedimento, tenetur prohibere Matrimonium, nec ei assistere, sed remittere ad Episcopum vel ejus officialem.

Quæst. III. *Quot sunt impedimenta dirimentia?*

Resp. Post Conc. Trid. sunt quindecim his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Porro est peccatum mortale contrahere cum aliquo ex hisce impedimentis: nam fit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, & attentatur Sacramentum, quod non potest effici. Hinc ne quidem metus gravis excusaret à peccato: nam vel cum aliquo ex his scienter contrahens ex metu gravi intenderet contrahere, & tunc tentaret Sacramentum, quod non potest efficere; vel solùm fingeret se intendere, & tunc fingeret se ministrare Sacramentum, quod non vult ministrare, quod utrumque est graviter injuriosum Sacramento.

I. *Error.* Si sit circa substantiam personæ, jure etiam naturali Matrimonium irritat. Quia impedit consensum in substantiam contractus, nempe in personam qua cum contrahitur: nam persona est substantiale ac primarium objectum Matrimonii, cùm sit res ipsa, circa quam contractus Matrimonii primariò versatur. At nullus est contractus sine consensu circa substantiale objectum illius. Idque etiamsi error sit solùm concomitans, quia adhuc deest consensus actualis positivus essentialiter requisitus ad hunc contractum: nam quod incognitum est, non potest esse actu volitum. Unde Lia pro Rachele obstrusa Jacobo, *Gen.* 29. non fuit verè ejus uxor, nisi postquam ipse detecta fraude Liam acceptavit in uxorem.

Si verò error sit solùm circa qualitatem, seu accidentia personæ, ut nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem, &c. non dirimit Matrimonium, etiamsi alterius contrahentis dolus ei causam dedisset. Quia nihilominus adest consensus absolutus in personam, cum qua contrahitur, quæ

quæ est objectum directum ac substantiale hujus contractus : nam defectus accidentium non tollit substantiam rei, nec consensum absolutum in rem ipsam, causa 29. q. 1.

Excipe 1. Nisi error qualitatis redundet in errorem personæ, ut cùm qualitas personam determinat, distinguitque à quavis alia : ut si intendas contrahere cum primogenita, quam aliter non novisti, & ejus loco detur secundogenita ; nam error circa talem qualitatem impedit consensum circa objectum substantiale per illam determinatum. 2. Nisi consensus datus sit solùm sub conditione talis qualitatis, circa quam erratur, ut si dicas: *Accipio te in uxorem, si es dives:* vel *nobilis, &c. Secus, non te accipio.* Tunc enim qualitate ista non subsistente, Matrimonium nullum est, propter defectum consensus in personam alligati tali qualitati : nam consensus conditionatus non subsistit, non subsistente conditione, cui alligatur. Sed tunc requiritur, ut contrahens habeat actu voluntatem non aliter contrahendi, vel antea habuerit nec revocarit. Verùm si conditio exteriùs non exprimatur, contractus in foro externo censetur absolutus : unde si quis interiùs consensisset tantùm sub conditione, si sit dives, nobilis, &c. cogeretur illam ducere, & consensum absolutum dare.

II. *Conditio.* Conditio servilis ignorata, dum persona libera contrahit cum persona serva putans esse liberam, ex c. *Si quis ingenuus 29.* & ex cap. 2. & 4. *de conjugio servorum.* Ratio hujus impedimenti est, ut tollatur magna contractus inæqualitas, & ut impediatur gravis injuria personæ liberæ ignoranti illata. Valet tamen Matrimonium. si persona libera cognoscebat alterius servitutem, ex cap. cit. nam tunc consentit in illam inæqualitatem; vel si persona serva ducat aliam servam, putans esse liberam; quia par est utriusque conditio, *ibid.* Nomine personæ servæ hìc intelligitur mancipium, in quod dominus habet plenum jus vendendi, donandi, & quibuslibet operibus servilibus occupandi.

III. *Votum.* Scilicet votum solemne castitatis per professionem factam in religione approbata, vel per susceptionem Ordinis sacri, ex Conc. gen. Later. I. cap. 21. & Later. II. cap. 7. ex cap. un. de voto in 6. & ex Conc. Trid. sess. 24. can. 9. ibi, *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto . . . . anathema sit.* Item votum simplex castitatis in Societate Jesu post biennium novitiatus emissum, ex Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Domino.* Religiosi autem, moniales, Clerici in Sacris constituti, & laici in gradibus prohibitis tentantes inire Matrimonium, excommunicantur ipso facto, ex *Clement.* de consang.

IV. *Cognatio.* Triplex est cognatio dirimens Matrimonium. Prima dicitur legalis, & est vinculum, seu propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta, per quam persona extranea assumitur in filium vel filiam, ac hæredem necessarium, & transit in patriam potestatem adoptantis. Hæc Matrimonium dirimit in perpetuum inter adoptantem & adoptatum, adoptatique posteros usque ad quartum gradum inclusivè; inter adoptatum & uxorem adoptantis; inter adoptantem, & uxorem adoptati; item inter adoptatum seu adoptatam, & filios aut filias adoptantis, sed solùm usquedum liberi sint à potestate patria per mortem

tem adoptantis, vel per emancipationem, cap. unic. *de cognat. legali.*

Secunda est cognatio spiritualis, quæ est vinculum, seu propinquitas personarum jure ecclesiastico inducta, ratione Baptismi & Confirmationis. Irritat Matrimonium inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nec non inter patrinos seu susceptores, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, item inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem. Inter hos & non plures contrahitur, ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 2.

Porrò non contrahitur à procuratore, sed à solo mandante, ut teste Fagnano resolvit S. Congregatio. Nam hic solus à parentibus baptizandi designatur, & patrinus reputatur, & ut causa principalis suscipit ac tangit per procuratorem tanquam per instrumentum, qui non agit nomine suo, sed mandantis. Contrahitur tamen etiam à laico baptizante in casu necessitatis; qui proinde non potest ducere puellam à se baptizatam, vel ejus matrem.

Tertia est cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, & est propinquitas seu conjunctio sanguinis inter personas, vel ab eodem stipite propinquo descendentes, ut sunt fratres & cognati, vel quarum una descendit ab altera, ut sunt pater & filia, avus, neptis, &c. Hæc distinguitur per lineas & gradus.

Linea est ordinata series personarum sanguine junctarum, constans certis gradibus; & duplex est, nempe recta, & transversa seu collateralis.

Linea recta est ordinata series ascendentium & descendentium, ab eodem stipite directè procedentium, quorum scilicet unus ab altero descendit, ut patris, & filii, nepotis, pronepotis, &c. In hac linea juxta jus canonicum non computatur persona quæ est communis stipes, id est, ex qua aliæ ducunt originem.

Collateralis seu transversa est, quæ continet personas descendentes quidem ab uno communi stipite, seu quarum nulla descendit ab altera: unde dicuntur collaterales, ut sunt frater & soror, consobrinus & consobrina, &c. Per gradum hic intelligitur distantia personarum consanguinearum inter se à communi stipite.

Ad cognoscendos gradus hæ sunt regulæ. 1. In linea recta tot sunt gradus, quot generationes seu personæ dempto stipite: sive tot gradibus una persona distat ab alia, quot generationibus seu personis inferior à stipite descendit. Sic filius vel filia distat à patre & matre uno gradu; nepos vel neptis ab avo & avia duobus gradibus; & sic deinceps. 2. In linea collaterali si personæ æqualiter à communi stipite distent, eo gradu inter se distant, quo distant ab eodem stipite, sive tot gradibus inter se distant, quot generationibus descendunt è communi stipite. Sic frater & soror sunt in primo gradu, consobrini seu liberi fratrum in secundo, horum filii in tertio, & ita deinceps, c. *ad sedem.* 35. quæst. 5. Nam cùm adæquata horum conjunctionis ratio sit unio cum stipite, non possunt magis, aut minus inter se distare quàm à stipite.

Si verò personæ inæqualiter distent à communi stipite, in gradu se contingunt; quo remotior distat à stipite. Nam personæ collaterales non debent magis, aut minùs inter se distare quàm una distet à stipite, qui est horum propinquitatis ratio. Unde filia & frater patris sunt consanguinei in secundo gradu; & si una sit in quinto, altera in quarto, censentur esse inter se in quinto, sicque inter illas non est

impedimentum, cap. *Vir* de consan. guinitate.

Consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ irritat Matrimonium saltem jure humano, ex resp. Nicolai I. ad consulta Bulgar. c. 39. Ibi: *Inter eas personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & nepotem, vel matrem & filium, vel aviam & neptem, & usque ad infinitum.* Imò juxta multos etiam jure naturali, saltem seclusa necessitate extrema conservandi speciem humanam: tum quia concubitum inter ascendentem & descendentem refugit ipsa natura, ut valdè indecentem; & gentes omnes ratione naturali duce eum nefandum habuere, ut patet ex l. ult. 9. de ritu nuptiarum, ubi dicitur: *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit.* Tum quia est contra reverentiam debitam progenitoribus: nam per conjugium fit æqualitas seu mutua subjectio quoad debitum, & per actum conjugalem turpitudo quædam alterius revelatur, ex cap. 17. *Levit.* Quod repugnet reverentiæ quam descendentes debent ascendentibus: omnes quippe ascendentes habent rationem principii & superioris; descendentes verò loco liberorum habentur, cùm causa causæ sit etiam causa causati. Deus autem ut naturæ author & Matrimonii institutor, non censetur concessisse potestatem contrahendi Matrimonium per se habens indecentiam ac repugnantiam cum natura rationali; & nemo habet potestatem tradendi dominium corporis sui, nisi dependenter à Deo qui est supremus rerum ac jurium omnium dominus. Certè omnes fatentur nullum esse jure naturæ Matrimonium in primo gradu, ut inter patrem & filiam, aut matrem & filium, quia id exigit reverentia specialis suo principio immediato debita.

Consanguinitas in linea collaterali nunc irritat matrimonium duntaxat usque ad quartum gradum inclusivè, cap. *Non debet*, de consanguin. ex Conc. gen. Later. IV. cùm antea usque ad septimum dirimeret; & quidem juxta multos jure naturali in primo gradu, ut inter fratrem & sororem extra necessitatem conservandi, vel propagandi genus humanum. Quia conjugium fratris cum sorore continet gravem indecentiam, ut patet ex communi sensu hominum etiam Ethnicorum, qui has nuptias semper exhorruere: unde Abraham, *Gen.* 12. judicavit Ægyptiis persuasum iri Saram non esse uxorem suam, si putarent eam esse ejus sororem. In aliis verò solo jure humano, cùm in secundo gradu possit Papa dispensare, ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 5. & infidelium Matrimonia in eo gradu valida sint, ex cap. 8. *de divort.* Ratio autem impedimenti consanguinitatis est. I. Ob reverentiam quam ipsi consanguinei sibi mutuò debent, propter originem ob eodem stipite tractam, & sanguinis communionem. 2. Ad removendum periculum fornicationis, seu incestus, à quo valdè arcet impotentia Matrimonii secum ineundi: nam alioqui cùm consanguinei, & affines, aut in eadem domo commorentur, aut passim se invisant, & familiari consuetudine utantur, magnus fornicationi pateret aditus. 3. Ad amicitiæ vincula protendenda cum extraneis.

Nota. 1. Consanguinitas inter duas personas, potest esse duplex ex duplici capite. 1. Quia sunt duo stipites: ut si duo fratres contrahant cum duabus fœminis inter se consobrinis, liberi ex his duobus conjugiis nati erunt in secundo

eundo gradu ex parte patrum, & in tertio gradu ex parte matrum; & tunc dicuntur esse in secundo & tertio ex duobus stipitibus. 2. Quia licèt sit unus stipes, ab eo descendentes inter se Matrimonia contraxerunt, ex quibus nati liberi sunt dupliciter consanguinei. Cùm autem est duplex consanguinitas, tunc est quoque duplex impedimentum, quod exprimi debet in petitione dispensationis.

Nota 2. Graviter peccaret, qui etiam propter mortis periculum sine dispensatione absolutè contraheret cum persona consanguinea, vel affini in gradu prohibito, & copulam exerceret. Nam tunc cum Matrimonium sit nullum, copula esset fornicatio, imo incestus lege naturali prohibitus. *Azor.*

Nota 3. Spuriorum duorum liberi ac nepotes contrahunt eadem impedimenta Matrimonii inter se, & cum legitimis parentum filiis ac nepotibus. Quia hæc fundantur in communione sanguinis ejusdem, qui perinde spuriis ac legitimis communicatur.

V. *Crimen.* Duo crimina præter raptum irritant Matrimonium. Primum est homicidium, quo duo ex prævia conspiratione, etsi absque prævio adulterio, conjugem alterutrius occidunt, sive per se, sive per alium physicè, vel moraliter, consilio, suasione, imperio, ex intentione postea Matrimonium inter se ineundi, cap. 1. *de conversat. infidel.* vel quo post admissum adulterium interficitur, etsi sine prævia conspiratione, conjux unius ab alterutro adultero, ex intentione contrahendi Matrimonium cum superstite conjuge, licèt mortem illam nolente, & ignorante, cap. 3. *de eo qui duxit*, &c. Nec refert an vir, an uxor occidatur.

Homicidium verò patratum sine intentione ineundi Matrimonii, vel sine prævia conspiratione & adulterio, non dirimit Matrimonium, quia jura hoc non exprimunt. Idem dic de tentata, sed non perfecta cæde, quia requiritur mortis machinatio efficax & perfecta: cùm leges illæ sint pœnales, ideoque strictæ interpretationis.

Secundum est adulterium sic commissum, ut adulteri ante, vel post adulterium, quantum est de se, Matrimonium ineant viva comparte, vel saltem promittant se inituros illa mortua, cap. ultim. *de eo qui duxit*, &c. Ad hoc autem necesse est. 1. Ut adulterium sit consummatum, & quidem scienter ut tale ab utroque commissum. 2. Ut promissio facta sit tempore Matrimonii sive ante sive post adulterium, & ab altero acceptata, non tamen ut sit mutua, nec juxta multos ut sit sincera. Ratio hujus impedimenti est, ne spe Matrimonii futuri sumatur ansa machinandi mortem conjugis. At valet Matrimonium inter adulteros post mortem conjugis, nisi alteruter ejus necem machinatus fuerit, vel dum viveret Matrimonium promiserit, cap. 6. *de eo qui duxit*, &c.

VI. *Disparitas cultus seu religionis.* Hæc irritat Matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam. Idque solo jure ecclesiastico per universalem & antiquissimam consuetudinem vim legis habentem, non tamen ante sextum sæculum inducto. Unde sancta Monica, teste S. Augustino, l. 9. Confess. cap. 9. nupsit viro infideli, & sancta Clotildis Clodovæo Regi nondum baptizato.

At valet Matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica (a) vel cum apostata

(a) De matrimonio personæ Catholicæ cum Hæretica, vide lib. VI. c. 5. ejusdem Tractatus de Synodo Diœcesana, ex quo sequentia referimus; „ In Divinis, *inquit*, cum Hæ„ reticis communicant Catholici, qui cum „ iisdem sese matrimonio jungere non du„ bitant:

ſtata baptizato, cùm nullo jure irritetur, licèt ſit prohibitum jure eccleſiaſtico, imò & naturali, ſi ſit morale periculum ſubverſionis. Secluſo tamen periculo, & poſitis certis conditionibus, ſecundùm communem ſententiam, licitum eſt ex diſpenſatione Papæ: & reipſa hanc Urbanus VIII. ob communem religionis utilitatem conceſſit Henricæ Borboniæ, ut nuberet Carolo Anglorum Regi Hæretico.

VII.

„ bitant: Etenim cum matrimonium unum „ ſit ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, à Chri„ ſto Domino inſtitutis, idem eſt matrimo„ nium cum Hæretico contrahere, ac unum, „ idemque Sacramentum, una cum eodem, „ vel conficere, ſi nimirum ipſimet con„ trahentes ſint talis Sacramenti miniſtri, „ quod magis communiter opinantur Scho„ laſtici, vel ſaltem percipere, ſi ſcilicet, „ quod alii, præſertim ex recentioribus „ Theologis autumant, illius miniſter ſit „ ſolus Sacerdos: utrumque autem, & il„ licitum, & ſacrilegum eſſe, nemo dubi„ tat: Quare Eccleſia iiſdem fere legibus „ quibus Chriſtianis interdixit, ne connu„ bia inirent cum Infidelibus, Catholicos „ pariter à ſacrilegis nuptiis cum Hæreticis „ contrahendis, deterruit: Concilium Lao„ dicenſe *Can.* 10. (*tom.* 1. *collect. Hard.* „ *col.* 784.) ait: *Quod non oporteat indiffe„ renter Eccleſiaſtico fœdere nuptiarum Hære„ ticis ſuos filios filiasque conjungere;* Aga„ thenſe *Can.* 67. relato à Gratiano XXVIII. „ *quæſt.* 1. *Can.* 16. *Non oportet cum Hære„ ticis miſcere connubia, & vel filios, vel „ filias dare, ſed potius accipere, ſi tamen „ profiteantur Chriſtianos futuros eſſe ſe, & „ Catholicos*; Concilium Chalcedonenſe „ *Can.* 14. Lectoribus, & Cantoribus, in„ ter inferiores Clericos interdicit: *Hære„ tico, vel Pagano, vel Judæo ſe conjungere, „ niſi forte promittat ſe ad orthodoxam Fi„ dem perſona Orthodoxa copulanda trans„ ferre;* haſce vero ſanctiones roboravit „ Bonifacius VIII. *in cap. Decrevit*, de *Hæ„ reticis in* 6. ubi dote privandam ſtatuit „ mulierem, quæ ſcienter viro hæretico „ nupſerit. Iis igitur in provinciis, in qui„ bus ejuſmodi conjugia; non ſine ſacro„ rum Canonnm contemptu, paſſim cele„ brantur, debet Epiſcopus, in ſua præſer„ tim Synodo, ab illis, in propriarum ani„ marum perniciem contrahendis Catholi„ cos abſterrere, quod Nos faciendum edi„ ximus *in noſtra Conſtitutione* 34. §. 3. *no„ ſtri Bullar. tom.* 1. præcipuæ quinque Epi„ ſcopalis muneris partes erunt, maxima „ Catholicis denuntiare pericula, quæ tam „ ipſis, quàm naſcituræ ſoboli, ex præfa„ tis imminet nuptiis, quæ propterea coho„ neſtari nequeunt, obtentu ſolius conſue„ tudinis (verius corruptelam dicerent) niſi „ ea amoveantur pericula, quod tamen vix „ evenire poſſe, recte notant Layman. *Theo„ log. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. „ *num.* 2. Piringh *ad tit. de ſponſal. & ma„ trimo. num.* 166. Reiffenſtuel *ibid. num.* „ 360. Engel *ad tit. de matrimon. contract. „ contra interdict. Eccleſ.* §. 2. *num.* 2. Go„ bat. *Theolog. experim. tractat.* 9. *cap.* 11. „ *num.* 216. Nicolaus Serarius *in opuſc. de „ Catholicorum cum Hæreticis matrimoniis*, „ Van. Eſpen J. E. *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 9. „ *num.* . . . aliique paſſim.

„ 4. Curam inſuper idem ſubibit Epiſco„ pus ritus nuptiarum, quæ à Catholicis „ celebrantur, in locis Hæretico Principi „ ſubjectis; ut enim legibus pareant, ab „ eodem Principe latis, pœnasque evadant „ transgreſſoribus inflictas, coguntur alicubi „ Catholici, matrimonium inter ſe contra„ cturi, Acatholicum Miniſtellum adire, „ ſuumque in conjugium conſenſum, coram „ eo præſtare: dubitatur autem an id, ſine „ piaculo fieri queat. Certum utique eſt, „ ita initum matrimonium, viribus carere, „ ſi inibi publicatum fuerit Tridentini de„ cretum *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim.* „ nec conſentientes, veros conjuges fieri, „ niſi, ſive antea, ſive poſtea, juxta præ„ ſcriptam à Tridentino normam, matri„ monium celebraverint, coram alterutrius „ contrahentium legitimo Parocho, aliove „ Sacerdote, Parochi vices gerente, & „ duobus teſtibus: Sed difficultas tantum „ eſt, an poſtquam Tridentini ſanctioni ſunt „ obſequuti, aut ad eidem poſtea obſe„ quendum ſunt parati, licite poſſint etiam „ legibus Patriæ obtemperare, & coram „ Heterodoxo Miniſtello ſe ſiſtere. Negat „ Leſſius *in auct. caſ.* 24. *V. Hæreticorum „ converſatio*, ejusque opinio veriſſima eſ„ ſet, ſi Hæreticus Miniſtellus adhiberetur, „ tanquam perſona ſacra, quæ ſacram cæ„ remoniam intenderet exercere, ac per „ eam ſanctitatem tribuere contractui ma„ trimoniali; tunc ſiquidem viderentur Ca„ tholici

VII. *Vis*: si injustè inferatur, pœnis, vexationibus, minis, quæ metum gravem incutiant ad consensum extorquendum. Nam metus gravis injustè à quovis etiam alio tertio incussus ad extorquendum consensum, irritat Matrimonium. Cap. 14. 15. & 28. *de sponsal.* sufficit metus mali gravis probabiliter imminentis, sive illud sit grave absolutè, & in se, sive tantum respectivè ad timentem; æque enim notabiliter tollit injustè voluntarium perfectum. Ratio impedimenti est, quia si esset validum, cùm natura sua sit indissolubile, injuria numquam posset tolli, nec pars innocens in priorem statum restitui; & inde gravissima incommoda sequerentur: nam Matrimonia coacta infelices habere solent exitus, cùm non fundentur in mutuo amore. Præterea fidelium Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ fundatur in amore libero ac voluntario, non in coactione.

Dixi 1. *metus gravis:* nam levis metus etsi injustus, non irritat ex cap. 6. *de sponsal.* quia non notabiliter

---

„ tholici eum agnoscere tanquam legitimum Christi Ministrum, ritumque hæreticum approbare, & profiteri: Verum, cum plerumque res aliter se habeat, illeque Catholicorum matrimoniis solum assistat, tanquam Minister mere politicus, neque virtute verborum, quibus conjugibus bene apprecatur, ullam credat sanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum esse, nostri temporis Hæretici communiter inficiantur, rectius idcirco se eidem sistentes Catholicos, ut patriæ legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quæ secus sibi imminerent, à culpa excusant Joannes Veruys *in suo Pastorali tract.* 13. *art.* 7. Arsdekin *Theolog. tripartitæ tom.* 2. *part.* 2. *tract* 4. *de matrim. cap.* 8. §. 2. *num.* 17. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *de matrim. n.* 775. Piette *quæst. Theolog. part.* 6. *pag.* 441. In hac quoque sententia fuit sacra Congregatio sancti Officii, quæ hanc quæstionem diligenter, uti solet, examinavit, & die 19. Novembris anni 1627. in eum qui sequitur modum, definivit: *Catholici qui matrimonio juncti sunt coram Parocho, & testibus Catholicis in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram Ministro Hæretico, seu Protestante rursus conjungi, ad evitanda gravia damna; neque potest consuetudo hæc à Clero corrigi. Peccant ne? Et quo peccato Catholici, sic denuo conjuncti coram Ministro Hæretico? Et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius loci? S. Congregatio respondit: Quatenus Minister assistat matrimoniis Catholicorum, uti Minister politicus, non peccare contrahentes. Si vero assistat, ut Minister addictus Sacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.*

„ 5. Huic sacræ Congregationis sententiæ nostram Nos auctoritatem adjecimus, *in nostra Constitut.* 89. §. 10. *nostri Bullar. tom.* 1. ubi Fidelibus degentibus in regno Serviæ, finitimisque regionibus, interdiximus, ne, matrimonio inter se, Catholico ritu, celebrato, illud renovare præsumant coram *Caddi*; nostram tamen interdictionem, hac temperavimus limitatione, nisi scilicet nuptiarum cæremonia explenda, coram *Caddi*, actus sit mere civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus includat. Hujuscemodi decreta in unum collecta, & disertius explicata juste ac sancte, præcipuum locum occupabunt in Synodo, si quæ fiat ab Antistite, seu Vicario Apostolico, cui concredita sit cura Fidelium, loca incolentium, Hæretico Principi subjecta; quinimmo oportebit eidem Synodo adjungere instructionem, qua solerter edoceantur Fideles prædictam civilem cæremoniam, coram Hæretico Ministello explendam, vires, & firmitatem, non tribuere conjugiis Catholicorum, quibus propterea abstinendum erit ab omni conjugali consuetudine, nisi suas nuptias coram Ministro Catholico, & duobus testibus rite celebraverint. Inepte autem similes instructiones intruderentur in Synodum Diœcesis, ab Hæreticorum regionibus quam longe dissitæ.

liter minuit libertatem, & facilè contemni potuit. 2. *Injustè*: nam si metus sit justè incussus ab homine, valet Matrimonium, ex cap. 10. *de sponsal.* & cap. 2. *de adulter.* quia fuit sufficienter voluntarium in suo principio, & nulla intervenit injuria. Sic valet ex metu justæ excommunicationis; vel pœnæ à judice intentatæ contractum. Unde qui contraxit sponsalia, compelli potest metu censuræ ad matrimonium, cap. cit. Imò valet etiamsi metus justè incurratur à privato homine, ut si stupratori filiæ suæ minans pater intentet se eum apud judicem delaturum, nisi eam ducat. Namque justè procedit, non dicitur vim inferre: secus, si minetur se eum occisurum. 3. *Ad extorquendum consensum*: nam si metus injustè incutiatur ob alium finem, v. gr. vindictam, ut si quis ad placandum inimicum necem minantem ducat ejus filiam, vel si injustè detentus in carcere ob aliam causam, ut eo se liberet, ducat filiam judicis, vel custodis, valet Matrimonium. Quia ille metus, ut supponitur, non est per se directè causa Matrimonii, sed tantùm occasio; nam ille sponte tale medium evadendi eligit. 4. *A quovis alio, &c.* Nam si metus ortus sit à causa naturali, vel sponte susceptus, v. gr. ex metu naufragii, seu mortis instantis, valet Matrimonium: quia tunc sine alterius injuria, & à nullo alio nisi à seipso compellitur ad contrahendum. *Vide dicta de metu in contract.*

VIII. *Ordo sacer*, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, ob annexum votum solemne castitatis, & legem ecclesiasticam, cap. 1. *de cleric. conjug.* & ex Conc. general. Lateran. I. cap. 21. & Lateran. II. cap. 7. Trident. sess. 24. can. 9.

IX. *Ligamen* est vinculum prioris conjugii sive rati tantùm, sive consummati, quo durante secundum jure divino est invalidum: nam in lege nova polygamia nec licita nec valida est. Hinc conjux non potest aliud Matrimonium inire, nisi habeat certitudinem moralem de morte compartis, cap. 2. *de secund. nupt.* ibi: *Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migravit conjux ejus.* Alioqui enim exponeret se periculo mœchandi.

Quod si post contractas bona fide secundas nuptias dubitet de morte prioris conjugis, tenetur quam primùm diligenter inquirere veritatem, & interim abstinere à petendo debito, non tamen à reddendo, nam petendo exponeret se periculo fornicandi; & negando inferret injuriam possessori bonæ fidei. Si verò de prioris conjugis vita constiterit, tenetur posteriorem statim relinquere, & ad priorem reverti, ex eod. cap. nam subsistit prius Matrimonium, & posterius invalidum est.

Si verò uterque mala seu dubia fide processit, neutri licet petere, & reddere debitum: quia neutri est possessio juris pro petendo debito; nam possessio juris inchoari nequit cum mala vel dubia fide. Si autem unus tantùm cum dubio contraxit, hic non potest petere debitum, etsi debeat reddere: nam contraxit mala fide, & sine judicio prudenti de morte conjugis.

Porrò sola absentia multorum annorum, nec sola fama fundat certitudinem moralem sufficientem. Sed requiritur testimonium authenticum mortis conjugis, approbatum ab ordinario, sine cujus licentia parochi non debent tunc agere. Quòd si desit testimonium authenticum conjugis jam diu absentis, necesse est ut hanc testentur homines fide digni.

X. *Honestas*, seu justitia publicæ honestatis, est quædam affinitas, seu propin-

propinquitas personarum jure civili & canonico inducta, proveniens vel ex sponsalibus validis & absolutis, vel ex Matrimonio rato non consummato, ob publicam morum honestatem. Si ex sponsalibus oriatur, Matrimonium irritat solùm inter sponsum & consanguineam sponsæ in primo gradu, & vicissim, ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 3. Idque etiam si sponsalia posteà fuerint justè dissoluta, cap. *Si quis* 27. quæst. 2. etiam mutuo consensu ex cap. 5. *de desponsat. impub.* Nam hoc impedimentum non à contrahentium voluntate pendet, sed ab Ecclesiæ, quæ illud constituit, instituto, & quæ voluit illud esse perpetuum; eo quod non deceat Matrimonium contrahi inter personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia. Si ex matrimonio rato oriatur, irritat usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, ut declaravit Pius V. in Bulla 62. asserens Conc. Trident. circa hoc nihil innovasse.

XI. *Ætas*, nempe impuberum; nam horum Matrimonium illicitum & irritum est jure canonico, cap. 10. *de desponsat. impub.* Valet tamen Matrimonium inter pubertati proximos, qui jam habent sufficientem ad id discretionem rationis & potentiam generandi, ex cap. 9. eod. tit.

XII. *Affinitas* est conjunctio seu propinquitas personarum orta ex copula carnali completa, seu per se sufficiente ad generationem prolis, sive licita, sive illicita. Oritur inter consanguineos viri & solam mulierem, item inter consanguineas mulieris, & solum virum. Ratio est, quia vir & mulier per copulam carnalem fiunt una caro; ac proinde consanguinitas unius fit consanguinitas alterius, & vicissim, cap. *Porro* 35. quæst. 5. Affinitas quæ oritur ex licita, seu conjugali copula, irritat Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè in linea collaterali, perinde ac consanguinitas, c. 8. *de consanguin.* quod in hac parte non fuit correctum. Quæ oritur ex illicita copula, solùm irritat usque ad secundum inclusivè ex jure novo Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 4. ita ut jam in ulterioribus gradibus Matrimonium sit validum, imo & licitum, ut declaravit Pius V. bulla 62.

Nota 1. In affinitate lineæ & gradus eodem modo computantur, quo supra in consanguinitate: unde quo gradu aliquis consanguineus est uni conjugum vel copulatorum, eodem gradu affinis est alteri. Sic consanguinea uxoris in primo & secundo gradu, & vicissim consanguineus mariti in primo & secundo gradu, affinis est uxori in iisdem gradibus.

Nota 2. Hoc impedimentum est solùm juris humani. Excipiunt multi gradum primum lineæ rectæ, ut inter privignum & novercam, vitricum & privignam: quia omnes gentes bene institutæ talia connubia ob indecentiam abhorruerunt, ex 1. ad Cor. 5. & ex l. 4. *Codic. de nupt.* Enim verò cùm vitricus & noverca per copulam conjugalem facti sint una caro, privigna vitrico eamdem fere reverentiam debet, quam deberet matri. Quare Matrimonium inter tales dedecet naturam rationalem; ideoque Deus illud validè contrahendi potestatem non dedit.

Nota 3. Copula incestuosa cum consanguineis conjugis non dirimit Matrimonium validè contractum, cùm sit insolubile, sed privat nocentem jure petendi debitum, non tamen facultate reddendi, ne pars innocens privetur suo jure ob alterius delictum, c. 4. & 10. *de eo qui cognovit &c.*

Nota 4. Consanguinei conjugum vel copulatorum non fiunt affines inter se. Sic consanguinei uxoris non sunt affines consanguineis viri; nec hi illis, cap.

cap. 5. *de consang.* Hinc duo fratres validè contrahunt cum duabus sororibus, & filius mariti ex alio conjugio cum filia uxoris ex alio pariter conjugio suscepta.

XIII. *Clandestinitas.* Matrimonium clandestinum est illud, quod non contrahitur coram parocho proprio, vel alio Sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, & duobus saltem testibus. Est invalidum in omnibus locis, ubi Concil. Trident. decretum de hoc promulgatum vel receptum est, ut patet ex his verbis decreti, sess. 24. cap. 1. *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Quamvis autem ante Concil. Tridentin. ejusmodi Matrimonia fuerint valida, semper tamen fuerunt & sunt ubique illicita: nam *Ecclesia justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Conc. Trident. ibid. Circa hoc. (*a*)

Nota

(*a*) Vide cap. 68. lib. VII. laudati Tractatus, quod integrum transcribimus. „ In „ Diœcesi Valentina sæpissime eveniebat, „ ab uno eodemque cum pluribus sponsa„ lia contrahi, atque inde fiebat, ut gra„ ves inter utriusque partis consanguineos „ orirentur discordiæ, & frequenter in „ judicio litigandum esset; quænam spon„ salia prævalerent, aliisque forent præfe„ renda: ad prospiciendum diœcesis tran„ quillitati, & tot præcidenda litigia, roga„ tus fuit Archiepiscopus, ut in sua Synodo „ statueret, nulla, atque irrita in posterum „ futura sponsalia, quæ sine præsentia Pa„ rochi duorumque saltem testium contra„ herentur: sed prudens Archiepiscopus „ porrectis sibi precibus abnuit; tantam „ quippe potestatem sibi inesse non existi„ mavit extendendi ad sponsalia decretum „ Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matri„ mon.* quo irrita fiunt clandestina conjugia. „ Actum fuit de hac re, in sacra Congre„ gatione Concilii, quæ Archiepiscopi sen„ tentiam approbavit, ejusque commenda„ vit consilium: Siquidem Tridentinum, „ in citato decreto nihil innotavit, circa „ sponsalia, eaque reliquit sub dispositio„ ne juris communis, juxta quod etiam „ remotis arbitris, valide contrahuntur, „ quod habetur *lib.* 1. *decretor. pag.* 99. & „ *pag.* 126. legi etiam potest *nostra Notific.* 46. „ ubi prolixe de hac materia differuimus.

„ 2. Alter Archiepiscopus ad eliminan„ dum abusum nimium in dies in sua diœ„ cesi inolescentem, ut matrimonium con„ tracturi, nulla præmissa illius denuntia„ tione, infirmitatis prætextu, Parochum „ arcesserent, & coram eo, licet invito, „ & reluctante, ac duobus testibus, ma„ trimonium inirent, Constitutionem pro„ mulgavit, qua, adempta Parochis facul„ tate assistendi matrimoniis, quibus non „ præcessissent debitæ denuntiationes, ma„ trimonia ita contracta, nulla, atque irri„ ta decrevit, & declaravit. Sed re delata „ ad sacram Congregationem Concilii, hæc, „ teste Cardinali de Lugo *respons. moral. lib.* „ 1. *dub.* 45. Archiepiscopo mandavit, ut „ quantocyus suam revocaret Constitutio„ nem: omissio quippe denuntiationum, „ sine Episcopi dispensatione, reddit utique „ matrimonium illicitum, non tamen efficit „ invalidum: neque in Episcopi potestate „ est novum statuere impedimentum diri„ mens, quod à solo Summo Pontifice po„ test induci, ut pluribus demonstrant San„ chez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 1. *num.* 9. & „ Pontius *lib.* 6. *de matrim. cap.* 1. *num.* 12. „ Quocirca eadem Sacr. Congregatio Con„ cilii, apud eumdem Sanchez *lib.* 3. *disp.* „ 21. *num.* 12. validum definivit matrimo„ nium, celebratum coram Parocho, cui „ ab Episcopo sit generatim interdictum, ne „ matrimoniis assistat. *Congregatio Cardi„ nalium respondit, valere matrimonium con„ tractum coram Parocho, cui interdictum „ est ab Episcopo, ne interveniat:* Is enim „ adhuc est vere Parochus, suæque retinet „ Parochiæ titulum, & propterea omnibus „ præstat qualitatibus, quas Tridentinum „ exposcit, ad matrimonii validitatem; pro„ hibitio autem Episcopi solum operatur, „ ne ille licite, non itidem ne validè assistat.

„ 3. Aliud

Nota 1. Requiritur parochus domicilii, aut saltem quasi domicilii, sive viri, sive mulieris. Nam Conc. requirit præsentiam *parochi*, non *parochorum*; neque exprimit an viri, an mulieris: unde censetur liberam relinquere electionem, & ita sacra Congregatio declaravit, ut testatur Fagnanus

---

„ 3. Aliud esset de matrimonio celebrato, contra interdictum Papæ, munitum decreto irritante: Si quidem cum Papa possit, per suam universalem legem; novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest etiam in aliquo speciali eventu, prohibere, ne, inter peculiares personas, matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum, sit irritum, quemadmodum adnotarunt Alexander de Nevo, & Calderinus *in cap. Tua, de sponsa duorum*, docentque Barbosa *in cap. Ad dissolvendam, num. 4. de desponsat. impuber.* Leander *oper. moral. tom. 2. tract. 9. disp. 23. de impedimentis matrimonii, q. 3.* Becan. *in Summ. tit. de Sacram. cap. 49. quæst. 1. num. 6.* Schmalzgrueber *ad lib. 4. Decretal. tit. 16. num. 9.* Sola vero prohibitio, sine decreto irritante producit dumtaxat impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium. Quamobrem Alexander III. *in cap. Ex litteris de matrimon. contract. contra interdict. Eccles.* validum pronuntiavit matrimonium initum, contra Episcopi inhibitionem, & adhuc pendente lite, super præviis sponsalibus à contrahentium altero, cum alia persona stipulatis: quod si idem Pontifex *in cap. Tua fraternitas de sponsa duorum* irritum declaravit matrimonium, contra Episcopi inhibitionem, contractum post aliud matrimonium antea initum, sed nondum carnali copula consummatum, non ideo secundum matrimonium irritum dixit, quia esset celebratum, contra Episcopi interdictum, sed quia ei aliud obstabat matrimonium, quod licèt dumtaxat ratum, adhuc tamen induxerat impedimentum dirimens alterius matrimonii, postea attentati, quod integram Decretalem legenti manifeste patet, ponderatque Gonzalez *in cap. De muliere, de matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ, num. 2.*

„ 4. Non prohibetur tamen Episcopus, severissimis pœnis, illorum refrænare proterviam, qui, contra interdictum Ecclesiæ, matrimonium contrahere præsumunt, quod cum communi tradit Sanchez *lib. 3. disp. 46. num. 7.* notans insuper, eas pœnas non esse à jure præfinitas, sed ejusdem Episcopi permitti arbitrio: Verum etiam in his decernendis, cavere debet; ne sua abutatur libertate, & jus commune infringat, quod alio exponemus exemplo. In Synodo Salmanticensi, edita olim fuerat Constitutio, cujus meminit Covarruvias *in 4. Decretal. 2. part. cap. 6. num. 4.* qua, excommunicatione latæ sententiæ innodabantur contrahentes matrimonium, non præmissis publicationibus, à Tridentino præscriptis; & præterea decernebatur, excommunicatione irretitos, statim esse evitandos, licet non essent publice, ac nominatim denuntiati. At ejusmodi Constitutio, quoad secundam sui partem sustineri minime potuit, quoniam evitandos pronuntiabat, qui, juxta Canonicas sanctiones, evitandi nequaquam sunt. In celebri enim Extravag. Martini V. incipien. *Ad evitanda*, edita in Conc. Constantiensi, evitandi decernuntur solum excommunicati, publicè, & nominatim denuntiati, ac publici, & notorii Clericorum percussores: uti ponderant Sanchez *de matrim lib. 3. disp. 46. num. 10.* & Cardinalis de Lugo *cit. dub. 45. num. 5.* Quamvis vero Fagnanus *in cap. Quod à Prædecessore, num. 55. de Schismaticis* probare conetur, evitandos etiam esse quoscumque, qui Facti notorietate certo dignoscuntur in excommunicationem incidisse, juxta posteriorem sanctionem Concilii Lateranensis V. *sess. 11. §. Statuimus autem*, ejus tamen doctrina fere communiter rejecta est, cum ubique moribus sit recepta laudata Constitutio *Ad evitanda*, quod testantur Suarez *de cons. disp. 9. sect. 25.* Layman *Theolog. Moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 4. num. 1.* Cassabut. *in theoria, & praxi jur. Canon. lib. 5. cap. 11. num. 3.* Cardinalis Albitius *de inconstantia in Fide cap. 18. n. 23.* Engel. *ad lib. 5. Decretal. tit. 39. n. 56.* Wiettner *ibid. n. 63.* Reiffenstuel *n. 138.*

„ 5. In diœcesi Kioviensi, atque in tota Ruthena Provincia, numquam promulgatum

nus ad c. *Quòd nobis*, de cland. desponſ. Ad domicilium autem alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi ſemper habitandi. Ad quaſi domicilium ſufficit habitatio cum voluntate ibi manendi longo tempore, vel majore anni parte. Juxta multos ſufficit parochus quaſi domicilii ; ita ut

„ gatum fuerat ſæpius laudatum decretum „ Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap* 1. *de reform. ma-* „ *trim.* ad præcidenda nihilominus ſcanda- „ la, quæ ex clandeſtinis conjugiis, in maxi- „ mam animarum perniciem, proveniebant „ in Diœceſana Synodo Kiovienſi, habita „ die 11. Octobris 1619. atque in Synodo „ Provinciali Ruthena, habita die 6. Augu- „ ſti 1626. Conſtitutiones ſunt editæ, in qui- „ bus irrita declarata ſunt matrimonia, ali- „ ter quam coram Parocho, & duobus, „ vel tribus teſtibus celebrata, eodem planè „ modo, quo à Tridentino ſtatutum fuerat, „ licet nulla Tridentini fuerit in illis facta „ mentio ; ſimulque juſſi ſunt ſinguli Ru- „ theni Parochi, eas Synodales Conſtitu- „ tiones, per ſuas eccleſias, quamprimum „ promulgare, ſicuti etiam à Tridentino „ fuerat præſcriptum : Iis vero, qui poſt „ hanc publicationem, ſine Parochi, & „ duorum ſaltem teſtium præſentia, matri- „ trimonium contraxerunt, injuncta eſt ſe- „ paratio, & veluti nullo inter ſe legitimo „ connubii fœdere obſtrictis, libera facta „ eſt poteſtas, tranſeundi ad alia vota.

„ 6. De hiſce decretis acriter diſcepta- „ tum fuit, cum in ſacra Congregatione „ de propaganda Fide, tum in ſacra Con- „ gregatione Concilii : ſcripſerunt in utram- „ que partem Theologi, & Canoniſtæ, quo- „ rum nonnulli exiſtimarunt, nihil eſſe du- „ bitandum de validitate Conſtitutionum, „ quæ ad amuſſim reſpondebant, & ver- „ bis, & menti Concilii Tridentini, quod „ ideo non fuit expreſſe nominatum, ne il- „ lius nomine audito, Rutheni ſchiſmatici, „ quibus eſt inviſum, magis, magisque ab „ unione retraherentur, & ne ſimiliter Græ- „ ci, ab Orthodoxa Eccleſia ſeparati, oc- „ caſionem inde arriperent ſpargendi in „ vulgus, Latinos, velle ſuos mores, & „ ritus in ipſorum Eccleſiam invehere, quam „ calumniam nobis impingunt, ut plebis „ animum à Latinis avertant, atque in ſchi- „ ſmate obduratum detineant.

„ 7. Alii ex adverſo fuerunt in ſententia, „ præfata Synodalia ſtatuta, quamquam „ Tridentino omnino conformia, viribus „ tamen carere, quod hac ratiocinatione „ manifeſte confici ſunt arbitrati : Triden- „ tinum noluit ſuum decretum, quo irrita „ fecit matrimonia clandeſtina, quempiam „ afficere, & ligare, niſi poſt triginta dies, „ ab ejusdem decreti publicatione, facta „ in parochia, in qua ipſe degit, *Decernit* „ *inſuper* (ſunt verba Tridentini) *ut hu-* „ *jusmodi decretum, in unaquaque parochia* „ *ſuum robur, poſt triginta dies habere inci-* „ *piat, à die prima publicationis in eadem* „ *parochia factæ numerandos* ; At in Paro- „ chialibus Eccleſiis Ruthenis nunquam „ prædictum Conciliare decretum fuit pro- „ mulgatum ; itaque matrimonia inibi, ali- „ ter contracta, quam Tridentinum præ- „ ſcripſerit, non poſſunt eſſe irrita, virtute „ decreti ejusdem Tridentini. Unde igitur „ reſtat, ut irrita ſint, virtute Conſtitutio- „ num à Synodis Ruthenis editarum, earum- „ demque Synodorum nomine, atque au- „ ctoritate, per ſingulas parochias promul- „ gatarum, hoc autem contingere nequa- „ quam poteſt : nulla quippe peculiaris Sy- „ nodus poteſt inducere novum impedimen- „ tum dirimens matrimonium, ſeu hujus „ contrahendi novam formam præſcribere, „ ſed eſt ad id neceſſaria ſuprema auctori- „ tas, vel Concilii Oecumenici vel ſummi „ Pontificis.

„ 8. Hanc poſtremam opinionem amplexa- „ ta ſacra Congregatio, quæ die 2. Decem. „ 1628. reſcripſit, Synodalia decreta Ru- „ thena, per Parochias publicata, non po- „ tuiſſe firmitatem adimere matrimoniis, „ contra formam in iisdem ſtatutam, con- „ trahendis, & propterea valida definivit „ matrimonia clandeſtina, inita poſt eorum- „ dem decretorum promulgationem ; quod- „ que hinc neceſſario conſequebatur, red- „ integrari juſſit conjugia, hoc tantum no- „ mine reſciſſa, quod aliter eſſent celebra- „ ta, quam Synodales expoſcerent Con- „ ſtitutiones ; conjugesque ea de cauſa ſe- „ paratos ad cohabitationem inſtaurandam „ adegit, idque etiamſi, poſt ſeparationem „ alias celebraſſent nuptias, quarum vali- „ ditati obſtabant primæ, jam legitime con- „ tractæ. Ut porro deinceps incommoda „ averterentur, quæ ex clandeſtinis pro- „ veniunt matrimoniis, eadem Congregatio „ conſuluit, Sanctiſſimo, ut per ſuas Apoſto- „ licas litteras in forma Brevis, iisdem fere „ verbis conceptas, quibus Tridentinum

„ utitur

ut studiosi in academiis, milites in præsidiis, opifices, famuli, & qui majore anni parte alicubi habitant, vel habitaturi venerunt, possint coram parocho loci contrahere. Quia contrahunt ibi domicilium parochiale in ordine ad confessionem & alia sacramenta, excepto Ordine. Is autem est proprius parochus ad assistendum Matrimonio, qui, in cap. *Omnis*, de pœnitent. &c. appellatur proprius sacerdos. Idem declaravit pluries Sac. Congregatio; teste Fagnano, in cap. *Significavit*.

Nota 2. Episcopus per se ipsum, vel Sacerdotem à se deputandum, validè assistit; cùm sit supremus parochus in tota diœcesi. Idem est de vicario generali Episcopi; nam unam & eandem suo modo potestatem jurisdictionis habet cum Episcopo.

Nota 3. Parochus domicilii & testes debent esse simul præsentes, etiam moraliter, ita ut intelligant quid agatur; quia requiritur talis præsentia, ut possint testari veritatem Matrimonii. Quare non sufficit, si contrahentes consensum explicent, modò coram solo parocho, & postea coram solis testibus absque parocho, nam Concil. Tridentin. copulativè exigit præsentiam parochi & testium. Nec etiam sufficit simultas moralis, sed requiritur physica; quia hic exigitur præsentia parochi & testium, ut planè constare possit Eccle-

Pppp 2 siæ

„ utitur, conjugia aliter, quam coram alterutrius contrahentium Parocho, & duobus, aut tribus testibus in posterum contrahenda, irrita decerneret, easque litteras per singulas Parochias Ruthenas præciperet promulgari.

„ 9. Eamdem sententiam, in qua post novum examen, eadem Congregatio perstitit die 20. Martii 1629. approbavit, confirmavitque Urban. VIII. simulque deputavit particularem Congregationem, quæ de modo deliberaret, quo litteræ Apostolicæ essent formandæ: habita est hæc Congr. die 20. Aprilis ejusdem anni 1629. eaque suggerente, scripta fuere duo Brevia, alterum, in quo demandabatur publicatio Decreti Concilii Tridentini, expresse, & nominatim; alterum, in quo ipsemet Pontifex, verbis tamen à Tridentino acceptis, & facta insuper Tridentini mentione, nullius roboris decernebat nuptias, quæ sine Parocho, & testibus in posterum fierent. Utrumque Apostolicum Breve transmissum fuit ad Nuntium Apostolicum, eique insinuatum, ut nisi ab expressa publicatione Tridentini turbas, & tumultus excitandos prævideret, uteretur primo Brevi; sin minus urgeret promulgationem secundi, per quamlibet Parochiam, non tanquam Decreti Tridentini, sed tanquam Constitutionis Pontificiæ; Parochis autem injungeret, ut populo declararent, Pontificiam Constitutionem vim habituram, post triginta dies ab ejusdem publicatione, in Parochia factam, numerandos, quemadmodum etiam Tridentinum in suo decreto cautum voluit. Litteræ quoque datæ sunt ad Archiepiscopum Kioviensem, quibus, post plurimum commendatum ejusdem studium abducendi Fideles à clandestinis desponsationibus, fuit suaviter quodammodo reprehensus, quod deliquisset contra jus commune, adscribendo sibi potestatem, qua certo carebat.

„ 10. Ex quibus satis abunde demonstratum arbitramur, nunquam permitti Episcopis aliquid in suas Synodales Constitutiones inserere, quod juri communi, atque Apostolicis Constitutionibus refragetur, etiamsi illud necessarium reputetur ad evellendas corruptelas, & rerum sacrarum tuendam religionem.

„ 11. A tradita tamen regula excipitur Constitutio Synodalis, quæ sit corroborata Apostolica confirmatione; ab hac enim tantas accipit vires, ut prævaleat juri communi, cui cæteroquin sit contraria, sicuti advertunt Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. in* 3. *annot. num.* 213. *& seqq.* Rota *decis.* 60. *num.* 4. *& seqq. p.* 9. *rec.* quod tamen est intelligendum, si confirmatio Apostolica sit in forma specifica, ut ajunt, non in communi, latum quippe inter hæc duo confirmationum genera intercedere discrimen, in hujus Operis capite ultimo, demonstrabimus.

ſiæ de Matrimonio : ad quod requiritur ſimultas phyſica parochi & teſtium, alioqui eſſent ſolùm teſtes ſingulares. *Ita Sanchez.* At non obeſt valori Matrimonii, ſi repugnent : quia Concil. eorum præſentiam non conſenſum requirit, & ſine hoc obtinetur finis decreti, qui eſt, ut tale Matrimonium Eccleſiæ conſtare poſſit. *Sacra Congregatio* (inquit Fagnanus in cap. *Quoniam*, l. de conſtitut.) *declaravit validum eſſe Matrimonium contractum coram parocho etiam invito, & per vim adhibito, qui ſibi aures obturaverat. Item coram parocho tam viri quàm mulieris etiam in aliena parochia, etiamſi Epiſcopus illi Matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam minoribus tantùm ordinibus initiato, qui non poteſt tamen legare niſi ſacerdotem.* Imò valet contractum coram parocho ſuſpenſo, excommunicato, vel irregulari, ut declaravit Sac. Congregatio Cardinal. teſte eodem Fagnano. Graviter tamen peccant, qui coram parocho invito contrahunt : quia gravem admittunt irreverentiam in Eccleſiam, cujus ille perſonam ſuſtinet, niſi irrationabiliter contradiceret, nec poſſet adiri Superior.

Nota 4. Secundùm multos, ad valorem ſufficiunt quilibet teſtes ratione utentes. Nam nulli excipiuntur à Concilio : & concurrunt cum alio fide digno, nempe parocho, cujus habilitas ſupplet.

Nota 5. Vagi, & qui nullibi certas ſedes habent, debent contrahere coram parocho loci, in quo verſantur dum contrahunt. Quia nullus alius eſt proprius eorum parochus, & ex Concil. ſeſſ. 24. cap. 7. ubi *Parochis præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionem fecerint,* num ſcilicet liberi ac idonei ſint ad contrahendum; *& re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Nota 6. In locis hæreticorum, ubi Conc. Tridentinum promulgatum fuit, ut in Hollandia, ex diſpenſatione Eccleſiæ valet Matrimonium catholicorum ſine præſentia parochi contractum, ſi ibi nullus ſit parochus catholicus, nec ejus vices ſupplens, vel ſi nequeat ſine gravi periculo adiri aut advocari, modò adhibeantur ſaltem duo teſtes, ut declaravit Sac. Congregatio, teſte Bellarmino, in epiſt. ad Octavium Tricar. Epiſcop. Nam decretum Conc. Tridentini non ſe extendit ad ea loca, ubi nulli ſunt parochi, nec Vicarii, nec Epiſcopi.

Nota 7. Ex diſpenſatione tacita Papæ & uſu Eccleſiæ validum eſt Matrimonium hæreticorum in locis, ubi publicè exercent ſuam religionem, modò contractum ſit ſecundùm ritum & leges loci, licèt ibi Trid. Conc. promulgatum fuerit, ut in Hollandia. Nam Eccleſia non permittit, ut hæretici illi ad fidem catholicam converſi alias nuptias contrahant, & eorum liberos habet ut legitimos. Ita Pœnitentiaria Romana reſpondit ad Epiſc. Caſtorienſ.

Nota 8. Habens domicilium in loco ubi decretum Conc. promulgatum non eſt, invalidè contrahit clandeſtinè in alio loco ubi receptum eſt. Quia contractus fieri debent ſecundùm leges loci in quo celebrantur : nam contrahentes ſortiuntur forum loci in quo contrahunt. Imò incola loci ubi Conc. receptum eſt, invalidè contrahit ſine parocho & teſtibus in loco ubi non eſt receptum, ſi eò ſe conferat in fraudem decreti, hoc eſt, ut clandeſtinè contrahat, ut Sac. Congregatio declaravit.

Nota 9. Matrimonium clandeſtinum non

non resolvi in sponsalia, declaravit Sac. Congregatio, apud Fag cap. *Ad audientiam*.

Nota 10. Non licet parocho, qui etsi solus extra confessionem novit occultum impedimentum, tali matrimonio assistere. Quia tunc officium testis obit: nemo autem testimonium præstare potest de actu, quem scit esse irritum. Si sit impedimentum non dirimens, v. gr. votum castitatis, tenetur privatim monere; & si nihil proficiat, rem ad Ordinarium deferre; nam ex officio pastoris tenetur maximè impedire peccatum subditi. *Layman*. (*a*)

XIV. *Impotentia*, seu inhabilitas ad coitum naturalem & prolificum oritur, vel ex maleficio, vel ex causa naturali, & quidem in fœmina ex arctitudine vasis: in viro autem vel ex nimia frigiditate naturæ, vel ex testiculorum carentia aut attritione, vel complexionis debilitate: unde fit ut non possit semen prolificum intra vas mulieris effundere.

Impotentia alia est absoluta, qua quis est impotens respectu omnium; alia respectiva, qua quis est impotens respectu alicujus tantum. Ea utraque subdividitur in perpetuam, & temporalem. Perpetua est ea, quæ tolli nequit sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitæ periculo; temporalis, quæ tolli potest sine peccato, vitæ periculo, & miraculo, sed mediis licitis & ordinariis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, ut precibus, exorcismis contra maleficia.

Porrò sterilitas non est impotentia: nam ea non obstante potest esse copula per se apta generationi, licèt hæc per accidens non sequatur, defectu scilicet morbi vel alicujus accidentalis qualitatis seminis, vel aliunde.

Dico 1. Impotentia perpetua antecedens matrimonium, quamvis se teneat ex parte unius, illud irritat tum jure canonico, ut patet ex titulo *de frigidis, &c.* tum jure naturali: quia matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis ad copulam aptam generationi. At impotentia perpetua ex natura rei, ideóque jure naturali impedit talem traditionem; nemo

(*a*) De matrimoniis occultis vide Const. BENEDICTI XIV. incipien. *Satis vobis compertum*, vol. 1. Bullar. pag. 89. in qua, quomodo sit permittenda, & qua ratione celebranda præscribitur: Atque *Primò*. Monentur Episcopi, *ne facile, & sine legitima, & urgente causa moveantur ad remittendum Publicationes, à quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari*. 2. Hortatur, & impense eosdem Episcopos admonet, ut diligenter inquirant, *nam Personæ matrimonium secreto contrahere petentes, ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant; & ut curent, antequam contrahendi facultatem faciant, quod contrahentes clara, & indubia, & à quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, poligamiæ periculum*. 3. Statuitur, ut coram Parocho hæc matrimonia celebrentur alterius ex Contrahentibus; nec sine gravi compellente causa extraneus Sacerdos ad id muneris deputetur; ac præcipitur, ut à Parocho, vel Sacerdote contrahentes de proprio debito moneantur. 4. Matrimonii occulti documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, & caute servari jubentur. 5. Præcipitur, proles ex eo suscepta tempestive in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur, baptizari, ejusque nativitas Episcopo rite describi, *vel immediate per Parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam*, & demum in actis vide decreti. 6. In contravenientium pœnam matrimonii divulgatio stabilitur, atque hæc nota fieri oportere jubetur hujusmodi matrimonia contrahere contendentibus.

nemo enim poteſt tradere poteſtatem actus, quem nullo modo habet in ſua poteſtate; nam nemo poteſt dare quod non habet. Nec quis poteſt ſe obligare ad id, quod dare vel facere nequit, *cum impoſſibilium nulla obligatio ſit*, l. 145. *de reg. jur.*

Quare impotentia perpetua abſoluta dirimit Matrimonium reſpectu omnium: reſpectiva ſolum reſpectu illius perſonæ ad quam eſt. Nam eatenus impotentia irritat, quatenus impedit ne contrahens poſſit dare dominium & uſum ſui corporis ad copulam generationi aptam.

Hinc eunuchi utroque teſticulo privati numquam poſſunt validè contrahere, ob defectum ſeminis prolifici, ut declaravit Sixtus V. in Bulla 59. Idem eſt de illis, quibus attritus eſt uterque teſticulus: vel qui integris licèt partibus ſemen prolificum emittere nequeunt, ob naturalem frigiditatem, vel perpetuam complexionis debilitatem. Secùs dicunt de viro carente uno tantùm teſticulo, qui poteſt prolificum ſemen emittere; item de viro ægrotante: quia in hoc verè extat potentia habitualis, quæ eſt ſolùm ligata per accidens.

Dico 2. Impotentia temporalis nullo jure irritat matrimonium, cap. 6. *de frigid.* Quia cùm poſſit tolli, adeſt materia ſufficiens contractui, ſive quia non eſt impotentia ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm; nam eſt vera potentia quamvis impedita ad tempus, vel adminiculo aliquo indigens.

Si dubium ſit, an impotentia Matrimonium præcedens, perpetua an temporalis ſit, non licet Matrimonium inire: quia exponeretur ſine neceſſitate Sacramentum periculo nullitatis. Quòd ſi jam contractum eſt, tunc à jure conjugibus conceditur triennium experientiæ, ut adhibitis mediis poſſibilibus ac licitis conentur tollere impotentiam, quo completo ſi duret impotentia, nullum eſt Matrimonium, cap. 5. *de frigid.* ubi ſi bona fide contraxerunt, iis permittitur ut ſimul permaneant ut frater & ſoror. Quod intellige, modò conſtet abeſſe omne incontinentiæ periculum, quod raró abeſt. Nam, ut notat Sanchez, hæc confœderatio eſt periculoſiſſima, quare non eſt facilè concedenda; talibus enim nihil licet eorum, quæ ſolutis interdicuntur, ut tactus, &c. cum revera conjuges minimè ſint. Igitur ſeparari debent ſi alteruter id petat, vel morale ſit periculum incontinentiæ. Quòd ſi ſeparatione facta vir ex poſt facto deprehendatur potens, prius Matrimonium reſtauretur, etſi mulier alteri nupſerit, quia verè erat validum, cùm impotentia fuerit tantùm temporalis.

Porrò conjux laborans impotentia ſolùm reſpectiva poteſt aliam ducere: ſecùs, ſi ea ſit abſoluta ac perpetua. Vir autem ſolutus morti proximus poteſt validè contrahere cum concubina, quia habet veram potentiam ad copulam generationi aptam, quamvis tunc morbo impeditam & probabiliter numquam poſtea in actum reducendam.

Dico 3. Impotentia quælibet ſuperveniens Matrimonio rato licèt nondum conſummato, illud non diſſolvit. Quia fuit validum, nec diſſolvi poteſt, niſi per profeſſionem religioſam, vel diſpenſationem Papæ. Tunc autem conjux impotens exigente comparte tenetur adhibere media ad impotentiam expellendam apta, modò periculum mortis non afferant, quia tenetur ex juſtitia debitum reddere, ideóque actus conjugalis capacem ſe reddere.

Nota. Hermaphroditi, hoc eſt, utrumque ſexum habentes, per ſe loquendo non ſunt impotentes. Quare per ſe loquendo contrahere poſſunt ſecundùm ſexum, qui in ipſis prævalet: quia ad uſum Matrimonii idonei ſunt ſecun-

secundùm sexum illum: Si uterque sexus sit in iis æqualis, alterutrum eligere debent, & secundùm illum contrahere. Sed facta semel electione, aliud Matrimonium secundùm alium sexum contrahere prohibentur, quamvis esset validum.

XV. *Raptus.* Nullum potest consistere Matrimonium inter raptorem & raptam etiam post raptum consentientem, quamdiu manet in potestate raptoris. Si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta consentiat, valebit Matrimonium. *Ita decernit Conc. Trident. sess. 24. cap. 6.* ubi ipso facto excommunicationem & alias pœnas statuit in raptorem, & omnes ei consilium, auxilium & favorem præbentes. Circa quod

Nota 1. Raptus hìc est violenta abductio fœminæ de loco in locum, Matrimonii ineundi vel libidinis exercendæ causa. Duplex est raptus species, una, qua persona invita per vim abducitur: altera, qua abducitur persona consentiens, sed invitis parentibus, vel curatoribus, sub quorum est potestate. Secundùm multos solus raptus, quo abducitur fœmina invita est impedimentum dirimens: non autem si ipsa volens, sed invitis parentibus abducatur. Quia Trident. Concil. voluit illud cessare, si rapta esset à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta; nec ad hoc exigit, ut restituatur parentibus. Et quia intendit tantùm consulere libertati perfectæ Matrimonii, quæ non læditur dum fœmina consentiens abducitur invitis licèt parentibus. Dicitur tamen in Galliis raptus seductionis haberi à plerisque pro impedimento dirimente.

Nota 2. Non refert an quis per se, vel per alium rapiat: nam ex reg. jur. 72. in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.*

Nota 3. Non sufficit, si fœmina virum rapiat. Quia Conc. Trident. loquitur de solo raptore, & leges præsertim pœnales non comprehendunt ea, quæ rarissimè fiunt, qualis est hic casus; nisi clarè exprimant, l. 5. *ff. de legib.*

Quæst. IV. *Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus?*

Resp. 1. Ne Papa quidem dispensare potest in impedimentis jure naturali dirimentibus, qualia sunt error, amentia, consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo transversæ, ligamen, impotentia, & secundùm multos affinitas in primo gradu lineæ rectæ. Nam Christus talem potestatem Ecclesiæ non concessit, ut patet ex praxi.

Resp. 2. In aliis impedimentis, quæ solo jure ecclesiastico dirimunt, solus Papa ut caput Ecclesiæ dispensare potest, saltem ordinariè loquendo. Nam nemo potest dispensare in lege Superioris, nisi hoc ei concedatur. Impedimenta autem illa sunt à Papa, vel à Conciliis generalibus, vel consuetudine universali statuta; nec facultas in iis dispensandi Episcopis concessa est, ut constat ex consuetudine generali recurrendi ad Papam. Quare Concil. Turon. ann. 1583. ait: *In quarto gradu consanguinitatis & affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus.* Aliud est de legibus jejunii, abstinendi à servilibus, & aliis; nam in legibus, quarum materia est in frequenti usu, Episcopi possunt dispensare, vel ex consuetudine legitimè præscripta. vel ex consensu tacito Papæ, ob necessitatem sæpius occurrentem.

Dixi, *Saltem ordinariè loquendo.* Nam ex communi sententia, Episcopus

pus potest dispensare in impedimentis occultis post Matrimonium contractum & consummatum, si ista concurrant. Si Matrimonium contractum sit publicè, seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, & bona saltem unius fide. 2. Si sit consummatum, & sine scandalo separari nequeat, vel juxta multos sine gravissimo damno. 3. Si nequeat recurri ad Papam, ob paupertatem, vel aliam causam, vel ob probabile periculum peccandi contrahentibus imminens ex tanta dilatione. Ratio est consuetudo ob bonum animarum & Ecclesiæ inducta, Papa saltem tacitè consentiente.

Porrò commissio dispensandi in impedimentis Matrimonii non expirat morte concedentis: quia respectu petentis jam gratia est facta, & solùm requiritur executio. In hujusmodi quippe commissionibus non relinquitur voluntati Ordinarii, aut confessarii concedere, vel negare dispensationem, sed ipsis præcipitur, ut dispensent inventa veritate precum. (a)

Resp.

(a) Lib. VII. de Synodo cap. 30. & 31. confirmantur, ac fusius explicantur, quæ ab Author. in hac quæstione exponuntur; numero vero 3. cap. 31. de ordinaria Episcoporum potestate in hunc modum prosequitur. „ Quidquid sit, de ea extra„ ordinaria potestate, quæ, ex præsumpta „ summi Pontificis voluntate, in aliquo „ eventu urgentissimæ videlicet necessita„ tis, & impedimenti occulti, competat „ Episcopis, nullum in præsens de ea feri„ mus judicium; sed tantum differimus de „ ordinaria potestate dispensandi in quibus„ dam impedimentis dirimentibus publicis. „ Hanc potestatem, communi fere calculo, „ Doctores denegant Episcopo: quinimmo „ sacræ Urbis Congregationes, Concilii vi„ delicet, ac supremæ Inquisitionis, non „ semel proscripserunt; tanquam falsam, „ & temerariam propositionem, asseren„ tem Episcopo jus dispensandi, super im„ pedimento dirimente publico, quod ob„ sistat Matrimonio contrahendo, etiamsi „ gravis urgeat illud contrahendi necessi„ tas, uti videre est apud Joannem Bapti„ stam Rigautium, virum apprime doctum „ *tom.* 4 *commentariorum in regul. Cancel„ lar. in notis ad reg.* 49. *num.* 1. & 2. ubi „ sacrarum Congregationum responsa, sum„ ma diligentia congesta, per extensum, ut „ dicitur, referuntur, & Doctorum in hanc „ rem placita, copiose allegantur. Et ni„ hilominus aliquot Episcopi eamdem po„ testatem etiam nunc sibimetipsis adscri„ bunt, & contra juris communis principia, „ ac communem Doctorum sensum, etiam „ in suis Synodalibus Constitutionibus, sibi „ asserere, quandoque non dubitant: & „ quod magis dolendum est, non desunt ali„ qui, licet pauci Doctores, hac in re Episco„ pis blandientes, quorum aliqui innituntur „ prædicto axiomati, cujus falsitatem dete„ ximus; alii vero innituntur diuturna con„ suetudine, per quam, à quibusdam Epi„ scopis potestatem relaxandi aliqua impe„ dimenta dirimentia, qua, spectato jure „ communi, carerent, acquisitam decan„ tant. Hinc Gibertus suarum consultatio„ num *tom.* 12. *consult.* 59. *de Matrimon.* „ absolute docet, Episcopos, in hoc nego„ tio, unice spectare debere suorum Præ„ decessorum praxim, libereque posse, le„ gitima exigente causa, eas dispensationes „ indulgere, quas à suis Prædecessoribus „ concessas deprehenderint. Hinc pariter „ Natalis Alexander *Theolog. dogmat.* & „ *moral. citat. lib.* 2. *de matrim. art.* 13. „ postquam *reg.* 11. auctoritatem dispen„ sandi, super impedimentis, Matrimonium „ dirimentibus, publicis & notoriis, uni „ vindicavit Romano Pontifici, inquiens: „ *Hodierna Ecclesiæ disciplina, secundum „ quam dispensationes in gradibus prohibitis „ consanguinitatis, vel affinitatis, aliisque im„ pedimentis dirimentibus, Romano Pontifici „ reservatæ sunt, cum publicum impedimentum „ est, & de Matrimonio contrahendo agitur, „ non permittit, ut Episcopi, his in circum„ stantiis, dispensent. Cum enim ab Ecclesia „ universali, sive illius capite Romano Pon„ tifice sint instituta impedimenta Matrimo„ nium dirimentia, dispensationes super eis „ communi jure, ad caput universalis Eccle„ siæ Romanum Pontificem, non ad Episco„ pum pertinent, ut colligitur ex cap. Cum „ Inferior, de majorit. & obed. Conciliaque „ Provincialia plurima, Ritualia Ecclesiarum, „ Auctores omnes id confirmant, & aucto„ ritatem dispensandi competere negant Epi„ scopis, cum publicum impedimentum est,*

vel,

Resp. 3. Ex consuetudine Episcopus dispensare potest in impedimentis impedientibus tantùm, præter vota castitatis perpetuæ, & ingrediendi religionem, utpote Papæ reservata. Adde sponsalia; obligant enim ex justitia jure naturæ. Porro si contrahentes sint ex diversis diœcesibus, requiritur dispen-

„ *vel de contrahendo Matrimonio agitur*; „ postquam inquam hanc communem do„ ctrinam diserte tradidit, & insinuavit in „ sequenti reg. 12. eamdem in hunc mo„ dum limitat: *Si tamen antiqua sit, & le„ gitimè præscripta diœcesis consuetudo, ut „ Episcopus in quarto gradu, etiam de „ contrahendo, certis in casibus dispenset, „ quia ejus Decessores hac usi sunt ab antiquo, „ ad hanc usque diem facultate, quæ à Sede „ Apostolica concessa creditur, (quod in qui„ busdam Galliarum diœcesibus fieri novimus) „ de his dispensationibus haud movenda lis „ est: Siquidem consuetudo legitime præ„ scripta juri positivo præjudicat, ususque „ longævi non levis est auctoritas, ut dici„ tur in cap.* Consuetudinis, & Cap. *Cum „ tanto, de consuet.* Hinc denique non„ nulli Episcopi Gallicani, uti narrant Pon„ tas *in verb Dispens. Matrimon. cas.* 35. „ l'Herminier *de Sacramentis tom.* 3. *cap.* 17. „ Auctor collationum Ecclesiasticarum Pa„ risiensium sub Cardinali de Noailles *tom.* „ 3. *lib.* 5. *collat.* 2 *cap.* 2. Gerbesius in „ tractatu, quem edidit, *de potestate Ec„ clesiæ, & Principum super impedimentis „ Matrimonii*, & Saintebeuve *tom.* 1. *re„ solut. casuum conscientiæ, cas.* 66. & 67. „ usum prætexentes suorum Decessorum, „ dispensant in impedimento quarti, & ali„ cubi etiam tertii gradus consanguinitatis, „ seu affinitatis: & alii jus sibi vindicant „ relaxandi insuper impedimenta cognatio„ nis spiritualis, criminis, & publicæ ho„ nestatis, licet alii ejusdem Regni Antisti„ tes, observante eodem Saintebeuve, sibi „ integrum non esse arbitrentur, ab ullo, „ cujuscumque generis canonico impedi„ mento, Matrimonium dirimente, quem„ quam solvere, prout scilicet, sicuti idem „ Auctor prosequitur, fert diversa, quæ „ in qualibet diœcesi inolevit consuetudo. „ Ab eadem quoque consuetudine, quæ ex „ privilegio, & indulto Apostolico initium „ sumpsisse censenda sit, contendunt simili„ ter Episcopi Leodienses, se potestatem „ adeptos, dispensandi in quarto, & ter„ tio, hinc inde, consanguinitatis gradu: „ *Si imminens appareat periculum defectionis „ partium ad vicinos Fidei hostes, mutuæ in„ ternecionis, parentum, & amicorum inter„ se, ob corruptam puellam, & Partes non „ habeant media recurrendi ad Urbem*, quem„ admodum referunt Lessius *in auctar. V. „ Matrimonium, cas.* 9. Gobat. *Theolog. „ experim. tract.* 9. *num.* 596. & Van Espen „ *J. E. U. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. „ *num.* 11. quod tamen jus sibi non arro„ gare alios Belgii Episcopos, ne eos qui„ dem, quorum diœceses, auctoritate Pau„ li IV. à Leodiensi divulsæ sunt, oppor„ tune animadvertit Zipæus *ad tit. De eo, „ qui cognovit consanguineam uxoris, num.* 3. „ 4. Verùm sicuti graviter errant qui po„ testatem, de qua agitur, Episcopis ad„ judicant, unice freti illo axiomate, cujus „ falsitatem plurima Concilia Provincialia, „ Ritualia Ecclesiarum, Auctoresque omnes „ agnoscere, fatetur enim cit. Natalis Ale„ xander in allegata reg. 11. ita periculum „ est, ne se, aliosque decipiant, qui eam „ à consuetudine mutuantur. In primis „ enim prudenter dubitari potest, an ejus„ modi consuetudo, in florentissimo Gal„ liarum Regno, Apostolicæ Sedi obsequen„ tissimo, & sacrorum Canonum religiosis„ simo custode, ullo unquam tempore vi„ guerit; cum non solum contingere po„ tuerit, hunc, illumve Episcopum, in „ hoc, aut illo impedimento dispensasse, „ ex privilegio, sibi à prima Sede speciali„ ter concesso; sed etiam ita rem se ha„ buisse, constet ex regestis sacræ Congre„ gationis de Propaganda Fide, & san„ cti officii, in quibus frequentes adonatæ „ reperiuntur concessiones Episcopis Gal„ licanis indultæ, dispensandi super im„ pedimentis tertii, & quarti gradus: unde „ Ducasse Auctor Gallicanus *in sua practica „ jurisdictionis Ecclesiasticæ cap.* 10. *sect.* 7. „ scribit, timoratæ conscientiæ, & excel„ lentis doctrinæ Gallicanos Episcopos di„ spensasse, post indultum sibi à Sede Apo„ lica concessum, & à dispensatione absti„ nuisse, postquam cessaverat, nec fuerat „ renovatum indultum, quod ad certum „ tempus obtinuerant. In hac autem du„ bietate, non licere Successori similes di„ spensationes elargiri, recte adnotavit „ idem Natalis Alexander *in fine cit. reg.* 12. „ scribens: *At si dubitet, vel merito dubi„ tare debeat Episcopus, an dispensationes,*

dispensatio amborum Episcoporum: quia unus non potest dispensare nisi cum proprio subdito.

Quæst. V. *Quid requiritur ad valorem dispensationis?*

Resp. Requiritur tum ut causa finalis sit vera, & subsistat dum conceditur; tum ut in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus & stylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione

---

„ *à suis Decessoribus concessæ, sint ex privilegio reali, & perpetuo, an ex privilegio personali, dispensare non potest, nisi & ipse dispensandi privilegium à summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta spectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi, relicta probabiliore, atque tutiore.*

„ 5. Quod autem aliquot Galliarum Episcopi, ex privilegio mere personali, non vero ex consuetudine, nacti sint facultatem, super aliquo impedimento dispensandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur talem consuetudinem, intra unius, aut alterius diœcesis limites constitisse, nec conterminos permeasse: id quippe evenire vix potuit, in re Episcopis favorabili, atque in Regno, servandæ inter Pastores disciplinæ, morumque concordiæ, & unitatis studiosissimo, ex alia vero scimus, quamplurimos Galliarum Antistites diserte declarasse, sibi fas non esse, ullum auferre, seu relaxare impedimentum, Matrimonium dirimens: Siquidem Concilium Turonense anno 1583. *tit.* 9. *de Matrim.* (*tom.* 10. *Hard. col.* 1405.) definivit; *In quarto consanguinitatis & affinitatis, nec non cognationis spiritualis, probibitis gradibus, Episcopis dispensare non licere declaramus;* In Concilio Tolosano anni 1590. *cap.* 1. legimus: *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos, & dispensatos, nisi visa prius summi Pontificis dispensatione, in Matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant;* Synodus Lingonensis apud Natalem Alexandrum *cit. reg.* 12. post enumeratas personas, in aliquo usque ad quartum consanguinitatis gradum inter se conjunctos, ait: *Inter istas non est legitimum Matrimonium, nisi cum eis sit per Sedem Apostolicam dispensatum*, idemque sancitum, declaratumque reperiri in Synodo Trecensi, idem Natalis Alexander testatur. Additque Diot in opere, cui titulus *Sacramentarium Pastorum tractat.* 13. *de dispensationibus Matrimonialibus cap.* 8. *pag.* 213. *edit. Pariensien. anno* 1709. In generali Congregatione Episcoporum & universi Cleri Gallicani declaratum esse, dispensationes omnes Matrimoniales ad solum Papam pertinere, & Parlamentis esse obsistendum, si aliquando Episcoporum dispensationes admittant. Quis autem credat tot Gallicanos Episcopos, suæ jurisdictionis tenacissimos, sibi sponte adjudicasse eam auctoritatem, quam passim viderent ab aliis finitimarum diœcesium Præsulibus jure ordinario, & non mere delegato exerceri?

„ 6. At etiam dato, in aliquam diœcesim irrepsisse consuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum jus auferendi Impedimenta, à Conciliis Oecumenicis, aut à Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit prævalere legi, Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare, præsumat. Quinimmo cum talis consuetudo, non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda, & minuenda jura, uni competentia Romano Pontifici, præter cæteras conditiones, necesse est, ut centum ad minus annorum spatio, sine ulla interruptione, perseveraverit. Quocirca Van Espen. *jur. Eccles. univers. part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 1. *num.* 11. ut Episcopo Leodiensi auctoritatem astruat dispensandi in tertio, & quarto, & in tertio, hinc inde consanguinitatis, seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit Auctor cit. collationum Parisiensium *tom.* 3. *collat.* 2. §. 2. Verum postremo, & potissimum, considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inolevit, *disrumpatur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ;* in quo eventu nunquam, per eam adversus legem præscribi, declaravit Innocentius III. *in cap. Cum inter, de consuet.* Num porro prædicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius quam à Nobis, præstat audire

„ à Cal-

tione cujus dispensatio aut nullo modo, aut nonnisi cum certa conditione, vel limitatione daretur, ex c. *Super*, *de rescript.* alioqui dispensatio esset obreptitia, vel subreptitia, ideóque nulla, ob defectum consensus in dispensante. *Vide dicta de Legibus*, *c. 6. qu. 5.*

Hinc si inter consanguineos aut affines præcesserit copula, vel inter illos attentatum sit Matrimonium, vel copula incestuosa habita sit spe dispensationis faciliùs impetrandæ; vel si cum notitia impedimenti, vel sine illa, præmissis tribus denuntiationibus, vel iis omissis, contractum sit Matrimonium; hæc omnia exprimi debent in supplicatoriis. Item si plura sint impedimenta etiam ejusdem rationis, debent omnia exponi: nam cùm singula obstent Matrimonio, necessaria est dispensatio omnium, & sublato uno manet adhuc alterum: item gradus cognationis & affinitatis explicandus est; & si sit inæqualitas in gradibus, quæ oriatur

„ à Gallicano Auctore Cassabutio, qui *cit. lib. 3. cap. 27. num. 6.* loquens de Auctoritate dispensandi, quam sibi vindicant nonnulli suæ nationis Præsules, hæc habet: *Si in oppositum reclamantibus Conciliis Oecumenicis, quæ hanc potestatem uni Summo Pontifici, Legatione reservant, sibi ausint vindicare ducenti circiter, & quadraginta Episcopi, cum suis Vicariis, seorsim in suis diœcesibus, singuli pro suo arbitrio, hujusmodi licentiam, ingruet profecto tota Gallicana d.tione admodum exuberantior, & inordinatior inter tot, tamque diversa sibi, aliisque indulgentium Prælatorum capita, in dispensandis Matrimoniis licentia. Quin etiam, si per universum Regnum ista invalesceret consuetudo (quod malum Deus avertat) contingeret demum, ut quilibet laici, etiam subalternorum tribunalium Judices, per captionem, & distractionem Bonorum Episcopalium, ipsosmet Episcopos cogerent, pro suo peculiari, aut amicorum, aut Partium postulantium affectu, ad sic dispensandum, sicut jamdudum compellunt invitos, ad monitoria, & excommunicationes decernendas; sicque simile quid illos obveniret Divinæ huic, apud Isaiam comminationi:* Pro eo, quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes & multas: *Sic enim renuentes hac in parte summo universalis Ecclesiæ Pontifici subjici, compelluntur indignissime laicorum Judicum infimorum decretis obtemperare, aut propriorum fructuum, ni parcant, interceptionem, ac privationem pati.* Et post adducta modo à nobis relata loca Conciliorum Turonensis & Tolosani inanem decernentia hac in re dispensationem, quæ à Summo Pontifice non dimanarit, concludit Cabassutius: *Sane istæ ab Episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum, quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermisso, quod adhiberi possit. Atque ita licentia ista vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad summam tutiore simul, & probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam, in tanti momenti Sacramento, consectatur opinionem.*

„ 7. Huic Cabassutii monito morem gerant Episcopi, & nullius consuetudinis prætextu, eam excerceant facultatem, quam dubiam saltem, atque incertam esse dissimulare non possunt: Quod si quis eam sibi certo competere obstinate contendat: adhuc abstineat oportet ab illa in sua Synodo ostentanda, & Synodali statuto sibimet ipsi asserenda. Etenim (uti inferius, suo loco demonstrabitur) ne ea quidem, quæ Episcopis certo licent, ex tacita permissione, & conniventia Apostolicæ Sedis, possunt ab iisdem per edictum aut Synodalem Constitutionem decerni; & juri suo ordinario quodammodo attribui; id quippe manifestam saperet ambitionem; qua viderentur se quodammodo æquiparare Summo Pontifici, ejusque affectare supremam jurisdictionem.

„ 8. Quare, si aliquis Antistes, ob nimiam suæ diœcesis ab Urbe distantiam, aliamve legitimam causam, necessariam sibi reputet auctoritatem, dispensandi in uno aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat à Romano Pontifice, qui eam petentibus, impertiri non renuit, nunc minus amplam pro temporum, & locorum varietate.

oriatur ex eo, quòd fœmina sit propinquior stipiti, ut si sit amita, debet exprimi.

Quæst. VI. *Quomodò convalidandum est Matrimonium invalidum?*

Resp. 1. Si nullitas Matrimonii in facie Ecclesiæ, hoc est coram parocho & duobus saltem testibus initi, sit occulta ob defectum occultum, de quo non sit periculum, ut aliquando innotescat; tunc ut Matrimonium fiat validum, secundùm multos sufficit quòd sublato impedimento, occultè mutuo consentiant sine parocho & testibus, ut teste Navarro declaravit S. Pius V. quia Decretum Conc. Trid. hunc casum non comprehendit, cùm ejus ratio ad eum se non extendat, & jam obtineatur ejus finis. Nam ratio finalis decreti est, ut publicè constet, ideoque probari possit validitas Matrimonii, & sic vitentur gravia mala ex clandestinis nuptiis manantia, maximè concubinatus, & adulterium, dum qui clam cum una contraxerunt, illa relicta aliud Matrimonium publicè ineunt. At cùm defectus Matrimonii coram parocho & testibus initi est occultus, potest tunc publicè ab iis probari validitas, & sic impediri aliud Matrimonium. In praxi tamen parochi, & testium assistentia adhibenda est, si inde nullum grave incommodum, aut scandalum timeatur; quia tutius est.

Si verò nullitas sit notoria, vel periculum sit ne innotescat, sublato impedimento, novus consensus præbendus est iterum coram parocho & testibus. Quia tunc urget ratio decreti Conc. Trid. nam alias non posset publicè constare, nec probari validitas Matrimonii. Imò si impedimentum possit probari à duobus testibus omni exceptione majoribus, censet Sanchez, tunc opus esse nova præsentia parochi & testium; quia lex Conc. Trid. adhuc locum habet: nam alter conjux, probato impedimento, non posset impediri ne cum alia contraheret, si convalidatio esset occulta.

Resp. 2. Si Matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus veri in utroque, ut fiat validum, debet uterque novum consensum elicere, cùm prior fuerit nullus, & utriusque consensus sit essentialis contractui Matrimonii, debetque mutuus ille consensus exteriùs exprimi; quia signum prioris consensus non sufficit, cùm sit tantùm signum ficti consensus: unde opus est novo signo, quo verus consensus exprimatur humano modo, ad quod potest sufficere copula affectu maritali facta, ex cap. 2. *de conjug. servor.*

Quòd si Matrimonium fuerit nullum ob defectum consensus ex parte unius tantùm qui fictè, vel ex gravi metû injusto consensit; secundùm multos, ut fiat validum; satis est si ille verum consensum eliciat, eumque aliquo modo exteriùs exprimat, ut exercendo copulam affectu conjugali; nec in comparte requiritur novus consensus, nec proinde notitia defectus, si priorem consensum non retractaverit. Quia in hoc casu ambo contrahentes sunt personæ legitimæ ac habiles ad contrahendum, & consensus unius partis fuit verus, supponiturque permanere habitualiter, utpotè non retractatus, & moraliter, nam putat valere Matrimonium, & compartem habet ut conjugem, petens ac reddens conjugale debitum. Atqui ad valorem contractus sufficit si contrahentium consensus sint simul moraliter.

Nec obstat, quòd pars quæ consensit, fortè non perseveret in consensu, adeoque nollet in eo perseverare, si sciret alterum non consensisse. Quia hoc

hoc non obstante remanet consensus: nam dissensus sub conditione ponendus non revocat priorem consensum absolutum; & aliud est *Nolo*, aliud *Nollem*. In praxi tamen tutius est quòd uterque consensum renovet, si non timeatur scandalum, vel grave periculum, aut incommodum.

Resp. 3. Si Matrimonium fuerit nullum ob quodvis aliud impedimentum dirimens; ut fiat validum necesse est, 1. Ut obtineatur dispensatio, vel per se cesset. 2. Ut interim pars nullitatis conscia non reddat debitum petenti, alioquin scienter fornicaretur. 3. Ut uterque conjux novum consensum præstet, & exteriùs prodat; quia utriusque prior consensus fuit nullus, cùm fuerit inter inhabiles, & ceciderint in materiam illegitimam. Ergo alius legitimus non minùs requiritur, quàm si nullus præcessisset: nam *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*, reg. jur. 18. in 6.

Quare obtenta dispensatioue, si nullum sit periculum gravis incommodi, nullitas deregi comparti debet confusè & genericè, dicendo v. gr. se anxietatem pati propter consensum in ipsa Matrimonii celebritate datum, & confessarium judicasse novum utrique elici debere. Nam sine hac manifestatione pars ignara nullitatis, si de novo consentiat, consentit ex errore; imò non ponit propriè novum consensum, sed præcise renovat priorem invalidum, nec intendit novum denuo Matrimonium contrahere, cùm credat jam legitimè contractum esse; sed intendit tantum ratificare prius Matrimonium, illudque confirmare, dum petit vel reddit debitum vi prioris consensus; cum tamen prioris consensus utpotè invalidi confirmatio vel iteratio non sufficiat. Uude in litteris dispensationis additur. *Ut dicto conjuge de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, dispenses.*

Sed gravis difficultas est, cùm per istam manifestationem timetur grave incommodum, vel periculum, aut scandalum, ut non rarò accidit. Multi Doctores hanc viam proponunt, nempe ut pars impedimenti conscia compartem illius ignaram blanditiis deliniat, & bene dispositam sic alloquatur: *Ita te amo, ut si non esset inter nos Matrimonium, te in conjugem acciperem, & nunc ita te accipio: tu ne idem ex parte tua facis?* Si respondeat, *Facio*, aut simili verbo consensum novum declaret; tunc, inquiunt, valebit Matrimonium, quia tunc pars ignara impedimenti novum Matrimonium vult inire, si prius non fuerit validum; non sufficit autem si dicat, *vellem*, *facerem*, quia non esset consensus de præsenti absolutus. Ad clausulam dispensationis respondent, eam appositam esse cum hac restrictione subintellecta, *si fieri possit.*

Quod si neque hoc sine gravi periculo vel scandalo fieri queat, quia scilicet si compars sit sagax, posset ex hac insueta agendi ratione conjicere aliquid tale subesse, censent non pauci partem consciam impedimenti posse sequi opinionem eorum, qui dicunt tunc sufficere quòd consensum renovet interiùs, & petenti conjugi debitum reddat affectu conjugali, non monita comparte de nullitate Matrimonii. Quia, inquit Sanchez, licèt ignorans impedimentum, non intendat formaliter novum inire Matrimonium, intendit tamen virtualiter. Nam in eo actu quo vult hanc ut conjugem, vel ut talem cognoscit, virtualiter continetur consensus, quo hic & nunc & semper tacitè & exercitè consentit in ipsam ut uxorem.

Verum cùm hæc difficilia & dubia ſint, confeſſarius ex confeſſione deprehendens pœnitentes contraxiſſe cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, non debet eos de eo admonere, quin priùs ſciat id poſſe fieri ſine periculo gravis incommodi, ſcandali, vel peccati reſpectu illorum, ex cap. 6. *de conſanguin.* In his autem & aliis gravibus difficultatibus conſulendi ſunt viri docti, ſed præſertim Epiſcopus loci.

Porrò eadem eſt ratio convalidandi profeſſionem nullam, quæ Matrimonium.

TRA-

TRACTATUS DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

Quæst. I. QUid est Censura? *Resp.* Est pœna Ecclesiastica medicinalis, privans primariò bonis quibusdam spiritualibus dispensationi Ecclesiæ commissis.

Dicitur 1. *Pœna:* Quia semper supponit culpam: nam *quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, cap. 2. *de constit.*

2. *Ecclesiastica.* Quia ferri potest à sola potestate Ecclesiastica, cùm sit privatio bonorum spiritualium, quæ laici non habent in sua potestate: nec proinde auferre possunt.

3. *Medicinalis*, ex cap. 1. *sent. excomm. in 6.* Quia fertur ad avertendum, & revocandum hominem à peccato. Quare censura ex intentione Ecclesiæ non est perpetua, ut depositio & degradatio, quæ sunt pœnæ merè vindicativæ: sed tolli debet à Superiore, cùm reus se emendavit & satisfecit.

4. *Privans bonis*, *&c.* ut sunt publica Ecclesiæ suffragia, jurisdictio spiritualis, & ejus usus, beneficia, sacrificia, sacramenta: non item habitus virtutum infusi, gratia sanctificans, character, potestas ordinis.

5. *Primariò.* Nam secundariò privat bonis quibusdam temporalibus, putà fructibus beneficii, & societate fidelium etiam in civilibus: sed per ordinem ad bonum spirituale, ut sic faciliùs & promptiùs resipiscant: & ad debitam obedientiam efficaciùs revocentur.

Quæst. II. *Quotuplex est Censura?*

Resp. Censura 1. dividitur in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, cap. 20. *de verbor. signific.*

2. Alia est à jure, alia ab homine. Censura à jure est ea, quæ per legem vel statutum perpetuum lata est: unde in Canonibus, decretis Pontificum, vel statutis Episcoporum continetur. Censura ab homine est ea, quæ fertur ab aliquo singulari Superiore, per præceptum transitorium, vel sententiam judiciariam; estque vel genera-

generalis, quæ generatim & indeterminatè fertur in aliquos, v. gr. in clericos; vel particularis, quæ fertur in certam ac determinatam personam.

Censura à jure non cessat morte legislatoris. At censura ab homine expirat morte Superioris, aut ejus amotione, si eveniat antequam contrahatur; sed jam contracta, manet post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem.

3. Alia est latæ sententiæ, alia ferendæ. Prior est, quæ contrahitur ipso facto, seu sola culpæ admissione, absque ulla judicis sententia. Posterior est ea, quæ non contrahitur nisi accedente sententia judicis, & vocatur comminatoria. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus fertur Censura.

Censura est latæ sententiæ, si adhibeantur hæ voces *Ipso facto; ipso jure, ex tunc, ex nunc, statim, illicò, continuò, confestim, mox, protinus, latæ sententiæ &c.* Vel si verba sint præsentis temporis indicativi modi, v. gr. *Excommunicamus, suspenduntur, interdicuntur.* Vel præteriti temporis, *v. gr. Excommunicatus est; volumus esse excommunicatum, suspensum; noverit se excommunicatum, suspensum.* Item si verba sint imperativi modi, nec dirigantur ad judicem, nec ejus actionem exigant, ut *Subjaceat excommunicationi; maneat suspensus, interdictus; habeatur pro excommunicato; sit excommunicatus, suspensus, &c.*

Censura est ferendæ sententiæ, si feratur per verba, quæ judicis actionem exigant, vel significent, ut *Excommunicetur, suspendatur, ab Ecclesiæ ingressu arceatnr, decernimus excommunicandum, suspendendum, &c.* Item si verba sint futuri temporis, v. gr. *Excommunicabitur, suspendetur,* vel minatoria, ut *Sub pœna excommunicationis, suspensionis, sub interminatione anathematis, &c.* nisi ex adjunctis aliud colligatur, vel ex aliquibus verbis additis, ut si dicatur: *Sub pœna excommunicationis statim incurrendæ*, vel *Cui statim, confestim, omninò subjaceat.* In dubio an censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, censenda est ferendæ, quia *in pœnis benignior est interpretatio facienda*, regul. jur. 45. in 6.

Quæst. III. *Quænam culpa requiritur ad contrahendam Censuram?*

Resp. Ex communi sententia, non contrahitur saltem Censura totalis, nisi ob culpam mortalem, externam, contumaciter admissam contra præceptum Ecclesiasticum. Itaque ad hoc requiritur.

1. Culpa mortalis, ex cap. *Nemo*, cap. *Nullus 11.* quæst. 3. Quia Censura est gravis pœna, cùm privet magnis bonis spiritualibus. Pœna autem debet esse commensurata culpæ, aliàs esset injusta, ex cap. 5. *de pœnis in 6.* ubi jubetur, ut judex pœnam metiatur ex culpa. At peccatum veniale est culpa levis in suo ordine, seu in ordine ac linea peccati.

Dixi, *totalis*. Nam secundùm multos Censura partialis, aut suspensio ab aliquo actu officii ad breve tempus, item excommunicatio minor, non necessariò gravem culpam supponit.

2. Ut sit externa, & quidem mortalis secundùm opus externum. Quia nulla censura fertur propter solam internam pravam operantis voluntatem: nam hoc non requiritur ad rectum regimen Ecclesiæ saltem ordinarium; & Ecclesia non fert censuram nisi de iis de quibus judicare potest. Ecclesia autem non judicat de merè internis in foro exter, cap. 33. *de simon.*

Item actus peccati debet esse completus ac perfectus in sua specie morali-

rali, & habere eam malitiam, quæ ſub cenſura prohibetur. Quia lex humana non obligat, nec operatur ultra intentionem Superioris verbis expreſſam, cùm non aliter proponatur ſubditis; & in odioſis ſtricta debet eſſe interpretatio. Ob eandem rationem requiritur effectus completus, quem legislator intendit ſub cenſura prohibere, niſi aliud in lege exprimatur. Hinc qui animo occidendi alterum graviter vulneravit, non incurrit excommunicationem contra homicidas latam, niſi mors ſequatur; quia Superior tunc non vult punire peccatum, niſi poſita tali conditione effectus ſecuti. Unde quis à peccato præterito, v. gr. vulneratione juſtificatus per contritionem, vel ſacramentum pœnitentiæ, poteſt contrahere excommunicationem, in ſtatu gratiæ: nam licèt juſtificatus ſit, dignus eſt pœna ob culpam ſub cenſura prohibitam debita.

Dixi *Niſi aliud, &c.* Nam, cap. 1. *de homicid. in 6.* mandans aliquem occidi per aſſaſſinos excommunicatur, quamvis mors non ſequatur.

Item in cenſura lata contra facientes, non comprehenduntur conſulens, mandans, approbans, niſi exprimantur, quia lex pœnalis, utpote odioſa, non extenditur ultra proprietatem verborum.

3. Ut ſit contra præceptum Eccleſiaſticum, & cum aliqua contumacia. Nam cenſura eſt pœna merè Eccleſiaſtica conſtituta in eos qui ſunt contumaces contra Superiorem Eccleſiaſticum, ut coerceantur & corrigantur: quæ pœna inobedientiam aliquam Eccleſiæ requirit, juxta illud, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.* Ad hanc autem inobedientiam, ſeu contumaciam ſufficit contemptus virtualis & interpretativus authoritatis Eccleſiæ ſub pœna præcipientis, qualem habere cenſetur, qui ſciens præceptum Eccleſiæ annexam habens cenſuram, tamen illud violat.

Hinc ex communi ſententia ob peccatum merè præteritum non poteſt ferri Cenſura, niſi aliquo modo pendeat in futurum, vel quia reus in eo perſeveret, vel ut cogatur ſcandalum tollere, vel injuriam reſarcire per debitam ſatisfactionem. Alioqui cenſura non eſſet medicina, ſed mera vindicta.

Porrò licèt culpa aliena ſufficiat ad ſuſpenſionem, & interdictum, requiritur tamen propria ad excommunicationem ſubeundam, ex cap. 5. *de ſent. excomm. in 6.* cùm excommunicatio ſit graviſſima pœna.

Quæſt. IV. *Quænam excuſant à Cenſura gravi?*

Reſp. Excuſat 1. Id omne quod excuſat ſive à peccato mortali, ut defectus advertentiæ ſufficientis, levitas materiæ; ſive ab obſervatione præcepti Eccleſiaſtici, ut impotentia moralis, cùm ſcilicet non poteſt ſervari ſine gravi damno, quocum ordinariè præcepta Eccleſiæ non obligant. Quia cenſura non fertur niſi ob transgreſſionem culpabilem præcepti Eccleſiaſtici, contumaciter amiſſam. Excipe, niſi metus gravis directè incuteretur in contemptum religionis aut Eccleſiaſticæ poteſtatis: nam tunc etiam cum periculo mortis tenetur quis ſervare talem legem. *Ita communiter.*

2. Ignorantia invincibilis etiam ſolius legis Eccleſiaſticæ, ſive ea ſit facti, ſive juris, excuſat. Quia hæc excuſat à culpabili transgreſſione legis Eccleſiaſticæ & impedit contumaciam, ac voluntarium circa id quod ignoratur. At non excuſat ignorantia vincibilis, etiam non affectata, ſi ſit craſſa vel ſupina, hoc eſt, orta ex eo quod quis nullam adhibuerit diligentiam ad ſciendum

ſciendum id quod ſcire poterat & debebat, ex cap. 2. *de conſtit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. ait: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Nam ex tali ignorantia peccans, virtualiter, ideoque ſufficienter contumax eſt: quia negligit culpabiliter ſcire legem aliàs publicam, & quæ ſemper ex ſe admonet.

Si tamen cenſura lata ſit contra ſcienter, conſultò, temerario auſu facientem aliquid, vel præſumentem facere; tunc ab ea excuſat omnis ignorantia, etiam vincibilis non affectata. Nam non dicitur ſcienter, auſu temerario legem violare, qui eam ignorat ignorantia non affectata; & hæc verba in rebus odioſis ſunt ſtrictè accipienda; & alioqui eſſent inutilia. Secùs, ſi ignorantia ſit affectata: nam hæc æquiparatur certæ ſcientiæ, & auget culpam, quia includit majorem affectum peccandi, contemptum legis, magnam temeritatem, præſumptionem, ſcientiam periculi directè voliti, contumaciam, & intentionem ſaltem implicitam ac virtualem faciendi id quod lege prohibetur. Item ſi quis ſuſpicans aut dubitans de cenſura vel facto, non inquirat, & ſic faciat contra legem, contrahit cenſuram, quia tunc talis habet ſatis contumaciæ & præſumptionis ad talem cenſuram, cenſeturque legem ac cenſuram contemnere.

Sed an probabilis, ſeu invincibilis ignorantia ſolius Cenſuræ excuſat ab ea contrahenda?

Reſp. 1. Covarruvias, & alii Doctores contra alios multos docent nullam ignorantiam etiam invincibilem ſolius cenſuræ per legem papalem, aut canonem univerſalem latæ excuſare ab ea contrahenda; ita ut ad cenſuram contrahendam ſufficiat, quòd quis ſciat, vel ſcire poſſit ac debeat actionem, vel omiſſionem, cui cenſura annexa eſt, eſſe ab Eccleſia graviter præceptam vel prohibitam.

Probant 1. Quia hoc ipſo quòd quis ſcit vel ſcire poteſt & debet actionem aliquam eſſe graviter ab Eccleſia præceptam vel prohibitam, & tamen liberè ponit talem actionem vel omiſſionem, ſufficienter contumax eſt Eccleſiæ, ut meritò ab illa puniatur per cenſuram illi annexam. Nam talis culpabiliter violat legem Eccleſiaſticam quam ſcit, aut ſcire poteſt & debet graviter obligare. Ergo peccat mortaliter contra illam legem, quam virtualiter contemnit & contumaciter violat; ac proinde meretur & contrahit pœnam per talem legem impoſitam. Contumacia quippe ad cenſuram requiſita nihil aliud eſt quàm culpabilis inobedientia Eccleſiæ, & virtualis contemptus authoritatis Eccleſiaſticæ, juxta illud Matth. 17. *Si Eccleſiam non audierit*, hoc eſt, ſi Eccleſiæ non paruerit, *ſit tibi ſicut Ethnicus.* Quælibet autem graviter culpabilis violatio legis Eccleſiaſticæ, cujus reus eſt quicumque agit, vel omittit aliquid contra legem Eccleſiaſticam quam cognoſcit, vel cognoſcere potuit, vera eſt inobedientia Eccleſiæ, & virtualis contemptus ejus authoritatis, cùm ſit mortalis culpa contra legem, & authoritatem Eccleſiæ.

Paulò aliter. Ad cenſuram contrahendam ſufficit cognitio poſſibilis & debita legis Eccleſiaſticæ aliquid graviter præcipientis aut vetantis. Nam illa poſita, qui liberè ponit talem actionem vel omiſſionem, ſufficienter contumax ſeu inobediens eſt Eccleſiæ, ut meritò ab illa puniatur per cenſuram illi annexam: liberè enim violat grave

grave præceptum Ecclesiæ, & mortaliter peccat contra illud, cùm ignorantia vincibilis non excuset à mortali culpa: & consequenter talis sufficienter contumax & inobediens est Ecclesiæ, ut ab illa puniatur.

2. Ex cap. *Ut animarum* 2. de constitut. in 6. ubi Bonifacius VIII. statuendo, sententiis seu pœnis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, tacitè excipit sententias, seu pœnas prolatas per leges papales, & canones universales, ut notat Glossa v. *Statuta*, dicens: *De generalibus ergo statutis canonum vel legum non loquitur, quæ ab omnibus sciri & custodiri debent.* Et hoc statuit Pontifex utriusque juris peritissimus, ad imitationem legis civilis ult. §. *de decret. ab ordine fac.* ubi habes quòd municipali statuto non ligatur ignorans, sed sciens tantùm, ut habet alia Glossa, ibid. v. *Sententiis.* Ratio est, quia ignorantia juris communis & universalis, cæteris paribus, minus probabilis, minúsque excusabilis est, quàm ignorantia juris particularis; quia quilibet magis debet & faciliùs potest addiscere & scire leges, quæ sunt omnibus fidelibus communes, & ab omnibus observari debent, quàm quæ sunt certis locis speciales. Ergo etsi ignorantia non crassa nec supina censuræ statuto particulari latæ excuset ab illa contrahenda, non continuò excusare debet similis ignorantia paris Censuræ per leges universales statutæ.

Hinc qui duellum committit, sciens quidem hoc esse graviter ab Ecclesia prohibitum, vel si culpabiliter ignoret hanc Ecclesiæ prohibitionem, tametsi nesciat eamdem esse sub pœna excommunicationis, ut plerique rudes ignorant, tamen verè excommunicationem contrahit.

Si dicas censuram ex natura rei requirere peculiarem modum contumaciæ & inobedientiæ, quæ opponatur speciali, & rigoroso modo præcipiendi, vel prohibendi sub comminatione Censuræ; *Respondent* hanc esse meram petitionem principii, supponentem id quod in quæstione est, & quod est probandum, quodque negatur. Præterea ex eo quòd quis scit aut scire potest & debet, aliquid esse ab Ecclesia graviter præceptum aut prohibitum, cognoscit confusè & virtualiter specialem illum præcipiendi modum; & contra faciens virtualiter contemnit authoritatem Ecclesiæ sub quacumque pœna præcipientis: ad contumaciam autem sufficit virtualis, & interpretativus contemptus authoritatis Ecclesiæ, qui reperitur in omni violatione graviter culpabili legis Ecclesiasticæ.

Nec obstat, inquiunt, quòd censura sit pœna medicinalis, ordinata per se primò ad avertendum, vel ad emendandum delictum. Nam 1. Etsi contrahatur ab ignorante, tamen per se semper medicinalis est; per se enim semper apta est ad hoc utrumque præstandum. Quòd si non semper medeatur, hoc est per accidens. Et quando ignorans sciet postea se Censura ligatum, tunc per illam adducetur ad emendandum delictum. 2. Hoc nimiùm probat, ideóque nihil probat: probaret enim ignorantiam etsi vincibilem à censura excusare; nam quælibet ignorantia, saltem non affectata, tollit rei ignoratæ notitiam. At certè ignorantia crassa, aut supina, etiam secundùm adversarios, non excusat à censura, ut patet ex c. 2. *de constit. in* 6. ubi postquam Pontifex dixit: *Sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes*: hanc exceptionem addit, *Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.*

Quod generatim dictum comprehendit etiam censuras, ut consentiunt omnes; imò de illis præcipuè intelligi debet juxta Glossam v. *Sententiis* : & hoc ostendit ratio allata, *ut animarum periculis obvietur.* Quòd si de Censuris agitur in regula generali, ergo & in exceptione; & hæc est etiam communis expositio, inquit Suarez. Ex qua à fortiori sequitur (addit idem Doctor) etiam in legibus pontificiis ignorantiam crassam à Censura non excusare, quia ex genere suo plus obligant pontificiæ leges, quàm statuta ordinariorum. Unde concludit Suarez, negandum esse in actu ex ignorantia facto deesse contumaciam & inobedientiam sufficientem ad contrahendam Censuram. Nam licèt non tam expressè & directè, virtute tamen & indirectè idem genus inobedientiæ est, ita negligere legem aliàs satis publicam & omnibus notam, ut tam crassa illius ignorantia habeatur. Ac propterea satis etiam est, quod lex, quantùm est ex se, illum admoneat: quamvis admonitio ad ejus aures non perveniat ex supina ejus negligentia. Hæc Suarez, de censur. disp. 4.

Resp. 2. Quævis ignorantia, modo non sit crassa & supina, excusat à censura per statutum particulare lata, habetur cap. 2. de constit. in 6. ibi: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Hæc autem decretalis est constitutiva juris novi, non merè declaratoria, ut rectè colligit Suarez ex verbo *Nolumus.* Ratio discriminis inter has censuras & alias jure communi latas, est quòd censuræ per sacros Canones & Constitutiones universales rariùs, & majori cum maturitate ferantur, quàm per statuta particularia, ex quibus proinde majora animarum pericula orirentur, nisi illis obviaretur, restringendo has pœnas ad solos scientes, & crassè ignorantes.

Porrò ignorantia crassa & supina hic est ea, qua quis ignorat id quod scire debet, & quod omnes ejusdem status, & conditionis, communiter sciunt.

Quæst. V. *Quandonam censura est invalida?*

Nota. Non contrahi censuram, quando invalida est, per se patet, cùm nulla sit.

Resp. Censura nulla est, 1. Defectu jurisdictionis, cùm scilicet ferens Censuram caret jurisdictione, vel eam habet legitimè impeditam per aliquam censuram, aut suspensam per legitimam appellationem, cum nempè ante sententiam absolutè latam reus appellavit ad Superiorem, ex cap. 40. *de appellat.* Si verò appellatio fiat post latam sententiam, vel post contractam Censuram à jure, valet Censura & servari debet, c. 20. *de sent. excomm. in 6.* quia censura lata executionem se cum trahit, ex cap. 53. *de appellat.*

2. Defectu ordinis substantialis judicii; ut si aliqua monitio non præcessit: nam ut censura ab homine per sententiam particularem infligenda feratur validè, præcedere debet una saltem monitio, c. 48. *de sent. excomm.* & cap. 9. eod. tit. in 6. Quia non est contumax contra Ecclesiam, nisi qui præcedente monitione & comminatione censuræ obedire renuit. Ut autem validè feratur & contrahatur censura à jure, vel ab homine per sententiam generalem contra actum futurum, non requiritur alia monitio, quàm promulgatio ipsius legis vel sententiæ: lex enim & statutum, cùm sint publica & permaneant, semper satis per se monent, ex cap. 26. *de appellat.* Idem est de sententia non illativa

illativa censuræ, sed declaratoria tantùm: nam absque alia monitione declarari potest censura contracta, modò priùs citata parte de crimine juridicè constet: aliàs nulla esset declaratio, quia contra partem inauditam nihil potest in judicio definiri, c. 1. *De causa poss.*

3. Defectu culpæ mortalis. Quia gravis pœna non potest irrogari ab homine ob levem culpam: nam pœna improportionata & major culpa est evidenter injusta, cùm desit æqualitas. Actio autem evidenter injusta quoad substantiam non habet vim per se obligandi. Quòd si censura lata sit ob crimen falsum, sed in judicio legitimè probatum, hanc obligare in conscientia docet Richardus, Palud. S. Antoninus, 3. part. tit. 24. p. 73. & alii. Econtra Suarez, Layman, & alii multi contendunt eam reipsa non contrahi in foro conscientiæ & coram Deo; quia sicut causa est tantùm apparens, ita & Censura; nec potest, nec vult Ecclesia punire innocentes. Addunt tamen damnatum teneri se gerere exteriùs coram aliis tamquam censura affectum: quia sententiæ judicis legitimæ, licèt quoad rem injustæ, parere tenetur quantum necessarium est ad amovendum scandalum & tuendam authoritatem Superioris. Quare, inquiunt, si actum ordinis sui publicè exerceret, peccaret; quia cum scandalo resisteret potestati publicæ, sed non contraheret irregularitatem: quia censura est tantùm apparens, & sic non violat veram censuram. Non peccaret autem, si actum sui ordinis exerceret privatim & coram iis solis, quibus innocentia ejus perspecta est.

Mihi verò videtur non privari quidem participatione communium suffragiorum & orationum; neque etiam privari apertè affirmat ullus author, ut notat Suarez: quia non est verisimile Deum dedisse Ecclesiæ potestatem ea privandi innocentem, cùm hæc potestas non possit esse in destructionem, sed solum in ædificationem; neque etiam Ecclesia id intendit, cùm nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile sit. Sed tamen talis revera privatur receptione & administratione Sacramentorum, executione ordinis, & communione externa cum fidelibus. Quia hæc omnia ei per sententiam legitimam & justam ex parte actionis seu judicii prohibentur, cui sententiæ legitimæ parere tenetur in foro conscientiæ, & debet hoc incommodum pati propter bonum commune postulans executionem ordinis ac sententiæ legitimæ, & obedientiam Superiori justè ac legitimè præcipienti. Et hæc prohibitio non habet tunc rationem pœnæ propriè dictæ, quæ semper supponit culpam; sed pœnæ impropriè dictæ, quæ est in commodum propter bonum commune inflictum: unde etiam tunc non erit censura strictè dicta, sed latè sumpta pro prohibitione legitima & obligante. Quod confirmo authoritate S. Thomæ, qui in 4. dist. 18. qu. 2. art. 1. q. 4. docet excommunicationem latam per sententiam, quæ nulla non est, habere effectum suum, & debere excommunicatum humiliter obedire. Sententia autem, de qua agitur, non est nulla, cùm in suo foro justa & legitima sit. Unde inferius S. Doctor de hac specie loquens vocat eam censuram debita causa ex parte censuræ, non verò ex parte ejus cui imponitur. *Sicut*, inquit, *cùm aliquis pro falsò crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.* Et in solutione objectionum ait non esse inconveniens, ut innocens & invitus ali-

quando privetur per modum pœnæ auxiliis externis, quibus per Ecclesiam juvari potest ad salutem. Quare si violaretur ista Censura, videtur quòd contraheretur irregularitas, quia non est censura apparens tantùm, sed est vera & justa prohibitio Superioris, cujus violatio meritò punitur irregularitate.

Cæterùm in dubio justitiæ Censuræ constat hanc servari debere etiam in foro conscientiæ, donec à Superiore declaretur irrita, vel tollatur. Quia in dubio favendum & obediendum est Superiori habenti jus ferendi Censuras. Et in dubio tutior pars eligi debet.

Sed an omnis Censura injusta est etiam nulla?

Resp. Neg. Nam injusta est Censura, quæ non fertur ex amore justitiæ, sed ex odio, invidia, vel vindicta privata; vel quæ ab homine fertur, accidentario juris ordine sine necessitate prætermisso, v. gr. sine trina monitione, sine scriptura, vel expressione causæ, & tamen valida est ac ligat etiam in conscientia, si post unam monitionem à legitimo Superiore ob crimen verum feratur. Nam tunc nihil essentiale deest ad ejus valorem: & accidentium defectus non tollit substantiam rei, nec proinde ejus effectum primarium. Imò rata est censura quoad prohibitionem, & servanda, etiamsi feratur ob crimen falsum, sed in judicio legitimè probatum, ut dixi, & opus est absolutione. Quare utraque Censura licèt injusta, timenda est. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta sit, timenda est,* ait S. Greg. hom. 6. in Evang.

Nota. Ut censura ab homine per sententiam particularem licitè feratur, necesse est, 1. Ut fiat trina monitio cum suis intervallis, ita ut una præcedat aliam duorum saltem dierum spatio, cap. 9. *de sent. excomm. in 6.* Tamen ex urgenti causa sufficit una pro tribus cum intervallis, antequam excommunicetur reus; vel etiam sine intervallis si necessitas exigat, v. gr. Moneo te semel pro tribus vicibus. ibid. 2. Ut fiat in scriptis, & causa Censuræ exprimatur, tradaturque reo petenti exemplum hujusmodi scripturæ infra mensem, c. 1. eod. tit.

Ad censuram verò à jure sufficit ut lex, seu statutum sufficienter promulgatum sit. Si tamen sit ferendæ sententiæ, ut hæc feratur, requiritur citatio rei & condemnatio juridica; nec debet infligi reo etiam convicto & manifesto, nisi prævia monitione, & quidem per se loquendo trina, ex cap. 26. *de appellation.* Quòd sit si *latæ sententiæ,* ut declaretur contracta, requiritur, ut citata parte de crimine juridicè constet.

Nota. Dubitans utrùm Censuram aliquam contraxerit, tenetur se gerere tanquam si censura affectus esset, donec dubium prudenter deposuerit, ut ab ea absolutus fuerit. Quia in dubio pars tutior eligenda est, & alioqui talis se exponeret periculo peccandi, violando Censuram actu per eam prohibito.

Quæst. VI. *Quinam possunt ligari Censura?*

Resp. Ut quis ligetur Censura, ex communi sententia necesse est, 1. Ut sit viator, quia hic solus est capax emendationis, subjectionis & contumaciæ; quod requiritur ad subeundam Censuram. Cum autem hæretici mortui dicuntur posse anathematizari, tum anathema sumitur pro declaratione aliquem alienum ab Ecclesiæ communione decessisse. Potest etiam mortuus excommunicari indirectè, quatenus Ecclesia potest ad aliorum terrorem præcipere vivis, ut illum sacra sepultura, publicis precibus & sacrificiis privent. Dicitur verò absolvi, dum Ecclesia concedit

concedit facultatem eum sepeliendi, & offerendi pro eo suffragia publica.

2. Ut sit baptizatus: quia nemo sit subditus Ecclesiæ nisi per Baptismum, ex Conc. Trid. sess. 14. c. 2. ibi: *Cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare?*

3. Ut sit rationis usu præditus; aliàs non esset culpæ & emendationis capax. Impuberes autem adulti possunt ligari censura, & re ipsa incurrunt excommunicationem ob ingressum in Monasteria Monialium, ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 5. & ob percussionem Clerici, *cap. ult. de sent. excomm.* Item interdictum in totum populum. Ergo etiam alias incurrunt, exceptis censuris ab homine latis. Ebrius vero afficitur censura ob delictum in ebrietate commissum, & antea sufficienter prævisum.

4. Ut sit subditus ligantis, ex cap. 11. *de sent. excomm.* Quia potestas ferendi censuras pertinet ad jurisdictionem coercitivam, quæ non potest exerceri nisi in subditos: subjectio enim & jurisdictio sunt correlativæ. Peregrinus autem delinquens in alieno territorio, incurrit Censuras ibi latas per modum statuti, ex cap. 14. *de foro competent.* Quia ut aliàs dixi peregrini subjiciuntur legibus territorii in quo versantur, ratione suæ præsentiæ in illo. Si verò censura lata sit per modum sententiæ, non obligat nisi personas quas directè respicit. E contra subditus non incurrit Censuram latam per modum statuti, si contra illud agat extra Diœcesim ligantis, cap. 2. *de constit. in 6.* Nam statutum afficit solum territorium, pro cujus recta gubernatione fertur, nec extra illud obligat. Secùs, si censura lata sit per sententiam vel præceptum transitorium: nam ligat subditos extra territorium delinquentes, quia personas directè ac secundùm se spectat, ideóque illas afficit ubicumque existant: In quo differt à statuto, quod spectat territorium, seu personas existentes in territorio. Hinc si Episcopus Clerico peregrinaturo ludum alearum prohibeat sub pœna suspensionis, hic eam incurrit extra Diœcesim ludens; quia nempe sententia & præceptum immediate afficit personam, eique cohæret, ubicumque sit. *Ita Suarez, Sayr. Layman, Bonacin. & alii communiùs.* (*a*)

Quæst.

(*a*) De censuris plura scitu digna occurrunt in Tractatu sæpe laudato de Synodo Diœces. Vide lib. VII. cap. 45. in quo improbatur immoderatus censurarum usus. Cap. 46. eorum probatur sententia, qui ob levem culpam, quæ tamen ex circumstantiis fit gravis, censuras ferri posse tuentur. Cap. vero 44. demonstratur ex communi sententia, grave, & enorme crimen desiderari ad infligendas censuras; atque nonnullorum opinio refellitur, qui excommunicationem præcipuè vero latæ sententiæ improbare videntur. Id autem sequentibus verbis ostendit. „ Quod si omnium Doctorum „ consensu, grave, & enorme crimen re- „ quiritur, ad irrogandam censuram, etiam „ quam vocant *comminatoriam*, & *ferendæ* „ *sententiæ*, multo sane gravius, & execra- „ bilius esse oportet delictum, ob quod „ infligatur censura latæ sententiæ, qua ni- „ mirum homo, per solam legis transgres- „ sionem, nulla prævia monitione, ejus- „ dem legis ministerio, statim perstringitur. „ Ejusmodi censuras, præcipuè vero ex- „ communicationes latæ sententiæ, visi sunt „ improbare nonnulli Doctores, Godscal- „ cus Rosemundus Theologus Lovaniensis „ *in suo Confessionali cap.* 20. eas è medio „ prorsus auferri vellet, inquiens: *Valde* „ *inconsultum, & periculosum est, quod Epi-* „ *scopi in suis statutis, cæteri quoque Judices* „ *tam faciles sint in multiplicando censuras;* „ *unde expediens esset, ut etiam inquit Ger-* „ *son, ut omnes Constitutiones sententiæ ex-* *commu-*

Quæst. VII. *Quinam possunt ferre Censuras?*

Resp. Omnis & solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cœlis;* & Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Ubi Præ-

„ *communicationis, latæ sententiæ, in jure,* „ *vel statutis contentæ, quarum usus nullus* „ *est, aut plus obest, quam prodest, expressa* „ *revocatione casserentur, in provinciis, &* „ *diœcesibus, & in Ecclesia universali. Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sententia ferretur de facto à jure, vel* „ *Judice, neque pro præsenti, neque pro futuro,* „ *nisi pro manifesta contumacia, qua quis* „ *ostendit, se non paratum audire Ecclesiam.* „ Verum hæc Godschalchi assertio, qua parte omnes excommunicationes latæ sententiæ tanquam perniciosas deleri, & abrogari vellet, audax est; communem enim „ Ecclesiæ usum condemnat, & Concilia, „ Summos Pontifices, omnesque Ecclesiarum Præsules tacite carpit: Neque eidem „ adstipulatur, quem citat, Gerson: hic „ siquidem *loc. cit.* totus est in explicando, „ qua ratione excommunicationis vinculo, „ ipso facto, irretiatur, qui ex mera ignorantia, quanquam culpabili, aut infirmitate, peccatum committit, etsi ceteroquin contumax non sit, sed paratus sit „ stare correctioni Ecclesiæ, & postquam „ multa, ad hanc rem explicandam adduxit, concludit (*col.* 49.) eas excommunicationes latæ sententiæ *tantundem operari, ut absque processu alio judiciali, aut* „ *nova Constitutione, possit Judex, statim* „ *probato facto, vel confessato, ferre juris* „ *sententiam, & eamdem publicare; non sic* „ *ubi Canones essent solum ferendæ sententiæ;* „ *quoniam monitiones, & processus, secundùm terminos juris prærequirerentur multiplices;* Unde apparet, non improbari à „ Gersone excommunicationes latæ sententiæ, sed ad eas requiri sententiam declaratoriam criminis; quæ utique est necessaria pro foro externo, in quo nemo „ est reputandus censura innodatus, nisi legitime probetur reus criminis, cui est „ censura jure ipso alligata: In foro autem „ interno, & coram Deo, cujus oculis omnia „ nuda sunt, & aperta, ad incurrendum „ in censuram latæ sententiæ, nulla est necessaria Judicis declaratio, sed sat est, „ crimen perpetrare, cui illa est annexa: „ Suam quippe contumaciam, & Ecclesiæ „ contemptum satis aperte manifestat, qui „ in legem delinquit, quam scit in sui transgressores censuræ vinculum statim, & illico injicere, sicuti egregie ratiocinatur Suarez *de censuris, disp.* 3. *sect.* 8. „ *num.* 3. & Gonzalez *in cap.* 48. *de sententia excommunicationis, num.* 6. sed præ „ cæteris legendus est, de hac re ex professo differens, Theophilus Raynaudus „ (*oper. tom.* 14. *pag.* 514.) ubi scribens „ adversus Ayalam, censuras latæ sententiæ, hoc nomine, reprehendentem, quod „ illis non præcedat canonica admonitio, „ egregie ostendit, admonitionis loco esse „ promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis, vel prohibentis, sub pœna censuræ.

„ 6. Godschalcho, & Ayalæ assentiri videtur Van Espen *jur. Eccles. univers. part.* 3. „ *tit.* 11. *cap.* 6. *num.* 19. ubi etsi non audeat absolute damnare excommunicationes latæ sententiæ, eas tamen recens „ adinventas, &, per decem omnino sæcula, ignotas Ecclesiæ fuisse, affirmat: „ At Van Espenium falli facile demonstrabimus. Atque in primis nullam, putamus „ fingi posse excommunicationem illa severiorem, qua homo baptizatus perpetuo „ arceatur à Sacramentorum perceptione, „ omnique excidat spe consequendæ ab „ Ecclesia reconciliationis; & tamen prioribus sæculis, quorumdam atrociorum „ criminum reos facto ipso, seu sola criminis perpetratione, in hanc pœnam incurrisse, præter alibi laudatos Petavium, „ Morinum, Albaspinæum, aliosque plures, „ tradit Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib.* 1. „ *cap.* 7. *num.* 1. inquiens, *In exordio Christianæ religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, ut quibusdam sceleribus, quæ atrociora visa sunt,* „ *omnis prorsus veniæ spes, omnis pœnitentia* „ *denegaretur, adeo ut qui ea commisisset,* „ *quamvis à Divina misericordia eorum remissionem, veræ Contritionis subsidio obtineret: nunquam tamen posset cum Ecclesia* „ *reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium,* Quid, quod, si „ actu Pœnitentes, aut jam semel pœnitentia functi, in aliud, cujuscumque generis „ peccatum, quamvis privatim & occulte, relabe-

Prælatis Ecclesiæ Apostolorum successoribus datur potestas omnis expediens ad bonum animarum & rectum Ecclesiæ regimen, ad quod pertinet potestas non solùm ferendi leges, sed etiam coercendi & puniendi rebelles ac contumaces, eosque privandi bonis communibus.

Ordinariam potestatem ferendi Censuras habet Papa, & Concilium generale

---

„ relaberentur, nunquam deinceps veniam & pacem ab Ecclesia impetrarent? Nonne & hæc species erat severissimæ excommunicationis? Et tamen hanc relapsis fuisse ipso facto inustam, & pluribus demonstrat doctissimus Morinus *de Pœnit. lib.* 3. *cap.* 17. 18. & 19. & liquet ex plurium Conciliorum decretis, occulte etiam relapsos ab omni, etiam civili, Fidelium consortio segregantibus. Siquidem Concilium Turonense I. anni 461. *Canon.* 8. (*collect. Hard. tom.* 2. *col.* 795.) decrevit: *Si quis vero post acceptam pœnitentiam, sicut Canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta, quam professus est, pœnitentia, fuerit reversus; à communione Ecclesiæ, vel à communione Fidelium extraneus habeatur;* Concilium Veneticum circa annum 465. celebratum, *Can.* 3. (*collect. Harduin. tom.* 2. *col.* 797.) statuit; *Pœnitentes quoque, qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitæ se sæculari, conversationique reddiderint, non solùm à communione Dominicorum Sacramentorum, sed etiam à conviviis fidelium submovendos;* Concilium Aurelianense I. anni 511. *Can.* 11. (*collect. Hard. tom.* 2. *col.* 1010. (*De his* (ait) *qui, suscepta pœnitentia religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi, & ab omnium Catholicorum convivio separari.* Quare, quod Siricius Papa *epist.* 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum *cap.* 5. (*collect. Harduin. tom.* 1. *col.* 848.) relapsis permiserit, *ut sola intra Ecclesiam Fidelibus oratione jungantur, & sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur;* id ex mera indulgentia, & communis legis relaxatione, factum existimat Morinus *cit. cap.* 19. Ad hæc Auctor operis de vita contemplativa (quem alii Prosperum Aquitanicum, qui medio sæculo V scripsit, alii Julianum Pomerium, qui eodem sæculo labente, floruit, fuisse contendunt *lib. . . cap.* 7. diserte affirmat, ea ætate Clericos, grave aliquod facinus occulte admittentes, statim in foro conscientiæ, & coram Deo in suspensionem incidisse, quam Albaspinæus, *observ. lib.* 1. *cap.* 2. & Suicer *Thesaur. Eccl. tom.* 1. *pag* 601. pro quadam excommunicationis specie habitam, non immerito notarunt; Ait quippe Pomerius: *Hi, qui in aliquo gradu Ecclesiastico constituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt, si eis videbitur propterea communicare, & officium suum implere debere, quod homines, occultatione sui criminis, fallunt . . . qui autem ea commiserint, & ideo prodere metuunt; in sententiam justæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant; immo vero dupliciter contra se iram Divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt.*

„ 7. Quod si hæc nondum satis esse videantur, ad probandum, Majoribus nostris insuetum non fuisse morem decernendi censuras latæ sententiæ, alia statim proferemus antiquissima, & certissima, ejusdem rei monumenta. Norunt omnes viri docti, tres olim fuisse species excommunicationis majoris, de qua sola in præsens res est: Prima dicebatur *Excommunicatio simplex:* Altera *Anathema:* Tertia *Maranatha:* de qua frequens mentio occurrit in annalibus S. Benedicti, conscriptis à Patre Mabillon *tom.* 4. *in appendice.* In historia Lotharingiæ, Calmet *tom.* 1. *p.* 2. *pag.* 390. Et in nova editione glossarii Caroli Dufresne *tom.* 4. *in verb. Maranatha.* Simplex excommunicatio, & anathema, in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa, solo verbo proferretur; anathema vero pronuntiaretur celebri quadam solemnitate, pluribusque adhibitis cæremoniis, quæ aptæ forent ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem: *Maranatha* autem hoc *Anathemati* addebat, ut excommunicatus solius Dei Judicio relictus, ab Ecclesiæ communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem Judicii: quod ex ipsa nominis etymologia elicuit Augustinus apud Suarez *de cen-*

nerale in omnes baptizatos, Episcopus in suos Diœcesanos, Concilium Provinciale in suam Provinciam. A Papa habent Superiores Ordinum saltem Generales & Provinciales, vel etiam Superiores locales secundùm cujusque constitutiones; non item Parochi. Delegatam habent omnes, & soli Clerici, quibus fuit legitimè concessa ab habente ordinariam. Fœmina autem saltem jure Ecclesiastico est incapax jurisdictionis spiritualis, ideóque Censuræ ferendæ.

Quæst. VIII. *Quinam possunt absolvere à Censuris?*

Resp. 1. Censura *ab homine*, vel quævis alia reservata non potest tolli, nisi ab eo qui eam tollit, vel ab ejus Superiore, aut Successore vel delegato: quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Archiepiscopus autem non potest à Suffraganeorum Censuris absolvere, nisi in casu appellationis aut visitationis.

Ab excommunicatione non reservata, nec ad forum contentiosum deducta potest absolvere quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à peccatis mortalibus, ex consuetudine recepta, & ex cap. *Nuper*, de sent. excomm. ibi: *Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis, relaxandi.* Excommunicatio autem à jure non est reser-

---

„ *suris disp.* 8. *sect.* 2. & explicarunt Patres „ Concilii Toletani IV. statim allegandi. „ Jam vero antiquissima Synodus Gangrensis, paulo post Nicænam habita, omnes „ suorum viginti canonum transgressores „ anathemate perculit, his verbis: *Anathema sit (collect. Hard. tom.* 1. *col.* 533. *&c.)* „ quibus sententiam latam importari, nemo „ facile inficiabitur: Patres autem Concilii „ Toletani IV. habiti anno 633 cui Episcopi 62. interfuere, *(cap.* 75. *collect. Hard. tom.* 3. *col.* 594.*) Anathema, Maranatha,* „ in eos pronuntiarunt, qui adversus Regnum, vel Regem conjurarent, in quos hanc „ formidandam sententiam, ter repetitam „ protulerunt: *Hoc etiam tertiò acclamamus,* „ *dicentes: Quicumque ammodo ex nobis, vel* „ *cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione, vel studio Sacramentum fidei suæ,* „ *quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate Regiæ potestatis pollicitus est, violaverit, aut Regem* „ *nece attrectaverit, aut potestate Regni exuerit, aut præsumptione tyrannica Regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi:* „ *atque ab Ecclesia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, &* „ *ab omni communione Christianorum alienus,* „ *neque partem Justorum habeat, sed cum* „ *Diabolo, & Angelis ejus, æternis suppliciis condemnetur, una cum eis, qui eadem* „ *conjugatione nituntur: ut par pœna perditionis constringat, quos in perniciem prava* „ *societas copulat. Et ideo si placet omnibus,* „ *qui adestis, hæc tertiò reiterata sententia,* „ *vestræ vocis, eam consensu firmate. Ab* „ *universo Clero, vel populo dictum est. Qui* „ *contra hanc nostram definitionem præsumpserit, Anathema, Maranatha, hoc est,* „ *perditio in Adventu Domini sit, & cum* „ *Juda Scarioth partem habeat, & ipsi, &* „ *socii eorum: Amen.* Eamdemque anathematis sententiam, eodem ritu, ac „ iisdem fere verbis, in eosdem Regni, & „ Regis proditores, denuo latam, legimus „ in Concilio Toletano XIV. anno 693. „ *cap.* 20. *(eod. tom.* 3. *collect. Hard. col.* „ 1801.*)* Qui autem prædictæ sententiæ „ ritum, quo tribus vicibus, veluti trium „ monitionum loco fuit repetita, considerat, multoque magis, si illorum verborum *Anathema sit in conspectu Spiritus Sancti, & Martyrum Christi,* vim, & „ efficaciam attentius expendat, minime „ dubitabit, Patrum mentem fuisse, excommunicatione latæ sententiæ percellere, „ quotquot in posterum, in patriam, aut „ Regem, rebellionem intentarent.

„ 3. Non itaque recenter adinventæ, nec „ primis decem Ecclesiæ sæculis, ignotæ „ prorsus fuerunt excommunicationes latæ „ sententiæ, sicuti sibi finxit, rerumque Ecclesiasticarum minus peritis imposuit Van „ Espen, ut illarum usum improbaret, easque parvi faciendas, suaderet, quod certe „ alibi non obscure insinuavit.

reservata, nisi reservatio exprimatur in canone vel statuto. Suspensio verò & interdictum saltem locale & generale personale, ex communi sententia censetur reservata Superiori, ita ut nullus Sacerdos possit ab eis absolvere sine potestate à Superiore accepta. Sunt tamen qui dicunt Confessarium posse ex concessione Ecclesiæ absolvere à suspensione, & interdicto particulari, cujus non est conscius pœnitens, & ad hoc valere formulam usitatam.

Resp. 2. Ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. Episcopi possunt absolvere subditos suos ab omnibus Censuris etiam Papæ reservatis, contractis ob delictum occultum, nec deductis ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario. Possunt etiam absolvere ab omnibus aliis subditos, quibus non est possibilis moraliter recursus ad Papam, ut sunt mulieres, pueri, senes, infirmi, & alii, quorum est legitimum impedimentum, c. 13. & cap. 58. *de sentent. excomm.* Si tamen impedimentum non sit perpetuum, juramentum ab absolvendis exigatur, quòd cessante impedimento ad Papam aut ejus Legatum recurrant, ibid. Quòd si non recurrant, recidunt in similem Censuram, cap. 22. *de sent. excomm. in 6.* Sed aliqui dicunt hanc obligationem obrogatam esse in Gallia, & aliis locis à Roma valdè remotis.

Resp. 3. In Jubilæis solet ampla potestas circa Censuras, & casus reservatos concedi. Circa quod observanda sunt sequentia. (*a*)

1. Quando conceditur facultas generalis absolvendi à Censuris Papæ reservatis, etiam in Jubilæo, non ideò datur potestas absolvendi à Censuris contentis in Bulla Cœnæ, ubi illa viget, nisi specialiter exprimatur, quia hæ sunt specialiter reservatæ. Specialia autem non continentur in concessione generali, nisi exprimantur.

2. Qui habet potestatem absolvendi à casibus Papæ reservatis, habet etiam potestatem absolvendi à Censuris eidem reservatis: quia casus non sunt reservati Papæ, nisi ob Censuram annexam. Qui autem potestatem obtinuit circa casus Episcopo reservatos, non potest idcirco à Censuris Episcopo reservatis absolvere; quia cùm soleant Episcopi aliquos sibi casus reservare nulli Censuræ annexos, inde fit ut casus reservati, & Censuræ Episcopales sint duæ res distinctæ, nec unum in alio includatur.

3. Absolutio in Jubilæo data rectè disposito habenti intentionem illud lucrandi, & implendi conditiones, etsi postea sua negligentia, vel ob aliud impedimentum non lucretur, tollit Censuram, & reservationem. Quia absolutio fuit absoluta, non conditionata, ut constat tum ex verbis & intentione absolventis; tum ex potestate absolvendi à Censuris & casibus reservatis, quæ non pendent à conditione, quòd pœnitens reipsa lucrabitur Jubilæum, sed datur simpliciter & absolutè pro tempore jubilæi respectu pœnitentium volentium illud lucrari. Secùs, si confessus sit sine intentione supradicta. Quia hæc potestas datur solùm in ordine ad jubilæum: nam Pontifex non intendit dare potestatem absolvendi à reservatis nisi respectu eorum qui volunt sincerè Jubilæum consequi, ideóque opera præscripta implere. Unde debet postea à Censuris, & peccatis reservatis absolvi ab eo, qui potest extra Jubilæum.

 Dixi,

(*a*) Vide supra pag. 886. ubi habetur integrum Caput 68. lib. VII. de Synodo Diœcesana, in quo num. 4. quæstio, quam hic Author tractat, clarius resolvitur, & explicatur.

Dixi, *recte disposito.* Nam hæc gratia non conceditur nisi verè contritis.

Resp. 4. In articulo mortis *omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt.* Ita Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. Multi tamen putant hoc esse restringendum ad Censuras, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & sepulturæ ecclesiasticæ, ut excommunicatio & interdictum, non autem suspensio: quia hæc facultas conceditur *ne hac occasione aliquis pereat*, ibid. Ergo, inquiunt, Ecclesia non intendit dare omnibus potestatem absolvendi ab iis, quarum occasione non impediretur consecutio gratiæ, qualis est suspensio ab ordine, officio, vel beneficio.

Porrò Sacerdos debet priùs reum obligare ad restitutionem debitam; vel si non possit tunc restituere, ad ea onerandos hæredes suos actu publico; ; aut si neutrum possit, ad jurandum se satisfacturum, cùm primum poterit.

Item Sacerdos qui extra articulum mortis non habet potestatem absolvendi à Censuris, monere debet moribundum, ut, si convalescat, se sistat & submittat Superiori, sub pœna reincidentiæ, hoc est incurrendi in similem Censuram, c. 22. *de sent. excommun. in 6.* & hoc onus sistendi se Superiori debet ei sub juramento imponi, ex cap. 58. *de sentent. excommun.* Quod exigitur à pœnitente, non ut iterum absolvatur, cùm validè fuerit absolutus; sed ut Superior correctionem ac remedia idonea adhibeat, & satisfactionem imponat, prout judicaverit. Nomine Superioris hic intelligitur quivis habens potestatem ordinariam aut delegatam absolvendi à Censuris extra articulum mortis.

Quæst. IX. *Quænam notanda sunt in absolutionem à Censuris?*

Resp. Sequentia. 1. Quamvis cessante contumacia, & reo converso Superior debeat absolvere à Censura, cùm sit pœna medicinalis: tamen Censura reipsa non tollitur nisi per absolutionem, ex Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo*, scilicet donec solveritis. Et, ex c. 28. & aliis *de sentent. excommunicat.* Nam non potest Censura dissolvi, nisi ea authoritate, qua contracta est. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.* Nam etsi contumacia sit causa Censuræ, non est tamen causa durationis ejus, sicut culpa est causa pœnæ, & tamen hæc durat sublata culpa.

2. Absolutio à Censuris ex natura rei non requirit certa verba, cùm non sit sacramentalis; sed potest dari validè per quælibet signa illius sufficienter expressiva. In foro tamen externo servanda est forma in Ritualibus præscripta. In foro conscientiæ adhibetur hæc formula pro excommunicato: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego authoritate ipsius absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, v. gr. hæresim, & restituo te communioni & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Pro suspenso: *Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam propter tale factum incurristi, & restituo te executioni Ordinum & officiorum tuorum, vel beneficiorum, in nomine Patris, &c.* Pro interdicto dicitur: *A vinculo interdicti, quod &c.*

3. In dubio Censuræ contractæ dari debet absolutio ad cautelam, sic: *Ab-*

Absolvo te à censura excommunicationis, si eam incurristi ob tale factum. Imò etsi nulla sit suspicio Censuræ contractæ, datur absolutè absolutio à Censuris ante absolutionem à peccatis, ad vitandam irreverentiam, si fortè pœnitens occulta Censura affectus sit, hoc modo: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat; & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, In nomine Patris, &c.* Rituale Rom.

4. Valida est, licèt illicita, absolutio ab habente potestatem ordinariam data absenti, vel invito & malè disposito. Quia censura est solum pœna, quæ potest à Superiore ad libitum validè auferri.

5. Qui pluribus Censuris est astrictus, potest absolvi ab una, remanentibus aliis etiam similibus, cap. 27. *de sent. excomm.* Nam inter eas non est necessaria connexio. Potest autem quis subjici multis Censuris etiam ejusdem speciei ob plura crimina, ex eod. cap. vel ob idem pluries commissum: nam plura delicta possunt pluribus pœnis ejusdem rationis puniri. Sic qui excommunicatus est ob percussionem Clerici, plures alias excommunicationes incurrit, si pluries eumdem Clericum vel alium percutiat.

6. Potest dari à Superiore absolutio ad reincidentiam, hoc est, sub certo onere, quo non impleto intra tempus præfinitum Censura reviviscat, seu delinquens similem Censuram contrahat. Item potest dari pro certo tantùm actu & tempore, quo transacto Censura habet omnem suum effectum; vel sub conditione de futuro libero: cùm sit actus jurisdictionis externæ, qui pendet à voluntate Superioris, quamvis hoc ordinariè non expediat, nec fieri debeat, cùm non sit in Ecclesia usu receptum.

7. Dum aliquis est excommunicatus ob injustitiam aut scandalum, in neutro foro licet eum absolvere, nisi priùs satisfecerit parti, & scandalum sustulerit: aut si non possit, debet priùs dare idoneam cautionem, quòd satisfaciat quamprimùm. Quòd si postea non satisfaciat, cum primùm commodè poterit, excommunicationem denuò contrahet, cap. 22. *de sent. excomm. in 6.*

8. Si is, qui Sacerdoti potestatem absolvendi à Censuris habenti bona fide confitetur, obliviscatur peccatum, cui Censura annexa est; secundùm multos tollitur Censura, modò Censurarum absolutio sit terminis generalibus data. Nam tunc Confessor utitur generaliter facultate absolvendi ab omnibus Censuris quam habet, vultque omnes auferre quantùm potest.

9. Qui absolutus est tantum in foro conscientiæ à Censura notoria, ita se gerere debet exteriùs, ac si non esset absolutus; potestque conveniri coram Judice, & ab eo cogi ad subeundam omnem pœnam Censuræ annexam: Quia absolutio data tantùm pro foro conscientiæ non habet effectum nisi coram Deo.

10. Invalida est absolutio per vim, vel metum injustum extorta etiam à tertio, imò extorquens contrahit excommunicationem, cap. unic. *de iis quæ vi, &c. in 6.* ex Concilio general. Lugdunens. Item nulla est, si extorta sit per dolum versantem circa causam finalem, quia Superior non vult absolvere nisi ob causam sibi propositam; quæ tunc non subsistit, nec proinde subest voluntas absolvendi: nam sublato motivo seu objecto formali volitionis, non est volitio.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

Quæst. I. QUid *& quotuplex est Excommunicatio?*

Resp. Excommunicatio est Censura, per quam baptizatus privatur communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque pendent à potestate & dispensatione Ecclesiæ, uti sunt Sacramentorum receptio & administratio, Ecclesiæ suffragia, divina officia, &c. Duplex est, major & minor.

Excommunicatio major, (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter, c. 59. *de sent. excomm.*) est Censura, qua quis privatur bonis communibus Ecclesiæ, & ejus dispensationi subjectis, & abscinditur à corpore Ecclesiæ, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* Unde est pœna gravissima, *qua pœna in Ecclesia nulla major est,* ait S. Aug. l. de corr. & grat. c. 15.

Excommunicatio minor est ea, quæ privat ex parte, seu aliquibus tantùm bonis communibus Ecclesiæ nempe receptione & administratione licita Sacramentorum, & passiva electione ad dignitates ac beneficia. Hæc contrahitur solùm ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicato non tolerato, cap. 3. *de sent. excomm. in 6.* ex Conc. gen. Lugd. Et Sanchez dicit omnes sentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in facto criminoso, id est, ob quod contracta est Censura, consilium, auxilium, vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cùm facientem & consentientem par pœna constringat.* cap. 29. *de sent. excomm.* A minore excommunicatione absolvere potest quicumque potest à mortali culpa, cùm non sit reservata, ex eod. cap.

Quæst. II. *Quinam sunt excommunicati vitandi?*

Resp. Olim omnes erant vitandi. Sed jam ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda* à Conc. Constantiensi, teste S. Antonino approbata, & jam pridem ubique observata, atque ex usu præsenti Ecclesiæ ii solùm sunt vitandi, qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim declarati sunt excommunicati, & publice denuntiati; item notorii percussores Clericorum, hoc est, ii quorum percussio publica nulla potest tergiversatione celari, nec ullo juris suffragio excusari, licèt non sint denuntiati. Equidem juxta Concil. Basileense, sess. 20. & Bullam Leonis X. de concordatis approbatam à Concil. Later. V. vitandi sunt etiam omnes, quos notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Sed ex consuetudine prævalet Bulla Martini V. quæ quidem non extat in actis Conc. Constantiensis, sed refertur è S. Antonino 3. part. tit. 25. cap. 3. Unde excommunicati alii sunt tolerati, quos scilicet fideles non tenentur vitare, & alii non tolerati, quos tenentur vitare, nempe nominatim & publicè denuntiati, vel notorii percussores Clericorum. Varii Doctores Galli dicunt publicum Clerici percussorem in Gallia vitari non debere, nisi accesserit sententia, qua declaretur injustus Clerici percussor: quia secundùm legem vel consuetudinem regni, ad notorietatem facti criminosi requiritur declaratoria judicis sententia. (a)

Quæst.

(a) Huc spectat Const. 100. BENEDICTI XIV. incipiens, *Apostolica Indulta &c.* in qua decernitur, eos, qui ex indulto Sedis Apostolicæ, possunt sibi eligere Confessarium

Quæst. III. *Quinam sunt effectus excommunicationis majoris:*

Resp. 1. Cùm excommunicatus ab scindatur à corpore Ecclesiæ, ut docent Patres, & ipse Christus his verbis, *Sit tibi sicut Ethnicus:* ita ut non jam ut membrum Ecclesiæ, sed tanquam Ethnicus tractandus sit, privatur omni jure, quod ei competebat tanquam membro Ecclesiæ, omnibusque bonis, quæ fidelibus ut membris Ecclesiæ competunt.

Resp. 2. Excommunicationis majoris septem sunt effectus, nam excommunicatus etiam toleratus & contritus, 1. Privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet sacrificiis, orationibus, indulgentiis: ita ut non liceat Sacerdoti tamquam Ecclesiæ Ministro, & nomine Ecclesiæ pro illo sacrificium, nec preces in sacrificio, nec horas canonicas offerre: quæ si pro illo fiant, non ei prosunt, ex cap. *Sacris de sent. excomm.* & cap. *Audi*, & cap. *Omnis 11.* quæst. 3. Nam Ecclesia, hoc ipso quod privat aliquem communibus suffragiis, prohibet ne pro illo applicentur.

Porrò per communia illa suffragia intelliguntur spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suffragatur suis membris, sive in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali, sive in ordine ad impetranda aliqua bona, præsertim spiritualia, vel quæ ad illa juvent. Revocanturque ad sacrificium Missæ, orationes, & Indulgentias. Potest tamen quivis privatus preces & sacrificium, & alia opera nomine privato seu tanquam persona privata pro eo offerre; quia hæc sunt suffragia privata. Item secundùm multos licet Sacerdoti tanquam personæ privatæ, in *Memento* pro eo mentaliter orare; sed non per orationes, quæ Ecclesiæ nomine pro ejus membris dicuntur, nec ut Minister Christi; nemini enim licet Ecclesiæ suffragia etiam pro tolerato offerre: alioqui tolleretur præcipua pœna & ratio excommunicationis; & quia Constitutio Martini V. nullum favorem toleratis concedit: Ergo ii, nunc ut antea, excluduntur à suffragiis Ecclesiæ.

2. Privatur receptione & administratione Sacramentorum, ita ut mortaliter peccet, si aliquod recipiat, vel sine necessitate & non requisitus administret. Quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente, ex cap. 59. *de sent. excomm.* & cap. 4. & 6. *de Clerico excommun.* Unde non potest absolvi à peccatis

rium ex approbatis ab Ordinario, à quo à reservatis criminibus, & censuris absolvi possint, non posse alium Confessarium eligere nisi approbatum ab Ordinario illius loci, in quo confessio peragitur. *Ita videlicet, ut si in aliquo indulto tam Sæcularibus, quàm Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum: tunc Confessarius vigore talis concessionis sive à Sæculari, sive à Regulari Pœnitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano, & Ordinario Loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus, & deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quæ à solo proprio Regulari Prælato obtenta foret minime suffragante.* At Innocent. XII. & XIII. declaraverant, *non posse Sacerdotem, qui ab Episcopo limitatam facultatem obtinuerit, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum Sacramentum pœnitentiæ administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, sive confessarii electi fuerint vi Bullæ Cruciatæ, sive ex quocumque alio privilegio . . . nec eis suffragari: quod approbati alias fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci in quo confessiones audiendæ sunt, ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat &c.*

peccatis, nisi priùs fuerit ab excommunicatione absolutus.

Item ei non licet sub mortali interesse Sacro, aut divino officio, cap. *Alma de sent. excommun. in 6.* Quòd si facile possit absolutionem à Censura sibi comparare, & non conetur, omissio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, imò & Missæ, dum urget præceptum; ei ad culpam mortalem imputabitur; quamvis in tali statu teneatur ab illis abstinere. Quia lex præcipiens aliquid, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltem non valde difficilia, qualis est Censuræ remotio, ad quam aliunde tenetur. Potest tamen concionem audire, cap. 43. *de sent. excomm.* sed finita concione tenetur recedere, ne cum aliis communicet.

Si autem sit obligatus ad horas canonicas, tenetur eas solus recitare, non quidem ut persona publica & ab Ecclesia legata, cùm sit ab ejus corpore abscissus, saltem jure si sit toleratus; sed ut persona privata: par enim non est, ut quis commodum ex suo delicto percipiat. Præterea excommunicatio, cùm sit pœna, non debet obligationem & onus auferre, & immunitatem conferre. Sed ei non licet adhibere socium: nam omnis communicatio cum alio est ei prohibita, præsertim in orationibus; nec ei licet dicere: *Dominus vobiscum:* quia hæc verba significant publicæ personæ sacram cum populo communicationem, quæ ei interdicta est, quare ejus loco debet dicere: *Domine, exaudi orationem meam, &c.*

3. Est inhabilis ad dignitates & beneficia accipienda, ita ut resignatio, electio, præsentatio, collatio, permutatio, & quælibet alia beneficii provisio facta in favorem excommunicati etiam tolerati, & acceptatio, sit nulla, cap, 7. *de Cleric. excomm.* Item est inhabilis ad pensionem clericalem, nam communione Ecclesiæ privatus, est incapax recipiendi bona Ecclesiæ dispensationi commissa. Idque constat ex usu & stylo Curiæ: nam in litteris Pontificiis apponitur absolutio ab excommunicatione, ad hunc effectum. Quare qui in excommunicatione obtinuit beneficium aut pensionem clericalem, non potest percipere fructus; & si perceperit, tenetur eos restituere; nec potest tale beneficium permutare, aut resignare in favorem. Quia nullum jus ad beneficium, pensionem & fructus habet, cùm ejusmodi collatio sit nulla. Idque licèt ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis, licèt excuset à culpa non tamen facit actum validum, qui erat aliàs invalidus: nam actus non potest esse validus sine omnibus requisitis ad ejus valorem.

Imò excommunicatus quamvis beneficio ante obtento non privetur, & ideo ad horas obligetur ratione illius, potest tamen eo privari; & non facit fructus suos durante excommunicatione, ideoque eos omnes ac distributiones restituere tenetur ante omnem sententiam. Ita Covarr. Suarez, Toletus & alii multi, ex cap. 52 *de appellat.* ibi: *illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Hanc autem privationem ipso facto latam esse, docet valde communis sententia: tum quia vox *subtrahuntur*, significat factum ex vi Censuræ non præceptum de imponenda illa pœna: tum quia hæc privatio fructuum æquiparatur ibi privationi communionis Ecclesiæ; nec suspenditur per appellationem ab excommunicatione, ibid. *Ita Suarez.*

4. Privatur omnis spiritualis jurisdictionis usu, ita ut peccet mortaliter, si ordinet, Censuras vel leges ferat,

rat, dispenset, conferat beneficia, ad ea eligat, instituat, præsentet, &c. cap. 24. *de sent. & re judic.* Tamen actus jurisdictionis, si toleratus sit, sunt validi ob bonum commune, ex constit. Martini V. cit. ubi dicitur posse ab excommunicatis toleratis recipi sacramenta.

5. Excommunicato etiam tolerato interdicitur omnis communicatio cum fidelibus, cap. 18. 29. & 59. *de sent. excomm.* & c. *Alma*, hoc tit. in 6. & cap. 2. *de except.*

Primò quidem in rebus sacris, ut in Missæ sacrificio, & aliis divinis officiis, quo nomine comprehenduntur horæ canonicæ, omnis oratio publica, processio, benedictio, aliæque similes actiones sacræ, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi vel Ecclesiæ, aut propriæ sunt alicujus ordinis clericalis.

Quòd si excommunicatus in Ecclesia divinis officiis intersit, si toleratus sit, non debent intermitti officia; quia non est vitandus. Si verò sit nominatim denunciatus, monendus est à celebrante ut exeat. Quòd si non pareat, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam, sicut & alii qui prohibent ne exeat, *Clement.* 2. *de sent. excommun.* & tunc si commodè fieri potest, vi expellendus est. Si nequeat expelli, adstantes exire tenentur, ne cum illo communicent; & ipse Sacerdos tenetur Missam inchoatam abrumpere, si nondum incœpit canonem: si incœpit, debet solo ministro manente pergere usque ad communionem inclusivè, & reliqua perficere in sacristia. Sacerdos autem scienter celebrans coram excommunicato vitando, peccat mortaliter, & ligatur interdicto ab ingressu Ecclesiæ, cap. 8. *de privileg. in 6.*

Secundò in actionibus forensibus, ita, ut excommunicatus nequeat esse judex, procurator, actor, tabellio, testis, &c. nec ei liceat tales actiones exercere, cap. 8. *de sent. excommun. in 6.* Ejus tamen acta valent, si sit toleratus & non repellatur: secùs, si non sit toleratus.

Tertiò in actionibus civilibus, juxta hunc versum.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os significat colloquium, allocutiones sive nutibus, sive verbo aut scripto, & quævis amicitiæ signa, ut oscula, amplexus, &c. *Orare*, id est, communicatio in orationibus & divinis officiis. *Vale* significat salutationes urbanas verbo, nutu, aut alio signo. *Communio*, id est, omnis societas, quæ habetur in communi habitatione, in contractibus, negotiis, & aliis actionibus: ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare, iter facere, aut quodvis opus præstare. *Mensa* denotat omnem convictum, & convivia. Ecclesia autem utpote communitas perfecta, habet potestatem, non minùs quam quælibet alia subditos sibi non obsequentes à reliquorum consortio segregandi; & ea utitur, tum ne rebelles criminis contagione alios inficiant, tum ut ipsi tanto magis pudefacti citiùs resipiscant, tum ad exemplum & terrorem aliorum.

Licet tamen extra divina officia communicare cum non tolerato, in his casibus in jure exceptis, ut, cap. *Quoniam* 11. quæst. 3. & hoc versu contentis:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima itaque causa excusans est *utilitas* spiritualis etiam ipsius excommunicati, cùm scilicet id expedit

ad ejus salutem, ut ad meliorem frugem reducatur, cap. 43. *de sent. excommunic.* Item alterius utilitas temporalis notabilis, v. gr. ad petendum consilium, subsidium, vel solutionem debiti; non tamen ad denuò contrahendum, *ex cap. 34. eod. tit.* Secunda est *Lex*, nempe connubii, quæ jubet ut conjuges mutua sibi officia præstent. Tertia *humile.* Sunt officia filiorum erga parentes, & famulorum erga dominos, si serviebant ante excommunicationem; item inferiorum erga Superiores, quoad ea quæ spectant ad communicationem necessariam iis, qui habitant in eadem familia; &c. Quarta est *ignorantia* juris vel facti. Quinta est *casus necessitatis* animæ vel corporis alterius, v. gr. ad comparanda victui necessaria, &c. Item necessitas auxilii, consilii, vel refugii.

6. Sextus excommunicationis majoris effectus est irritatio gratiarum Apostolicarum, cap. 1. *de rescript. in 6.* Quare Papa, in suis rescriptis præmittere solet absolutionem ab omnibus Censuris dumtaxat ad effectum gratiæ ab ipso concessæ. Quæ si omitteretur in rescripto, irrita esset gratia concessa excommunicato. Non ideo tamen legitime possidetur beneficium per resignationem simoniacam in Curia Romana obtentum ab illa absolutione ad effectum; quia talis provisio est nulla: cùm sit obreptitia, & contra intentionem Papæ obtenta, & irrita independenter à Censura.

Nota. Hæc omnia jura & pœnæ etjamnum vigent: ita ut quivis excomunicatus, etiam toleratus & occultus, peccet, dum communicat cum fidelibus in actionibus sacris vel prophanis, aut actum quemlibet supradictum exercet. Nam Leo X. in bulla cit. à Conc. Later. V. sess. 11. approbata, expressè declarat, se per suum decretum *non intendere excomunicatos, suspensos & interdictos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Quod jam declaraverat Conc. Basil. sess. 20. & antea Martinus V. ut passim testantur Doctores, quamvis hoc non legatur apud S. Antoninum. Potest tamen excommunicatus excusari ob impotentiam moralem, ut si non possit abstinere ab hac communione sine scandalo vel gravi damno, aut infamia gravi, quando crimen est occultum; quia præcepta Ecclesiæ ordinariè non obligant cum gravi damno. Fideles autem non peccant communicando cum excommunicatis toleratis; secùs, si non sint tolerati, ex ead. const.

7. Excommunicatus non toleratus privatur ecclesiastica sepultura, ita ut non liceat in loco sacro eum sepelire; & si sepeliatur, debeat exhumari, si ab aliorum corporibus discerni nequeat. C. 12. *de sepult.* ibid. *Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiasticæ unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.*

Sed quid, si excommunicatus resipuerit, & per contritionem perfectam justificatus fuerit?

Resp. Semper manet obnoxius his pœnis, donec absolutus sit, cap. *Sacris de sent. excommun.* Quia Censura, quamdiu manet, habet effectus suos. Tamdiu autem manet, quamdiu non tollitur per absolutionem; & alioqui non esset opus absolutione.

Quæst. IV. *An est mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

Resp. Ex S. Thoma, & ex communi sententia est mortale communicare in rebus sacris, ut officiis divinis, cap. 29. causa 11. q. 3. Nam materia gravis est, & valdè repugnat tum aucto-

auctoritati & fini Censuræ, tum etiam dignitati rerum sacrarum. Sed solùm veniale est in aliis: nisi in crimine ob quod alter excommunicatus est, vel nisi sit contra speciale præceptum Superioris, vel cum scandalo aut contemptu legis, ut si communicatio esset frequens, quia, inquiunt, communicatio in rebus civilibus non censetur hìc materia gravis, nam non repugnat graviter fini excommunicationis, nisi sit frequens.

Communicans autem cum excommunicato in facto criminoso, hoc est, cooperans culpæ vel contumaciæ, ob quam lata est excommunicatio, v. gr. præbendo consilium, auxilium vel favorem, semper peccat mortaliter, & eamdem incurrit excommunicationem, cap. 29. & 55. *de sent. excommun.* quia faciens & consentiens pari pœna puniri debent.

Quæst. V. *Quinam sunt effectus excommunicationis minoris.*

Resp. Tres sunt. 1. Privatio seu prohibitio receptionis Sacramentorum, cap. 59. *de sentent. excommun.*

2. Privatio passivæ electionis ad dignitates & beneficia. Quare illa ligatus peccat graviter, si scienter recipiat sacramentum vel beneficium: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi. Non fit tamen irregularis; nec electio aut provisio est irrita, sed solùm irritanda, cap. ult. *de Cleric. excommun.*

3. Privatio administrationis licitæ Sacramentorum, ex eod. cap. ubi dicitur, *peccare conferendo ecclesiastica Sacramenta.*

Quæst. VI. *Quænam sunt excommunicationes reservatæ Papæ, & Episcopis?*

Resp. Circa hoc consuli debet propriæ diœcesis Rituale. Hìc tamen operæ pretium est explicare excommunicationem contra percussores clericorum à Concil. gener. Lateran. II. Can. 15. latam, his verbis; *Placuit ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere; nisi mortis urgenti periculo donec, Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

I. Nemo cujusvis ordinis, dignitatis, sexus, status ab ea eximitur, ne impubes quidem rationis compos. Imò hanc incurrunt mandantes, consentientes, & consulentes, effectu secuto; item non impedientes, si ex officio ad hoc teneantur, vel si potuerint impedire sine damno periculove suo, & dolosè permiserint, cap. 47. *de sent. excommun.* Item ratam habentes percussionem suo nomine factam, etiamsi non consuluerint, nec mandaverint, c. 23. *de sent. excomm. in 6.* Item clericus seipsum vulnerans ex malitia seu passione: secùs, si ex devotione.

II. Per clericum intelligitur quilibet prima saltem tonsura initiatus, modò habitum gestet clericalem; etiam conjugatus modò cum unica virgine, cap. un. *cleric. conjug. in 6.* Per Monachum intelliguntur omnes utriusque sexus religiosi, c. 33. *de sent excomm.* Etiam laici conversi, ibid. & cap. 5. *de sent. excomm.* & novitii, cap. 21. eod. tit. in 6. Item Eremita subjectus alicui regulæ & Superiori ecclesiastico, & habitans in oratorio authoritate Episcopi.

III. Instigante diabolo, hoc est, illicitè & injustè.

IV. Per has voces, *Manus violentas injecerit*, intelligitur quævis actio corporalis, de se violenta, injuriosa ac contumeliosa circa clericum vel religiosum, aut res ei adhærentes, per se sufficiens ad gravem injuriam contra

tra hominem & reverentiam debitam tali personæ, sive fiat manu, sive baculo, gladio, lapidibus, &c.

Hinc ipso facto excommunicatus est, 1. Qui talem percutit, vulnerat, conspuit, evellit crines, lacerat vestem, & ita ut actio sit graviter injuriosa. Idque etiamsi clericus consentiat. Quia actio non ideo desinit esse injuriosa ordini clericali, in cujus favorem lata est excommunicatio, c. 36. *de sent. excommun.* 2. Qui concludit aut violenter detinet in carcere, vel loco unde sine dedecore exire nequit. 3. Qui persequitur, ut in flumen vel fossam incidat, equo decidat, &c. 4. Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, occidendo, vulnerando, lædendo, sistendo per frænum, quæ actio est gravis in ratione contumeliæ, &c.

V. Hæc excommunicatio non contrahitur, 1. Quando actio non est de se violenta, licèt sit injusta, ut cùm fur clam abscindit crumenam. Item si fiat sine violenta manuum injectione, ut cùm verbis contumeliosis afficitur. 2. Si percussio sit jocosa, cap. 1. *de sent. excommu.* aut casualis, ut cùm janitor vel apparitor arcens turbam, fortuito casu percutit clericum in turba versantem, c. 3. *de sent. excommun.* 3. Si nescias esse clericum. 4. Si Prælatus, pater, magister subditum in minoribus constitutum correctionis causa moderatè percutiat, habita ratione culpæ quamvis ira accedat, cap. 1. *de sent. excommun.* Item qui alios è familia sua vel propinquos in minoribus constitutos leviter percusserit, ut cohibeantur à suis violentiis, & scientia bonisque moribus imbuantur; cap. 54. *de sent. excomm.* Imò Prælatus, & præceptor ecclesiasticus potest in majoribus constitutum correctionis & disciplinæ causa castigare, c. 10. eod. tit. modò per se, vel per alium, si necessitas urgeat, castiget; non tamen per laicum, alioqui contrahitur excommunicatio, cap. 24. eod. tit. 5. Si clericus etsi culpabiliter percutiatur eo instanti, quo deprehenditur turpiter agens, hoc est, actum quemvis impudicum exercens cum matre, uxore, filia, vel sorore percutientis: secùs, si cum alia. Item si quis clericum percutiat, ad defendendam vitam aut bona sua, cum debita moderatione, c. 3. *de sent. excomm. in 6.* 6. Si percutiatur clericus, qui à privilegio canonis excidit, v. gr. bigamus, vel qui ter monitus non gestat habitum clericalem. 7. Si clerici impuberes se invicem percusserint, aut unus alterum percusserit. Secùs, si scholastici clerici puberes ex odio seu gravi ira se percusserint, c. 1. *de sent. excomm. in 6.*

VI. Duplex distinguitur clerici percussio etiam mortalis. Alia dicitur enormis ac gravis, & talis censetur vel ratione valde magnæ gravitatis ipsius percussionis, qualis est occisio, mutilatio, notabilis effusio sanguinis ex vulnere, carnis laceratio, dentium vel multorum capillorum evulsio: vel ratione eminentiæ personæ percussæ, ut si sit Episcopus vel Prælatus, etiam si alapa tantùm percutiatur.

Altera dicitur levis seu mediocris, scilicet comparatè ad enormem; & est ea, quæ nullam maculam, lacerationem carnis, mutilationem, copiosi sanguinis effusionem, nec dentium aut multorum capillorum evulsionem intulit, nec est contra Episcopum, Cardinalem, vel Prælatum, nec magnum scandalum parit.

Prima est reservata Papæ, secunda Episcopis, cap. 17. *de sent. excomm.* Prælati verò religiosorum possunt absolvere suos se invicem percutientes, modò percussio non sit enormis, c. 32. eod. tit. Quòd si religiosus percussus non subjaceat eidem Superiori, percutiens

cutiens debet à suo & percussi Prælato absolvi, cap. 32. eod. tit. Si religiosus clericum sæcularem percusserit, non potest absolvi nisi ab Episcopo, cap. 21. *de sent. excomm. in 6.* vel à Papa si percussio sit enormis.

CAPUT III.

De interdicto.

Quæst I. *Quid & quotuplex est interdictum?*

Resp. Interdictum est censura, qua prohibentur officiorum divinorum celebratio publica & auditio, quædam Sacramenta, & ecclesiastica sepultura.

Dividitur in locale, personale, & mixtum. Interdictum locale est, quod directè fertur in locum, prohibendo ne supradicta in eo exerceantur. Personale est, quod immediatè fertur in personam, ei prohibendo istorum exercitium & participationem, ubicumque existat. Mixtum est, quod & personam & locum immediatè afficit.

Duo priora subdividuntur in generale, & particulare. Interdictum locale generale est illud, quo interdicitur locus aliquis communis ut regnum, provincia, civitas, &c. Particulare est, quo interdicitur aliquis locus particularis, v. gr. una Ecclesia, vel aliquæ ex iis quæ sunt in civitate. Personale generale, est illud, quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout constituit unum corpus, ut omnes personæ regni vel civitatis. Particulare est illud, quo interdicitur una persona, vel plures personæ ut particulares.

Est etiam quædam partialis interdicti species, qua prohibetur ingressus in Ecclesiam, & si quis in tali interdicto sine pœnitentia moriatur, non debet in loco sacro sepeliri, cap. 20. *de sent. excomm. in 6.*

Sed circa hæc interdicta notanda sunt sequentia, 1. Interdictum in urbem latum afficit etiam suburbia, & ædificia continentia, quamvis sint sub jurisdictione seu temporali seu spirituali alterius, cap. 17. *de sent. excomm, in 6.* ne contemnatur interdictum, si populus in suburbiis posset divinis officiis interesse. Item interdictum alicujus Ecclesiæ ad cœmeterium & sacella ei contigua extenditur, *ibid.* At interdicto cœmeterio non interdicitur Ecclesia ei contigua: nam accessorium sequitur principale, non vicissim.

2. Interdictum ab Episcopo in civitatem latum debet etiam ab exemptis servari. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 12.

3. Interdicto generali locali non comprehenduntur personæ: unde incolæ civitatis interdictæ possunt interesse Sacro & officiis divinis in aliis locis. Et vicissim interdicto personali non comprehenditur locus, nisi exprimatur. Hinc interdictis clericis alicujus Ecclesiæ, non censetur ipsa Ecclesia interdicta, & exteri possunt in ea celebrare. Interdictum tamen locale est etiam personale respectu eorum, qui sua culpa fuerunt illius causa, ideóque non possunt etiam extra locum interdictum interesse divinis.

4. Interdicta aliqua communitate interdicuntur singulæ ejus personæ etiam innocentes, sed hi solùm quatenus sunt pars communitatis. Quare si desinant esse membra illius, desinunt esse interdicti: non item nocentes: cap. 16. *de sentent. excommun. in 6.*

5. Interdicto populo non interdicitur clerus, nec extranei, qui ibi sunt negotiorum causa, & vicissim interdicto clero non interdicitur populus, ex cap. cit. nec religiosi, nisi qui ratione officii pastoralis censentur esse de corpore cleri sæcularis.

6. Ad interdictum speciale personale requiritur culpa mortalis propria, cùm hoc sit gravis pœna, utpote privans magnis bonis spiritualibus. Ad locale autem, vel personale generale requiritur peccatum grave contumaciter admissum à capite, vel à præcipuis membris, licèt reliqui culpa vacent, ex eod. cap. Quia hæc pœna redundat in communitatem, quam privat cultu divino publico.

7. Per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale generale; & neutrum potest tolli, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam.

Quæst. II. *Quot sunt effectus interdicti?*

Resp. Tres sunt. 1. Est prohibitio celebrationis & auditionis divinorum officiorum, per quæ intelliguntur Missa, horæ canonicæ, vel aliæ preces solemniter recitatæ, supplicationes, benedictiones nuptiarum, aquæ, &c. demum omnis actio ab Ecclesia ordinata ad cultum Dei, ut exercenda ejus nomine ab ejus ministris.

Licita tamen est concio. Et tenentur clerici interdicti horas canonicas privatim recitare. Imò ex cap. *Alma de sentent. in 6.* clerici & religiosi non interdicti possunt & debent uti antea quotidie in suis Ecclesiis Missas & divina officia celebrare, sed submissa voce, januis clausis, exclusis excommunicatis, ac interdictis, & non pulsatis campanis. Item permittitur ut in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, exclusis excommunicatis, sed admissis interdictis; modò qui causam interdicto dederunt, ad altare nullatenus appropinquent. Hoc privilegium extendit Martinus V. ad festum Corporis Christi, & ejus octavam.

2. Est prohibitio receptionis & administrationis quorumdam Sacramentorum, exceptis Baptismo, Confirmatione & Pænitentia, quæ conferri possunt etiam sanis quoties libuerit; non tamen excommunicatis, & iis qui causam interdicto dedere, vel qui ad perpetrandum delictum, ob quod interdictum latum est, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem; nisi prius satisfecerint ob delictum, vel de satisfactione cautionem dederint, c. *Alma*, cit. Potest etiam personaliter interdictis deferri modo solito Eucharistia, si sit in probabili mortis articulo, cap. 11. *de pænit.* Quare tempore interdicti prohibetur duntaxat Eucharistia danda laicis sanis, Ordinatio, Extrema-Unctio, quæ tamen secundùm varios conferri potest infirmis, qui nequeunt alia Sacramenta suscipere, quia tunc est necessaria & benedictio nuptialis. Quoad Sacramentum Matrimonii, juxta multos, licitè & validè contrahitur in omnibus interdictis.

3. Est prohibitio ecclesiasticæ sepulturæ, quæ in interdicto locali extenditur ad infantes & amentes. Si tamen interdictus jam sit humatus in loco sacro, quamvis illicitè, non est exhumandus. Clerici autem, qui non sunt specialiter interdicti, nec interdictum violarunt, possunt sed sine cantu & campanarum pulsu sepeliri in loco sacro interdicto, sed non specialiter, c. 11. *de pænit.* Laici verò, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederunt, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto.

Porro qui ob interdictum humatus est in loco profano, eo finito transferendus

rendus est in locum sacrum; modò non fuerit specialiter interdictus, nec causam interdicto dederit.

Quæst. III. *Quænam sunt pœnæ violantium interdictum?*

Resp. 1. Peccant mortaliter, nam præceptum Ecclesiæ violant in re gravi. 2. Qui illud violat exercendo actum proprium ordinis, fit irregularis, cap. 18. & 20. *de sent. excomm. in 6. 3.* Excommunicationem Papæ reservatam incurrunt Domini temporales, compellentes clericos ad celebranda publicè officia in loco interdicto, vel impedientes, ne publicè excommunicati aut interdicti exeant tempore officiorum. Item ipsi interdicti post monitionem non exeuntes, *Clement. 2. de sent. excomm.* 4. Qui interdictos extra casus concessos scienter sepeliunt in loco sacro, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam, *Clem. 1. de sepult. 5.* Excommunicantur religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale à Papa, vel Ordinario latum, quando servatur à matrice Ecclesia, vel à parochiali loci in quo habitant. *Clem. 1. de sent. excomm.*

Quæst. IV. *Quid est cessatio à divinis?*

Resp. Est ecclesiastica prohibitio, qua clerici sub mortali cessare debent à celebratione officiorum divinorum, & administratione sacramentorum, nisi quatenus necessitas postulat. Fit in signum gravis doloris ab Ecclesia concepti, ob gravem aliquam injuriam sibi, vel honori divino illatum, & per modum justæ defensionis. Eosdem ferme effectus habet quos interdictum. Non est tamen censura, cùm non sit pœna medicinalis: unde ejus violatio, licèt sit mortalis, non inducit irregularitatem, c. 18. *de sent. excomm. in 6.* Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem, *Clem. 1. de sent. excomm.*

CAPUT VI.

De Suspensione.

Quæst. I. *QUid & quotuplex est suspensio?*

Resp. Suspensio est censura ecclesiastica, qua clerico prohibetur usus ecclesiastici officii, vel beneficii, vel utriusque: sive qua clericus privatur exercitio potestatis, quæ ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii, vel utriusque.

Resp. 2. Multiplex est suspensio. Nam alia est ab officio, per quod intelligitur potestas ordinis & jurisdictionis; unde est suspensio ab exercitio ordinis & jurisdictionis; alia à beneficio; & alia demum ab officio simul & beneficio.

Item alia est ab ordine tantùm, qua clericus privatur solùm usu suorum ordinum, ita ut ei non liceat Missam celebrare, Sacramenta ministrare, fungi munere diaconi, vel subdiaconi, alia à jurisdictione tantùm, qua clericus privatur solùm usu jurisdictionis, ita ut non possit licitè censuras ferre, instituere, delegare ad munia sacerdotalia, &c. Et alia à beneficio tantùm, quæ privat solùm fructibus beneficii. Hæ tres suspensiones possunt esse vel in totum, vel in partem: nam suspensio potest esse tantùm à parte officii seu aliqua tantùm functione, sive ordinis, sive jurisdictionis.

Denique suspensio alia fertur ad certum tempus; vel sub conditione; alia absolutè & sine determinatione temporis, alia ob culpam merè præteritam, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, quo transacto per seipsam expirat.

Ob-

Observanda sunt sequentia.

1. Ut cognoscatur qualis & quanta sit suspensio, consideranda sunt verba quibus fertur, & quæ in hac materia utpote odiosa debent strictè accipi.

2. Suspensus ab officio simpliciter, non censetur suspensus à beneficio, nec contra, ex c. 10. *de purgat. canon.* & cap. 14. *de vita & honest*, quia sunt pœnæ diversæ, & à se invicem separabiles. Unde ex communi sententia, is licitè percipit fructus beneficii, modò per alium suppleat beneficii munera, quæ non potest exercere, ad quod tenetur, cùm retineat titulum & onera beneficii, alioqui non potest eos percipere, quia non conferuntur nisi propter officium. Distributiones autem non potest percipere nec retinere: quia non conferuntur nisi iis, qui per se ministrant.

2. Quando in suspensione exprimitur pars officii, non est suspensus ab altera. Si autem dicatur suspensus ab officio simpliciter, hoc est, sine addito, privatus est ab omni exercitio tam ordinis quàm jurisdictionis, ut constat ex jure, usu ac sensu communi: nam ad officium clericale pertinent ea, quæ sunt ordinis & jurisdictionis. Dico, *simpliciter*: nam suspensio interdum fertur ab aliquo determinatè officio, cum addito, ut ab officio pontificali vel parochiali, vel sacerdotali. Et tunc suspenso non prohibetur exercitium alterius officii, quod non includitur in officio prohibito.

4. Suspensus ab ordine simpliciter, non ideò à jurisdictione suspenditur, nec è contra, quia ordo est quid distinctum à jurisdictione, neque est illi necessariò annexus. Hinc suspensus ab ordine simpliciter, potest exercere omnes actus jurisdictionis ad ordinem non pertinentes, v. gr. Episcopus etsi suspensus potest alteri delegare potestatem absolvendi à peccatis, quamvis ipse non possit absolvere. Item suspensus à jurisdictione simpliciter, non est suspensus ab actibus ordinis, qui jurisdictionem non requirunt: unde potest facere Sacrum, sed non absolvere.

5. Suspensus ab ordine superiore, non est suspensus ab inferiore, verbi gratia, suspensus præcisè à sacerdotio, non est suspensus à diaconatu, & aliis inferioribus: nam qui prohibet majus, non censetur prohibere minus. E contra suspensus à minore ordine, suspensus quoque est à majore, quia cui non licet, quod minus est, non licet quod majus est.

6. Suspensus à beneficio simpliciter censetur suspensus ab omnibus beneficiis, nisi sensus expresse restringatur. Suspensus verò simpliciter, intelligitur ab officio & beneficio simul: nam locutio indefinita æquivalet universali.

Quæst. II. *Quinam sunt effectus Suspensionis?*

Resp. 1. Suspensus ab officio etiam occultus. 1. Peccat mortaliter, si exerceat actum sive Ordinis sive jurisdictionis. Quia violat prohibitionem Ecclesiæ in re gravi: idque ubicumque exerceat: nam censura contracta sequitur reum, ubicumque sit. *Ita communiter*, etiamsi suspensio lata sit à proprio Episcopo, quia est præceptum personale, immediatè respiciens personas, easque obligans extra territorium. Actus tamen Ordinis à jurisdictione non pendentes sunt validi: quia Ecclesia non potest tollere potestatem Ordinis, sed solum ejus exercitium prohibere. Actus verò jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus; quia privatur actuali jurisdictione: sed validi sunt, si non sit denuntiatus, ex Constit. Martini V. *Ad evitandum.*

2. Illicitè

2. Illicitè beneficium novum reciperet, & ei conferretur, quæ collatio est saltem irritanda : ex c. 8. *de consuet.* quia qui privatus est aliquo actu, vel munere, est etiam privatus susceptione eorum, quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem est, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea, quæ ad talem actum vel munus ordinantur, ex cap. ult. *de clerico excomm.*

3. Suspensus fit irregularis, si exerceat functiones ordinis proprias, quæ competunt clericis, cap. 1. *de sentent. & re judic. in 6.* ex Concil. gener. Lugdun. Secùs, si exerceat tantùm ea quæ sunt jurisdictionis, vel quæ laici possunt præstare, ut si canat epistolam sine manipulo.

Resp. 2. Suspensus à beneficio licèt occultus privatur omnibus suorum beneficiorum fructibus, quibus continentur distributiones quotidianæ, utpote pars fructuum, ita ut non possit eos licitè percipere, & receptos teneatur restituere ante omnem sententiam: nam censura impedit eorum acquisitionem, unde ad eum non pertinent. Nemo autem retinere potest, quod suum non est. Tenetur nihilominus horas recitare, & alia onera beneficii præstare, quia hæc obligatio annexa est beneficio quod retinet; nec ea liberantur ob privationem fructuum, quæ ei in pœnam culpæ justè imponitur, remanente onere: censura enim non tollit onus in detrimentum Ecclesiæ & fundatorum.

Non videtur tamen privari jure eligendi, præsentandi, conferendi beneficium, &c. sibi competente ratione beneficii à quo suspensus est. Quia electio, activa præsentatio, collatio non sunt propriè loquendo fructus beneficii, sed actus officii tali beneficio annexi: in materia autem pœnali verba sumi debent in sensu proprio & stricto.

Quæst. III. *A quo, & quomodo tolli potest Suspensio?*

Resp. 1. A suspensionibus, etiam si jure reservatæ non sunt, non posse parochos, neque alios vulgares confessarios absolvere, nisi speciale privilegium, vel delegatam potestatem acceperint à Papa, vel ab Episcopo si non sint specialiter reservatæ, docent *Suarez, Navarr. Layman, &c.* tamen alii censent quemlibet Sacerdotem legitimè approbatum posse absolvere ab omnibus censuris, etiam suspensione, à jure latis non reservatis.

Resp. 2. Si suspensio absolutè & sine determinatione temporis inflicta sit ob contumaciam, tollitur per solam absolutionem. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. gr. triennium, vel sub conditione, transacto tempore, vel conditione impleta, suspensio cessat per se ipsam sine alia absolutione. Si verò imposita sit in perpetuum, ob culpam præteritam, tanquam mera pœna, tollitur solùm per dispensationem seu relaxationem prælati, vel ejus delegati; quia non est censura.

Quæst. IV. *Quibus casibus usitatioribus incurritur suspensio ipso jure?*

Resp. Sequentibus. 1. Qui ordines sacros recipiunt: vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel à proprio in aliena diœcesi, vel conficto titulo, vel per saltum, vel in censura, vel extra tempora à jure statuta, vel sine legitima ætate aut facultate, vel post matrimonium contractum, licèt non consummatum: item qui furtivè ordinantur, hoc est, qui non approbati inter ordinandos irrepserunt, aut alium in sui locum substituunt examini; hi omnes suspensi sunt ab executione Ordinum

num; & si Ordinem aliquem exerceant, fiunt irregulares.

2. Qui eodem die duos sacros ordines recipit.

3. Ordinans & ordinatus simoniacè est suspensus ab ordinibus.

4. Ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1. parochus vel alius Sacerdos jungens sponsos alterius parochiæ, sine illo rum parochi licentia.

5. Occupantes bona, vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius pii loci.

6. Simoniaci, Sodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel acceptantes, &c.

7. Apostata à religioso ordine, præsertim si in apostasia recipiat Ordines.

Nota. Episcopi ex privilegio non incurrunt suspensionem, nec interdictum lata à jure, nisi eorum fiat expressa mentio. Ita statuit Innoc. IV. in Conc. gener. Lugdun. & refertur c. 4. *de excomm. in 6.*

Quæst. V. *Quomodo Depositio & Degradatio differunt à Suspensione?*

Resp. Depositio est pœna, per quam clericus privatur omni officio & beneficio ecclesiastico in perpetuum, sine spe recuperationis, retento solo privilegio canonis & fori; ita ut neque ab illo percuti, nec trahi possit ad tribunal sæculare. Degradatio verò est pœna, per quam quis solemniter privatur in perpetuum non solùm omni officio & beneficio ecclesiastico, sed etiam privilegio clericali.

Hæ pœnæ differunt à suspensione. 1. Quia non sunt censuræ, cùm non sint pœnæ medicinales, sed merè vindicativæ, utpote inflictæ in perpetuum. 2. Quia privant ipsa potestate seu ipso officio & beneficio: suspensio verò privat tantùm usu officii, & fructibus beneficii. Depositus tamen & Degradatus non privantur potestate ordinis, quem semper possunt validè; licèt illicitè exercere, si non requirat jurisdictionem.

CAPUT V.

De Irregularitate.

Quæst. I. QUid est irregularitas? *Resp.* Est impedimentum canonicum, quo prohibetur susceptio Ordinum, & eorum exercitium. Sive est inhabilitas jure canonico inducta, impediens susceptionem Ordinum, & susceptorum exercitium. Differt à censura, quòd hæc sit pœna medicinalis ob culpam inflicta, & ad emendationem delinquentis ordinata: irregularitas verò immediatè & primariò statuta sit, non ad punitionem emendationemve delinquentis, sed ob honorem sacri ministerii, qui postulat, ut qui ad altaris ministerium assumuntur, sint & integri corpore, & animo puri: unde non necessariò supponit culpam, ut censura. Fertur tamen aliquando per modum pœnæ vindicativæ, sed secundariò, quatenus ob delicti maculam aliquis censetur indignus sacro ministerio, ob cujus reverentiam primariò infligitur.

Porrò nomine Ordinum hìc intelligitur etiam prima tonsura, ut constat ex praxi Ecclesiæ, & communi Doctorum sensu: quia nempe est dispositio ad Ordines.

Circa irregularitatem notanda sunt sequentia.

1. Nulla est irregularitas ab homine, sed omnis est à jure universali ac papali, ex c. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi Bonifacius VIII. declarat per celeb-

celebrationem in Ecclesia polluta non fuisse contractam irregularitatem, *cum id*, inquit, *non sit expressum in jure*, scilicet communi. Quia cùm irregularitas sit lata primariò per modum impedimenti canonici ob decentiam ac reverentiam sacro altaris ministerio debitam, hæc impedimenta debent esse eadem in tota Ecclesia, sicuti debita altaris ministerio reverentia ac honor communis est toti Ecclesiæ.

2. Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam, etiam ob defectum vel crimen occultum, & non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem in hunc modum: *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam, & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum & officiorum tuorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita Rit. Rom.

3. Potest quis pluribus irregularitatibus etiam ejusdem speciei detineri ob idem factum pluries commissum. Quare obtinens dispensationem irregularitatis cum expressione alicujus causæ, non censetur dispensatus in omnibus aliis irregularitatibus contractis ex alia causa non expressa, nisi Superior intendat generaliter dispensare: nam una irregularitas potest sine alia auferri, sicut potest sine illa induci.

4. Clericus irregularis licitè obire potest omnia munera sacra, quæ laico competere possunt, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, Sacramenta recipere, excepta ordinatione.

5. Ignorantia invincibilis solius irregularitatis, etiam ex delicto, juxta communem sententiam, non excusat ab illa. Quia irregularitas non est pœna medicinalis requirens contumaciam; sed est quædam macula seu inhabilitas annexa à jure non ad emendationem, sed ob reverentiam sacris mysteriis debitam.

Quæst. II. *Quinam sunt effectus irregularitatis?*

Resp. Duo. 1. Graviter illicitam reddit susceptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & eorum usum, non tamen invalidam. Unde peccat mortaliter, qui in irregularitate recipit vel exercet Ordinem: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi ad religionem pertinente. Idem dic, si recipiat primam tonsuram, quia est res gravis: nam constituit hominem in statu clericali, & reddit capacem beneficii ac Ordinis, ex cap. ult. *de tempor. &c. in 6.* Nullam tamen aliam pœnam ipso facto latam incurrit: quia nulla talis in jure contra irregularitatis violatores decernitur.

Porrò non prohibetur usus jurisdictionis, quæ exerceri potest sine actu ordinis. Hinc parochus irregularis potest delegare ad Sacramenta suis parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Validè tamen absolveret, cùm non privetur potestate Ordinis nec jurisdictionis.

2. Inhabilem reddit ad beneficium recipiendum, si sit totalis, ita ut collatio facta irregulari, saltem qui non potest omnia ejus munia obire, sit nulla, ex cap. 2. *de cleric. pugnant.* & cap. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi dicitur *esse ineligibilis.* Quia beneficium datur propter officium, & ad hoc ex se ordinatur. Cùm ergo irregularis sit inhabilis ad officia exercenda est etiam inhabilis ad beneficia recipienda. Quare qui in irregularitate beneficium recepit, non potest illud retinere sine nova collatione, nec fructus ejus percipere. Idem dic de dignitate & prælatura regularium,

ex c. 14. *de pœnis.* Clericus autem per irregularitatem non privatur beneficio ante obtento, nec ejus fructibus, modò recitet horas, & alia munia per alium exerceri curet, ex c. 5. *Ne clerici vel monac.* Debet tamen beneficio privari ex cap. 10. *de excess. præ lat.* Imò sponte illud resignare, si dispensatio brevi tempore impetranda non sit: quia beneficium retinere non debet, qui per se ipsum non potest officium ullum, vel præcipuum præstare.

Quæst. III. *Quotuplex est Irregularitas?*

Resp. Dividitur, 1. In eam quæ est ex defectu, scilicet inculpabili; & in eam quæ est ex delicto. 2. In totalem, quæ omnium Ordinum susceptionem & usum impedit; & in partialem, quæ tantùm aliquem actum Ordinis impedit.

Quæst. IV. *Quænam sunt irregularitates ex defectu?*

Resp. Sequentes. Prima est ex defectu animi sive rationis, scientiæ, & fidei obfirmatæ, propter quem irregulares sunt, 1. pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. 2. Illiterati, seu non habentes doctrinam necessariam cap. 1. dist. 86. 3. Neophyti, seu adulti ad fidem recens conversi à paganismo aut Judaismo, c. 1. dist. 48.

Secunda est ex defectu corporis, ex quo irregularis est, quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem aut morbum; ut vel non possit absolutè, vel nonnisi cum magna indecentia, vel periculo, vel spectantium horrore aut offensione exercere actus Ordinum, ex tit. *de corpore vitiatis* & tit. *de clerico ægrot. & ex dist.* 55. In dubio autem num deformitas vel indecentia sit sufficiens, Episcopi est judicare, cap. 2. *de corpore vit.*

Hinc irregulares sunt, 1. Cœcus, surdus, & enormiter claudus, ut si nequeat sine baculo, vel pede ligneo ire ad altare. 2. Carens naso, manu, pollice vel indice. 3. Carens uno oculo cum notabili deformitate; secùs si habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam juxta multos sinistro, modò canonem Missæ sine indecenti faciei conversione legere possit. 4. Leprosus, deformiter gibbosus, aut facie maculatus. 5. Morbo caduco laborans, qui tamen si ordinatus sit, & intra annum eo morbo non laboravit, potest susceptos Ordines exercere. Si verò raro & sine clamore ac spuma laboret, potest celebrare cum Sacerdote jejuno, qui deficiente ipso suppleat sacrificium.

Cæterùm corporis vitium occultum non inducit irregularitatem, nisi in tribus casibus. 1. Si quis membrum, vel partem membri absque justa causa sibi amputarit, c. 2. dist. 33. 2. Irregularis est; qui eunuchus propria culpa factus est. Secùs, si à natura, vel sine culpa, cap. 3. *de corpore vit.* 3. Hermaphroditus etiam occultus, quia est monstruosus. Imò si magis aut æque participet fœmineum sexum, est jure divino incapax Ordinis & characteris, quia est magis, aut tam fœmina quàm vir: fœmina autem non est capax characteris Ordinis. Est etiam arcendus à professione religionis, ob periculum libidinis & scandali.

Nota. Habens corporis defectum impedientem susceptionem Sacerdotii, est irregularis ad reliquos Ordines inferiores & Sacros, quia hi ad illud ordinantur. Sed si id accidat post susceptum Sacerdotium, fit tantùm irregularis quoad functiones, ad quas est inhabilis,

inhabilis, non ad alias. Sic Sacerdos qui amisit pollicem vel indicem, vel oculos, fit irregularis quoad celebrationem Missæ, non quoad auditionem confessionum.

Tertia est ex defectu libertatis, ob quem excluduntur ab Ordinibus, 1. Mancipia, nisi priùs à dominis libertate donati fuerint. 2. Curiales, hoc est, qui ex officio negotiis sæcularibus implicantur, ut procuratores, advocati, notarii, milites, quamdiu tale officium habent, cap. 4. *De Clerico vel monach. 3.* Qui obligantur ad ratiocinia reddenda, non debent ordinari nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia, ex cap. un. *de obligat. ad rat.*

Quarta est ex defectu natalium, ob quem irregulares sunt omnes illegitimi, etiam occulti, sive spurii, sive naturales, cap. 1. *de filiis Presb. & in 6. eod. tit.* Idque ob indecentiam moraliter in prole resultantem, ob ignominiam quandam, qua secundùm vulgarem opinionem videntur aspergi, & ob periculum incontinentiæ ex imitatione paterna. Excipe, nisi filii naturales legitimati sint per subsequens matrimonium capit. 6. *Qui filii sint legit.* aut nisi habeantur in jure pro legitimis, ut qui nati sunt ex matrimonio invalido illo quidem, sed in facie Ecclesiæ bona fide saltem ex parte unius contrahentis inito, quamvis postea impedimentum aliquod dirimens detegatur; nam legitimi habentur, cap. 14. eod. titul.

Per solemnem religionis professionem deletur hæc irregularitas quoad Ordines suscipiendos, non tamen quoad Prælaturam, cap. 1. *de filiis Presb.* Porrò filii naturales sunt ii, qui nati sunt ex personis solutis, inter quas tempore conceptionis vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens. Spurii sunt ii, qui nati sunt ex personis, inter quas tempore conceptionis vel nativitatis erat impedimentum dirimens.

Quinta ex defectu Sacramenti, seu significationis Sacramenti, est bigamia seu matrimonii multiplicatio, etiam ante baptismum contracta ex cap. 1. 2. & 3. *de bigam.* Eucharistia quippe est Sacramentum unionis Christi cum Ecclesia unica sponsa sua, quæ conjunctio una est, unus est enim sponsus & una sponsa. At bigamus non repræsentat perfectè hanc unionem, cum carnem suam in plures uxores diviserit. Hujus irregularitatis rationes sunt. 1. Ob Sacramenti defectum, cap. 5. *de bigam.* Nam cùm ordinati creentur Sacramentorum ministri, decet ordinandos nullum circa Sacramenti significationem defectum pati. 2. Quia nimis propensus ad luxuriam præsumitur, qui plures contraxit. 3. Quia bigamus non potest facilè cæteros hortari ad continentiam, quam de eo difficilè præsumunt, cap. 4. dist. 16.

Est autem triplex bigamia, quæ inducit irregularitatem, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamia vera est ea, qua quis duas uxores legitimè & successivè duxit, & cum iis matrimonium consummavit. Interpretativa est ea, qua aliquis ex juris interpretatione habetur bigamus, quamvis cum duabus non contraxerit. Hac bigamia laborat, qui viduam duxit, aut mulierem ab altero corruptam, & cum ea jam facta uxore sua matrimonium consummavit, cap. 9. dist. 34. Item qui virginem quidem duxit, sed eam uxorem factam cognoscit post commissum ab ea adulterium: nam talis censetur ex juris interpretatione carnem suam in plures divisisse; sicut uxor, cum qua efficitur una caro, in plures divisit. Quare hoc matrimonium de-

ficit à significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ est unius cum una intacta. Non est, tamen bigamus, nec irregularis, qui priùs à se corruptam ducit, neque qui ante vel post matrimonium, vel in ipso fornicatus est aut adulteratus, quia in nullo jure id expressum est. Bigamia similitudinaria est ea, qua quis post solemnem religionis professionem, vel post sacrum Ordinem susceptum attentavit matrimonium, etiam cum virgine, & copulam habuit, cap. 4. *de bigam.* & ex Canon. *Quotquot* 27. quæst. 1. Ratio est, quia qui voto solemni adstrictus est, censetur spirituali quodam matrimonio conjunctus cum Christo. Unde si conjungatur alteri per matrimonium attentatum, censetur, quantum in se est, celebrare duo matrimonia non quidem vera, sed similitudinaria.

Sexta ex defectu lenitatis, ex quo irregularitatem contrahit quilibet baptizatus, qui voluntariè & proximè, licèt justè, concurrit ad hominis necem aut mutilationem, aut etiam accelerationem mortis effectu secuto. Censetur autem hìc proximè concurrere, qui ex lege, officio, vel ex intentione, vel per actum de se ordinatum ad necem, aut mutilationem, concurrit, sive in judicio, sive in bello offensivo. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos, qui personam Christi in sacro altari gerit, ejus mansuetudinem imitari debet. Christus autem mitissimus fuit, & neminem unquam læsit, sed mortem pro omnium salute subiit; suosque ministros misit sicut oves in medium luporum, sua patientia & mansuetudine convertendorum in agnos, & quia Sacerdos est minister Sacramenti pacis, unionis & vivificationis.

Hinc 1. Irregulares sunt judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis; ejus assessores, & omnes ministri justitiæ, ad eam authoritate publica concurrentes, ut notarius, scriba, recipiens, & signans testimonium testium, vel sententiam judicis, accusator, testis, advocatus, & procurator regius vel accusatoris, (non rei,) satellites, executores sententiæ, ut tortor ejusque famulus actu concurrens; & fabricantes furcam ad aliquem in particulari suspendendum.

Sed non sunt irregulares, qui remotè tantum ad sententiam sanguinis, vel ejus executionem concurrunt, ut 1. Princeps condendo leges capitales, constituendo judices vel alios ministros justitiæ, aut etiam præcipiendo ut super facto aliquo particulari inquisitio & justitia fiat. 2. Episcopus degradatum tradens brachio sæculari; sed debet juxta canones pro eo intercedere, ut citra sanguinem puniatur. 3. Confessarius hortans reum ad fatendam veritatem, & ad obsequendum sententiæ justæ, vel generatim dicens puniendos esse malefactores. Censeretur tamen causa proxima mortis, ideóque irregularis, si quid faceret aut diceret, ex quo mors alicujus in particulari sequeretur, aut accelararetur, v. gr. si diceret hunc reum esse morte plectendum. Possunt tamen interdum aliqui proximè cooperantes excusari ab irregularitate propter indeliberationem, aut semiplenam advertentiam. Quia tunc cooperatio non est sufficienter voluntaria ad actum humanum, ut si confessor indeliberatè dicat: Properemus: vel instiget jumentum, quo reus vehitur. Nam ad irregularitatem hanc contrahendam requiritur actus simpliciter humanus ac plenè deliberatus, *ex Clem. de homicid.* ibi: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ob hoc irregularitatem incurrit.*

4. Irregulares non sunt, qui infirmum vertendo, erigendo, jusculum

lum ei præbendo; in alium locum transferendo, &c. mortem ejus præter intentionem accelerant, si id prævidere non poterant; in hoc enim nullus est defectus lenitatis.

5. In Galliæ regno testis à judice compulsus ferre testimonium in causa criminali non censetur irregularis: nam causa proxima mortis reorum non habetur, sed remota dumtaxat, ut docent Doctores Galli, qui idem dicunt de notariis. Secùs in aliis Ecclesiis.

Hinc 2. Fit irregularis, qui in bello offensivo licèt justo, quempiam manu propria occidit vel mutilat. Secùs, si tantùm cooperetur, v. gr. custodiendo sarcinas, hortando in genere ad fortiter pugnandum, &c. Quòd si bellum sit injustum, irregulares sunt etiam ii, qui alios sua præsentia audaciores efficiunt. Item in bello merè defensivo, justo, & necessario ad defensionem reip. juxta multos irregularitas contrahitur: ex cap. 24. *de homic.* sed eam non incurrit, qui injustum invasorem pro defensione vitæ suæ occidit aut mutilat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *Clement. de homicid.* Item nec clericus accusans alium de injuria sibi in se vel in suis rebus illata, fit irregularis, licèt reus morte plectendus sit, modò expressè protestetur, se nullam capitis aut mutilationis pœnam intendere, cap. *de homicid. in 6.* Alioquin, ut ibi dicitur, *Si clericus de suis malefactoribus taliter conqueri non auderet, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.* Secùs si occidat vel mutilet in defensionem vitæ alterius innocentis, etiam patris, cum debita moderatione. Nam quamvis non peccet, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis: quia quoad hoc Clemens V. juri antiquo non derogavit: nam eum solùm eximit ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. Stat autem regula generalis pro iis, quæ non excipiuntur.

Septima est ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia: infames enim sunt irregulares, cap. *infames 6.* quæst. 1.

Duplex autem est infamia, juris scilicet & facti. Infamia juris est ea, quæ imponitur jure seu canonico, seu civili, ex cit. can. Infamia facti est publica notitia, seu opinio commissi criminis, per quod fama hominis spectatis personæ qualitate & statu apud prudentes graviter læditur, quamvis crimen illud per leges non notetur infamia: sic infames sunt clerici ebriosi.

Infamia juris iterum duplex est, alia quæ per legem ipso facto inducitur; alia quæ oritur ex sententia, qua judex damnavit ad pœnam infamantem valde gravem, ut virgis cædi, ignominiosè traduci, ad triremes vel exilium damnari.

Porrò irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per publicam & constantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ maculas non solùm coram Deo, sed etiam in opinione hominum absterserit ex cap. 54. *de testib.* Irregularitas verò ex infamia ipso jure vel per judicis sententiam contracta ob crimen notorium, non tollitur nisi per dispensationem.

Quæst. V. *Quænam sunt irregularitates ex delicto?*

Resp. Sequentes. Prima est ex iteratione baptismi, ob quam sunt irregulares scienter rebaptizatus, rebaptizans, qui rebaptizanti ministrat; item qui extra necessitatem permittit se ab hæretico baptizari.

Secunda

Secunda, vel illicita susceptione, vel usu Ordinis, quam incurrunt. 1. Qui furtivè suscipit Ordines; hoc est, qui non examinatus, vel non admissus, vel alio pro se ad subeundum examen submisso, dolosè se ingerit inter ordinandos, ex tit. *de eo qui furt.* 2. Qui post contractum matrimonium licèt non consummatum, ordinatur invita uxore, extrav. *Antiquæ, de vot.* 3. Qui in excommunicatione majore suscipit Ordinem sacrum, cap. 23. *de sent. excommun.* 4. Qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet, ex cap. 1. & 2. *de cler. non ordin.* ut si Clericus in minoribus constitutus canat epistolam cum manipulo, secùs, si sine manipulo; quia sic interdum canitur à laicis. 5. Qui ligatus excommunicatione majore etiam occulta aut suspensione, aut interdicto exercet actum proprium Ordinis sacri, quem habet, ex cap. 1. & cap. 20. *de sent. excommun. in 6.* Idem de exercitio ordinum minorum docet Navarrus, dicens esse communem, & Fagnanus id probat in c. *Si quis Presbyter in 6.* Qui celebrat in loco interdicto, c. 18. *de sent. excommun. in 6.*

Tertia est ex homicidio & mutilatione culpabiliter & injustè commissis, sive physice, sive moraliter, aut mandato, consilio, precibus, vel auxilio, favore, &c. sive etiam negativa cooperatione, non impediendo cùm ex justitia quis tenetur impedire, ex *dist.* 50. & ex tit. *de homicid. & de sent. excomm.*

Hæc contrahitur, 1. Ob homicidium voluntarium in sensu canonum, quod scilicet est in se directè volitum, vel in causa ita propinqua, ut moraliter impossibile sit eam velle & non velle homicidium. Quòd si plures communi consilio invadant, omnes sunt irregulares, quamvis unicus percusserit.

2. Ob homicidium casuale culpabile, quod contingit, cùm quis nec necem nec mutilationem intendit, nec secuturam prævidit, sed vel prævidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit ne accideret, vel dedit operam rei illicitæ & periculosæ, ex qua mors præter intentionem secuta est, quamtamcumque diligentiam aliunde adhibuerit, ex tit. *de homicid. volunt. vel casual.*

Secundùm varios non contrahitur ob homicidium secutum ex re illicita, sed nullatenus periculosa, modò debita diligentia adhibita sit; eo quòd tunc illud nullo modo sit voluntarium nequidem in causa, utpote nullum ejus periculum probabile deferente. Alii tamen censent contrahi ob mortem alterius ex qualibet actione illicita secutam, probantque ex variis canonibus; Quare tutius est petere dispensationem.

Porrò constat nullam contrahi irregularitatem, si homicidium sit omninò & absolutè casuale, quando nempe casu præter intentionem sequitur ex actione licita; modò debita diligentia, ne eveniret, adhibita sit. Quia ubi nulla in homicidio casuali præcessit culpa, nulla sequitur irregularitas, ex cap. 9. *de homicid.* & aliis. Secùs, si debita diligentia adhibita non fuerit, c. 12. eod. tit.

3. Idem est de mutilatione voluntaria & casuali, ac de homicidio, cui in jure æquiparatur, ex c. 3. *de raptor.* & c. ult. *de homicid. in 6. & Clement.* eod. tit. Est autem mutilatio abscissio membri vivi. Membrum verò ex communi sententia est pars corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus; ut manus habet officium palpandi, oculus vivendi, pes gradiendi, &c. non autem dentes, capilli, &c. Unde multi docent, digiti alieni abscissione non contrahi irregularitatem.

4. Ex

4. Ex apostasia à fide vel hæresi externa etsi occulta, *ut docent Navarrus, Suarez, Sanchez, Bonacina, & alii communiter apud illos.* Quia irregularitas crimini ipsi hæreseos non solùm infamiæ inflicta est. Nec jura distinguunt inter hæresim publicam & occultam, ut cap. 2. *de hæret. in 6. Saluberrimum* 1. quæst. 7. Dicuntur tamen hæretici, eorumque filii ad fidem conversi non haberi irregulares in Gallia, nec in Germania, ubi hæretici tolerantur.

5. gravibus criminibus notoriis, quæ à jure annexam habent infamiam: qualia sunt simonia, crimen læsæ Majestatis, adulterium, incestus, sodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium, &c. Item ex Conc. Trident. raptus mulieris, vel illius favor, nec non duellum.

Sed hæc irregularitas non contrahitur, si crimen sit occultum, ex cap. 4. & ult. *de temp. ordin.* nam est immediatè ex infamia, radicaliter verò ex delicto. Et quamdiu crimen est occultum, delinquens non est infamis, cùm integram famam retineat apud homines: infamia enim est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.

Nota. Ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, & exteriùs consummata. Quia irregularitas est pœna gravissima, de se perpetua, & difficilè solubilis, ideóque non contrahitur nisi propter culpam gravem ac mortalem: alioqui non esset delicto commensurata.

Quæst. VI. *An in dubio aliquis debet se gerere pro irregulari?*

Resp. 1. In dubio juris, quando scilicet lex est ita obscura, ut de ejus sensu peritiores inter se dissideant, vel quando dubitatur, an hic casus contineatur sub lege inducente irregularitatem, docent Canonistæ neminem censendum esse irregularem, ex c. 18. *de sent. excomm. in 6.* ubi ad irregularitatem contrahendam requiritur, ut id in jure expressum sit. At cùm jus dubium est, tunc irregularitas non est satis expressa in jure.

Resp. 2. In quolibet probabili dubio facti, cum nempe quis dubitat, num posuerit actum, cui irregularitas est certò annexa, tenetur se gerere pro irregulari, ex cap. 12. *de homicid.* ubi statuitur dubitantem de homicidio à se perpetrato teneri abstinere ab usu Ordinis, *cùm in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Quæ ratio universalis est, & æque valet pro dubio facti in qualibet materia. *Ita Abbas, Vasquez, Azor, Valent. Reginald. &c.* Et verò alioqui se exponeret periculo faciendi actum prohibitum.

Hinc qui fecit aliquid illicitum, ex quo dubitat, an mors alterius secuta sit, censendus est irregularis; nam est dubium facti.

Quæst. VII. *Quinam dispensare possunt in irregularitate?*

Resp. Episcopus potest cum suis subditis dispensare in omni irregularitate & suspensione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 6. Item cum illegitimo ad Ordines minores & beneficium simplex, non requirens majorem Ordinem, cap. 1. *de fil. presb. in 6.* & in bigamia similitudinaria, cap. 4. *de cleric. conjug.*

In aliis omnibus solus Papa dispensare potest, vel is qui ab eo privilegium accepit.

Nostræ Societatis Præposito Generali, & aliis Superioribus respective concessum est à Paulo III. privilegium dispensandi cum nostris in quavis irregularitate, præterquam homicidii voluntarii, & mutilationis membrorum & bigamiæ.

Confessarius autem, si facultatem dispensandi super irregularitate obtinuerit, post datam absolutionem à peccatis, hac forma utetur: *Et eadem authoritate dispenso tecum super irregularitate*, vel *irregularitatibus*, si plures sint, *in quam*, vel *in quas ob talem causam* vel *tales causas incurristi*, *& habilem reddo*, *& restituo te executioni ordinum*, *& officiorum tuorum. In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, *Amen.* Si pœnitens Ordine sacro careat, dicendum est: *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.* Ita Rituale Roman.

Porrò hoc ipso quòd conceditur facultas absolvendi à Censuris reservatis, non censetur etiam concedi pro irregularitate, cùm irregularitas non sit censura, & difficilior sit Irregularitatum quàm censurarum relaxatio. Et secundùm Romanæ Curiæ stylum nunquam censetur concessa facultas dispensandi in irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio. *S. Carolus in Instruct.*

Nota. Communis sententia docet quemlibet Sacerdotem approbatum seclusa prohibitione posse absolvere à peccatis irregularitatem annexam habentibus, si illa non sint reservata. Nam irregularitas adjuncta non impedit effectum absolutionis, cùm non pugnet cum statu gratiæ: neque arcet à perceptione Sacramentorum, excepto Ordine; cùm sit mera inhabilitas, solùm impediens ordinum susceptionem, aut eorum exercitium. Unde potest quis absolvi à peccatis remanente irregularitate eis annexa; & reipsa in jubilæis hæc non relaxatur iis, qui virtute illorum, à peccatis & censuris absolvuntur.

Finis Tomi Tertii.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus Arabicus paginam, litera a. Additionem denotat.

C.

D.

E.

G.

I.

M.

delis

N.

O.

P.

Ambulavit Sacerdos secus litus cujusdam
maris sedens, in quo inortam tempestatem,
naves aspicit, in periculo submersionis ver-
sari, deinde nautas ~~exe~~ audit vociferantes, quorum
eorum verba percipit, propter quod ~~misera~~ mi-
cordia motus illis absolutionem ejs impertitur

